LIBRERIA ANTICUARIA
Jerez
C/. Madera, 29
Teléfono 666 15 26
28529 RIVAS-VACIAMADRID
(MADRID) ESPAÑA





UAB
Biblioteca de Ciències Socials

2 Bulos
en 1 volumen
15.000.-

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS,

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

CONSULTORIS REGII,

ET IN TAURINENSI ATHENÆO

DECRETALIUM PROFESSORIS

COMMENTARIA

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM.

TOMUS PRIMUS.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

EDITIO TERTIA

CÆTERIS ANTEHAC LONGE CORRECTIOR OPERA, ET STUDIO D. PETRI DEL CAMPO ET LAGO, PHILOSOPH., AC SACR. THEOLOG. EX-PROFESS. NUNC HUMANIOR. LITERAR. MODERAT., NECNON REG. LATIN. MATRIT. ACADEM. SOC.



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI: MDCCCIII. EX TYPOGRAPHIA RAYMUNDI RUIZ.

Se hallará en la Librería de la Viuda de D. Bernardo Alberá é hijos.
Carrera de San Gerónimo.

1500547062

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

IN UNIVERSUM OPUS

PRÆFATIO.

CUM aliquando respicerem ad antiquissimam, qualis erat ab ipsa origine sui, sacræ prudentiæ disciplinam, statim invidendum putavi priscorum hominum felicitati, dum olim populo Deo fideli vix in familias, non in civitates, ditionesve tributo, & morum, & indolis similitudine, ipsius etiam linguæ societate conjunctissimo, nemine aut Historicorum per varia sæcula, perque diversas ut plurium vias vagantium, aut Legumlatorum, sive Interpretum, sententia, & opinione difformium lectione defatigando, singula certis rationibus, vel ipsa sola & quidem simplici natura duce, aut definirentur illico, aut siqua dubitationem adferrent, levissimo plane negotio dirimerentur; hodie autem ad doctrinam illam adsequendam vix ulla hominum provectissimorum ætas sufficiat, qua fastidiosissimo linguarum, nec tamen omnium celebriorum cultu, ab ipsamet infantia suscepto, nusquam conficiendo curriculo, qua in variis Provinciarum, Nationumve consuetudinibus observandis, qua in addiscendis Legumlatorum libris numero plurimis, sententia obscuris, collatione dissimilibus, utinam nunquam contrariis, qua in pervolvendis Collectorum codicibus, Historicorum monumentis, Interpretum commentariis, in quibus cum majora deberent inveniri subsidia, gravissima potius errandi pericula præsertim tyronibus procreantur. Pandatur, amabo, juris Canonici bibliotheca. Proh immanem librorum molem, ac numerum evolvendum! Quæ assidue in Scholis, & Foro tractantur Gregorii IX., sequentiumque Maximorum Pontificum decretales, juncto Gratiani decreto; acta Concilii Tridentini, in quibus diutissime versandum est, vix inter tot, tantosque Codices dixeris comparare. En in primis ingentem Synodorum congeriem a vetustissimis ad hæc usque sæcula apud Merlinum, Crabbeum, Surium, Binnium, Labbeum, Cossartium, Baluzium, Harduinum, Sirmondum, quam Spicilegiis, Anecdotis, Supplementis, Miscellaneis, vel novis in dies locupletioribus factis editionibus, Dacherius, Holstenius, Pezzii, iterum Baluzius, Mansius, Martene, Durand, Lunigius, Mabillonius, Co-

UAB Biblioteca de Ciències Socials
telerius, aliique ut cæteros ommittam numero plurimos illorum studia æmulatos, de quarumdam Provinciarum fastis singulari diligentia solliciti, Conciliis Hispanicis de Aguirre, Brittannicis, & Hibernicis Spelmanus, & Wilkins, Hungaricis Peterfei, Italicis Muratorius, mirum in modum auxerunt. In medium etiam proferuntur Romanorum Antistitum Bullaria nobis in dies constitutionibus locupletata, Sacrarum Congregationum definitiones innumeræ: adde insuper decreta Synodorum frequentissimarum in singulis diœcesibus edita, quorum non omnia dixerim, sed celebriora, aut quæ ad uniuscujusque Provinciam spectant, ignorare accuratus canonum cultor sine dedecore minime posset. His adhærent Sanctorum Patrum propemodum infinita volumina, præsertim illorum, quorum doctrina illustris pari morum integritati conjuncta illud meruit, ut eorumdem sententiæ, quasi leges ecclesiasticæ ab omnibus haberentur. Suum heic sibi vindicant locum Pœnitentiales diversarum Ecclesiarum libri, ut plurimum incerto auctore vulgati, nisi forte excipiantur Romanus apud Halitgarium, aut apud Antonium Augustinum, iive, qui nomen Theodori Cantuariensis, Rhabani, Bedæ, & Burchardi præseferunt. Congeruntur præterea Romani Ordines, Micrologi, Pontificalia, Manualia, Monasteriorum, Collegiorumve regulæ, vel statuta, Liturgiæ Latinæ Græcis, veteres recentioribus intermixtæ. Nec frustra sedem occupant Francorum Principum Capitularia, Longobardorum, Ripuariorum, Salicorum, Bajuvariorum leges, quæ vulgo velut ditissima juris ecclesiastici scrinia habentur, necnon Justiniani, aut Theodosii utriusque constitutiones, in quibus saluberrima multa, utiliaque Ecclesiarum gratia continentur. Hæc sane omnia, quæ sola amplissimos bibliothecæ pluteos implent, quoties una congesseris; hæc omnia, quæ ab homine addictissimo a teneris unguiculis ad ipsam usque ingravescentem ætatem transigi legendo vix possent; ubi absolveris, quid tum te confecisse intelligeres? Vix informem quamdam Ecclesiasticarum legum collectionem hinc illinc derivatam attigisti, nec in Pontificio jure magis profecisse videris, quam profecerit in jure Civili Romanorum, qui Justinianeos Pandectas, & Codicem perlegisset.

Non tamen in una Codicum versandorum multitudine difficultas Ecclesiasticæ prudentiæ consistit. Similis fere agnoscenda est in maxima disciplinæ varietate, quæ non solum Latinam

a Græca, sed ipsas etiam singulas a singulis Occidentales Ecclesias arctissimis cæteroqui vinculis colligatas, veluti propriis uniuscujusque insignibus, notis, ac characteribus ornate distinguit. Qua in re obeunda si non attente, & solerter insudes, sed forte una te, vel altera moretur Provincia sacra, facile eveniet, ut doctor quidem in una, vel altera diœcesi saluteris, alibi vero tacere, atque adsidere tyronibus jubearis. Ut enim legum quarumcumque doctrinam non scientiam, sed prudentiam juris vocamus, facile intelligitur, certas quidem prudentiæ canonum constitui sedes debuisse firmissimas, & nusquam concutienda fundamenta; non perpetuo tamen, & ubique principiis positis eadem colligi consectaria posse, sed in his probandis & temporum, & locorum, & causarum, similiumque id genus adjunctorum habendam merito rationem, unde suæ singulis Nationibus consuetudines, sua singulis Cathedralibus, minoribus etiam Ecclesiis statuta, sui singulis Monasteriis, & Religiosis domibus mores, institutionesque serventur. Dixi, habendam etiam temporum rationem, ut una indicarem, consignandos esse præterea multiplices ætatum casus, quibus Ecclesia aut defendi tristibus debuit, aut secundis ornari; idcirco minime confundendas leges illas, quæ primis, cum iis, quæ mediis, vel postremis sæculis editæ proponantur, cum prudens gerendæ Christianæ Reipublicæ ratio ita temperanda omnia postulaverit, ut quæ velut aptissima Theodosianis temporibus invehi potuerunt, aut debuerunt, velut inopportuna Carolinis abrogarentur, aut in aliam formam immutarentur. Hinc vero danda opera est asperrimis linguarum studiis, Græcæ potissimum, ac Latinæ, ne forte cogamur fidere certo Interpretum generi, qui vel de industria, vel inscitia in Canonibus de uno in aliud idioma convertendis latissimam errandi viam incautioribus aperuerunt. Acta Conciliorum generalium olim apud Græcos edita, ubi ad Latinos; acta vicissim Latinorum, ubi ad Græcos derivarentur, visa quandoque sunt aut turpiter deformata, aut etiam ita corrupta, ut in contrarias detorta sententias exhiberentur. Si enim vel ipse Martinus Braccharensis, vir cæteroqui religiosissimus, dum Canones Ancyranos cum aliis inter Orientales collectis proponeret apud Hispanos, Canonum non tam verba communi illorum intelligentiæ, quam definitiones ipsas communi eorumdem disciplinæ vi facta accommodavisse in sua collectione deprehen-

UAB Biblioteca de Ciències Socials
ditur, quid non molitos credamus, aut Dionysium transfugam & seditiosum Monachum, aut Ruffinum perfidiæ abs Hieronymo non semel insimulatum, dum græca latine reddiderunt, aut Græcos ipsos Schismaticos, dum Africanorum Canonum codicem eo animo suo codici adsuerunt, ut nihil apertius emergeret, quam Africanæ, & Romanæ Ecclesiæ jamdiu peccatæ, nec amplius moderandæ, præterquam a turbulentis, & malis hominibus, contentiones? His autem sermonum studiis adhuc acerbius illud accessit, quod situm est in ipso etiam vitiosæ latinitatis cultu diligentissimo, utpote necessario omnino ad monumenta legum sacrarum mediæ ætatis intelligenda, quum nimirum Longobardorum, Francorum, Alamannorum, & his commixtarum finitimarum nationum statuta aut ad res Ecclesiasticas pertinere, aut cum Ecclesiasticis decretis confundi, immo etiam decreta ipsa Ecclesiastica, si non eodem, saltem non longe dissimili aspero stylo conscribi cœperunt, sexcentis fœdata barbarismis, qui uti in generalibus formulis, quales edidit Malculfus, Sirmondus, Bignonius, Lindembrogius, & Baluzius, continebantur, ita facile in legum sacrarum texturam per Notarios actis Conciliorum, cæterisque Ecclesiæ monumentis componendis addictos passim transferebantur. Norunt autem id apprime Canonum studiosi cultores, quibus magis quam cæteris opportuna fuit du Fresne, & du Cange industria in dictionariis Latino barbaris elucubrandis.

Quid nunc de illis dicam, vel quorum custodiæ sacrorum canonum codices commendabantur, vel qui ante inventam typographorum artem exarabant libellorum exemplaria, alienæ ut plurimum operæ servientes, vel denique qui novas canonum collectiones quasi majora studiorum adjumenta exornarunt? Infinita propemodum rei quæstio foret, si pro dignitate explicarem, qua ratione ex illorum omnium gestis abstrusior in dies reddita fuerit disciplina. Pauca tantum attingam; atque ut a primis exordiar, novi ego illorum aliquot, extitisse, insignis sane perfidiæ reos, Notarios demonstro Concilii Chalcedonensis, Photium Constantinopolitanum Patriarcham, & Balsamonem ejusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Chartophylacem, qui tabularia sacra curæ suæ sanctissima depositi fide commissa adorti impudentissime corruperunt, atque in iis, quorum ope olim damnati fuissent, hæreseos suæ, vel schismatis præsidium col-

locarunt. Quot deinde, quantisque tricis, atque involucris optimorum auctorum libros turbaverint Amanuenses, satis constat apud eos, qui in vetustorum manuscriptorum Codicum lectione vel mediocriter versati sunt; aut enim illi ob inscitiam, aut oscitantiam vocabula vocabulis immutabant, nominantes ex. gr. Anselmum pro Asello, Chrysostomum pro Chromatio, pro Thaumaturgo Trimegistrum, & Concilium Ipponense pro Epaonensi; aut ob imprudentiam marginales notas, vel interlineares glossas edendis Canonibus inserebant, aut si quid forte irrepsisse suspicarentur, litura corrigere non dubitabant, cui emendationi peragendæ satis illis videbatur, si, quod scriberent, ætati suæ non congrueret. Atque ex hujusmodi Codicibus quot deinde paria, forte etiam in dies depravatoria recentiore manu exemplaria fuerunt describenda? Rei vero crassiores adhuc tenebras offuderunt monumentorum Collectores, quorum alii impudentiæ fama celebratissimi commentitiorum Conciliorum acta, nec numero pauca, fictas Pontificum Maximorum Decretales etiam plurimas, ejusdemque generis Diplomata Principum, privilegia majorum, & pactionum tabulas palam proferre fidentissime ausi sunt; alii brevitatis studiosi incompta, decisaque fragmenta fragmentis omnino dissitis interseruerunt ut Nomocanones, Excerptiones, Breviaria, Synopses, Capitula, & Decreta modico temporis intervallo, & commode conficienda exhiberent; alii manum admoverunt titulis, & inscriptionibus opusculorum, aut sententiarum vitiandis, ut in silentio jacerent germana nomina auctorum, quæ parum grata in ea, in qua ipsi scribebant, provincia extitissent; alii, quibus certum erat in collectione adornanda propositum, nil nisi congruum consilio suo adtulerunt, ut de cæteris prorsus obliti videantur; alii denique, quod non aliis, quam corruptis antiquiorum Codicibus uterentur, veterum laqueos declinare nesciverunt ipsi, una etiam aliis multiplicem errandi viam commonstrarunt.

Utinam vero disciplinæ nostræ e tot, tantisque tenebris eruendæ literatorum virorum industria, ac studiis lumen accessisset, Glossographorum, inquam interpretum, ac Pragmaticorum! Sed pauci admodum hanc provinciam adgredi optimo sane consilio conati sunt, nemo hucusque perfecit, plerique obscuriore caligine universa texerunt. Revera quoties consulendi sunt Glossarum auctores, torqueri mehercle statim animum sen-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tio, futurum prævidens, quod frequentissime contingit, ne, si illorum dictis adquiescam, a germana legum propositarum sententia distrahar, & avertar. Quoties itidem consulendi sunt Scriptores, qui ecclesiasticarum legum rationes, & causas digerendas susceperunt, atque ad illas exigere moliti sunt Episcopalis fori consuetudines, quid non molestum & grave dignoscitur apud plurimos, dum nullus fere est rerum delectus, nihil perspicuum, expeditum, aut planum; si quæ definiuntur, tota pendent aut ex quorumdam tribunalium definitionibus, quæ certa factorum adjuncta prætergredi nullo modo possunt, aut ex citationibus aliorum Scriptorum non sane felicioris ingenii, cultiorisque doctrinæ, unde eadem aut certis tantummodo tribunalibus apta sunt, aut in aliorum controversias incidunt, in quibus discrepantes opiniones utrimque mira sane contentione clamatur omnibus esse communes? Non ego auderem adeo aperte adgredi Scriptorum hujusmodi multitudinem, nisi magnas eruditorum virorum querelas frequentissimas de eadem re intellexissem. Laudo inter cæteros prudentissimum virum nostræ ætatis Feltriensem Episcopum, qui in Epistola ad Benedictum XIV. testatus est, se dum adolescens gymnasia frequentaret, ab Antecessoribus canonum postulavisse, quem addiscendi causa legere, ac sequi interpretem posset. Missus tum fuit ad Cuccos, ad Vallesios, ad Lancellottos, aliosque celebratissimos, quibus dum operam dedit, & quidem diligentissimam, professus est, se ex illorum libris nihilo doctiorem reverti potuisse, quam esset pridem, dum ad eosdem adhuc rudis accederet. Obivit deinde ipse in Patavina Academia munus Antecessoris; statimque ubi auditores suos percunctantes audivit de seligendo Scriptore, se non habere, quem indicaret, candide, ingenueque respondit.

Si in causam tot tenebrarum inductarum, tantæque ad has diluendas difficultatis inquiras, multiplicem facile invenies. Contigit id in primis scientiæ nostræ, quod & cæteris disciplinis, ac bonis artibus pene universis, ex miserabili quodam temporum fato. Si enim revolvantur animo anteactorum temporum monumenta, in quibus respiciantur varii doctrinarum omnium, præsertim autem jurisprudentiæ casus, mirandum quidem occurrit, quibus sæculis florentissimum fuit Romanum Imperium, illas propemodum singulas radiante quodam fulgore enituisse, vel ipsam quoque doctrinam rerum sacrarum, licet qui studiosi is-

tius essent, diris identidem vexationibus quaterentur; inde vero lugendum fuit, quo proclivius diminui, scindi, labi, interire denique visæ sunt Quiritium vires, rebus provinciarum, præsertim Italiæ lætissimæ scientiarum altricis, susquedeque turbatis, eo miserabiliorem evasisse fortunam bonarum artium, talesque designandas in posterum fuisse temporum notas, ac characteres, ut vitia vitiis modo cumulata succrescerent, modo variata succederent, restauratione earumdem, & ad pristinam elegantiam revocatione propemodum desperata. Emersit primum post sæculum Ecclesiæ sextum planorum hominum fallax nugandi ars, qua falsa viris admisceri cœperunt ad imponendum indoctis turbis quarum communis error facile quosque etiam prudentissimos obvolvebat. Huic vitio successit supina causarum, & rerum ignoratio, ex qua subsequentia sæcula obscura, & ferrea nominanda fuerunt ob inductam in ingenia, & mentes hominum scabram quamdam rubiginem. Post hæc deplorabilis corruptela morum ex universali mentium obcæcatione profluxit, unde abusus, prævaricationes, & scelera ipsa ob innumeram delinquentium multitudinem, ob magnam delinquendi frequentiam leges universas sanctissimas, ne naturalibus quidem, aut divinis exceptis, vicisse veluti præscriptione quadam, ac subegisse videbantur. Quis crederet? Etiam si recentiore ætate pertæsi homines conditionis adeo miserabilis, qua vix a brutis secernebantur, in pristinum doctrinarum cultum proclamare cœperint; & in id durissima studia, laboresque conferre ex eo, quod veteres disciplinarum vicissitudines cuncta fere miscuissent, suffectum est tenebricosum quoddam veluti cahos, quo offundi passim homines necesse fuit, vix quosdam, & sane paucos, ingenio præstantiores, studiisque improbioribus addictos contigit liberari. Superfuerunt quidem aurea veterum scripta; sed eadem circum & undique intricata mendaciis, quæ subsequens impura ætas induxit; sed eadem corruptis recentiorum temporum moribus, aut detorta, aut abrogata, adeo ut væ illis sit, qui illa tentent recenti disciplinæ accommodare; sed eadem denique inanibus quibusdam, nimisque subtilibus de industria excogitatis distinctionibus turbata, ut vel ipsa constantissima rerum principia funditus non dicam concutiantur, sed evellantur, unde pax, ac tranquillitas publica jamdiu firmata optimis institutionibus ex hac tam varia, & fluxa de jure respondendi ratione in eo lædatur,

in quo salus ejus esset, incolumitas collocanda. Eousque devenit jurisprudentiæ calamitas, ut testetur Duarenus in oratione pro Bugerio, duobus ab hinc sæculis in Pannonia contigisse, ut Jureconsulti decreto publico ab eo regno expellerentur, propterea quod rerum simplicitatem perosi litigia promoverent potius argumentis ad scrupulositatem usque subtilibus, quam finirent.

Altera causa est, quod aureis jurisprudentiæ sæculis viri plures, veluti inita quadam sub certo duce societate, doctrina, atque animis jungerentur, una autem adversus aliam quasi classem sub duce adversario constitutam pugnarent; recentiore vero ætate fere quieverint ejus generis disputationes; atque vel unus alteri facile adhæreat, unus alterius traditiones sine discussione de charta, ut ajunt, in papyrum traducat, eisdemque quasi cæcutientis ducta manu subscribant; vel si forte dissentiat, non sectarum pugna sit generalis ex partium studio coalescens, sed unius adversus alterum de facto potius, quam de jure singularis penitus concertatio. Floruit olim in Romana Republica jurisprudentiæ studium, præcipue sub Augusto, sub Tiberio, sub Claudio, sub Vespasiano. En autem statim conflatis legionibus instructas classes, hinc jus summum jus adamussim sequentium sub Trebatio, & Labeone; hinc plurium Cassio, & Sabino obtemperantium, illinc aliorum turmatim Proculo, Pegasoque adhærentium: neque cessaverunt hæc partium studia, nisi tum demum, cum cœptum est in utilissima juris doctrina remissius agi. Ecquidem restitutis a duodecimo Ecclesiæ sæculo Academiis, iterum non potuerunt non emergere sectarum varietates, constitutis hinc Irnerio, illinc Accursio, Bartolo dein, postremo Cujacio Antesignanis. Brevi tamen fere cessaverunt de generalibus juris principiis stabiliendis concertationes; & quis hodie facile demonstraret jureconsultum uni ex illis sectis addictum, aut novam sectam molientem, vel veterem concitantem? Si qui forte hanc viam inire tentavit, emersit statim (utinam non emergeret hodie, si quis hodie tentaret) turba multorum vulgaribus proditis non sine maledicto linguarum aculeis, qui tortuoso quodam loquendi genere utentes distinxerunt duplicis generis jureconsultos, id est, Academicos in rimandis, tradendisque principiis occupatos, & forenses principia præ-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tervolantes, atque omnia ex arbitrio, ut ajunt, prudentium dirimentes, & prædicare in vulgus non erubuerunt, Academicos quasi in recessu, & solitudine de gerendorum prudentia disputare, tractare res abditas, subtiles, immo & inanes, ad summum autem tales, quæ rancidam antiquitatem olent, aut ipsa sui vetustate collapsas, aut contrariis usibus immutatas: quasi qui præcepta hujus generis tradunt, vel excipiunt, evadant quidem jurisperiti, id est, non ignari veterum disciplinarum, non jureconsulti, qui lites, & jurgia aut compescere consiliis, aut definire sententiis valeant, tum demum ad id munus idonei, cum præcepta obliviscantur, aut seposuerint. Proh immeritam cultiorum virorum imaginem! quasi ipsi, cæteroqui egregia sapientia insigniti, non dignitate, & munere jureconsulti fungantur, sed potius constituti sint, veluti cuidam musæo ad monumenta antiquitatis colligenda, & in seram posteritatem traducenda præfecti. Si ita res est, quid aliud erunt variæ canonum collectiones, quam elegantia quidem, sed inania spectra ad spectaculum curiosorum adposita, quorum alius usus esse nequeat, quam ad demonstrandum, transactis temporibus extitisse viros, qui sacrorum leges tulerint, qui de eodem sacrorum jure responderint, qui qualemqualem scientiam, incertam tamen & vagam, vento aut fluctibus similem professi fuerint? Quid similiter aliud erit Gregorianus codex, nisi quoddam simulacrum ejus Pontificis affabre, magnificeque confictum? Quid aliud sententiæ Conciliorum, & rescripta Pontificum, quibus codex valde idem abundat, quam totidem idola concinne velut in magnificis pluteis ad unam venustatem collocata? Sic plane judicatur ab illis in conspectu Bibliothecarum nostrarum, & librorum, quibus utimur, quemadmodum judicaretur de iis, qui magnifica veterum Cæsarum, aliorumve Principum numismata curiose conquirunt, quorum aspectu dulcissime quidem semper, vix utiliter perfruantur. Itaque qui ita passim dictitant, & germanam doctrinam contemnunt, eos olim quidem suspiciebar, inde vero experientia edoctus sum, nullam sibi, & actibus suis legem impositam pati, optareque, ut omnia a sua pendeant voluntate nonnisi privati commodi studiosa, fluxam sibi, & arbitrariam sine regulis, sine præceptis jurisprudentiam confingentes, ut clientibus blandiantur, & clientum adversarios legitimo jure munitos quoquoversum agant, ac circumveniant. Revera isti prætextus sunt, quibus identidem intuemur legulejos quos-

dam homines, non juris sane, sed turpis lucri amatores, bonam causam adserere eorum, a quibus consuluntur, sine discrimine, ut eorum patrocinium suscipiant, qui primum accesserint ad patrocinium implorandum, æque adserturi bonam causam adversariorum, si isti non secundo loco accessissent. Arbitrio suo regunt universa, qui leges publicas nihil faciunt, & omnia regi quadam æquitate versatili, quæ plane summa iniquitas est, prædicare non erubescunt. Id profecto ex eo derivatum est, quod disciplinæ, rationes non erutæ fuerint, solerti disputatione scholarum adhibita, ex generalibus fundamentis, ac purioribus principiis humanæ, divinæque philosophiæ, in quibus solidissime tota superstruitur, ac conquiescit jurisprudentia. Utilis ille labor, qui vulgo in forensibus curis impenditur, primum distrahi cœpit in accurata factorum investigatione, deinde si facta in juris controversias incidant, Scriptorum aut numero, aut auctoritate finiri, ea ut plurimum opinione recepta, quæ aut plures sorita fuerit, aut nobiliores patronos. Quod si in investigatione principiorum elaboratum esset, aut omnes in principii unitatem consona animorum sententia convenissent, unde fere eadem consectaria ad singulares dirimendas quæstiones deducerentur, aut si forte diversa principia divisis hinc illinc sectis placerent, certas sane singuli leges haberent, prout quisque alicui sectæ nomen dedisset, quibus facta emergentia sine tergiversatione, & constanti animo definirentur; esset præterea facile legumlatoribus, unum potius, quam aliud principium auctoritate confirmare, aut, ubi fieri possit, servata certa ratione componere, unde tandem in unam sententiam convenirent omnes, & una, non multiformis jurisprudentia redderetur.

Ecquidem fateor, theoriam a praxi secerni jure, ac merito posse; dummodo theoriæ nomine intelligas scientiam generalium dogmatum necdum rebus accommodatorum, qua quid æquum, quid decorum, quid utile, quid e converso iniquum, quid indecorum, quid noxium in genere suo dignoscatur; praxeos autem nomine intelligas scientiam illam, qua generalia ipsa principia factis, factorumque, prout res incidit, adjunctis accommodentur. At enim non duplex hæc, nec divisa scientia est, sed una, eademque tribuens officia sua, vimque suam pari omnino ratione exerens ita, ut utrobique adhuc theoria rerum, id est, inspectio, cognitio, & æstimatio rerum earumdem dici pos-

sit ; hoc tantum intercedente discrimine, quo modo sit contenta meditatione generalium præceptorum, modo ad meditationem generalium præceptorum adjiciat collationem eorumdem præceptorum numero plurium, quæ in facto concurrunt, quæque invicem committi videntur, ex quibus propterea unum præ altero duce sapientia sit seligendum. Immo ego, quam vulgo praxim vocant, disciplinam esse censerem, in qua ingenium magis emicare, & philosophiam adhuc seviorem adhiberi necesse sit, quando maximum studium est, & vehemens ingenii conatus, plura principia invicem conferre, componere, conciliare, non secus ac in rebus manu factis magis emicat ars penes eum, qui singulas partes nectere debeat, atque componere, quam penes eum, qui seorsim fingendis, cudendisque certis partibus manum admoveat, quando ille dicitur magisterio uti, iste adhuc alienæ peritæ servire. Hæc plane est, qua theoriæ, qua praxeos vera, ac germana imago, non autem illa, quam passim vulgus finxit, illorum, inquam, vulgus, qui praxim esse putaverunt investigationem eorum, quæ editis Scriptorum libris continentur, quæve modo in hoc, modo in illo tribunali definita deprehenduntur, eo animo factam, ut, magis utilia sibi esse possint, proferant, tueantur, alienam scientiam, dixerim verius, opinionem profitentes, quin de suo aliquid producant. Dicunt ipsi, jam nobis constitutos esse duces, ac magistros, quos sequi sine periculo & possimus, & debeamus. Ego repono, primum esse de illorum magisterio, & causa magisterii deliberandum. Si adjiciant, libros eorum publice prostare, quasi publici juris sint, manibus omnium volutari, positos esse in existimatione communi; ego post multa jam superius ad hanc rem adnotata, replicabo, hæc argumenta esse leves tantummodo conjecturas, quas vel ipse usus, vel eædem ipsæ Scriptorum contradictæ opiniones, & quod magis est, Sapientum criterium, fallaces esse sæpe sæpius demonstravit. Dicam candide: Vel me ipsum æternum rerum harumce mearum pœniteret, si unquam credidissem, operi huic meo, quod edendum in præsentia curo, certam inde auctoritatem accessuram ex eo, quod typis editum fuerit, quod forte non displiceat lecturis, quod veniat in alicujus existimationem, quando alias sapientum, ac peritorum judicio a recta philosophia alienum esse comprobaretur.

Causa hæc utrique prudentiæ tum Eclesiastici, tum Ci-

vilis juris turbandæ communis fuit. Tertia etiam est Juris Ecclesiastici prudentiæ singularis. Erant olim ante sæculum Ecclesiæ duodecimum tenaci nexu conjunctæ doctrina canonum, & doctrina rerum Divinarum, quam eodem sæculo dissociatam singulari nomine Theologiam appellaverunt. Dissoluto eo vinculo, maximam passa est utraque sapientia jacturam; quæ enim junctæ omnibus omnino, & undecumque præsidiis firmabantur, sese fovebant mutuo, & luce clarissima radiabant, divisis deinde studiis, si a pristino ob valde eminentem, quem tenebant, locum, cadere non potuere fastigio, nonnihil tamen pristinæ amplitudinis, quæ dignitatem augebat, amittere debuerunt. Re enim vera, quis anteactis temporibus non mirabatur Basilios, Chrysostomos, Hieronymos, Augustinos, & pluribus his similes insignes Viros æque in sublimium Divinarum rerum comtemplatione defixos, ac vel in condendis, vel in explanandis Ecclesiæ canonibus occupatos; in utraque profecto parte imitatos, secutosque Apostolica exempla, dum & jura ederent, edita interpretarentur ad regendas fidelium voluntates; una etiam arcana religionis mysteria ad instruendas fidelium mentes non intermissis lucubrationibus explicarent? Si decertandum erat adversus Hæreticos, si Neophyti erant Catechesi solidissima instituendi, si interpretanda erant Divina Oracula, Theologos agebant ipsi absolutissimos; quibus disputantibus obmutescere debuerunt Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, aliique sinceræ religionis osores; quibus docentibus severiores ipsos ethycæ philosophiæ cultores, Dionysios, Aristides, Athenagoras suaviter ad Christum trahi, immo & rapi vidisses. Si erant tribuendæ diœceses, & sua unicuique Antistiti circumscribenda potestas, si præstituenda tempora Synodorum, si formandi populorum mores, si pœnis, ubi opus esset, improbi coercendi, jureconsultos agebant illi prudentissimos; quibus in sacro veluti tribunali sedentibus Joanni Hierosolymitano dabantur induciæ, ante finitam Ignatii causam Photio Episcopatus possessione interdicebatur, Epiphanio emergentibus quibusdam locorum, & rerum adjunctis in aliena diœcesi Clericos ordinanti facilis venia concedebatur. Verum discissis invicem disciplinis, & decrescere cœpit passim Juris Eclesiastici peritis Divinarum rerum notitia sublimis, & passim Theologis exterioris Ecclesiæ cultus dirigendi optima ratio; hinc autem doctrina olim absolutissima mutavit pulcher-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rimam, atque admirabilem faciem suam, non quod dicendum sit deformatam fuisse, sed quod fateri ecquidem necesse sit, semissem hic, illi semissem alterum veteris auctoritatis, & elegantiæ, quasi solido in duas partes diviso esse, remansisse. Ad hanc rem ergo dicere soleo, cum, qui insalutata canonum disciplina Theologus, aut qui insalutata Theologia canonum Magister audit, non Theologiam, aut canonum disciplinam, sed Theologiæ, vel canonum disciplinæ dimidium possidere. At enim vero cultores canonum non adeo doluerunt, propterea quod, licet hinc a Theologis diverterent, partitis inter utrosque sacræ sapientiæ muneribus, illinc tamen accesserunt ad Jureconsultos, ita postulante usu plurium Academiarum, quæ restauratis palestris Civile Jus cum Ecclesiastico conjunxerunt. Verum si quis percunctaretur a me, num disciplina canonum majorem passa fuerit diminutionem, cum a Theologica facultate secesserit, an potius majus acceperit incrementum, cum ad Juris Civilis Romani peritiam accesserit, si ingenue dicerem, quid ipse sentirem, vererer sane, ne parum gratiosus aut Theologis, aut Jureconsultis in definiendo viderer; forte etiam alterutros vel invicem ad invidiam, vel adversus me quasi contumeliosum, dum cæteroqui candidus essem, ad acerbam quamdam indignationem concitarem. Novi enim jamdiu, quam acriter contendere soleant de prærogativa illarum doctrinarum cultores, quorum singuli suarum partium studio vehementer commoti, modo a nobilitate finis, cujus adsequendi gratia elaborant, modo ab utilitate publica, quæ subinde emergit, modo ab amplitudine negotiorum, quæ imminent pertractanda, modo ex cumulo supellectilis, qua doctrinas illas instrui necessum est, modo ex amœnitate, & elegantia, quæ mulcet studiosorum animos, modo denique ex majestate quadam, & gravitate, quæ dogmatibus, regulisve cohæreat, de excellentia judicant. Immo etsi factis, id est, præjudiciis hominum consuetudine positis dimicaretur, non deessent, quid dicerent, non eam dignitatis fore, sed fortunæ præstantiam, ad summum autem pendere istam ex adjunctis scientiæ extraneis, veluti locorum, causarum, temporum, personarum. Absint a me harum controversiarum diremptiones, quas & ratio meæ vitæ, & propositum, quo meus sermo collineat, prosus abhorret, ac longissime fugit. Quod vero in hac re fidenter dici a me potest, quod leniter, forte etiam libenter, ab

UAB Biblioteca de Ciències Socials
unoquoque excipiendum reor, quod perorandum est, ut ad propositum revertar, eo spectat, quo observetur in primis, gravem fuisse jacturam, quam passi sunt cultores Canonum Ecclesiasticorum, quicumque Theologiæ studia seposuerunt; deinde quod attinet ad accessionem Juris Civilis Romani, optandum fuisset, ut cum Civilis Jurisprudentiæ studia sibi adjunxerunt, in eo statu Jurisprudentiam Romanam invenissent, in quo hæc olim erat, dum Romanorum veterum Jureconsultorum philosophia, ac prudentia ornabatur. Forte enim tum frequentius usu reciperetur lex vetus Constantii Imperatoris, quæ extat in l. 1. cod. Theodos. de Decurionibus ita concepta ad laudem veterum Jureconsultorum: *A solis præcipimus advocatis, eorumque consortio dari provinciæ Sacerdotem*; lex, inquam, medio quarto sæculo Africæ data, unde tot, tantique viri sub finem quarti, & initium quinti sæculi æque hæreticis terribiles, ac fidelibus utiles Africanam Ecclesiam illustraverunt, & renovaretur Mediolanensium Procerum priscum exemplum, qui, vacante Mediolanensi Ecclesia, virum Jureconsultum, magnum dico Ambrosium, utut adhuc neophytum libentissime sacrorum Antistitem, ac religionis Doctorem elegerunt, sperantes optime de rebus sacris meriturum eum, qui erat diu cum laude in Romano foro versatus, quam spem non fefellit eventus. Verum ubi primum doctrina canonum jungi cœpit Jurisprudentiæ, obscura erat Jurisprudentiæ facies, & Jureconsulti nubem, ut in proverbio est, pro Junone amplectentes, ob barbariem sæculi, cum de restaurandis solidis doctrinæ principiis solliciti erant, non semel ab eisdem quam longissime recesserunt. Hinc profluxit, multa ex Juris Civilis institutionibus in disciplinam canonum traducta fuisse, non derivata ex jure ipso Civili Romanorum, sed ex ea Juris Romani interpretatione, quam rudes adhuc Jureconsulti adfingebant. Profluxit etiam, eas ipsas difficultates in disciplinam canonum irrepsisse, quæ de novo emerserunt apud Civilis Juris studiosos ob ea, quæ accesserunt, recentoris Jurisprudentiæ adjuncta. Nimirum tot novæ leges, novæque institutiones post interitum Romani Imperii variis Regnorum discretorum moribus, variisque Nationum præjudiciis accommodandæ, tanta inductio rerum novarum, quæ priscos latuerunt, facultatem illam multo ampliorem, abstrusioremque reddiderunt; tot denique nova negotia inde tractanda plura in forum argumenta contentio-

num, & litium invexerunt. Fuerunt investiganda, explicandaque jura feudorum veteribus Romanis prorsus ignota, quorum etiam tot, & tam variæ indoles extiterunt, quod formæ exhiberentur concessionum. Prodire necessario debuerunt novæ de Principum juribus præceptiones, quibus accurate definirentur Regalia, nova multa complexa de fodinis, de thesauris, de venationibus, derivationibus, & usibus aquarum, solariis, vectigalibus, cæterisque bene multis, quæ demaniorum jura Galli, & Angli appellaverunt. Præterea novis factis Magistratuum institutionibus, quemadmodum eorumdem fuit diversus ordo, ita varia jurisdictio, dignitas, prærogativæ, atque emolumenta; quorum omnium definitio studiosissimorum ingenia torquere debuit. Insuper novæ inductæ legitimarum successionum rationes, novæ testandi formulæ, qua nuncupationum, ut vocant, implicitarum, qua institutionum ad Decretalium Pontificiarum normam, qua dispositionum ad pias causas privilegiis auctarum, qua fideicommissorum, quæ licet olim agnita fuissent, inde tamen multiplicibus, & numquam finiendis disputationibus obvoluta fuerunt ob majorem frequentiam, variosque modos illorum, præsertim postquam obtinuit, ex iis familiarum perenne decus fere pendere; qua legitimæ, falcidiæque portionis, in quo rerum genere novæ invectæ fuerunt disciplinæ, nova etiam nomina accommodata. Ingentibus quoque, spissisque voluminibus edendis occasionem præbuerunt frequentiores quædam pactiones, veluti, emphyteuseos in novam formam adductæ, censuum veteribus incognitorum, quibus accessere permutationes pecuniarum, vulgo cambia, ex recentiore commerciorum amplificatione invecta. Lucra ipsa inter conjuges longe diversa a veteribus propter nuptias donationibus, sponsaliaque, ac conjugia novis præceptionibus informata, quæstiones, disputationesque multiplicarunt. Creditorum concursus, renuntiationum anfractus, jurisjurandi religio passim firmandis pactionibus adjecta inextricabilibus nodis omnia fere circumplicarunt. Hæc omnia, aut saltem plurima, etiam Juris Ecclesiastici studiosos detinere debuerunt, seu quod illorum aliqua penderent ex Pontificiis decretis, uti censuum constitutio, & testamenta quædam coram Parochis celebrata, seu quod aliqua cum religiosis, aut sacris rebus quamdam connexionem haberent, uti donationes propter nuptias factæ, dum Sacramentum Matrimonii celebraretur, seu quod aliqua simili-

UAB Biblioteca de Ciències Socials
bus fere principiis inniterentur, quibus innitebantur Jura Ecclesiastica, uti contingit in feudis, fideicommissis, & primogeniis, quorum dogmata ad jurispatronatus disciplinam facile accommodabantur, seu quod aliqua mixti fori tum Civilis, tum Ecclesiastici esse cœperunt, veluti jurisjurandi religio contractibus accedens, aliaque similia. Omitto nova multa veteribus incognita, quæ Juris Ecclesiastici disciplinæ accesserunt, veluti reservationes, diversæ institutiones dignitatum ecclesiasticarum sub Episcopis positarum, exemptiones, concursus Parochialium Ecclesiarum, & alia hujus generis passim apud nostros Scriptores occurrentia.

Quæ hucusque de difficultate disciplinæ Juris Ecclesiastici pressa oratione prosecutus sum, abunde noverunt omnes indiscriminatim; id est, sive rerum eruditi, sive vulgus imperitorum. Tantum in eo utrumque hominum genus dissonat, ut imperitum vulgus actum esse de adsequenda, tradenda, & certis legibus definienda juris doctrina putet, satiusque fore, receptis moribus populos regi; docti autem viri elaborandum censeant in recta juris restauratione, atque interpretatione. Ex imperito vulgo, qui nihilominus certo a natura se donatos ingenio sentiunt, & sibi, & aliis inducto fuco blandiuntur, dum contemnentes & leges, & legum studiosos, ajunt, per leges non satis consuli posse singulis, quæ diversæ quotidie incidunt, factorum causis, ac rationibus, immo & ipsas generales leges, quæ certis temporibus, certisve in locis necessariæ videbantur, debuisse tandem vel subsequente ætate, nec diu remota, vel aliis in locis, nec longe dissitis, abrogari; deinde consuetudines regionum laudantes, in his observant generalem quamdam consensionem in unum fere coeuntium animorum, in qua propterea quid aliud, inquiunt, deprehendi potest, quam erumpentia quædam naturalia, & unicuique ingenita semina honestatis? Contra tamen clamant viri eruditi, rem esse gravissimi periculi plenam, si moribus suis populi undecumque relinquantur, idemque fore, ac reducere homines ad agrestes illud vivendi genus, quod iniverunt, quum necdum in communitates, universitates, civitatesque coaluissent; non debere fluctuare in incerto hominum actus, neque esse facile relaxandas habenas cupidæ plurium voluntati, & privatarum magis rerum studiosæ, non aliter proinde quam propositis legibus firmissimis intra certos fines a nemine

UAB Biblioteca de Ciències Socials

evitandos coercendæ. Non est hic locus, in quo longo argumentorum apparatu id a me demonstretur. Tantum dicam, quid opportunius, utiliusque sit, id facile ab unoquoque probari oportere, qui vix conspiciat velut in icone depictas plurium gentium, ac temporum rationes. Cum enim non defuerint ætates, quibus certæ gentes, neque etiam hodie desint certi populi, qui in sua publici regiminis forma modo legibus pareant, modo in consuetudinibus vivant; quotiescumque aut illa beatiora tempora, aut beatiores illi populi videantur, quibus legum propositarum sanctionibus, & germanis interpretationibus, Jureconsultorum vivendum fuit; tum finis erit disputationi sine calumnia imponendus, experientia ipsa rerum magistra, quæ fallere neminem potest, silentium legum, & Jureconsultorum osoribus indicente. Itaque en statim cum Græcis priscis comparandos sese obviam exhibent vetustissimi Lacedæmones, cum Romana Republica Longobardorum regnum, & si de temporibus nostris sermo sit, cum præcipuis Europæ Provinciis Africanæ non paucæ & Asiaticæ regiones: illic enim legibus aut parebatur, aut paretur, maximi habito Jureconsultorum officio, istic consuetudinibus potius aut indulgebatur, aut indulgetur; & quando Græcos in conspectu Lacedæmonum, Romanos in conspectu Longobardorum, Europeos in conspectu Barbarorum longe florentius aut habuisse, aut habere imperium intuemur, quid superesse potest, quod quemquam vel in levissimam dubitationem inducat? Quod si quis adhuc hæreret, quod scripti juris auctoritas nonnumquam aut vacillare debeat, aut infirmari; facile erit intelligere, non id esse legum vitio tribuendum, sed ut plurimum novis emergentibus causis, quæ merito postulant, oportere alias condi leges; aut si forte aliquando contigerit, quod tamen perraro evenit, in legibus ipsis quoddam inesse vitium, non istud generali legum rationi cohæret, sed proprium illorum fuit, qui leges non satis maturo consilio ediderunt. Considerent primum Legumlatores, quid optimum inter cives esse possit: experientia ipsa rerum plurimarum judicium adjuvet; inquiratur, quod certas Provincias beatissimas reddidit, &, quoad fieri potest, Provinciæ, quæ regitur, accommodetur; accedant denique maturata seniorum consilia; tum vero si leges edantur, eo pervenietur, quo olim Græci, & quo Romani veteris imperii miranda sane amplitudo pervenit. Hæc legum edendarum forma non eos

UAB Biblioteca de Ciències Socials
auctores habebit, quales consuetudo, ac populares mores ut plurimum ab improvidis de tribio hominibus primum inducti; non fato suo, & casu, quemadmodum consuetudo, gignetur, parentesque suos, ita dixerim, imitata, suamque nativitatem secuta, saluberrima erit singulis utilissima Reipublicæ universæ.

Itaque in leges Ecclesiasticas, & sanctissimos conones intendenda est omnis industria, & opera, in eorum studio elaborandum est totis viribus, ne omni vento doctrinæ quoquoversum agitemur. Et quæcumque gravet difficultas studiosum, noscat ipse, nihil, quod non arduum sit, esse posse præclarum. Digna provincia est viribus cultioris, & acutioris ingenii, præsertim quod in ea persequenda expleat animum oblectatio plane singularis ex rerum universarum collatione facile proficiscens, quæ paulatim, & sensim, quemadmodum viri gravissimi experti sunt, atque experiuntur in dies, quo proficiscitur magis, eo facilius asperitatem negotii non superat tantum, sed ita penitus absorbet, ut nil asperum amplius, nil difficile, vel molestum, jucunda omnia, & dulcissima habeantur. Constantissima sit meditatio, historiæ purgatioris præsidium accedat, & sagax librorum delectus. Sacrorum Codicum exemplaria, & Commentaria Interpretum sedulo conferantur. Ex commentariis recta probentur, obliqua respuantur, optima quæque seligantur. In dubiis provido, in arduis pensato consilio definiatur: tunc sane operosa industria utilitate pensabitur, nedum levabitur jucunditate.

Præjudicata circumfertur, utinam non abiisset in tritum adagium, vulgarium & humi pene repentium hominum, quam desidia fovet, opinio, tradens, nihil sub sole novum inveniri, aut educi in apertam lucem nostro ingenio posse; proptereaque passim eo urgentur studiorum amatores, præsertim imfirmiores, quos turba facile trahit, ut vetustorum tantum Scriptorum, Doctorumque volumina assidua manu pertractent, illos adamussim sequantur, abstineantque a cæteris, quæ iidem excogitare, aut loqui, aut commendare literis nequiverunt; quasi recentiorum animus in indecoram priscorum servitutem sit redigendus; & veteres ingeniosorum, ac doctorum honorem sibi præcipuum fecerint, nobis amanuensium officium residuum superfuerit. Ferre ergo non possum (ecquis ingenuus patiatur)? tam humilem, & abjectam de animorum nostrorum indole imaginem, ac si men-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tes nostræ instar corporum, reliquiæ sint, & quasi discissi fetus ingenii antiquorum, non æque & noster, & antiquorum animus recta editi fuerint a Deo conditore universorum æquissimo, singulique pari vi præditi, ac virtute, veluti plura vascula aquæ purissimæ ab eodem perenni fonte utut diversis temporibus derivatæ. Præstantes, præclarosque viros singula sæcula sortiuntur; neque infortunium nobis est, serius nos fuisse progenitos, quemadmodum neque sibi infortunio adscripserunt, qui media hominum ætate floruerunt, plures sui debuisse respicere eximios decessores. Quod si persæpe veteres, veterumque prudentiam laudo, non tam id ago, quod putem recentioribus præstare ingenia veterum, quam quod & nos ipsi, si tunc vixissemus, idem omnino in iis, in quibus illi versabantur, adjunctis definiendum censuissemus. Cæterum profiteri palam possum, satagendum maxime esse, & gravissime in id incumbendum viro erudito, ut novarum rerum inventione multa jamdiu inventis adjiciat, quoniam sapientum judicio nihil unquam fuit in unaquaque scientia dignius inventione rerum, quæ *vel novi* procreari, vel elegantiores fieri ad augendam rem literariam, atque in ea, in qua post varias vices & casus opus *sit*, parte instaurandam, aut etiam reformandam; quamquam deinde in modo inveniendorum, & usu inventorum oporteat, eum nunquam a certis prudentiæ legibus recedere, quibus omnibus fiat, ut cum non sine magna jucunditate exercentur acumen curiosi ingenii, tum conatus quicumque ab ea, quæ dominatrix esse debet, tanquam excellentior mentis facultas, & habitus, regatur, atque intra fines tuendo bono publico positos coerceatur. Revera si rerum magistram experientiam consulamus, passim, & fere quotidie intuemur, etiam ad militarem disciplinam excolendam, quæ & ipsa bene constituti imperii magnum præsidium est, & decus, emergere identidem magnanimos duces, qui inauditas, & quæ vetustatem latuerunt, artes, ac præcepta rei bellicæ investigant, repertasque aptissimas edunt ad gloriam sui, & ad imperii, in quo militant, amplitudinem. Quid autem ni & in lenioribus disciplinis eadem, aut similis agnoscenda sit ratio, qua fiat, ut res adhuc abditæ curiosæ, investigentur, atque a tenebris, quibus offunduntur, & quibus fato quodam jamdiu jacent, ereptæ in lucem perspicuam proferantur?

Ne vero late vagari videar per varias artes, atque doctri-

UAB Biblioteca de Ciències Socials
nas, dicam, quod meum est, in disciplina legum etiam ecclesiasticarum istud optimum consilium fore. Etenim licet multi olim extiterint, qui res numero plurimas, dignitate præclaras, aut novis munire præsidiis, aut novis adjectionibus cumulare, aut novis illustrare luminibus conati fuerint, quam ob rem magnam sibi laudem usque ad perennitatem nominis conciliarunt, nemo profecto inficias iverit, multis, quæ bene posita circumspiciuntur, plura adhuc deesse ponenda, unde fiat disciplinam in dies augeri, nunquam omnino perfici posse, ita res tribuente natura, ut nihil simplici in genere omnibus ex partibus absolutissimum expoliverit, & quidquam commodi aliquo semper adjecto incommodo muniretur, ne si uni cuncta concesserit, non sit habitura, quod cæteris largiatur. Oritur id ex duplici causa. Prima generalis est, & in omnibus disciplinis observatur: nimirum indefiniti, & nunquam exhauriendi modi sunt, quibus ad veritatem altissimo fere semper in fastigio collocatam accedatur, illinc serius, hinc citius, commodius illinc, istinc laboriosius, semper tamen diuturno, duroque studio; etiam si autem alicui datum esset, ut se ducem in pandenda recta, & planiore semita constitueret, is tamen non singula inter varios brevis humanæ vitæ casus aperire potuit, cœptosque labores, ac curricula consummare. Undenam, amabo, tot subortæ varietates opinionum, quibus in contrarias partes distrahuntur identidem eruditorum etiam hominum animi, quod passim dolere solemus, & præter modum mirari, quando veritas una est, & sectas minime patitur, nisi ex eo, quod quæcumque, & quocumque ingenio data fuerit opera, adhuc tamen fere lateant, aut saltem adhuc obvoluta jaceant vel ipsa rerum principia, ex quibus universa consectaria pendent, ac deducuntur? Altera causa singularis est apud Jurisperitos, qui non diu valent simplices, & a privatorum factis abstractas versare rerum imagines, uti versare possunt reliquarum fere omnium bonarum artium cultores, sed debent illi vigiliis minime intermissis vitam non sine tædio quatiente, & pene frangente, animum traducere inter molestas fori publici quæstiones ad dirimendas pactionum specie variarum, prædiorum, & jurium, quorum multo dissimilis ratio est, controversias, ad conciliandos invicem hominum vix freni patientes animos, ad extorquendam erga Præsides obedientiam, ac reverentiam, quam qui debet vim quamdam sibi inferri ob corruptæ naturæ vitium

UAB Biblioteca de Ciències Socials

facile putat, modo clientum multitudine pressi, modo gravissimis judiciorum, & magistratuum curis defatigati, quibus, si adolescentiam nondum satis aptam sublimibus meditationibus excipias, totum virilem animum ad ingravescentem usque senectam obrui necesse est. Id plane perspicuum fit, quoties duplex constituatur, demonstreturque ordo illorum, qui scientiæ nostræ dant operam. Hi collocentur ingenio paulo remissi, ut prætermittam crassos, & pene hebetes, nescio quo fato, & voluntate correptos ad dandum nomen doctrinæ sublimissimæ, quæ illorum modum toto cœlo excedit; illic ingenio præstantes, & vere studiosi in bonam Reipublicæ spem alti, atque educati. Priores quidem utpote inertes cessabunt ab operosis negotiis (neque enim ipsis turba clientum se, resve suas, quarum maxime sollicita est, facile credit, aut Principes æquissimi publicorum munerum distributores gerendos magistratus facile mandat); quis autem interea ex exili eorumdem opera exspectet, aut postulet, ut novorum quorumdam utilium inventores sint, & quasi architecti, quando in hac parte non agitur negotium mediocre, & cujuscumque viribus sine discrimine tentandum? At vero posteriores, ingeniosos dico, studiosoque jureconsultos, quis a curis publicis liberavit unquam, ne si solerti ipsorum opera Respublica destituta fuisset, forte collabi misere, aut adduci in grave periculum habuisset? In quibus adjunctis, præsertim cum isti pauci admodum esse soleant, aut nullum, aut brevissimum tempus superesse potuit, quo nova investigare potuerint, invenire, probare, ornare, producere. Hæc negotiorum copia, & magnitudo adeo istos premit, ac frangit, ut concludere oporteat, quidquid jam viri plurimi in nostra disciplina etiam eruditissimi per longas ætates ediderint, multa adhuc superesse quærenda, non sine spe dulcissimæ, laudabilis, ac proficuæ inventionis.

Dulcissimam in primis inventionem appello, quod inventès maxime delectet, ac mulceat. Cum enim nos dicamur, & revera simus Supremi Numinis quædam imago, quid jucundius homini contingere potest, quam pro modulo magnificam illam, & vere divinam vim creatricem exerere ad gloriam Conditoris, & in eo gratias Opifici Summo maxime liberali referre acceptissimas, in quo utamur præstanti dono, non illud per detestandam injuriam despicere turpi inertia demonstremus, tum autem gratulari nobismetipsis, qui in novis lucubrationibus res

nisi ad eum finem, quo Ecclesia in subditorum moribus informandis meliora quæque prospiceret, atque instituta salubria ferret in Christianæ universitatis emolumentum? Sunt hæc divina ipsa testimonia, quibus si Patrum judicia, & rationum momenta accedant, mirum in modum ecclesiastica jurisdictio comprobatur. Cum Joannes Chrysostomus interpretaretur verba illa Pauli 2. ad Corinth. cap. 10. *& in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam ... nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam*, ita scribebat: *Et ad hoc quidem potestatem accepimus, ut ædificemus; sin autem reluctatur aliquis, & pugnet, & insanabilis sit, etiam actione utemur altera, ut eum destruamus, ac dejiciamus.* En coercendi potestatem indicatam, quæ sane abs jurisdictione distingui non potest. Consonat his Theophilactus inquiens: *Præcipue quidem ad ædificationem accepi: quod si quispiam incurabilis fuerit, demolitione utemur, adeo ut potestatem habeam & benefaciendi primario, & puniendi, quum ad id cogar*; necnon Gennadius apud Æcumenium interpretans caput 10. 2. ad Corinthios vers. 8. se habere declarans *jus, & facultatem castigandi, & pœnis adficiendi eos, qui adversantur.* Iterum Chrysostomus homilia 2. de Pentecoste verba faciens de Apostolatu a Christo Domino instituto, *verum magistratum* appellat, cui juris dicundi potestas adhæreat, & subdit: *Spiritum Sanctum in specie linguarum venisse, ac lingua data velut codicillo quodam indicasse commissi unicuique imperii, & ad docendum assignatæ provinciæ terminum.* Eadem fuit & Gregorii Nazianzeni traditio in oratione 1. ibi: *Homini cum difficile sit scire parere, tum multo difficilius esse videtur scire hominibus imperare, præsertim tali imperii genere, cujusmodi est nostrum, quod in lege divina positum est, & ad Deum perducit, cujus imperii quanta est sublimitas & dignitas, tantum etiam periculum est prudenti utique homini & cordato.* Denique S. Hieronymus in commentariis ad 1. caput epistolæ Pauli ad Titum ita scribebat: *Ut enim judices sæculi hujus, quo nobiliores esse videantur, ex Regibus, quibus serviunt, & ex dignitate sua intumescunt, vocabula sortiuntur, ita & Apostolus grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem Apostolorum se Christi titulo prænotavit, ut ex ipsa lecturos nominis auctoritate terreret, indicans omnes, qui in Christo crederent, sibi esse subjectos.* His omnibus Patrum testimoniis evidens ratio suffragatur. Scilicet Christus Dominus Ecclesiam instituendo, eamdemque in perpetuum firmando, iis omnibus insignivisse intelligitur, quæ ad ejusdem firmitatem non tam congrua erant, quam opportuna, ac necessaria. Inter hæc specialiter est vera, propriaque jurisdictio; siqua enim de fide, de religione, de moribus, de disciplina quæstio suboriatur, non aliter ista, quam jurisdictione dirimi, definirique potest.

Quod si ad constantes Ecclesiæ usus disputatio exigatur, facile constabit, Ecclesiam perpetuo usam vera jurisdictione fuisse. Et quidem triplicis generis usus in Ecclesia deprehenduntur. Alios recentiorum ingenia præter veterem simplicitatem invexerunt. Alios apud veteres invaluisse quidem scimus, sed sensim posterioribus sæculis abrogatos, quibusque accommodari posset, quod apud Ovidium legitur libr. 1. Fastorum vers. 205. *Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.* Alii vero a vetusta & Apostolica ætate recepti sunt, & non interrupta consuetudinis serie etiam hodie custodiuntur. Et quamquam primis morem gerere expediat, dummodo ab Ecclesia probentur, secundos deceat colere, & venerari, immo & contendere, ut, quoad fieri possit, restituantur; postremis tamen adeo inhærere debemus, ut quidquid inductum iis est, tanquam rem divinam, & Supremi Numinis Spiritu insinuatam agnoscamus. Hujusmodi sane est jurisdictionis in Ecclesia exercitio, quam scimus, prout res inciderit, perpetuo in Ecclesia explicatam. Scimus ab Apostolis leges editas, seu conditos canones, quales passim exhibet S. Lucas in Actis, de constituendis

Diaconorum muneribus cap. 6., de gentibus ad Christi fidem admittendis c. 11., de gentibus non circumcidendis cap. 15. In epistolis Pauli, Petri, Jacobi, Joannis, & Judæ Apostolorum quot præcepta ad res sacras pertinentia designata intuemur? Successores Apostolorum, quoties de religione actum est, sive in Conciliis, sive extra Concilia constitutiones saluberrimas ediderunt, in sontes pœnas, censurasque inflixerunt, Clericos modo a suis officiis deponentes, modo laicos anathemate damnantes, quæ omnia profecto sine vera, propriaque jurisdictione fieri nullo modo possunt.

Neque vero ecclesiasticæ hujus jurisdictionis ratio civilem societatem, ac Rempublicam turbat, sed potius fovet, ac tuetur; immo & ipsi sæculi Principes eidem jurisdictione favere pro suo, quod in Ecclesiam habere gloriantur, patrocinio, minime detractarunt. Justinianus Imperator ita de utraque potestate præfatur in Nov. 6. *Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, Sacerdotium & imperium, illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens*; atque juxta hæc principia non dubitabat scribere Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem in can. 8. dist. 10. *Quoniam Mediator idem Dei & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, propria volens humilitate medicinali hominum corda sursum efferre, non humana superbia rursum in inferna demergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret.* Adde his canonem 6. & 8. dist. 69. can. 21. caus. 23. quæst. 8., & cap. 6. de maj. & obed. Non iterum dubitabat ita scribere ad Leonem Isauricum Gregorius II. in epist. 1. ibi: *Ecclesiis sunt præpositi Pontifices a Reipublicæ negotiis abstinentes; & Imperatores ergo a negotiis ecclesiasticis similiter abstineant.* Tristissimum est Constantini Imperatoris exemplum, qui in Nicæno Concilio, in quo de fidei definitione agebatur, sanctionem ecclesiasticorum Antistitum auctoritate faciendam efflagitavit. Et Arcadius, & Honorius Imperatores in leg. 1. Cod. Theodos. de relig. aperte scripserunt: *Quoties de religione agitur, Episcopos oportet judicare:* Abstineo a recentioribus recensendis exemplis, utpote quæ vulgaria sunt, & quæ ne in Salmasii quidem dubitationem venerunt. Unde deducitur, non recens accessisse constitutis jamdiu Episcopis jurisdictionem, sed hanc fuisse ipsis ingenitam, divina auctoritate stabilitam, & perenni consuetudine confirmatam. Legislativam potestatem in Ecclesia agnoscimus. En majestatem. Agnoscimus distributionem publicorum Ecclesiæ munerum. En dignitatem regimini junctam. Agnoscimus sententias, & judicia causarum. En Magistratum. Agnoscimus denique facultatem reorum coercendorum. En Imperium. Fateor, aliam esse legum ecclesiasticarum materiam, aliam munerum partitionem, aliam judiciorum formam, alium coercendi modum, quam hæc omnia sint apud civilem Rempublicam. Verum hæc demonstrant quidem jurisdictionem ecclesiasticam a civili & politica jurisdictione secerni; eo autem ipso, quo secernitur, vera jurisdictio dici debet, non in nudo officio consistit. Dicta hæc omnia sint, ut Salmasii traditio rudioribus quidquam imponere nequeat. Cæterum prudentes viri jam id perspicue sibi persuaserunt, quin opus pluribus habeant.

UAB Biblioteca de Ciències Socials
debet æquissimus usus, quo illud spectat, ut cum nova quædam utilia privato studio invenerimus, non statim eadem sine discrimine sequenda, non impudenter dixerim, sed nec paulo acrius, ac fidentius proponamus. Neque enim virum prudentem ita fervere, atque efferri animo oportet, ut trahere velit extemplo quasi per vim universos in sententiam suam, sed patienter exspectare, donec primum inventor ipse non semel, sed iterum atque iterum in inventorum causis, adjunctis omnibus, & consectariis meditetur, volvat, revolvatque singula, digerat, regeratque, ad trutinam undecumque exigat, & appetitionem cognitionis ita moderetur, ut in qua parte sit opus, cohibeat, vel relaxet, vel emendet; eaque ratione omnino perficiat: itidem exspectare, donec paulatim, sensim agnita a cæteris veritas, qui amplius opera sui inventoris indigeat, ipsa per se (neque enim tanta vi caret) mentes alienas per certas quidem, sed leniores vias invadat. Incivile prorsus esset, ita in obsequium nostri, rerumque nostrarum trahere omnes, ut ab ipsis, quasi nihil videant, nobisque ducibus manuducendi sint, obedientiam extorquamus. Jam initio magna illorum pars gratiosa invenientibus præstare solet officia, admirando primum subtilitatem ingenii, deinde laudando, quod utiliter fuit inventum. Nonne vero vicissim ab inventore tantum reddendum officii jure, ac merito postulant, ut tempus sibi concedatur, quo nova accepta cum veteribus jamdiu mente repositis conferant, probent, & ipsi investigent, quæ exinde speranda sint commoda, quæve timenda pericula, quæ forte utut sedulum latere potuerint inventorem? Oblivio quoque illorum, quæ longo studio, & labore mens uniuscujusque quæsivit, carissime venditur; quorum propterea jacturam nemo facile patitur, nisi post diligentissimam subrogandarum rerum explorationem. Sensim tentanda res est, in multitudine præsertim studiosorum, juxta morem Romanorum veterum, qui, dum nova quæpiam lex roganda foret, & alia delenda, oratorum hinc suadentium, illinc dissuadentium graviora argumenta excipiebant, pendebant, ut, quod satius videretur, totus conveniens populus descerneret, atque sanciret. Hic evenisse puto, ut plures ingeniosissimi viri novarum rerum inventores intueri non potuerint, dum viverent, multos asseclas suæ doctrinæ, immo neque istam passim probari, quando tamen vita functi plures reliquerunt suæ sapientiæ sec-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tatores, magnam lapsu temporis celebritatem nominis nacti, quando initio non æmulationibus dicam, sed invidiæ contemptibus esse obnoxii debuerunt. Quotiescumque res caute, modesteque geratur, ego sane non dubito, quin & hominum animi quicumque, qui natura sua nova inventa depereunt vehementissime, probaturi sint sedulam illam industriam; & prudentiores ipsi morem accuratæ investigationi gerant sine discrimine; ipsa denique universa Respublica utiliorem disciplinam in se facile inducens gratuletur & gaudeat; neque enim non undecumque optimum esse potest, ita versari generosum novarum rerum editorem in exercenda præstantissima ingenita facultate, ut eamdem ab omni vitio ostendat immunem, in quo tota sita est germana, ac solida sapientia sagax nostrorum omnium decorum domina, ac moderatrix.

Præter inveniendi studium, illud insuper elaborandum est, ut præjudicia, quibus animus noster misere premitur, abjiciantur. Communis est, ac probatissima Philosophorum sententia, præcipuam causam, quare mens nostra cerebro deflectat a veritate, ad quam cæteroquin a natura dirigitur, eam esse, quod homines soleant primum concitare animum corporeis imaginibus ab exteriore sensu traductis, quibus quasi vi acerrima ille perculsus concutitur primum, deinde turbatur, ac postremo tenetur ita, ut, cum locum aperuit præjudiciis magna, ac multiplici inductione phantasmatum, quibus morem facile gerat, tum purissima, & vere rationalia semina a Conditore Numine sibi altissime insita insuper habeat, paulatim etiam suffocet, & diuturno non usu ad interitum usque contundat. Miserabilis ista conditio in infantia primum incipit nos perquam gravissime obruere, quando animus totus corpore obvolutus, atque ita dixerim circumplicatus, sponte quidem multa, libere tamen nihil agit, nullam expeditam, & ad deliberandum idoneam sentit sibi facultatem inesse, iners omnino, nec vel tantisper aptus ad singularia edenda specimina, quibus a cæteris utut longe infra se positis animantibus secernatur. Neque ab his incommodis liberare se etiam potest in adolescentia, utpote quæ adhuc infirma sit, & non multo validior ad explorandos undecumque omnes densa circumfusos caligine phantasiæ meatus, singulaque detegenda illorum vitia, præsertim quod imaginum inde traductarum consuetudo multas numero, & ubicumque latissimas se-

UAB Biblioteca de Ciències Socials
mitas aperuit non facile moderandas, & congruis certis finibus concludendas. Eam ob rem ubi ventum fuerit ad virilem, eaque etiam provectiorem ætatem, conatus universi in id fere impendendi sunt, ut quod inordinate eousque admissum fuerit, corrigatur, vix superest, quo naturalium, & mentis propriarum facultatum usus tentetur rectus, & præjudiciis expers, in quo vera sita est sapientia; idque est, quod sincere fateri debuerunt viri doctissimi res nostras altius investigantes, scientiam plurimorum hominum in cerebri potius expurgatione consistere; tum vero etiam fieri in quibusdam rectarum notionum accessione, & inductione nobiliorem, atque majorem, quum sedulius in infirmiore ætate præjudiciis per sensus exteriores invehendis, aut præclusus omnino, aut, quoad fieri posset, coercitus aditus fuerit. Igitur ea est ineunda studiorum ratio, qua cum primum quisque valeat pro perspicaci ingenii facultate in vires humanæ mentis subtilissime etiam reflexo judicio inquirat, tempus impendat in rerum optimarum imaginibus, non aliunde, quam ex mentis, a corporeis rebus divino plane instinctu abstractæ, immo excitandis, expoliendis, & exornandis; eatenus tantum utatur opera sensuum externorum, quatenus rationi serviant, nusquam vero ut inde creentur, aut eruantur species ut plurimum inanes, aut perniciosæ in animum transmittendæ, proindeque multum vacandum domesticæ solitudini, & secretæ meditationi rerum excelsarum, ubi primum divina eloquia investiganda, atque his cohærentes definitiones Ecclesiæ; quibus adjiciantur volumina prudentiorum, quibus ingenitæ æquissimæ naturæ rationalis præceptiones belle adjuvari possint, ac confirmari, non neglectis in hac re confabulationibus eruditorum, quæ mirum in modum studiosorum provehunt incrementa.

Ad seponenda præjudicia, & ad progrediendum, præjudiciis sepositis, in canonum sapientia, necessaria quam maxime est Philosophia, bonarum artium universarum parens, & altrix; illam dico philosophiam, quæ duplex officium præstat: primum, quod scientiæ est, in ponendis principiis generalibus, & ex eisdem derivandis recto tramite, ac sine fallacia consectariis; alterum, quod est prudentiæ, in contemplandis hominum moribus, immo & morum eorumdem causis, singula istis accommodando, quæ præstantiora sunt, & utiliora. Quid argumentis utar, ubi evidenter

UAB Biblioteca de Ciències Socials

id docuit constans temporum experientia? Revera quibus sæculis jureconsulti eximii floruerunt, ii erant in eo studiorum genere versatissimi, inter cæteros Romani, qui non primum ad legum disciplinam accedebant, quam in Stoicorum fere palestra diu meruissent, unde passim Stoicorum dogmata in eorum responsis adparent; & Plato Philosophorum numero plurimorum Antesignanus elegantissime de legibus, earumdem usu disseruit, paucis exceptis, quæ attingere recte non potuit ex eo, quod divinorum oraculorum scientiam compertam non habuerit, potissimum a libris Mosaicis hauriendam. Quidquid enim & Cicero legum studia ita cum studiis Philosophiæ conjunxit, ut ignores, an severior Philosophus fuerit, an Jureconsultus? Quod si de sacra jurisprudentia sermo sit, sufficit respicere ad prisca Ecclesiæ sæcula tanta Sanctorum Patrum prudentia ornata, quibus Patres iidem in Philosophiæ studia gravissime incumbebant, inter cæteros Augustinus Platoni, Hieronymus Tullio addictissimi, & semper cum laude memorandus Basilius Magnus, qui passim in suis operibus universis Æthicorum omnium facile princeps mihi visus perpetuo fuit. Quamquam enim verissimum sit divina oracula, & ecclesiasticas traditiones, ac præcepta solo naturalis rationis lumine attingit non posse; ita tamen, instituente Deo auctore & naturæ, & luminum prodierunt, ut cum proponatur, paratum philosophum inveniant ad excipiendum, meditandum in iis, & mirum in modum progrediendum: nec defuerunt, qui scriberent, Christi Evangelium in ea parte, qua mores hominum diriguntur, sicut & Evangelium explicantes Apostolorum Epistolas, nihil fere aliud, quam solidioris Philosophiæ præcepta elegantissime tradita continere; unde scimus, Apostolicis fere temporibus tot sapientissimos philosophiæ cultores statim Christianam fidem complexos fuisse, & Ecclesiarum utilitatibus belle consuluisse, quales inter plurimos memorari possunt Dionysius Areopagita, Athenagoras, Aristides, & quotquot apologias elegantissimas pro Ecclesia adversus Gentes scripserunt. E contrario ubi cessatum est a Philosophiæ studiis, juris scientiam languere, immo interire penitus debuisse, obscurorum sæculorum historia docet; & quamquam restaurari deinde cœperit juris doctrina, dolemus tamen, non potuisse ad pristinum nitorem adhuc prorsus adduci, quia pauci admodum ex nostris in Philosophia elaborant, aut per-

UAB Biblioteca de Ciències Socials
functoriam operam collocant, præcipiti gradu convolantes ad honores, & munera post indutam quamdam jureconsultorum larvam, qua certas formulas in judiciis canant, certa legum fragmenta commemorent, severiores Philosophiæ studia quasi junioribus adolescentibus relinquenda seponant. Hinc de principiis generalibus jaciendis, firmandisque parum solliciti sunt; hinc in deducendis consectariis minus æqui, hinc, prout quisque adfectus est, arbitrantur, qui ignorant & rerum causas, & quæ ex causis necessario fluunt, & modos eorum, quæ ex causis derivare necesse sit. Observo tamen in hac re, usum Philosophiæ in scientia juris singularem esse oportere. Nimirum in cæteris disciplinis humanis facile quisque privato studio certa generatim principia veluti axiomata ponere primo loco potuit, ex quibus deinde quæcumque consectaria penderent, ea sine difficultate reciperet, quasi duplex opera collocanda sit, prima in principiis ponendis, altera in consectariis deducendis; non ita in legum doctrina, quia leges non ex privato uniuscujusque spiritu procreantur, sed ex spiritu universitatis, illorumve, qui universitati præsunt. Hanc ob rem triplex ab Jureconsulto impendenda est opera, ac primum speciales legum definitiones diligenter investigandæ, a quibus nunquam recedatur; deinde ex singulis definitionibus generalia principia deducenda; quibus efformatis postrema quis incipiat res per causas agnoscere, & quodammodo innuens philosophiam ipsam legumlatorum cæteris necdum definitis negotiis easdem causas, seu principia accommodare.

Sed iterum hoc in loco duplex distinguendum est Jureconsultorum genus, quorum alii lateri Legumlatorum adhærent, & leges humanas regunt, aut confirmando, aut, ubi opus sit, immutando, alii sub potestate legum munus exercent, privatis civium negotiis consulentes. Et quidem quod leges condere potissimum auctoritatis sit, nemo inficias iverit, facultatem condendi facultati interpretandi longe dignitate præcellere. Quoties vero non de præstantia sermo sit, sed de rei gravitate, illudque in controversiam veniat, an eum Jureconsultum, qui rogandas, abolendasve leges consulat, juris peritia præstare oporteat, mero legum Interpreti, plurimum dubitarem, ob gravissimam, quæ in utroque officio inest, difficultatem. Pauca respectu utriusque attingam, ut aperiam quid mea sit de ambobus opinio, una etiam servandas regulas fidenter exhibeam.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Ut primum de sapientia illius loquar, qui legislatoris lateri adhæret jurisprudentiam professurus, dicam, ipsum quodammodo legislatorem agere, dum nihil aliud ipsi, quam auctoritas deest. Porro si deceret honestum virum divinis humana comparare, dicere possem, tantum fere distare videri sapientiam legumlatoris a sapientia Interpretis, quantum a sapientia hominum distat sapientia Dei; quando certum est, leges ipsas naturales nonnisi a Divina altissima mente proficisci, & statui potuisse, illarum autem interpretationem etiam hominibus fuisse a Deo concessam; hinc autem Principes in suis adjiciendis legibus, & Jureconsultos lateri adhærentes a consiliis legis edendæ causa constitutos imitari quodammodo & sequi Deum naturalium præceptorum auctorem, inferioribus relicta earumdem explicandarum facultate: quasi lex gerendorum sit fundamentorum & ratio, interpretatio vero legis sit rerum bene positarum dimanatio in varias partitiones ex ordine distributas; illa doctrinæ, ista artis opificium, proptereaque tantum illa præstans isti, quantum arti doctrina. Verum absint a me minus æquæ comparationes; atque intra rerum humanarum terminos, quando de humana potestate loquor, mea potius coerceatur oratio. Arbitror ego, neminem posse inficiari, quod de lege apud omnes gentes traditum est; nimirum eam appellari virorum prudentum consultum; hinc autem fit, ut, si unius etiam prudentis esse interpretatio possit, editio sane legis nonnisi esse queat prudentium plurimorum; editoribus autem prudentibus illud laboris imminet, ut universos populi mores, sive qui in usu sunt, sive qui futuri creduntur, investigent, exempla aliarum gentium simili jure viventium conferant, temporibusque, ac locis accommodent, verbo dixerim, rerum, causarumque doctrina sint præditi generali. Quis deinde explicabit curam, ac sollicitudinem plane singularem in perstringenda sententia, quæ facile deinceps singulis emergentibus factorum speciebus conveniat, in adjiciendis, ubi opus sit, rationum momentis, qua intimam novi juris sententiam clarius, evidentiusque demonstrent, vel in ipsa verborum formula describenda, ut nihil obscurum, nihil anceps, & involutum sit, nihil obnoxium tergiversationibus tabularum?

Quoties deinde devenio ad considerandum munus Interpretum, qui aut contractas, aut subobscuras legum formulas seu latius extendunt, seu clarius explicant; intueor, non illos tan-

tum de verborum cortice, ac sono sollicitos esse debere, sed & intimam legislatoris sententiam adsequi, eamdemque variis adjunctis emergentibus accommodare. Ingenita verborum significatio accurate est consideranda, neque ea potissimum, quæ sit vulgaris, sed qualis & legis conditæ tempore haberetur, & in usu esset apud eum, qui scripsit, apud eos etiam, ad quos scriptura dirigeretur. Hinc pensandæ temporum, causarum, locorumque ut plurimum dissimiles rationes; & in hoc eo gravior impendendus est labor, quo aut magis dissitæ urbes sunt, aut magis remotæ ætates, quibus lex ipsa prodiit, aut magis variæ publici regiminis formæ, quæ singulis fere sæculis immutantur. Præterea cum generalia legum præcepta sint, nec singulos exprimere casus valeant, pene divinum oportet esse eum, qui auctoris sententiam modo ad id, quod incidit, proroget, modo certis coerceat finibus, quod idem est, ac reconditam, atque in alieno cerebro latentem philosophiam rimari, investigare, ingeniumque nostrum ita formare disciplina, ac si in nobis viveret, in nobis cogitaret, in nobis defineret legislator ipse, cujus cæteroquin indolis, consiliique nullum aliud indicium superest, quam tenue quoddam adparens in lege scripta monumentum, quasi ex antiquo humi olim impresso vestigio pedis quisquam auguraretur traseuntis hominis staturam, formam, ipsam etiam motus vel celeritatem, vel tarditatem. Plurimum semper habet facti, & quidem alieni & vetusti inrerpretatio, quæ tota pendet ex auctoris legis sententia, cujus proinde consilium tum demum indubitate, & certo prodiret, cum apud nos idem auctor maneret, quasi immensus, immortalis, a sera etiam posteritate, quocumque in loco, a peregrinis quoque, ac barbaris interrogandus.

Itaque liquet, Jureconsultorum omnium studium tale esse debere, ut & certa ponant philosophiæ principia in semetipsis, & alienam philosophiam minime ignorent; deinde singula singulis prudenter accommodent; & quamquam id commune sit utriusque juris disciplinæ, observandum tamen maxime est in disciplina canonum admodum varia, sive respicias ætates longas, sive circumspicias Provincias longe, lateque diffusas. Quæ si passim observata fuissent, & observarentur, facile esset universos homines conciliare, & in unam sententiam ut plurimum adducere in quæstionibus juris enodandis, quod potissimum eve-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

niret in legibus ecclesiasticis ob unitatem Ecclesiæ, quæ si in certis disciplinæ capitibus quamdam habet varietatem, in principiis tamen sibimet ubique eadem constat, quod eodem spiritu semper ducta fuerit, & ubique dirigatur. At enim vero hanc animorum consensionem plurimi quidam optant, pauci eam aliquando futuram sperant; quidem perpendunt, quod in cæteris animantibus natura constituit ita, ut quæcumque in eadem specie continentur, inter se omnino similia sint, nec invicem motu, gestis, affectionibus distinguantur, unde qui unum adspexerit, cætera conspexisse videatur; id minime contingere in hominibus, quos morum, opinionumque varietas adeo torquere solet, ac flectere, ut omnes non sint omnium similes animis, quemadmodum neque vultu, vix unusquisque sit similis sibi, quandoque etiam pro temporum, & adjunctorum ratione a se dissimilis agnoscatur, consentire visi fuerunt Philosophi veteres, qui ad hunc obtutum quadam plane admiratione, Aristoteles, Plato, & Ptolomæus, & Varro, corripiebantur. Ex his autem plurimi id tribuendum putarunt varietati aeris & cœli, sub quo homines late diffusi vitam traducunt; quamobrem Livius libr. 45. ajebat, Gentes alias iracundas, alias audaces, quasdam timidas, Athenienses celeres extitisse, & supra vires audaces ad conandum, Lacedæmones cunctatores: totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia, Latinorum timidiorem sermonem esse; addiderunt aliqui ex recentioribus, glaciales populos esse pronos ad arma, temperatas regiones servire legibus, torridas autem esse fanaticas: eo amplius quidam progressus est, ut traderet, non alia de causa penes priscos Romanos emersisse quotidianas fere intestinas seditiones, quam quia septem urbis collibus interjectus aer heic tenuior esset, illic crassior, proptereaque origo diversarum affectionum. Ab horum opinione non longe abiverunt, qui tradidere, nonnihil etiam in opinionum varietatem derivari ex diversitate rerum, quibus homines nutriuntur. Quicumque isti sint, fidenter admodum dictitarunt, regimen ipsum populorum, ac leges, educationes liberorum, jura quæcumque, seu civilia, seu criminalia, seu œconomica, præmiorum tributiones; uno verbo, negotia universa cœli, solique feracis qualitatibus attemperari oportere. Plane si hæc vera forent, desperata res esset uni animorum in eamdem sententiam, utpote quam impediret causarum physicarum necessitas, non dissimilis fato, cui imperium in voluntatem, mentesque hominum æthnici tradiderunt. Apage a

UAB Biblioteca de Ciències Socials
Christianis viris hujus generis argumenta, quibus judicantur homines similes plantis, quas omnes non fert omnis tellus; præsertim quod sciamus, homines utut sub eodem cælo natos, in eodem solo altos, dixerim amplius in eadem familia educatos variis animorum motibus quasi fluctibus distrahi, & invicem repugnare, cujus rei, vel unum argumentum suppeditat Plutarchus in vita Solonis, referens, Athenienses in una æquali non collibus distincta urbe ita fuisse divisos, ut alii popularem statum peterent, alii oligarchiam, alii mediam inter utramque conditionem. Propius ad veritatem accesserunt, qui ex moralibus potius, quam ex physicis causis discrimina promentes rati sunt, in humanos mores, opinandique rationes publici regiminis rationem influere; prout illud aut durum est, aut dulce, aut bellicis ferox, aut pacis artibus mite, aut calamitate pressum, aut opibus abundans; aut denique modum finitimorum populorum, quibus cohæremus, ut fortes sint qui strenuos, imbecilles qui infirmos finitimos habeant. Clarius dicam, morum vices, & varietatem opinionum ex legibus, & legum philosophia, quæ vigent in unaquaque provincia tanquam regiminis fundamenta, proficisci; quamquam enim verum sit, leges, & legum principio ex placitis, seu opinionibus hominum nasci, nihil tamen prohibet, quominus opiniones, & placita ex variis legibus, variisque legum principiis suboriantur, mutua quadam constituta causæ, effectusque vice, veluti cum dicimus æque luxum ex commerciis, ac commercia e luxu, æque nivem ex frigore, ac frigus e nivibus nasci. En causam, quare populos repente de bellicis in molles abivisse aliquando inspiamus, quando novæ leges impositæ ipsis fuerunt, ludorum ex. gr. causa, ac chorearum. En causam, quare Angulus, quare Gallus, quare Hispanus ingenitas in Patria contractas qualitates perpetuo etiam mutato cœlo retineat. En causam, quare cum primum universus fere orbis Romanis legibus paruit, una videbatur sententia singulorum, quod & adnotabat Prudentius ita scribens:

Jus fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & dominos fraterna in vincula redegit.
Vivitur omnigenis in partibus, ac si
Cives congenitos concludat mentibus unis
Urbs patria, atqui omnes lare conciliemur avito.

Idipsum oculis nostris hodie intuemur in conspectu gentis illius Deo maxime invisæ; Judeorum dico, quæ, quamvis per totum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

fere orbem sit longe, lateque diffusa, sibi ubique similis est, propterea quod ubique tenax est legum fundamentalium, quas semel eorum magistri posuerunt. Igitur si sperari hominum unitas, atque animorum consensio potest, ea vel maxime fiducia habebitur in doctrina Juris Ecclesiastici, quæ ubique certa semper habuit, habetque principia, ad quæ si respiciant studiosi, facile invicem sine dissensione convenient. Neque vero cum unitatem dico, de ea unitate loquor, qua eadem disciplina in singulis rebus ad unam usque ubicumque servetur. Hæc esset unitas scientiæ, cujus natura est perpetua, & constans; non unitas prudentiæ, qualis est sapientia juris; quæ debet esse personis, temporibus, locis, & adjunctis universis congrua. Loquor de unitate principiorum, veluti fundamentalium, quibus singula etiam diversi generis innituntur; non enim repugnat, ex isdem principiis salva unitate deducere varia juxta modos, quibus principia ipsa rebus oporteat accommodari; eadem fere ratione, qua paterfamilias accuratus, & prudens aliter familiæ consulit æstate, aliter hyeme, aliter conjugi, aliter liberis, & aliter servis, considerata etiam æquabiliter inter istos ætate, indole, & qualitatibus universis, sine nota inconstantiæ, & regiminis fluctuantis.

Superis immortalibus grates sint, quod in ea tempora inciderimus, quibus ob eximium cultum bonarum artium universarum id sperari facile potest: hodie enim jam assueverunt homines ab ipsa adolescentia addiscendi causa non confugere ad turbatissimos Jureconsultorum rivos, sed ad purissimos fontes jurisprudentæ, penes quos dum vulgaribus præjudiciis abluuntur, integerrimis solidæ doctrinæ dogmatibus imbuuntur. Profecto si non ea esset vetustissima apud homines consuetudo, qua conqueri omnes solent de suorum temporum fato, laudantes antiqua, recentia semper condolentes, ex eo perfecta; quod nobis & bona malis, & bonis mala mixta contingant, veterum autem, quo bonorum suavior est recordatio, eo malorum sit facilior oblivio; e contrario præsentia bona vix titillent, non expleant animi sensum, quando mala præsentia gravissime agunt, & cruciant; vehementer ego non indignari non possem adversus queribundas, & stomachi plenas voces illorum, qui nostram hodiernam ætatem deplorant, quasi nulla adeo tristis ætas inter varias sæculorum revolutiones extiterit; minime ecgitantes, non ferrea dicam, aut plumbea, uti loquuntur, sed & aurea ipsa tempestate palam effusas simile querimonias a clarissimo omnium oratore, qui præsentibus tunc in-

commodis tangebantur, cum clamaret: Oh tempora! oh mores! Qua in re sufficeret intueri magna literarum incrementa, quæ hodie, præsertim autem in Academia nostra (id mihi dicere liceat sine invidia cæterarum, quibus suus honor est, & decus præclarum) experimur, ita ut singulis annis lætari inde quam maxime possimus, una etiam florenti Regno vehementissime gratulari, quamquam nos summopere commoveri minime sentiamus ob eam causam, quia frequentissima sunt, dixerim etiam quotidiana, atque vulgaria. Si enim eo tempore, quo jampridem instauratum munifica Regum nostrorum providentia fuit vetustum Taurinense Athenæum, singularia quædam ad promovendum rei literariæ cultum prodire debuerunt sapientia, ac studio virorum ad tradendas ibidem liberales quascumque disciplinas selectorum; hodie sane, dum fruimur jamdiu bene positis, firmatis, auctisque præsidiis, debuerunt esse multo majora. Postulabat id præprimis Sapientissimi Regis incrementum, sicuti cæterarum rerum, quæ ad populi felicitatem conferunt, ita & doctrinarum universarum enixe intenta voluntas, cui obsequi religio semper fuit. Deinde id postulabat bona olim concitata spes in Republica, quæ ex faustissimis actis auspiciis nobiliora in posterum sibi futura pollicebatur, quam frustrari instar piaculi fuisset. Hinc autem sperare facile possumus, diuturnum hunc rerum statum extiturum, & nunc illud posse contingere, quod nunquam fere bono literarum contigit. Miranda plana res est, & pene incredibilis, cultum bonarum artium inter varias hominum ætates, nec quandoque perfici undecumque potuisse, aut si forte ad certum perfectionis gradum devenirent, non in eo homines delicium sibi constituisse firmum, quod tenacitate quadam custodirent, nunquam, aut tardius, & tunc nonnisi fato quodam, & injuria temporum impellente dimittendum. Aureum illud Augusti sæculum, quod cum tanta laude in ore omnium circumfertur, ac magnifice prædicatur, veluti unicum albo, ita dixerim, lapillo consignatum est, nec integrum esse potuit, & brevium lustrorum potius, quam sæculi nomine donaretur; neque per varias, & longas deinde fluentes ætates restaurari aliquando potuit, nec nisi post quinque supra decem sæcula spes quædam bonis adfulsit, futurum, ut renovaretur. Ac cum primum ducentis ab hinc annis virorum egregiorum ad magna conantium studia prodierunt, Galileo Physicas, Cavalierio, Clepero, & Davide Gregorio Mathematicas, Aquapendente, & Harveo, Medicas, Melchiore Cano Theologicas disciplinas elegantissime instauran-

tibus; atque, ut de scientia nostra dicam, hanc exornantibus in rebus publicis Hugone Grotio, in Jure Quiritium Duareno, Mennino, & duobus illis Fabro Senatum nostrorum, & Cujacio Academiæ nostræ luminibus, in Jure Pontificio Antonio Augustino; & Contio, & in omnibus æque eruditissimo Joanne Meursio, ut cæteros omittam, statim nescio quo fato elevatæ sunt ab imis veluti paludibus crassæ nebulæ, quibus pristina caligine omnia circumfuderentur. Iterum autem hodie spes affulget bona, qua res literaria ad magnum decus assurgat, suoque splendore illustretur. Faxit Deus, ut omnia ex voto cedant, & bonarum artium cultus auctus in dies, redditusque elegantior firmis conditionibus perseveret.

Quod si identidem audimus quosdam otiosos homines jacientes querelas assiduas de hodierna studiorum ratione, quod, licet, & multo plures numero sint, qui Jurisprudentiæ vacent; & multo impensior opera, qua olim fuerit, in ejus disciplinæ studia conferatur, vix tamen adpareat major quædam utilitas, quam sentiat Respublica, quasi olim æque atque hodie finis litibus imponeretur, & jurgia conquiescerent; una mecum considerent prudentes homines, res omnes optimas inter homines positas, quemadmodum non statim, sed sensim adolescunt, ac perficiuntur, ita tale in dies accipere incrementum, ut vix quale istud sit, dignosci, ac perspici valeat. Ecquis, ut exempla proferam rerum tristissimarum, adeo acri, & acuta oculorum acie pollet, ut sentiat, quantum crescant singulis horis agrorum sata, aut singulis diebus tenelli pueri adolescant? Neque illa colono assueto, neque isti assuetæ nutrici crescere videntur, neque alias post longum tempus crevisse deprehenduntur, quam quum memoria præteriti temporis aut vix erumpentia olim semina cum flava messe, aut cum diserto viro balbutientem quondam infantulum conferat. Atque hæc quidem facile unusquisque intelligit in rebus illis, quæ brevi, scilicet quatuor aut mensium, aut lustrorum intercapedine absolvuntur, difficilius in iis, quæ tardiorem adsequuntur maturitatem, qualia sunt Jurisprudentiæ studia, quæ nemo ignorat, progredi adeo sensim & sine sensu, ut vel longævus homo, qui ab infantia eorum initia viderit, necdum absoluta numeris omnibus ingravescente ætate intueatur. Circumstant enim illam, sicut & bonas artes cæteras, tot, tantaque impedimenta, tot inferuntur undecumque moræ, ut nonnisi per industres plurium ætates vinci tandem aliquando possint, ac superari. Quæ cum ita sint, nihil mirum cuiquam

Sedi, quam tenebat, facta fuisse communia? Quod si amplius recentiores Constantinopolitani Episcopi, præ cæteris Photius, ausi sunt, facto schismate, potissimum ex eo sibi adserere conati fuerunt Pontificatum Maximum a Romanis in se translatum, quod Latinum Imperium translatum esset ad Græcos: quæ sane rationes ab hominibus Romanæ Sedi acriter infensis derivatæ invictissimæ sunt ad demonstrandam generalem utriusque Ecclesiæ consensionem in eo, quod & Sanctus Petrus, & Romani Antistites post Petrum, Primatum in Ecclesia gesserint, utut schismatici iidem Græci alio ab urbe Roma transferri quandoque Primatum posse falsa opinione sibi blanditi fuerint, atque sibi adserere revoluto imperio non dubitaverint.

Quid in contrarium hæretici adferre soleant, minime recenseo, hanc Provinciam Theologis relinquens, quorum potissimum est dogmata fidei adserere, vindicare. Non debeo tamen prætermittere, quod meum esse posse videtur, interpretationem quorumdam monumentorum, quæ in Codice canonum exhibentur, quorum aliqua a veris catholicis proferuntur ad firmandum Romani Antistitis Primatum, quamquam argumento non satis idoneo, aliqua proferuntur ab hæreticis causa infirmandi dogmatis: atque in hac re, licet damnem hæreticorum perfidiam, dum in præsidium hæreseos suos sacros canones torquere conantur, laudare tamen non possum nimium catholicorum illorum ardorem, quo correpti leviora gravioribus congerunt argumenta, forte etiam facili negotio enervanda. Non indigent inanibus subsidiis Catholicæ Ecclesiæ dogmata, de quorum veritate aliunde constat evidentissime. Catholici quidam ad confirmandum Romanæ Ecclesiæ Primatum in medium adtulerunt canonem 6. dist. 65., qua in parte ibidem traditur, Romano Episcopo *parilem esse morem*, ut Episcoporum habeat potestatem. Est is canon sextus ex Nicænis, & propterea conjungendi erunt cum eo Gratianeo fragmento canon 8. dist. 64., & canon 1. dist. 65. Verum canon iste Nicænus ad rem parum pertinere videtur, editus adversus Meletium in Thebaide Episcopum, qui Alexandrino, cui suberat, inscio Antistite, Episcopos ordinabat; atque in eo cavebatur, ne Alexandrino Episcopo inconsulto, Episcopi ordinarentur in Alexandrina diœcesi constituendi, argumento a simili petito ex Romana diœcesi, in qua nullus ordinabatur Antistes, inscio Episcopo Romano. Sunt hæc, quis non videt? jura potius Metropolitica, seu Patriarchalia, quam jura Primatus. Plura hoc in loco non congero, propterea quod jam Nicænum eumdem canonem expenderim in meis animadversionibus in codicem Gratiani. Plura e contrario monumenta sunt ex codice canonum deprompta, quibus utuntur Hæretici ad Primatus jura evertenda. In primis objiciunt canones 33. & 37. caus. 2. quæst. 7., quorum prior Hieronymo adscriptus est, posterior Ambrosio, ubi videtur Paulus Apostolus Petro Apostolo adeo æquiparatus, ut par agnita videatur utriusque potestas; adeo etiam, ut quis cui præferatur, in incerto esse videatur. Equidem neminem movere debet canon 33., utpote qui nullibi inter opera Hieronymi reperitur; immo Hieronymi sententiis nunquam congruere potest, quando certum est, Hieronymum reprehensionem Petri a Paulo, de qua sermo fit in epistola ad Galatas cap. 2., non vere, & ex animo factam credidisse, sed utili quadam simulatione, ut nimirum uterque populus salvus fieret, dum & qui circumcisionem laudabant, Petrum sequerentur, & qui circumcidi nolebant, Pauli prædicarent libertatem. Ita scribebat Hieronymus idem in epistolam ad Galatas cap. 2., ad cujus argumentum pertinet canon 21. caus. 22. quæst. 2. In conspectu hujus Hieronymianæ doctrinæ, quomodo tribui possunt Hieronymo ea verba canonis 33. caus. 2. quæst. 7. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non im-*

parem sciret? Omitto lubens alias, & quidem gravissimas interpretationes Catholicorum virorum sano modo, & sine injuria Primatus Petri, laudatum monumentum intelligentium; statim ac enim de auctore canonis minime constat, frustra in adsequenda auctoris mente laboraretur. In canone 37., incerti sane auctoris, cum sermo ille, ex quo depromptus est, ab aliis Ambrosio, ab aliis Augustino, ab aliis Maximo Taurinensi adscribatur, non de potestate fit sermo, & jurisdictione, sed de meritis, & corona martyrii, quemadmodum contextus ipse demonstrat, quod sine Petri contumelia dici poterat; quemadmodum *sine* Petri contumelia Augustinus ipse professus est, se in martyrii gloria comparare potuisse Petro Cyprianum, utut Cyprianum longe minorem Petro auctoritate profiteretur, can. 35. caus. 2. quæst. 7. Secundo objiciunt canonem 26. caus. 11. quæst. 1. depromptum ex canone 9. Concilii Chalcedonensis, in cujus conspectu liquet, postremum clericorum, Episcoporumve judicium apud Constantinopolitanum Antistitem discuti, ac dirimi oportere. Verum nemo ignorat, canonem istum esse fetum ambitus Anatolii Constantinopolitani Episcopi, dignitatem suam, & jurisdictionem nimium late extendentis, & perperam sub nomine Chalcedonensis Concilii laudari. Ego jam id adnotavi in meis animadversionibus in Gratianum, ubi ita & canonem interpretatus sum, ut Romano Primatui minime officiat. Denique objiciunt canones 3. & 6. dist. 22. ubi magni fit auctoritas Patriarchæ Constantinopolitani. Verum præterquamquod ibidem intuemur Constantinopolitanum Patriarcham Antistiti Romano subjectum, quæ ad eos canones recte illustrandos pertinent, jamdiu adnotavi in laudatis meis animadversionibus in Codicem Gratiani, ad quas curiosum lectorem, nisi gravetur, lubens remitto, sperans, eum commode conclusurum, nihil ex iis monumentis adversus Primatum Romanæ Sedis posse deduci.

At quanto facilior est definitio, qua concludatur, Romanum Antistitem esse universæ Ecclesiæ Principem, tanto salebrosior est disquisitio, in quonam consistat iste universæ Ecclesiæ Principatus. Paucis ego ita edissero. Quousque inter Apostolos tributæ non fuerunt Provinciæ, item quousque inter successores Apostolorum nondum tribuendæ diœceses fuissent, ita erant a Petro, & Petri successoribus Primatus jura explicanda, ut in primis solus Pontifex Maximus ea gereret, quæ universam Ecclesiam uti universam spectarent; deinde ut solus ipse Pontifex Maximus Episcopo cuicumque *immediate* præsent, *ipse* defectus cæterorum suppleret, excessus corrigeret, & prout ecclesiastica necesitas, vel utilitas postularet, illos intra certos limites causarum, vel locorum, vel personarum cohiberet. En duplicem supremam potestatem, & veluti generalem, ex qua Primatus Pontificius coalescit. Et quidem utraque potestas perspicue deducitur ex Sacris ipsis literis. Nimirum potestas administrandi, ea quæ ad universam Ecclesiam spectant, uti universam, adparet in capite 16. Matthæi, ubi Christus singulari sermone Petrum allocutus, eidem quæcumque ligandi, solvendique facultatem super terram concessit; neque alio modo potestas singularis Petro his verbis data a potestate concessa cæteris Apostolis distingui potest, quam interpretando verba Christi in Petrum directa de potestate regendi Ecclesiam uti universam, & verba Christi in cæteros Apostolos directa de potestate regendi Ecclesiam juxta modum deinde inter ipsos ex utilitate Ecclesiarum definiendum. Potestas vero altera Petro concessa regendi etiam Prælatos Ecclesiæ, & eos omnes cum jurisdictione in officio continendi, adparet in cap. 22. Lucæ, ubi a Christo legimus Petro mandatum, ut ipse aliquando conversus confirmaret Fratres suos. Post distributas provincias, & diœceses, non quidem a divinis institutionibus recessum fuit (neque enim recedi ab

iis poterat), sed supremæ illius potestatis usus ad elegantiorem quamdam formam redigi debuit. Etenim ubi plures inter Prælatos Ecclesiæ constituti sunt gradus, uni certa diœcesis sub nomine Episcopi adsignata fuit; alteri certa provincia præter diœcesim sub nomine Archiepiscopi, seu Metropolitani; alii certa natio præter diœcesim, & provinciam sub nomine Primatis; alii amplius quoddam territorium plures in se & diœceses, & provincias continens præter singularem diœcesim, provinciam, & nationem sub nomine Patriarchæ, vel Exarchi. Hinc fieri cœpit, ut in Romano Antistite singulares plures dignitates eniterent, qualis esset Romanæ diœceseos Episcopi, quam cum Episcopis cæteris, Romanæ provinciæ Archiepiscopi, quam cum Archiepiscopis aliis, finitimarum aliquot provinciarum Primatis, quam cum reliquis Primatibus, totius Occidentis Patriachæ, quam cum Orientalibus Patriarchis communem haberet, tandem ipse solus supremam Pontificatus Maximi dignitatem, ac potestatem divino jure sibi datam retineret, explicaret. Quamobrem hodie dignitates istæ Pontificum Maximorum recto ordine cumulatæ dispiciendæ semper erunt, ut singularis, & uniuscujusque propria vis, ac facultas intelligatur, & ratio, prout res incidit, habeatur, dummodo semper illud præ oculis positum sit, veram, & primigeniam Pontificatus Maximi naturam in eo consistere, ut primum ab uno Pontifice Maximo Ecclesiæ universæ, uti universæ, negotia pendere debeant, deinde ut Episcopi cæteri, quacumque dignitate fruantur, illi subsint, servato constituto ordine, ubi opus, aut opportunum sit, adjuvandi, confirmandi, corrigendi, plectendi, uno verbo, eo utilioribus modis dirigendi, quo Ecclesiæ omnes eam sortiantur fidelem administrationem, quam Christus Dominus, a quo omnis potestas in Ecclesiam derivat, gerendam præordinavit, aut earumdem Ecclesiarum utilitas postulat; quæ duo, uti dictum est, veluti summa sunt capita generalis illius in totam Ecclesiam potestatis. Hinc sane intelligimus, qua ratione pertineat ad Pontificem Maximum Episcopos ad generale Concilium convocare, convocatæque Synodo præesse, item ea disponere, quæ ad propagationem fidei latius extendendam conducunt, certas præterea leges constituere in omnibus diœcesibus regulariter observandas, causa seu confirmandæ fidei, seu doctrinæ morum stabiliendæ, tuendæque, seu indicendæ in disciplina unitatis; hæc enim singula cum similibus Ecclesiam universam uti universam respiciunt. Hinc insuper intelligimus, qua ratione factum fuerit, ut quædam induci potuerint, aliquando etiam debuerint, reservationes, devolutiones, exemptiones Sedis Apostolicæ gratia; ut appellationes ad Sedem Apostolicam ab Episcoporum sententiis probarentur, aut alia his similia, quæ aut sui natura indicant, inferiorum Antistitum excesus cohiberi, aut suppleri defectum ea ratione debuisse.

Non est hic locus immorandi diutius in singulis fusa oratione exornandis, quoniam plurima suis locis accommodata in meis tractationibus ex ordine reperiuntur. Tantum nonnulla dicam de appellationibus ad Sedem Apostolicam admittendis undecumque, quod constantissime in Ecclesia Dei a primis etiam sæculis derivata, & ad nostra usque tempora producta disciplina probat, atque confirmat. Mihi semper visum fuit gravissimum hoc argumentum. Appellatio subsidium est miseris, quo ad superioris judicia provocatur, ut inferioris Judicis, qui sententiam injustum aut ex imperitia, aut ex dolo pronuntiavit, sententia reformetur. In vim Pontificii Primatus subsunt universi Episcopi jurisdictioni Romani Antistitis, sive defecerint, sive excesserint, corrigendi, uti superius demonstratum est; ergo a sententiis Episcoporum admittenda appellatio est ad Apostolicam Sedem. Quoniam vero etiam scriptis canonibus probanda res esset adversus eos, qui forte contra sentirent

immo & interpretatione commoda illustrandi sunt quidam canones, qui in medium proferuntur ab iis, qui disputare de hac re non dubitant, profero in primis canones Concilii Sardicensis 3. & 7., qui referuntur apud Gratianum in can. 36. caus. 2. quæst. 6., & can. 7. caus. 6. quæst. 4.. Varias eorum canonum editiones, immo & eorumdem edendorum canonum causas exhibui in meis adnotationibus in Codicem Gratiani; ex quibus tamen constantissime deducitur, jam ab antiquissima ætate agnitam fuisse hujusmodi appellationum disciplinam, & jam eo sæculo adparere, quo primum condi canones scripto cœperunt. At in contrarium objici solet canon 15. Concilii Antiocheni, seu canon 5. caus. 6. quæst. 4.. Num quisquam in ejus conspectu forte judicavit, Antiochenos Patres a Conciliis Episcoporum Provincialibus nullam, ne ad Apostolicam quidem Sedem, appellationem admisisse? Ita visum fuit Christiano Lupo, qui exinde præcipiti consilio occasionem arripuit detestandi & canones, & Synodum ipsam Antiochenam. Balsamon Græcus interpres mitius scribens ait, eum canonem sublatum fuisse in Synodo Sardicensi, non tamen huic opinioni satis fidens ita prosequitur: *Sin autem hoc nolis dicere, interpretare canonem, & dic, fieri condemnationem a Synodo, in quam non cadit appellatio, ut a Papa, vel a Patriarcha Constantinopolitano.* Insuper habeamus in præsentia, quod interpres in Græco schismate enutritus de Patriarcha Constantinopolitano adjecit: longe ipse aberrat a proposito Antiochenorum Antistitum, qui aperte de Provincialibus quibuscumque Synodis sermonem instituerunt. Alexius Aristinus adfirmat quidem, eo canone interdictam esse quamcumque appellationem a Conciliis Provincialibus interponendam, eos tamen, qui contra sentiunt, benignius, humaniusque sentire, ac propterea esse ipsis Antiochenis Patribus anteferendos, immo eo etiam progreditur, ut tradat, contrariam opinionem placuisse eisdem Antiochenis Episcopis in can. 4.. Quis huic opinioni facile subscribat, qua sibimetipsis Antiocheni Episcopi contradixisse ferantur? Gratianus, quem Canonistarum fere omnium turba secuta est, ad eum canonem adnotavit, canonem esse intelligendum, ea adjecta exceptione: *nisi ad Judicem majoris auctoritatis fuerit provocatum.* Mihi sane rem hanc ad rectam rationem exigenti ab omnibus his interpretationibus recedendum videtur, atque ita omnis dirimenda controversia, ut & apellationibus ad superiores ordines faciendis nihil detrahatur, & integra maneat optima Antiocheni Concilii constitutio. Observo, apud veteres receptissimas quidem fuisse boni publici causa appellationes, ne scilicet innoxii impune ob quorumdam Judicum imperitiam, ne improbitatem dixerim, damnarentur; non tamen appellationes istas in reipublicæ ipsius dispendium detorqueri aliquando potuisse; quod sane contigisset, si facta fuisset litigantibus potestas appellandi perpetuo, etiam post sententias plures, seu ejusdem sententiæ per plures, & diversos Judices confirmationes. Coercenda etiam erat nimia, & importuna appellandi licentia, ne lites perpetuæ fierent, neve temere litigantes vix temere susceptæ litis pœnam sentirent. Hinc saluberrime aliquando constitutum scimus, ut qui post triplex judicium constanti Judicum sententia fuisset damnatus, appellandi facultate deinceps destitueretur. Id apud Græcos olim obtinuisse, Plato testatur in Dialogo 6. de legibus, vel legum latione, quod & abs Justiniano confirmatum est in l. un. cod. ne liceat in una eadem caus. tertio provoc., auth. *Siquis litigantium* cod. de Episcop. audient.; quibus addi potest capitulum 65. de appellation.. Quis exinde facile non deducat, qualis revera fuerit mens Antiochenorum Antistitum, quum post concordem Concilii Provincialis sententiam nihil amplius effugii voluerunt superesse damnatis? Videlicet ordo causarum ecclesiasticarum is erat, ut primo res coram Diœcesano discuteretur,

UAB Biblioteca de Ciències Socials
sed tum demum, cum aut ii erant adducendi tanquam testes receptæ in foro disciplinæ, aut cum alicui videri potuissem quædam veluti nova, & a me inventa producere, quando tamen fuerunt a quibusdam jamdiu inventa; ne ego, quod alienum est, dissimulando veterum nomina, mihi quodammodo vindicarem. Potius incumbendum putavi in jus scriptum, qua in re latius vagari volui, quam ferrent Gregorianæ Decretales epistolæ, cum quibus & vetustiora, & recentiora, ipsa etiam Tridentina decreta conjunxi, ut disciplinam traderem, & quæ olim viguit, & quæ hodie viget. Ex jure scripto, etiam qua in parte ageretur de specialibus controversiis auctoritate legumlatorum definitis, ut elicerem generales juris rationes, & causas, conatus sum; quasi triplex mea cura fuerit, id est, primum, ut intuerer, quid in multis constitutum sit ecclesiastica potestate; deinde, ut ex istis generalia principia, quæ intime in unoquoque laterent, aperirem; postremo, ut ex eisdem generalibus principiis cum facilius intelligerem res ipsas definitas, tum etiam commodius ad res necdum definitas definiendas accederem. Censui, id opus esse philosophiæ, atque prudentiæ, eamque ob rem identidem, prout proposita materies postularet, revolvi intimiora rationalis facultatis sensa, identidem etiam observavi, quid prudentia suaserit, sagax humanorum actuum moderatrix. Hinc passim vel ipsis legibus usus sum, non tam ad utendum auctoritate definientium, quam ad demonstrandum, eos, qui leges illas condiderunt, sapientia potius, quam potestate fuisse ad definiendum adductos. Duplicis sane generis hac in re distinguenda sunt argumenta, in quibus ecclesiasticæ leges versantur. Alia enim sunt, quæ facile ex certis principiis, & generalibus deducuntur, immo etiam tum, cum definita necdum essent, jam in positis principiis continebantur, quæque facile etiam privatus Interpres principiorum gnarus definivisset. In hoc argumentorum genere ajo, me ideo usum identidem auctoritate legum, non quasi necessario, sed ut clarius de veritate liqueret; proptereaquod etiam identidem, ubi apposite laudari juris monumenta potuissent, a laudandis illis abstinui, præsertim quoties consectaria perspicue deducuntur, aut ipsa per se perspicua sunt: neque enim mihi placet tanta legum laudandarum farrago, quæ legulejum decere potest, non jureconsultum. Alia sunt argumenta, quæ non aliter, quam legis auctoritate definiri possunt, ea nimirum, quæ si ex parte consideres, probari, si ex alia parte perpendas, minus probari æque belle possent; aut etiam ea, quæ in individuo colloca-

ta non sunt, sed ex facto hominis certum modum, aut mensuram recipiendam exspectant. Exemplis rem claram faciam. Proponebatur quæstio, an appellans a sententia Episcopi ad Metropolitanum in una causa, teneatur coram Episcopo in alia causa respondere. Qui eum teneri arbitrabantur, innitebantur eo probato, receptoque principio, quod suadet, Archiepiscopi jurisdictionem in primo judicio locum non habere. Qui eum obligatione liberabant, innitebantur altero æque probato, receptoque principio, quod suadet, neminem cogi respondere coram suspecto judice, qualis in ea specie videbatur Episcopus, qui damnaverat appellantem. Perennis disputatio fuisset, si dirimenda privatorum Interpretum judiciis relicta foret. Opus heic fuit definitione publica, qualis habetur in cap. 24. de appellation.. Et quicumque in derimendis hujus generis controversiis versatur, quoniam utraque pars sua habet non contraria, sed diversa fundamenta, auctoritate legum, ubi præsto esse possit, utatur oportet. Item proponebatur quæstio, quot dies concedendi essent damnato ad appellandum, ne interea executionem sententiæ patiatur. Generale quidem principium demonstrari posset, quo statueretur, damnatum neque nimis morosum esse debere, neque ob brevissimas temporis angustias esse premendum. At id nihil in individuo decernit, & nemo privatus certo statuere posset, aut potuisset, decem potius, quam novem, aut undecim dies designari oportere. Opus etiam heic fuit legum auctoritate, cap. 15. de sentent. & re judic., cujus definitionis inducendæ dici quidem potest fuisse causam æquissimam, quamquam tamen etiam æquissimam causam diceres legis aliter editæ, quæ ex. gr. appellandi diem intra nonum cohibuisset, vel ad undecimum extendisset. Has legum laudare sanctiones in doctrina canonum exhibenda non tam utile est, quam necessarium. Et quidem hac in parte non rem trado, quæ sit disciplinæ canonum singularis. Similia multa etiam in civili prudentia constituta deprehenduntur, quibus in causis prudens arbitrium in certo formarum, modorumque delectu æque belle unum alteri præferre commodissime potest. Quo in genere dici solet, legem ita esse scriptam, ita legis conditori placuisse; quod placuit, æquum apparere, licet etiam æquum dici posset, quod paulo aliter placuisset, uti conspicitur in testamentorum solemnitatibus, in formulis judiciorum, in ipsa etiam tributione Magistratuum, & designatione peculiari potestatis, quæ, quantaque unicuique competat, ut alia omittam numero plurima, sita plane in vulgari prudentia.

Cum hæc de mearum lucubrationum ratione dico, nemo statim non videt, conatum me fuisse, ut in novam quamdam formam sine recessu a sacrorum Canonum regulis, quas semper colui, & constantissime colam, multa exigerem; præsertim ubi philosophia duce ad certa sistemata redigendas curavi causas, & origines plurium argumentorum. Hinc autem non æque intenso, aut presso orationis nervo ubique usus sum: siquidem ubi certa generalia principia statuenda, ac demonstranda putavi, latiorem stylum adhibui; in his enim causis mihi visum fuit opportunius enixe elaborare. Ubi vero specialia quædam versanda forent, legum potius, ut dictum est, auctoritate, aut etiam moribus definita, stylum contraxi, contentus, quid receptum per leges, aut mores fuerit, indicavisse. Si vero forte stylus valde inæqualis, vel in ipsa vocabulorum usurpatione, alicui videatur, id velim tribuatur argumentis, quæ pertractantur; multa enim pro ingenii mei viribus elaboravi, multa ex traditionibus cultiorum Interpretum derivavi, multa ex formulis canonum, & constitutionum Pontificiarum in Commentaria mea traduxi; in multis denique uti necessario debui propriis vocibus artis nostræ, quas recens ætas pro rebus novis emergentibus invexit, a quibus si recedere circumlocutionibus voluissem, aut vix a pluribus forte intelligeretur sententia, aut certe perspicua omnino non foret; quæ sane singula styli non ferunt æqualitatem. Itaque prodeant, qualiacumque, & quantulacumque sint, mea hæc Commentaria, primum in Dei Optimi Maximi laudem, deinde in Ecclesiæ Sanctæ utilitatem; quæ cum ad eruditorum manus pervenerint, ut conatus meos æqui, bonique faciant, rogo illos, ac obtestor.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

IN PRIMUM, ET SECUNDUM

GREGORIANARUM DECRETALIUM LIBRUM

COMMENTARIA,

SEU

DE POTIORIBUS ECCLESIÆ DIGNITATIBUS, ET OFFICIIS, æque Scholarum disputationibus, ac Fori usibus accommodata.

TRACTATIO.

QUicumque scripserunt, Raymundum Pennafortensem in Decretalium collectione ex mandato Gregorii IX. adornanda proposuisse sibi imitandam Triboniani industriam, ne dixerim gloriam æmulandum, in componendo Codice Justinianeo; id potissimum facile demonstrare possent in conspectu primi, & secundi earumdem Decretalium libri. A titulo *De summa Trinitate, & Fide Catholica* utraque collectio exordium ducit, & quando in prioribus libellis Tribonianus primum de variis Romanorum dignitatibus, & officiis, deinde de Judiciis editas constitutiones exposuit, eadem argumenta tractavit in primis duobus libellis Raymundus, æquabiliter tamen, ut intra juris Ecclesiastici metam se uti decebat, contineret; quamquam & ibidem plura recensere debuerit etiam Romano Imperatorum juri communia, quæque non alia ratione ecclesiastici juris dici possunt, quam quod fuerint jure ecclesiastico recepta, ac confirmata. Hæc mihi causa est, quare primum, & secundum Decretalium librum interpretaturus, adhuc intra angustiores fines verba, sententiasque coerceam, ne, si singula evolvere, atque illustrare velim, latius, quam meum propositum postulet, videar evagari. Itaque cum præcipuus Gregorii IX. finis, uti illico utrumque librum vel obiter evolventibus patet, in eo consistat, ut definiatur, quinam sint varii potestatis ecclesiasticæ ordines, & gradus, item jurisdictionis per singulos ordines explicandæ modi, ac rationes, tractationem inscripsi de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, & officiis, quam ut in metho-

UAB Biblioteca de Ciències Socials
dum certa redigerem, tribuendam censui in sex dissertationes, ad quas, qui rei propositæ congruunt, librorum Gregorianorum tituli exigantur, huc etiam quosdam advocando, qui in sequentes libros a Raymundo collati fuerunt, dummodo ad hanc ipsam rem facere visi mihi fuissent. In *prima*, quæ erit fere proœmii loco, agam de ecclesiastica jurisdictione, quæ generaliter potioribus Ecclesiæ dignitatibus, & officiis cohæret. Deinde ad singulos dignitatum, officiorumve gradus suspiciendo, sermonem instituam in secunda de Pontifice Maximo, in tertia de Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis, in quarta de Episcopis, in quinta de Prælatis Episcopo inferioribus, vel episcopalem, vel quasi episcopalem jurisdictionem nactis, in postrema de Parochis, istorumque officio, ac potestate. Nemo non videt, rem hanc universam, quam pertractandam adgredior, summam per se exhibere elegantiam, ac majestatem, ubi nimirum emicant Ecclesiæ Dei facultates a Christo ad sponsæ suæ nitorem, dignitatemque concessæ; quamquam noverim, & in hoc argumento eximia opus esse prudentia tum scribentis, tum legentis, in qua si ego ex virium infirmitate post omnem adhibitam diligentiam defuisse videar, Lectores benevolos rogo, ut ipsi sapientia sua & benigna suppleant interpretatione, cui semper me morem gessurum profiteor.

DISSERTATIO PRIMA,

ET PROŒMIALIS

DE ECCLESIASTICA JURISDICTIONE,

Quæ generaliter potioribus Ecclesiæ Dignitatibus, & Officiis cohæret.

Huc pertinet titulus 33. *Libri* 1.

CAPUT I.

Quid sit Ecclesiastica Jurisdictio.

NON est adeo facile, uti nonnulli putant, prima rerum principia ponere, &, quoties de rebus ad sublimem scientiam pertinentibus agitur, definitiones causarum altissimas explicare. Jurisdictionem ecclesiasticam passim & vulgo nominant, in varias species partiuntur, quibus modis, & quibus in casibus eadem exerceatur, explanant. Quid illa sit, pauci, meo judicio, accurate, ac dilucide tradiderunt. Et quidem initio nolo esse sollicitus de Grammaticali nominis derivatione, libenter relinquendo iis, qui liberiore otio abundant, investigationem, an *jurisdictio* abs jure dicundo, an potius abs jure, & ditione dicatur. Potius rem ipsam considero, in qua, si fundamentum omnium disputationum jacitur, studendum est, ut ita ponatur, quo cætera facile superextrui valeant; si fons & origo omnium traditionum agnoscitur, cavendum, ut recto tramite universa exinde deduci consectaria possint. Itaque in primis ajo, latius patere jurisdictionis significationem in ecclesiastico jure, quam in jure civili Romanorum. Etenim Jureconsulti veteres Romanarum legum Interpretes, qui jurisdictionem abs jure dicundo appellabant, quadruplicem in Republica potestatem, ac jus agnoscebant, & distinguebant; nimirum majestatem, imperium, jurisdictionem, ac notionem. Majestatem dicebant supremum illud jus cæterorum omnium jurium originem, ac veluti fontem, ex quo omnia jura, potestatesque manarent, elucebatque potissimum in legibus ad commune bonum ferendis. Residebat illa in populo liberæ Reipublicæ tempore, translata deinde in Imperatores ætate recentiore. Imperium appellabant potestatem coercendi facinorosos homines, alias gladii potestatem; atque ista tempore liberæ Reipublicæ fuit aliquandiu penes populum, cui reservata erat facultas de capite Civis Romani pronuntiandi, deinde vero *singulari* jure concessa fuit Magistratibus. Jurisdictionem nominabant potestatem cognoscendi, judicandi, judicatum exequendi, & judicem dandi; quam Magistratus perpetuo in vim proprii officii obtinuerunt, concessa quoque ipsis facultate coercendi, non tamen graviter, ne, si omnis coercendi facultas deesset, inanis omnino jurisdictio redderetur; unde traditum scimus, imperium quoddam, quod mixtum ad differentiam meri vocaverunt, jurisdictioni necessario cohærere. Denique notionem dicebant facultatem cognoscendi, & judicandi; non tamen judicatum exequendi, & Judicem dandi; quæ com-

petebat pedaneis judicibus, & datis Magistratuum auctoritate instar propemodum arbitrorum. *Aliter sonat* in jure ecclesiastico jurisdictionis nomen; videlicet cunctas ambitu suo complectitur, quæ Ecclesiæ competunt, facultates. Ferendæ sunt leges ab Ecclesia ad definienda Fidei dogmata, ad mores Fidelium informandos, ad disciplinam stabiliendam? Jurisdictio explicari dicetur. Sunt coercendi rei depositionis, suspensionis, anathematis pœna? Id jurisdictionis est. Convocanda ne comitia Antistitum, monendus unusquisque Prælatus, ut in officium, ac munus suum incumbat? Jurisdictio exercebitur. Interponenda ne auctoritas in dedicatione Templorum, in erectione, restauratione Ecclesiarum, vel beneficiorum, in institutione Clericorum in beneficiis, in alienatione rerum ad Ecclesiam pertinentium, & in aliis similibus? Jurisdictio est. Uno verbo: jurisdictio appellatur *universalis quædam potestas ea gerendi, atque gubernandi, quæ ad commodum Ecclesiæ pertinent*; quamquam jurisdictionis nomen aliquando Pontifices usurpaverint, ut distinguerent a ministeriis, quod attinet ad certos juris effectus, qui ex principiis Romani juris erant definiendi, cap. *ult. in fine de off. & pot. jud. deleg.*

Hæc tamen generalis jurisdictionis significatio usu loquendi contracta fuit, & contrahi necessario debuit ad secernendas duplicis generis potestates, quæ sacris Ecclesiæ administris competunt. Nulla est magis vulgaris apud nostros, quam communis illa ab omnibus recepta traditio; qua docemur, aliam esse in Ecclesia *ordinis*, aliam *jurisdictionis* potestatem: & quidem potestas ordinis multiplex est, in tot nimirum genera distributa, quot gradibus ecclesiastica Hierarchia consistit, quorum omnium graduum officia modo ad Corpus Christi verum in Eucharistia conficiendum, offerendum, ac ministrandum, modo ad Corpus Christi mysticum (qualis dicitur Fidelium cœtus,) instituendum, expiandum, ac sanctificandum, discreto sane singulorum munere diriguntur. At *potestas jurisdictionis* uno tantum genere continetur, tota in Corpus Christi mysticum exercenda, quamquam modo ab universo Clero in solidum administrata, modo a majoribus tantum minorum accedente consilio, vel consensu, modo a majoribus eisdem penitus libere, prout variæ temporum, locorum, causarumque rationes invexerunt, aut constitutiones probaverunt. Quomodo vero invicem duæ istæ potestates secernantur; unde fiat, ut perspicue demonstretur, quænam ecclesiasticorum munera ad potestatem ordinis, quænam ad potestatem jurisdictionis referantur, tenebræ passim crassissimæ a Pragmaticis offunduntur, resque universa ita tractatur, ac si nulla propemodum certa generalia figi principia possint. *Alii* exempla congerunt ad propositum illustrandum, & tradunt ex. gr. facultatem erigendi templa, beneficia conferendi, & alia numero plurima ad jurisdictionis potestatem referri; viceversa ad potestatem ordinis facultatem ordinandi Clericos, consecrandi Ecclesias, Sacramentum Confirmationis administrandi, atque alia bene multa. Si causam discriminis quæras, cuncta silentio obruunt. Ego sane jamdiu novi, non exemplis statuenda esse principia scientiarum, sed tantum utilia esse exempla posse post principia constituta, quoniam exempla sunt consectaria, non fundamenta, & causæ generalium præceptorum. Alii tradunt, illam dici potestatem ordinis, quæ nequit non ordinato ab ordinato mandari, quæ autem mandari potest, eam jurisdictioni tribui. Alii docent, potestatem ordinis non posse adquiri non ordinato in vim consuetudinis, præscriptionis, privilegii, statuti, conventionisque singularis, contra quam vigeat in potestate jurisdictionis. Alii indicant, potestatem ordinis episcopalis adquiri Episcopo tum demum, cum sit consecratus, potestatem autem jurisdictionis ex jure communi Decretalium adquisitam fere censeri statim ab electione confirmata. Alii denique observant, potestatem ordi-

nis ex. gr. Episcopalis non transferri in Capitulum, Sede vacante, contra quam ferre contingat in potestate jurisdictionis. Ast universæ istæ traditiones, quamquam notas, & characteres explicent utriusque potestatis, naturam tamen non satis pandunt, immo occasionem præbent dubitationibus, quibus singula implicentur. Quid enim, si ex. gr. quæratur, cur mandari nequeat potestas ordinis, cur nequeat adquiri consuetudine, præscriptione, privilegio, statuto, ac conventione, cur nequeat adquiri Episcopo electo confirmato, cur nequeat in Capitulum, Sede vacante, transire, quando hæc omnia in jurisdictionis potestate contingunt, aut cur e converso mandetur, adquiratur, & transeat potestas jurisdictionis, quando nec mandatur, nec adquiritur, nec transit in propositis speciebus potestas ordinis? Altiora sane principia erunt stabilienda. Finge insuper, controversiam suboriri, an certa potestas ad ordinem potius, an ad jurisdictionem spectet, hanc ex positis laudatis principiis definire minime poteris. Num dices investigandum esse, an ea potestas, de qua quæritur, mandari possit, an minus; num transeat in Capitulum, vacante Sede, an minus; num adquiri valeat consuetudine, aliove simili titulo, an minus; num adquiratur Episcopo electo confirmato, an minus? & quo casu mandari, transire, & adquiri ita possit, potestati jurisdictionis, secus potestati ordinis adscribendam censebis? Non inde facile decides controversias omnes, cum eisdem de causis novæ dubitationes emergerent, num potestas, de qua quæritur, mandari, adquiri, & transire in alios valeat.

Dabo ego lubens operam, ut utriusque potestatis discrimina in aperta luce collocentur; qua tamen in re altissime repetenda est vis, atque indoles facultatum ambarum. Apud universas gentes ad certam Sacrorum communionem ita suadente naturali ratione inducendam causa fovendæ religionis in Deum constitui debuerunt Sacerdotes, seu rerum sacrarum administri, quorum opera profanus populus doceretur, erigerentur templa, certi etiam ritus statuerentur divino cultui accommodati. Atque hæc erat, quæ Sacerdotibus a populo designatis competebat potestas spectans res sacras, sive divinas, quam jurisdictionem appellabant. Quam rationem generaliter obtinuisse puto apud omnes, etiam tum primum, quum homines naturali tantum jure regebantur: uti enim apud ipsos causa administrandæ civilis Reipublicæ opportunum maxime fuit creare populorum Duces, ne ferarum more unusquisque suæ voluntati libere indulgeret; ita causa exhibendi cultus in Deum, utile visum est, ministros sacri ejusdem cultus designari, quorum cura fieret, ut in Deo colendo una esset singulorum adfectio, una ratio, & voluntas. Verum deinde cum plerique hominum fuerint misere superstitionibus obruti, & nefaria idolatria obcæcati, ex Dei Optimi Maximi clementia factum est, ut in electo Judæorum populo certa veri Sacerdotii forma haberetur in Levitica Tribu, statis certis cæremoniis, quas nemo contemneret, unusquisque sequeretur; satisque fuit, Levitis ministerium Sacrorum concedere, ut statim Levitis ipsis concessa videretur jurisdictio illa, quam homines olim in Sacerdotes communi suffragio designatos contulerant. Unde liquet, originem jurisdictionis sacræ ex jure gentium ductam fuisse, deinde divino jure non solum confirmatam, sed certo hominum generi singulari prærogativa donatam. Tum vero cum quorumdam præterea certorum rituum se Deus ipse fecisset auctorem, qualis passim in Libro Levitici legimus, nova facultas Sacerdotali officio accessit a Divino positivo jure primam originem habens, qualis nimirum novos illos divinos ritus obeundos spectabat, unde etiam Leviticum munus a munere cæterorum Sacerdotum apud alias gentes constitutorum distinguebatur. Prima ista fuerunt Christiani ministerii veluti lineamenta, & figuræ, quas deinde Christus a Deo in

tempore hominibus datus divina sua auctoritate complevit, atque undecumque perfecit ad nobiliorem Sponsæ Ecclesiæ dignitatem. Siquidem ipse, dum Apostolos elegit, ministerio sane perpetuo in seros quoscumque Successores transferendo, primum voluit, ut cura omnis, & sollicitudo Sacrorum, qualis jure divino vetere in Levitis, jure gentium in designatis a populo residebat, penes illos existeret; deinde, quod singularia Sacramenta ad fidelis populi præsidium nova salutari lege instituit, Sacramentum Ordinis, a quo cætera Sacramenta ministerii causa penderent, condidit, cujus qui charactere insigniretur, ipse unus Sacramenta illa conficeret (si baptismatis Sacramentum excipias, quod utpote necessarium ex indulgentia quadam, & dispensatione quocumque ministrante susciperetur; aut forte etiam Sacramentum conjugii, si verum est, quod nonnulli opinantur, singularem agnosci in eo Sacramenti naturam, proptereaque illud contrahentium ipsorum ministerio fuisse relictum). En discretas jurisdictionis, atque ordinis potestates, ita, ut jurisdictionis recte dicatur potestas, quæ ex ipsa natura Sacerdotii etiam ex antiquissima sui origine profluit, quæ primum apud omnes homines constitit, deinde ad Levitas traducta, tandem ad Sacerdotes evangelicos devoluta dignoscitur; ordinis recte dicatur potestas, quæ in collatione Sacramentorum recens a Christo institutorum sit exercenda.

Nondum tamen satis hæc perspicua esse possunt, nisi quædam adjiciam de ordinis potestate, qua adamussim cognita, statim deprehendatur, in quo jurisdictio consistat. Non eadem est, qualis cæterorum Sacramentorum, ordinis Sacramenti natura; reliqua enim individua dicere possumus singula, non ordinem in plures distinctos gradus tributum, quales sunt Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, Hypodiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus; quorum in primis dignitatem si consideremus, alii aliis præstant, nimirum priores quatuor majores & sacri, posteriores minores neque adeo sacri dicuntur; quorum deinde si ad institutionem respiciamus, Episcopatus, & Presbyteratus divinam expressam indicare possumus institutionem, Diaconatus jam ab Apostolis ipsis commissum ministerium scimus ex Actis *Lucæ cap.* 6., unde etiam Christum fuisse ejus auctorem facile colligimus; cæteros in genere quidem suo ab eodem Servatore fuisse præstitutos, dum sacram Hierarchiam generaliter ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris coalescere voluit; in specie autem ab Ecclesia designatos fuisse perspicimus, prout sacrorum administrandorum decus, Ecclesiæ utilitas, & necessitas pro temporum, & locorum ratione postulavit; unde scimus, olim nonnullos ex memoratis gradibus alicubi non extitisse; extitisse e converso alios, qui ab usu recentioribus sæculis recesserunt; quales nominari possent Psalmistatus, & Cantoratus; quorum denique si tributa officia perpendamus, valde inter sese distincta cernemus; proindeque aliam potestatem ordinis in Episcopo, aliam in Presbytero, aliam in Diacono, aliam, ut paucis dicam, in reliquis inferioribus Clericis inveniemus, omnes sane utut in Episcopis tanquam præcellentibus semper, in Presbyteris, & Diaconis aliquando, potestati jurisdictionis cohærentes; ubicumque tamen, & quandocumque abs jurisdictionis potestate distinctas.

Quod modo dixerim, divino jure ecclesiasticum ordinem fuisse institutum, non inde colligitur, a divino quoque jure repetendas esse singulas graduum, officiorumque distinctiones. Quamquam enim verissimum sit, divino jure distingui Episcopatum a Presbyteratu, Presbyteratum a Diaconatu; ut tamen Subdiaconatus a Diaconatu, a Subdiaconatu cæteri minores ordines, quemadmodum & ipsi invicem, secernerentur, id jure suo Ecclesia induxit; immo nec in omnibus singulorum graduum functionibus, etiam

UAB Biblioteca de Ciències Socials

illorum, qui Deum institutorem, distributoremque habuerunt, secernendis auctor est Deus, quando scimus, Ecclesiam ipsam certo ordini adscrispsisse, quod alteri etiam adscribere potuisset. Divino jure Episcoporum ordo illud habet singulare, ut nemo infra ipsos constitutus Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum faciat ordinationem, item ut nemo eo ordine non insignitus Baptizatos Sacramento Confirmationis ordinario jure perficiat. Divino jure Presbyterorum ordo illud habet, ut ab ipso, non ab alio inferiore Eucharistia conficiatur, offeratur, & tempore confectionis administretur; item administrentur Sacramenta pœnitentiæ, olei infirmorum, & Sacramentum conjugii, si verum est, contrahentes non esse Sacramenti administros. Divino jure Diaconorum ordo illud habet, ut nemo ipsis inferior Sacramentum baptismatis solemniter conferat, Sacerdoti Eucharistiam conficienti in sacris ministret, eamdemque Eucharistiam absentibus dispenset. Cur non Ecclesia potuit certas, quæ ab uno ordine peragi regulariter possent, functiones, superiori ordini veluti proprias reservare? Hujusmodi est in primis consecratio Ecclesiarum, altarium, & vasorum sacro chrismate facienda collatio minorum ordinum infra Diaconatum immo & Tonsura Clericorum, olei, & chrismatis confectio, quæ sane singula licet in conspectu divini juris etiam Sacerdotibus concedi potuissent, jure tamen ecclesiastico solos Episcopos ministros desiderant.

Antequam vero ulterius progrediar, remque hanc universam clarius illustrem, nonnulla extricare juvat offendicula, quæ negotium progredienti facessere possunt. Is est in primis Canon. 1. dist. 95., ubi cum Gregorius Magnus concedere videatur Presbyteris, ut baptizatos in frontibus chrismate tangant, quibus in locis Episcopi desint, forte quisquam observabit, ex dispensatione quadam permissum aliquando fuisse Presbyteris, ut Sacramentum confirmationis administrarent, proindeque non jure divino eam potestatem Episcopis reservari. Ego jamdiu in meis animadversionibus in Codicem Gratianeum agnovi corruptam Gratiani editionem: etenim pro illis verbis *qui baptizati sunt*, & *baptizator*, legendum potius est: *qui baptizandi sunt*, & *baptizandos*, quemadmodum habetur tum in editione Veneta Gregorianæ epistolæ anni 1505., tum in Parisiensibus anni 1518. 1571. 1586., tum in Basileensi anni 1564., tum denique in Maurina, ubi Monachi auctores testantur, ita se legisse in MSS. veteribus numero quatuordecim. Porro verba ita concepta designant, aliam fuisse consignationem Presbyteris concessam, quam confirmatoriam, quoniam confirmatoria non in baptizandis, sed in baptizatis exercetur. Erat igitur illa consignatio quædam cæremonialis, qua Catechumeni ad baptismum præparabantur, cujus generis vestigia adhuc supersunt in recentioribus baptismi ritibus, Can. 70. de cons. dist. 4. Cæterum in eadem epistola Gregorii ad Januarium Calaritanum expresse legimus, confirmatoriam unctionem ad solos Episcopos pertinere, Can. 120. de consecr. dist. 4., quod pridem Innocentius Papa I. ad Decentium Eugubinum scribens ex divino jure repetebat his verbis cap. 3. *Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum.* Idipsum perspicue tradidit Innocentius III. in cap. 4. de consuetudine, dum reprobavit consuetudinem quorumdam Orientalium Presbyterorum Sacramentum confirmationis administrantium, scribens inter cætera, Sacramentum istud *ab Apostolorum tempore fuisse solis Pontificibus reservatum.* Quod si retineatur vox *baptizati*, *baptizatos*, intelligemus illam chrismationem cæremonialem, quæ fit statim post baptismum, distinctam a manuum impositione confirmatoria, uti distinguitur in Can. 4. distinct. 68. Secundo huc adferri solet, quod

tradebat S. Hieronymus in Can. 24. dist. 93. ibi. *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* quasi sanctus vir sentiret, confirmationis administrationem Presbytero non denegari. Verum quicumque considerat scopum Hieronymi, ambitum quorumdam Diaconorum sese supra Presbyteros efferentium coercituri, statim intelligit, agi ibidem de potestate regendi Hyerarchicam Ecclesiæ rationem, in qua sane præter ordinationem sacram nihil erat divino jure ex sententia sancti Doctotis singulare Episcopis, quod Presbyteris convenire non possit. Minime vero sollicitus esse debebat Hieronymus de Sacramento confirmationis, utpote quod ad Hyerarchiæ Clericalis regimen non spectabat. Tertio huc etiam referunt, quod legitur apud eumdem Hieronymum in Dialogo adversus Luciferianos, nimirum, quod in Ecclesia baptizatus nonnisi per manum Episcopi accipiat Spiritum Sanctum, hoc fieri *ad honorem potius Sacerdotis, quam ad legis necessitatem.* Etiam hoc in loco sancti viri scopus est attendendus: videlicet ille Luciferianos adgrediens non quidem dicebat, ad legis necessitatem non pertinere, quod Episcopi Spiritum Sanctum in confirmatione conferrent, sed Spiritum Sanctum etiam collatum fuisse ab Arianis baptizantibus, quod Luciferiani inficiabantur. Quarto huc referunt Ambrosii monumentum in cap. 4. in epistolam Pauli ad Ephesios ita scribentis: *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.* Sed præterquamquod hæc factum Ægyptiorum, non jus indicant, quis hodie ignorat, hæc commentaria falso Ambrosio fuisse tributa, quemadmodum eruditi demonstraverunt? Adde, ibidem statim commentariorum auctorem in eam ivisse sententiam, ut traderet, Episcopatus ordinem non esse a Presbyteratu distinctum, dum ita subsequitur: *Sed quia coperunt sequentes Presbyteri indigni inveniri ad Primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Cornelio, ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum &c.* Nemini igitur mirum sit, auctorem illum potestatem confirmandi tribuisse Presbyteris, qui ab Episcopis Presbyteros non secernebat. Denique quod gravius esse videtur, adferri solet decretum Eugenii IV. pro Armenis, in quo inter cætera hæc leguntur: *Legitur aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili causa, & admodum urgente, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto administrasse hoc confirmationis Sacramentum.* Si hæc verba referenda essent ad memoratam Gregorii Magni epistolam, quam apud Gratianum corruptam fuisse modo adnotabam, dicendum sane foret, Eugenium retulisse, quid vulgo traderetur, non singulare quidpiam constituisse. Equidem Armeni Schismatici in more habebant, ut Confirmationis Sacramentum Presbyteris administrandum relinquerent, uti deducitur ex eorumdem Armenorum Concilio anni 1342. apud Martenium in tom. 7., item ex facto Clementis VI., qui non aliter recipiendum voluit in communionem Consolatorem Armenorum Patriarcham, quam si profiteretur inter cætera, Sacramentum Confirmationis non posse ex officio ordinario ab alio, quam ab Episcopo ministrari. Hinc Eugenius IV. Armenos instructurus in disciplina Sacramentorum, ut indicaret, Sacramentum illud Episcopis reservari, totum ad extraordinariam Pontificis Maximi auctoritatem exegit, si quando adpareret, quandoque Presbyteris & illud fuisse concessum.

Video me in gravissimam disputationem adduci, potissimum inter Theologos veteres agitatam, num extra ordinem Pontifex Maximus mandare Presbytero possit, cum gravissima urgeat causa, ut Sacramentum Confirmationis administret. Plane in Tridentino Concilio cum definitum fuerit sess. 7. Canone 3. de confirmatione, *Ordinarium* ejus Sacramenti ministrum Episcopum esse, de ministro extra ordinem constituendo nihil cautum est, propterea que sine Concilii injuria quandoque Pontifices Maximi recentiores ea potestate usi fuerunt, præsertim post-

quam S. Thomas in 4. dist. 7. quæst. 3., & 3. parte quæst. 72. art. 11. in eam ivit opinionem, insuper habitis aliorum sententiis, qui contra scripsissent, Cardinalis Pulli, Hugonis Victorini, Hadriani, Durandi, & Estii, quibus recentiores alii subscripserunt. Orta primum hæc quæstio fuit post sæculum duodecimum, quo jam prodierat codex Gratianeus: corrupta autem Gratiani editio in dicto Can. 1. dist. 95. plurimum roboris conciliare potuit scriptoribus extraordinario ministro foventibus, uti colligitur ex eis, quæ ad hanc rem tradidit Benedictus XIV. in libr. 7. de Synodo Diœcesana cap. 7. Ego vero post agnitum Gratianei codicis vitium potius enitendum curarem, ut concludatur, jure quidem divino episcopali ordini solemnem, quæ ordinariæ nomine designatur, reservatam fuisse ejus Sacramenti administrationem, quamquam extra ordinem etiam committi posse non Episcopo, sed Presbytero gravi urgente necessitate Romanus Antistes divinæ voluntatis interpres aliquando declaret, eodem fere pacto, quo ordinaria, & solemnis baptismatis administratio Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordini est adnexa, quin repugnet, Ecclesiam & omnibus etiam Laicis permissam a Christo baptizandi facultatem interpretatam fuisse, proportione tamen servata inter baptismum, & confirmationem, scilicet ut eo facilius in baptismo minister necdum Diaconus, quam in confirmatione minister necdum Episcopus admittatur, quo major est baptismatis, quam confirmationis suscipiendæ, administrandæve necessitas.

Revertamur in viam, a qua videor paulisper fuisse digressus. Sunt ecclesiastici quidam ritus ab Ecclesia ipsa adjecti divinorum Sacramentorum exemplo, quos Ecclesia aut Episcoporum, aut Presbyterorum, aut etiam inferiorum Clericorum ordini tribuere potuit. Constituit Ecclesia minores ordines exemplo majorum divino jure institutorum. En causam, cur, ex quo Episcopis ordinum majorum collatio reservata fuerit jure divino, reservata fuerit jure Ecclesiastico collatio minorum. Voluit Ecclesia, ut in templis Deo dicandis figura quædam agnosceretur animæ Deo servientis. En causam, cur quemadmodum baptismus fidelium a Presbytero, confirmatio per inunctionem facta ab Episcopo solo est exspectanda Divino, juxta ea quæ diximus, jure; ita Ecclesia voluerit, benedictiones templorum etiam a Presbyteris mandato Episcoporum fieri posse, non vero consecrationes per inunctiones faciendas (idipsum dic de altaribus, & vasis inunctione consecrandis) quæ Episcopis reservantur. Cur non ad exemplum istorum potuit Ecclesia ordinis Episcopalis potestati adjicere olei, & chrismatis consecrationem, unde cæterarum rerum consecratio profuit? Cur non ad exemplum sacræ ornidationis a solo Episcopo celebrandæ caveri potuit, ut solus Episcopus virgenes in monasteriis consecraret? Cur non, ut consecratas Ecclesias deinde pollutas solus Episcopus reconciliaret, juxta capitulum 9. de consecr. Eccles. vel altaris?

Multum tamen discriminis intercedit inter potestatem ordinis abs jure divino designatam, & eam ordinis potestatem, quam jure suo Ecclesia adjecit. In priore nulla admittitur dispensatio, nisi forte quibus in casibus aliter suadeat recta divini juris interpretatio; quemadmodum modo de Sacramento Confirmationis observatum est. Quis enim unquam tradere potuit, a non Episcopo posse quandoque Episcopos, Diaconos, Presbyteros ordinari, aut posse a non Presbitero confici Eucharistiam, Sacramentum Pœnitentiæ, vel Extremæ-Unctionis administrari? At in posteriore potestatis ordinis specie dispensatio Ecclesiæ admitti potest; quoniam de dispensatione agitur, quæ non divinum jus, sed Ecclesiasticum afficit. Hinc nemo ex. gr. inficiari poterit, minores ordines ex ecclesiastico privilegio etiam a Presbyteris posse aliquando conferri in conspectu multorum hujusmodi singularium jurium, quibus pluri-

mi præsertim monasteriroum Abbates gaudent. Hinc & olei sacri, & chrismatis confectio concedi Presbyteris potuit aliquando, quemadmodum legimus apud Joannem Diaconum testantem in sua epistola ad Senarium apud Mabillonium edita in tom. 1. *Musæi Italici*, Africanis Presbyteris fuisse concessum. Similia dicas de consecratione ecclesiarum, altarium, vasorum, ac virginum.

Sic explicata ordinis potestate, modo etiam indicato, quo ista seu divino, seu ecclesiastico jure constituta potestati jurisdictiones accesserit, jam liquet statim, quidnam nomine ecclesiasticæ jurisdictionis intelligere debeamus; eam scilicet, quæ nec in Sacramentis a Christo institutis administrandis versatur, neque in exercendis rebus sacris quibusdam ab Ecclesia invectis ad exemplum Sacramentorum, & Ecclesiæ ejusdem auctoritate certo ordini adnexis; sed potius versatur in iis, quæ ex jure gentium Sacerdotibus competunt, aut præter jus gentium ex moribus nationum, & provinciarum. Igitur jurisdictionis potestas erit, si jurgia inter dissidentes componantur, si contumaces pœnis coërceantur, si bona administrentur, si leges edantur, promulgentur, abrogentur, si a legibus dispensetur, si erigendæ sint sacræ ædes ad publicos, sacrosque conventus, si instruendi populi, si diœceseos fines stabiliendi, si convocanda comitia, aut his similia peragenda; quæ sane omnia si & ipsi Gentium Sacerdotes obtinuerunt, solidato in evangelicis ministris vero Sacerdotio Dei, ad ministros eosdem vi quadam ingenita ministerii sui pertinere noscuntur. Hinc autem plane intelligimus, & quidem facile, omnes discrimini causas, quæ inter potestatem ordinis, & potestatem jurisdictionis intercedunt, quarum alias commoda reddi ratio non valeret. Scimus, potestatem ordinis mandari non ordinato non posse, contra quam contingat in potestate jurisdictionis episcopalis, quæ non Episcopo committitur. Ex eo id profluit, quod potestas jurisdictionis ex jure gentium originem ducit, quo inspecto qui eam nanciscebatur, eamdem mandare poterat: hæc autem jurisdictio translata in Sacerdotes a Deo designatos, dignior quidem evasit, & nobilior, non naturam suam, atque indolem immutavit. At potestas ordinis primum ex Divino Christi jure profecta est, & quando Christus voluit ex Sacramento ordinis cæterorum fere Sacramentorum ministeria pendere, divina hæc dispositio mandatis hominum immutari non potest. Scimus, potestatem jurisdictionis subjacere consuetudinibus, privilegiis, præscriptionibus, statutis, conventionibus, concordatis, quod in potestate ordinis non contingit. Eadem ratio redditur, quia mirum jurisdictio sacrorum juxta jus gentium laudatis causis fuit obnoxia. Scimus, in Capitula Cathedralium transferri jurisdictionem episcopalem post mortem Episcopi, quamquam transferri nequeat potestas ordinis. Eamdem est hujus disciplinæ causa, quia videlicet jure gentium jurisdictio sacrorum defuncto Sacerdotum Principe in Sacerdotum collegium commeabat. Scimus, potestatem ordinis in omnibus eodem ordine insignitis æqualem esse, potestatem jurisdictionis inæqualem. Si causam quæris, ego statim ajo, jurisdictionem sacrorum ex jure gentium profectam non æqualiter Sacerdotibus universis, ac singulis fuisse concessam. Scimus, jurisdictionem in Corpus Christi mysticum exerceri totam, nunquam in Corpus Christi verum; potestatem autem ordinis modo ad Corpus Christi verum, modo ad mysticum referri. Pendet id ex eo, quod jurisdictio ex Gentium jure profecta erga fidelem populum exerceretur extra causam Sacramentorum, quorum institutio olim gentes latuit, & ab una Christi voluntate profluit; at ordo a Christo institutus ad certa Sacramenta relatus est, in quibus modo Christi Corpus verum conficeretur, offerretur, dispensaretur, modo aliis sacris signis fidelis populus sanctificaretur. Scimus denique, potestatem episcopalis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

jurisdictionis adquiri jure communi Episcopo statim ac electus est, & confirmatus, utut necdum subsecuta consecratio sit. Undenam id commodius repeti potest, quam ex eo, quod jure Gentium Sacerdotum Principes dicebantur jurisdictionem nancisci, statim ac a populo designati, confirmatique fuissent.

CAPUT II.

De variis Jurisdictionis Ecclesiasticæ Partitionibus.

EX iis, quæ præfatus sum de ecclesiasticæ jurisdictionis natura, quando præsertim tradidi, jurisdictionis nomen latius patere in jure ecclesiastico, quam jure civili Romanorum, & vi sua significare quamcumque sacrorum officiorum potestatem, ac tantum excepta, quæ ordinis appellatur; ex eo etiam quod ecclesiastica jurisdictio diversum finem habeat ab eo, quem habet jurisdictio civilis, propterea quod illa ad supernam Patriam homines dirigat, interea etiam doceat, quibus modis, ac rationibus Deus colendus est, atque ipsa religio in Deum vel firmanda, vel propaganda; facile colligitur, multas quidem esse vulgares civilis jurisdictionis partitiones, quæ ecclesiasticæ etiam jurisdictioni conveniunt, attamen nonnullas existere jurisdictioni ecclesiasticæ singulares. Operosa res esset, universas referre: tantum eas expendam, quæ celebriores sunt, atque utiliores.

In primis ecclesiastica jurisdictio alia dicitur interni, alia externi fori. Quæ fori interni jurisdictio appellatur, præcipue, & directo refertur ad singularem uniuscujusque fidelis spiritualem utilitatem, nec nisi secundario in utilitatem publicam, utpote quæ ex privatorum utilitate coalescit. Exercetur autem in Sacramentis administrandis pro modo, & ordine illius, qui eadem jurisdictione pollet, in Sacramentalibus similiter faciendis, in orationibus publicis fundendis, documentis, admonitionibus, atque his similibus, quæ cum leniora officia sint, nonnisi latiore significatione jurisdictionis esse dicuntur. Hinc magis proprie jurisdictio appellatur, quæ in foro externo consistit, utpote quæ valde similis est, salvo potestatis utriusque discrimine, jurisdictioni illi, quæ publicis magistratibus competit, & publicam utilitatem directo curat, quamquam secundario etiam foveat privatorum utilitatem singularem. Ista est, qua jugis de dogmatibus fidei, de morum doctrina, de disciplina subortis lata sententia finis imponitur, leges, edictaque salubria conduntur, legitimisque pœnis rei criminum coercentur. Quinque exinde corollaria deducuntur. Primum est, in hoc etiam jurisdictionem ecclesiasticam distingui abs jurisdictione civili; nam civilis jurisdictio non in interno, sed in externo tantum foro consistit, quia civilis jurisdictio directo tendit ad bonum societatis, seu ad publicam utilitatem, nec nisi secundario in utilitatem privatorum. Secundum est, sano modo intelligi oportere vulgare adagium, quo fertur, Ecclesiam non judicare de internis, nimirum ita, ut referatur ad jurisdictionem fori externi, non fori interni. Corpus Ecclesiæ, seu universitas fidelium sensibilis est, ac propterea jurisdictio, quæ respicit universitatem, non potest ea afficere, quæ latent in intimo singularium fidelium animo. At quod attinet ad peccatum damnandum, ad corrigendum, ad suadendum, vel dissuadendum, etiam intima cordium secreta pervadit, & hæc est fori interni jurisdictio. Ut exempla proferam, prohibet Ecclesia simoniam. Et interna, sive mentalis, & externa simonia subjacet Ecclesiæ vetito; hoc tamen discrimine, ut internæ, sive mentalis simoniæ interdictum ad forum tantum internum pertineat eatenus, quatenus pœni-

externis universitatem terrentibus non subjacet, secus, ac contingat in simonia externa, quæ publicis pœnis coercetur. Prohibet Ecclesia, ne quis ultra annum ab Eucharistiæ Sacramento abstineat. Qui communicat delicti, seu criminis occulti adhuc reus, *fori* externi præcepta non violat, quia, quod attinet ad universitatem, satis eidem facit; violat autem jurisdictionem fori interni, cujus respectu præcepto Ecclesiæ satis non facit, quia singulari utilitati suæ ab Ecclesia in foro interno propositæ minime consulit. Tertium corollarium est, utramque potestatem, sive interni, sive externi fori a potestate, quæ dicitur ordinis, distingui; in primis origine, quia utraque potestas seu interni, seu externi fori ex jure gentium est, quamquam divino jure confirmata; & revera Sacerdotes Gentium, ac Judæorum monebant singulos de populo, in quo fori interni, dirigebant cœtum universum, in quo fori externi jurisdictio consistebat; deinde quoad finem, quia nec fori interni, nec fori externi jurisdictio ad Sacramentorum, vel sacramentalium collationem redigitur, quemadmodum redigitur potestas ordinis. Quartum corollarium est, tantum distingui invicem jurisdictionem fori interni, & jurisdictionem fori externi, quantum distinguuntur invicem & utilitas publica, & privata. Hinc est, quod existere possint, qui habeant jurisdictionem in foro interno, quin habeant in foro externo, quales sunt Parochi; e converso existere possint, qui habeant jurisdictionem in foro externo, quin habeant in foro interno, quales sunt Vicarii generales Episcoporum, vix clericali tonsura initiati; nimirum pro modo singulorum, quorum aliquibus mandatur cura præcipue, & directo universitatis, aliquibus cura directo & præcipue singulorum. Postremum corollarium est, maxima opus esse prudentia in definiendo, quænam ad fori interni, quænam ad fori externi jurisdictionem pertineant. Siquidem non adeo facile est ea secernere, quæ publicam, aut quæ privatam directo curent utilitatem, propterea quod utilitas publica vix sine privatorum commodo, aut commodum privatorum vix sine utilitate publica intelligitur. Ego exemplum præbeo: Facultas prædicandi Evangelium, facultas absolvendi a peccatis, facultas absolvendi a censuris quod spectat ad vinculum, quo fideles spiritu cum Christo conjunguntur, est fori interni, quia prior tendit ad suadendum unicuique privato saluberrima quæque consilia, posterior tendit ad divinam gratiam privato cuique conferendam, postrema ad conjugendum cum Christo capite spiritualiter disjunctum membrum. At facultas concedendi potestates prædicandi, absolvendi sive a peccatis, sive a censuris, ad forum externum pertinet, quia hæc in bonum communitatis directo refertur, quatenus directo bonum Christianæ Reipublicæ respicit, ut designentur ministri, qui evangelium prædicent, qui a peccatis, quique a censuris absolvant.

Altera jurisdictionis partitio ea est, ut quædam sit, quæ nullum ecclesiasticum ordinem ex sui natura desiderat in exercente; quædam sit, quæ sine certo, puta Episcopali, Presbiterali, vel Diaconali ordine exerceri non potest. Hinc, ut exemplum tradam, jurisdictio, quæ exercetur in absolutione a peccatis, ordinem Sacerdotalem requirit, non eodem modo jurisdictio, quæ exercetur in absolvendo a censuris. Equidem ex iis, quæ superius in cap. 1. tradita sunt, liquido constat, quænam sint, quæ ab ordine minime pendent, ea nimirum, in quibus aut Sacramentorum a Christo institutorum, aut certorum Sacramentalium ab Ecclesia institutorum exemplo divinorum Sacramentorum administratio non versatur. Ut vero explicem, quænam illa sit potestas ordinis, quæ sine jurisdictione exerceri nequit, jubat observare, non in omnibus, quæ potestatis ordinis esse dicuntur, sufficere ordinis potestatem, ut rite exerceantur, sed ut plurimum requiri, ut potestati ordinis

potestas cujusdam jurisdictionis accedat. Potestas quidem ordinis, quæ refertur ad Corpus Christi verum, sive ad conficiendam, offerendamque Eucharistiam, nullam jurisdictionem requirit; sed si de ea potestate ordinis agatur, quæ refertur ad Corpus Christi mysticum, sive ad fidelium cœtum, respectu cujus jurisdictio dici potest; quomodo exercebitur illa, nisi ab eo, qui in fideles ipsos nactus fuerit jurisdictionem? Itidem si referatur ad certas res, sive loca, quomodo exercebitur, nisi ab eo, qui respectu rerum, aut locorum jurisdictionem habuerit? Administranda sunt, & dispensanda fidelibus Sacramenta? Sacramentalibus quibusdam expiandi, vel sanctificandi, vel in divina gratia confirmandi fideles? Consecranda, seu benedicenda sunt loca, vel res sacris usibus destinatæ? Non ab alio hæc omnia fieri poterunt, quam ab eo, qui aut personali respectu fidelium, aut locali, seu diœcesana respectu rerum, seu locorum jurisdictione potitus fuerit. Sed his difficultatibus obvoluta suboritur quæstio. Quamquam enim certissimum sit, illicitum esse ordinis ministerium, ubi deficiat jurisdictio, in iis casibus, in quibus ordinis exercitio jurisdictionem etiam postulat, non tamen exploratum statim esse potest, num acta omnino irrita sint censenda. Ego puto, distinguendam esse ordinis potestatem institutam a Christo Domino, quæ in Sacramentorum administratione consistit, a potestate ordinis, quam Ecclesia adjecit. Si sermo sit de potestate ordinis a Christo instituta, seu de collatione Sacramentorum, valida illa erunt omnia, una excepta Sacramenti pœnitentiæ administratione; ex eo quod Sacramentum istud singularem habuerit institutionem, quasi instar judicii in eo procedendum sit; alias autem verum sit, irrita esse acta judiciaria, quæ auctorem habent jurisdictione carentem. Neque dicas, idipsum dicendum esse de Sacramento conjugii, utpote quod irritum est, si ab eo conferatur, qui neutrius ex contrahentibus sit Parochus, juxta decretum Concilii Tridentini sess. 24. de reform. matrim. cap. 1., etiamsi ponamus, Sacerdotem esse hujus Sacramenti ministrum, illud non ex eo profluit, quod deficiat tunc jurisdictio in Sacerdote, sed potius quod deficiat Sacramenti materies, qualis est legitimus contractus, qui sane legitimus dici nequit, ea deficiente solemnitate, quam Tridentini Antistites necessariam esse sanxerunt. At si sermo sit de potestate ordinis, quam ecclesiastica institutio adjecit, generaliter quidem dixero, irrita non esse acta, deficiente jurisdictione, quia Ecclesia in hac parte secuta videtur disciplinam Sacramentorum a Christo institutorum, & quodammodo divinam ipsam potestatis ordinis naturam imitata; nisi tamen forte constitutioni ecclesiasticæ decretum irritans adjectum fuerit; tunc enim non esset dubitandum, quominus irrita etiam forent acta quæcumque, utpote quæ eo ipso jure, quo induci, irritari pariter potuerunt, juxta generalem regulam cap. 1. de regulis juris.

Tertia ecclesiasticæ jurisdictionis partitio ea est, qua modo jurisdictionem dicimus universalem, seu in universa Ecclesia exercendam, modo particularem, seu vel intra certa personarum genera, vel intra certos locorum fines coercitam. Universalis illa jurisdictio, postquam constitutæ fuerunt ecclesiasticæ diœceses, atque Provinciæ, a nemine exerceri unquam potuit, quam vel a Pontifice Maximo, vel a Conciliis generalibus: ast jurisdictio particularis singulis Prælatis Pontifice Maximo inferioribus inest pro uniuscujusque modo. Hinc, uti modo adnotabam, aliquando coercetur intra certa personarum genera, uti contingit in Prælatis Regularibus ex privilegio singulari in monachos sui ordinis jurisdictionem exercentibus; aliquando coercetur intra certa loca, ut qui ibidem invenitur, illi subjaceat, uti contingit in jurisdictione Episcoporum designatam diœcesim habentium, item Parochorum, quibus etiam certi definiti sunt limites Parochiarum. Equidem certissimum est,

jurisdictionem istam particularem rite exerceri, quoties Prælatus eadem potitus fines suos undecumque positos custodit. Quid vero, si in parte tantummodo custodire videatur? Id evenire primum potest, quum Prælatus jurisdictionem exercere velit *in suæ Diœceseos* homines una secum *in alia Diœcesi* commorantes, utpote qui tantum locorum fines transgreditur, non in personas alieni juris potestatem explicat. Ego puto, multum discriminis intercedere, an potissimum ratione loci, seu, uti vulgo vocant, territorii, jurisdictio competat, an ratione potissimum personarum. Quoties enim præcipua habita fuerit loci, seu territorii, ratio, Prælatus extra Diœcesim constitutus ne in suos quidem subditos pariter extra diœcesim constitutos jurisdictionem exercere poterit, nisi agatur de jurisdictione voluntaria, dummodo hæc ipsa voluntaria jurisdictio vel cum potestate ordinis non confundatur, vel a potestate ordinis minime pendeat. Hinc ex. gr. poterit Episcopus extra diœcesim literas dimissorias concedere, Sacerdoti absolvendi facultatem respectu suæ diœceseos facere, alicui indulgere, ut in diœcesi Ecclesiam ædificet, atque exinde jus patronatus adquirat, ac similia; non tamen rite aut ordines ecclesiasticos, aut Sacramentum Confirmationis conferet; atque eadem ratione non rite Sacramentum Pœnitentiæ administravit; quod enim impedit, ne ordinem Episcopatus rite exerceat, impediet pari jure, ne exerceat eam jurisdictionis speciem, in qua exercenda etiam Sacerdotalis ordo exercetur. Secus dicendum esset de absolutione a censuris extra forum pœnitentiale, utpote quæ solam exhibet jurisdictionis, non ordinis potestatem. Similia dicemus de Parocho, qui fines diœcesis egressus ne Parochianum quidem suum absolvere poterit in foro pœnitentiali; quamquam, si in diœcesi inveniatur, utut extra Parochiam, forte aliud dicendum videatur, quasi non ordinariam tunc interni fori jurisdictionem exerceat, sed a suo Episcopo delegatam; etenim Episcopus, qui Sacerdotibus pluribus eam facultatem in tota diœcesi mandare solet, non denegavisse Parochis a se institutis in proposita saltem specie præsumitur. Harum omnium propositionum ratio facile ex eo repetitur, quod jurisdictio, quæ potestati ordinis non cohæret, in jure gentium originem positam habet, proindeque iis principiis regitur, quibus publico jure humano generalis jurisdictionis indoles constituta est; alias autem verum est, generaliter jurisdictionem voluntariam extra territorium exerceri libere posse, contra quam vigeat in jurisdictione contentiosa. At vero illa jurisdictio, quæ ordini cohæret, singulari jure regitur, & post tributos diœceseon fines, adsignatamque unicuique Prælato propriam diœcesim, cautum est, ne ordinis potestas a quoquam exerceretur, nisi intra fines singulis præstitutos. Quod si præcipue ratione personarum jurisdictio competat, ubicumque Prælatus invenietur, in subditum suum jurisdictionem ipsam exercebit, utpote quæ loco minime circumscribitur, uti evenit in Prælato Regulari, qui etiam extra monasterium jurisdictionem exercet in Monachum, dummodo nihil agat, quod turbet jurisdictionem diœcesani, in cujus nimirum diœcesi versatur. Præterea evenire solet, ut tantum in parte fines jurisdictionis custodire Prælatus videatur, quum ipse quidem locorum fines minime transgreditur, sed exercere vult jurisdictionem in subditos alienos, puta advenas, vel peregrinos. De peregrinis, qui nullam certam habent sedem, atque jamdiu patriis laribus omnino desertis aut perpetuo, aut indefinite vagandi animum se habere demonstrant, dicimus, eos considerari tanquam subditos ejus jurisdictioni, in cujus diœcesi inveniuntur, licet brevi ab eadem sint discessuri. Alia est de advenis ratio; etenim isti, uti adhuc subsunt suo Prælato, a quo discesserunt, ita non subsunt jurisdictioni illius, in cujus diœcesim se receperunt, brevi ab eadem discessuri.

Hæc tamen regulas suas habet probabiles exceptiones. Prima est, si advenæ deliquerint in ea diœcesi, in quam advenerunt; etenim ratione delicti subesse incipiunt Prælato loci, in quo deliquerunt, & ad eum Prælatum pertinet læsæ suæ Ecclesiæ nomine vindictam sumere. Secunda exceptio est in ea jurisdictionis specie, quæ proprie magis officium, quam jurisdictio dicitur, atque consistit in admittendis cujuscumque Diœceseos fidelibus ad christianam communionem etiam Eucharisticam ad argumentum ecclesiasticæ unitatis, qua dœceses omnes sub Christo Principe colligantur. Tertia exceptio est in ea jurisdictionis specie exercenda, quæ consistit in indulgendis quibusdam spiritualibus subsidiis, vel sine quibus animæ salus haberi non facile possit, vel quæ sive ratione loci, sive ratione temporis a proprio Prælato, vel Parocho commode peti, obtinerique nequeant. Hinc ex. gr. advenæ Pœnitentiæ, Eucharistici viatici, Extremæque Unctionis Sacramentis juvari ab Episcopo, vel Parocho loci, in quo inveniuntur, jure optimo possunt, immo & debent, ne forte ob loci distantiam, vel ob temporis moram grave periculum animabus immineat. Qua tamen in specie in primis adnotare oportet, advenam dici nonnisi eum, qui certo Prælato subest ratione loci, a quo profectus est, non eum, qui ratione personæ subditus sit alteri Prælato, puta regulari, in diœcesi ordinarii constituto, & nullam diœcesim habenti; hic enim exemptus potius, quam non subditus proprie appellatur; ex quo intelligitur, perperam Monachum exemptum extra claustra exeuntem, in loco tamen, in quo monasterium situm est, absolutionem peccatorum petere ab Ordinario, vel ab eo, qui aut abs jure communi, aut ab Ordinario ipso nactus fuerit absolvendi facultatem, sed teneri eum a suo Prælato Sacramentum suscipere. Deinde adnotare etiam oportet, ne advenas quidem extra casum extremæ necessitatis absolvi posse a peccatis in diœcesi, a qua profecti sunt, Episcopo reservatis; hæc enim absolutio extra diœcesim in fraudem petita, nimirum ad reservationem eludendam, intelligeretur.

Duas quoque jurisdictionis species designavit, qui *legem jurisdictionis a lege Diœcesana* parum apta docendi formula voluit sejungendam, distinctione profecto veteribus omnino incognita, sub finem primum duodecimi sæculi inventa a Glossographo Gratianei codicis, sive ille sit Joannes Hugutio Vercellensis, sive ille sit Joannes Seneca dictus Teuthonicus ad cononem 1. caus. 10. quæst 1., & ad canonem 34. caus. 16. quæst. 1. Prodierant jam tum monasteriorum numero plurium exemptiones, non quidem ita, ut Episcopi nullam omnino exercere in monasteria & monachos jurisdictionem valerent, sed ut quædam definita proponerentur singularia, a quibus Episcopi abstinere deberent. Hinc libera Abbatum, seu Præpositorum electio monachis reservabatur, nisi extra ordinem Episcopi auctoritatem intercedere oporteret, quemadmodum Gratianus, idemque monachus testatur post canonem 8. caus. 18. quæst. 2., præterea interdicebatur Episcopis, ne publicis missarum solemniis, seu frequentissimo populi conventu ad monasteria indicto, solitariorum disciplinam turbarent, can. 6. caus. 18. quæst. 2., item interdicebatur Episcopis, ne bona monasteriorum sibi, suisve Ecclesiis vindicarent; alicubi etiam, ne factas monasteriis oblationes imminuerent, ne concessis decimis detraherent, ne procurationes, ne Cathedratica, seu Synodatica, ne quartas, vel tertias mortuariorum exigerent, neve alia id genus molirentur, prout vel fundationum tabulæ, vel receptus usus, vel singularia cœnobiorum privilegia postulabant, integra manente in reliquis jurisdictione Episcopali. Quamobrem cum congruum tunc fuisset tradere, Episcopos jurisdictionem suam exercere posse in monachos extra causas privilegiis, tabulisve fundationum comprehensas, vel consuetudine exceptas,

maluit Glossographus respectu monasteriorum, & monachorum, quasi duplex esset, dividere potestatem Episcopalem, alteram nominans legem jurisdictionis, alteram legem diœcesanam, ea adscribens legi jurisdictionis, in quibus incolumis potestas Episcoporum in monasteria, monachosque remanserat, & legi diœcesanæ adscribens illa, in quibus & monachi, & monasteria exempta proponerentur. Placuit statim ingeniosa, ut videbatur, Glossographi traditio, multa utut obscuris, brevibus tamen verbis complectens, proptereaque scholasticis illius ætatis, quam nemo unquam auream appellavit, institutionibus, ac methodo accommodata. Quamobrem ubi ejus generis controversiæ inter Episcopos, & monachos emergerent, vix ad tabulas fundationum, ad privilegia, ad singulares probatas consuetudines respiciebatur: potius sollicitus quisque erat de generali explicanda recepta regula, qua diœcesanæ legis, qua legis jurisdictionis; quæ sane uti nova erat, & privati auctoris commento obvoluta potius, aut adumbrata, quam in lucem perspicuam edita, ita acerrimis concertationibus occasionem præbebat, hinc Episcopis certas potestatis species ad legem jurisdictionis referentibus, illinc easdem monachis referre conantibus ad legem diœcessanam; quasi per eam distinctionem non controversiæ componendæ fuerint, sed controversiarum mutanda argumenta. Nonnihil in hac parte occasione subortæ cujusdam litis inter Episcopos & monachos definiendum fuit ab Honorio III. in cap. 18. de offic. ordinar. & cap. 22. de regular., & ab Innocentio IV. in cap. 1. de verb. signif. in 6., ex quo etiam liquet, in ecclesiastico foro eam distinctionem sæculo decimotertio fuisse receptam, immo & auctoritate eorumdem Pontificum confirmatam videri. Tantus honor tunc Glossographorum inventis, ac placitis tribuebatur. Num vero ex eo, quod *Diœcesanæ legis* mentio fiat in Concilio Ilerdensi dicto can. 1. & 34., colligere quisquam poterit, jam a medio sexto Ecclesiæ sæculo, quo Concilium illud celebratum fuit, eam distinctionem conditoribus Canonum fuisse compertam, aut ipsis forte auctoribus adserendam? Id puto in mentem venire posse nemini ex iis, qui monasticarum exemptionum origenes vel mediocriter norunt: etenim vel ii, qui vetustissimas ejusmodi exemptiones fuisse demonstrant, nullum illarum antiquius vestigium inveniunt, quam in monumentis Gregorii Magni sub finem sexti, vel sub initium septimi sæculi, quæ an genuina omnia sint, nihil interest in præsentia disquirere. Hinc censere, legem diœcesanam jam distinctam fuisse a lege jurisdictionis temporibus Concilii Ilerdensis, ut jam tum adpareret, quibus in causis obnoxia potestati, in quibus e contrario exempta a potestate Episcoporum monasteria forent, quid aliud esset, quam credere, Ilerdenses Patres illorum jurium controversias voluisse dirimere, quæ nondum in Ecclesia prodiissent? Si Glossographi, qui ferreis pene sæculis scripserunt, id tradere non dubitarunt, parcendum est illorum temporibus; at ætate nostra id prorsus foret indignum. Itaque Ilerdenses Antistites in dicto can. 1. nihil aliud sanxerunt, quam Basilicas universas ab jurisdictione Episcopi, quæ ibidem lex Diœcesana dicitur, pendere debere, quod attinet ad bonorum administrationem, nisi ageretur de monasterio revera erecto, & de monachis in illud inductis servaturis regulam ab Episcopo probatam, uti integer Concilii textus docet; qua in specie non Episcopo reservabatur bonorum temporalium administratio, quod tantum in bonis Ecclesiarum vigebat, sed monachis relinquebatur; quæ eadem est sententia dicti canonis 34., quemadmodum expressa verborum formula aperte demonstrat.

Est alia jurisdictionis ecclesiasticæ partitio, etiam civili Romanorum jure cognita, quando voluntariam jurisdictionem a contentiosa secernimus; voluntariam scilicet, quia Prælatus inter volen-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ies gratiosum præbet officium, ex. gr. indulgentias, beneficia, mandata ad absolvendum concedit, a censuris absolvit, & similia peragit; contentiosam, qua Prælatus etiam inter invitos jus dicit, lites dirimit, cohibet contumaces. Verum magis opportuna est civilis, quam ecclesiastici juris Interpretibus ista distinctio; siquidem Jureconsulti generalem exinde regulam posuerunt, qua fieret, ut contentiosa jurisdictio extra territorium exerceri nullo modo posset, contra quam reciperetur in voluntaria. At juris ecclesiastici Interpretes quamquam in executione contentiosæ jurisdictionis illud ipsum recipi oportere communi suffragio tradiderint; non tamen idipsum recipere potuerunt in voluntaria, quod ista aliquando pendeat ab ordinis potestate, cui cohæreat; rectissima sane ratione: etenim cum primigenia jurisdictionis ecclesiasticæ indoles, ubi nulla simul ordinis potestas exerceatur, juris gentium sit, uti in capite 1. observavimus, licet divino Christi jure confirmata, & prælatis Ecclesiæ tradita, eodem modo exercetur, quo exercetur jurisdictio publica, quæ ex jure gentium civilibus Magistratibus inest. At ea jurisdictionis ecclesiasticæ pars, quæ sine exercitione ordinis exerceri minime potest, singularem naturam induit, & quodammodo in potestatem ordinis tamquam excellentiorem transformata generales juris gentium regulas transcendit, quasi tota divina sit, & singulari jure regatur. Itaque divisis diœcesibus inter Prælatos Ecclesiæ, ubi Prælatus a sua diœcesi absens velit in suos subjectos voluntariam exercere jurisdictionem, quin ordinem, quo insignitur, exerceat, id patitur generalis voluntariæ jurisdictionis natura. Ubi vero etiam in subjectos suos velit eam jurisdictionis speciem exercere, quæ sine ordinis ministerio explicari nequit, quemadmodum contingeret, si Sacramentum ordinis, & confirmationis Diœcesano suo conferret, id minime concedi visum est. Revera hæc jurisdictio non ita exercenda est, ut privatim, & sine certa celebritate fiat, sed publica quadam majestate, qua divinus ordo emicet decore, eamque ob rem Episcopus eam exercens pontificalibus ornamentis indui ex Ecclesiæ constitutionibus debet. Quam ipsam ob rem hujus potestatis officia & actus quoties extra diœcesim obeantur, magis & pressius indicant non servatos diœcesis fines, quos post divisionem servandos esse vetustissimi canones uti saluberrima, ita & severa sanctione voluerunt.

Juris quoque civilis regulis acceptam referimus aliam jurisdictionis partitionem, juxta quam illa vel ordinaria dicitur vel mandata, vel porogata. Si enim Romani veteres ordinariam jurisdictionem dixerunt, quæ competeret in vim Magistratus lege generali definita; nos pari fere ratione ordinariam dicimus, quæ vel ex generali canonum disciplina, vel ex privilegio, quod vim legis habeat, vel ex consuetudine, quæ legem facile imitatur, competat ita, ut adeptæ potius dignitati, quam personæ dignitatem gerenti quæsita perpetuo creditur. Hujusmodi est jurisdictio fori interni, quæ Parochis, fori etiam externi, quæ Episcopis, & quæ Capitulis, sede vacante, jure communi tribuitur, item, quæ pro modo privilegiorum Abbatibus, cæterisque Prælatis Episcopo inferioribus singulari jure conceditur. Si iterum Romani veteres mandatam jurisdictionem dixere, quæ certæ Personæ commmittitur ab eo, qui ordinaria fruitur, vel ad certum tempus, vel ad certam causam, vel etiam donec Magistratui visum fuerit; nos eisdem regulis mandatam ecclesiasticam jurisdictionem metimur. Tantum illud adjicimus singulare, ut ea mandari non similiter ordinato minime queat jurisdictionis potestas, cujus exercitio esse nequit sine ordinis exercitione; si enim ista mandaretur, quid aliud ageret mandans, quam ei rem delegare, ad quam obeundam divino jure est inidoneus? quod facile percipit quicumque respicit ad superius tradita potestatum jurisdictionis, or-

dinisque discrimina. Si denique Romani veteres & privatorum consensione ex lege Julia prorogari posse jurisdictionem ordinariam voluerunt; ab his ipsis regulis minime recesserunt juris ecclesiastici conditores, sive in eo, quod utriusque collitigantis consensus ad prorogandam jurisdictionem requiratur, cap. 1. & 18. de foro comp., sive in eo, quod eum, cujus jurisdictio prorogatur, jurisdictionem adhuc habere oporteat, dicto cap. 18. Immo & factam olim a Lege Julia prorogandi potestatem in Codicibus Romani juris non satis aperte undique explicatam, clarius auctores canonum adjectis insuper utilibus regulis ediderunt. Hinc primo voluerunt, ad prorogationem non sufficere consensum procuratoris, nisi iste mandatum speciale ad eum finem habuerit, cap. 32. de officio, & potestate judicis delegati; secundo, ubi agendum sit de prorogatione de persona ad personam, secernendam esse sanxerunt jurisdictionem ordinariam a delegata, prorogationem jurisdictionis in ordinaria admittentes in ea specie, qua legitimus collitigantium Judex consentiat, dicto cap. 1. & 18., ea singulari ratione, quia clericis alienum a litibus, ac jurgiis animum esse oporteat, nec alias litem instituere concedatur, quam si judicio Episcopi justam causam subesse constiterit, can. 17. caus. 11. quæst. 1., juncto can. 1. & 7. dist. 90., in delegata autem jurisdictione prorogationem rejicientes, ne delegatio adversus ordinarios obtenta latius facile extendatur, cap. 40. de offic. & potest. jud. deleg. Tertio, ubi agendum sit de prorogatione de re ad rem, eam fieri posse decretum est, sive ratione habita delegati, sive ordinarii judicis, dicto cap. 32. Quarto denique, ubi agendum sit de prorogatione & de loco ad locum, & de tempore ad tempus, delegatam iterum ab ordinaria jurisdictione distinxerunt, prorogationem in delegata admittentes, in ordinaria denegantes, cap. 4. de offic. & potest. jud. deleg., cap. 11. §. 3. de rescriptis in 6., optima sane ratione, quia scilicet delegato judici collitigantium tantummodo gratia & favore, cui propterea renuntiare ipsi valeant, & certum designatum locum, & certum definitum tempus fuisse præsumitur; at judici ordinario publica utilitas, & gerendæ administrationis ratio locum designavit, tempusve definivit, privatorum arbitrio non æque facile immutandum.

Quod modo de prorogata jurisdictione dictum est, ad eam tantum pertinet jurisdictionis partem, quæ in controversiis in judicio dirimendis versatur, utpote ad quam unam legis Juliæ sententia pertinebat, quam legem in hac parte secuti sunt canonum conditores. Neque deerunt aliæ utiles jurisdictionis partitiones, si ad hanc jurisdictionis ecclesiasticæ speciem orationem coerceamus: Nimirum alia statim emerget, quæ tantum instar arbitrii exercetur, qualis erat Episcoporum veterum etiam in causis Laicorum ex constitutionibus Principum Christianorum, l. 7. Cod. de Episcop. audient., & generaliter clericorum universorum, quos ab arbitrio Episcopi declinare non licebat, ne jurgiis litium, quæ lenitatem animi custodiri facile non sinunt, fora publica implentes bonam apud omnes conceptam universi cleri opinionem labefactarent, iis præsertim temporibus, quibus Magistratus publici ab æthnicis, seu extraneæ religionis nominibus gerebantur, can. 34. 35. 36. 38. 43. & 45. caus. 11. quæst. 1. quo pertinere puto, quod scribebat Paulus Apostolus in epist. 1. ad Corinthios cap. 6. *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico: Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit,* &

hoc apud infideles? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Expediebat tunc Christianæ religioni mitissimum esse Christianorum omnium animum, talemque constantissime exhiberi, eamque ob rem intererat abstinere ab jurgiis in infidelium tribunalibus concitandis, quod fiebat, si universæ lites Christianorum, etiam *contemptibilium*, quorum nomine veniebat etiam quivis de Christiana plebe, arbitrio terminarentur. Huc etiam pertinebat, quod scimus aliquando obtinuisse in pœnitentibus, qui si de certa causa litem essent acturi, monebantur, non inter forenses strepitus adducerentur, sed potius pacate in Episcopi arbitrium universa conferrent, ne quidquam mansuetudinis illorum conditioni detraheretur, can. 34. caus. 11. quæst. 1. Præterea alia emerget jurisdictio, quæ proprie exercetur, adjectis omnibus jurisdictionis qualitatibus, nimirum citatione, causæ cognitione, sententiæ pronuntiatione, atque executione; cujusmodi præ cæteris illa est jurisdictio, quæ in causis spiritualibus, & mere ecclesiasticis competit; item alia emerget jurisdictio, quæ meri ecclesiastici fori dicitur, alia mixti, pro qualitate, & modo causarum, quarum aliæ definiri ab una ecclesiastica potestate possunt, aliæ, quarum definitio ab ecclesiasticis potestatibus æque ac a publicis Magistratibus impetrari, obtinerique potest, & in quibus solet concedi prærentioni locus; alia denique emerget jurisdictio, quæ in privatis negotiis, veluti jurepatronatus, jure beneficii & similibus; alia quæ in reorum coercitione, & indicenda criminum pœna versatur. Sed hæc tristissima sunt, atque in vulgari prudentia posita, in quibus etiam si quid difficultatis prosiliat, facile ex iis, quæ inferius tradenda sunt, dissolvetur.

CAPUT III.

Generalia quædam traduntur, quibus demonstretur, ab Ecclesia veram jurisdictionem exerceri.

QUamquam generaliter verum sit, nomine ecclesiasticæ jurisdictionis ea omnia intelligi officia, quæ in quacumque rerum ecclesiasticarum administratione versantur, ut hac ratione jurisdictionis potestas a potestate ordinis secernatur, absit tamen a me, ut in opinionem descendam Salmasii, qui tum in libro de trapezitico fenorem, tum in libro de Episcopis & Presbyteris, quem sub nomine Vallonis Messalici postremo edidit, Personis, & Dignitatibus Ecclesiasticis veram inesse potestatem, ac jurisdictionem inficiatus est, nudum tantummodo ministerium tutelæ, & curationi simile adseruit. *Veteribus* (refero ejusdem verba in dicto libro de trapezitico fenore pag. 412.) *Episcopatus in Ecclesia non fuit nomen dignitatis, aut potestatis, sed curationis, & administrationis, & non solum in ecclesiasticis, sed etiam in civilibus curatio & potestas diversa fuit; nam quædam officia curationem habent, non potestatem. Talis in Ecclesia fuit Episcopatus.* Rursus in libr. 6. de Episcopis & Clericis ita scribit: *Si hunc audimus Episcopum, ex prima institutione sui nihil aliud fuisse, quam curatorem, nullo magisterio, nulla auctoritate præditum, quasi opificem quemdam, aut ministrum.* Duo hic comminiscitur Salmasius jurisdictioni ecclesiasticæ infensus, quorum primum derivat ex nomine Episcopi, quasi lene admodum sit, & tutoriæ, vel curatoriæ simile indicans officium. Si attentius rem ipsam consideravisset, novisset quoque similia officia tribui etiam Magistratibus, & Principibus, qui cæteroqui vera & gravi pollent jurisdictione. Aristoteles libr. 1. politicorum ita scribebat: *Regem bonum oportere, non tyrannicum esse, ... sed*

œconomum, id est, dispensatorem, & velut tutorem; & Cicero in libr. 1. officiorum: *Omnino qui Reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis Præcepta teneant ... alterum, ut totum corpus Reipublicæ curent ... ut enim tutela, sic procuratio Reipublicæ ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, gerenda est.* Quid ergo Salmasio mirum videri debet, Episcoporum, seu dispensatorum nomine donatos esse Ecclesiæ Antistites, quando invicem non adversantur curatio, administratio, dispensatio, ac potestas, & jurisdictio? Neque vero Ecclesiarum Prælati mitioribus hujusmodi vocabulis tantum designati fuerunt. Nam Chrysostomus in oratione de S. Babyla Episcopos *Archontas* vocabat, & in oratione 64. ajebat, Episcopos *præesse imperio*, vel *imperium tenere*, necnon in oratione de S. Ignatio scribebat, *Civitatem suæ curæ commissam regere, & post Petrum successisse in Principatu Antiochenæ urbis Ignatium.* S. Isidorus Hispalensis in can. 1. dist. 21., quem secutus est Summus Pontifex in cap. 2. de major. & obed., Episcopos Principibus comparabat, ut quemadmodum Romano Imperio Princeps, ita Ecclesiæ Episcopus præsideat. Jure propterea S. Augustinus in Psalmum 67. Episcopatum vocat *ministerium honorabile*, scilicet *ministerium*, quia rerum ecclesiasticarum habet Episcopus dispensationem, & curam, *honorabile*, quia vere dignitati innititur, ac potestati. Quod si quandoque curationis potius, ac ministerii nomen simpliciter legimus adtributum, id ex eo proficiscitur, quod vetus Ecclesia ad explicandam jurisdictionem suam mitissimis semper usa nominibus est, quæ animi demissioni, in qua, ut inquit Beda, voluit Christus eam crescere, penitus responderent, eodem modo, quo Ecclesia leges suas non leges voluit appellandas, sed regulas, sive canones vocabulo simpliciore contenta, can. 1. & 2. dist. 3. Alterum, quod comminiscitur Salmasius, est, veteres Episcopos officium quidem gessisse, non jurisdictionem. Sed iterum hic parum attendit ad jus gentium, ad jus divinum, ad jus & disciplinam vetustissimam Ecclesiarum populorum, & principum consensione perpetuo confirmatam.

Fusius æquo disputatio protraheretur, si gentium singularum mores, quod ad rem attinet, expendere vellem. Præcipua dumtaxat attingam, atque in iis potissimum immorabor, quæ Romani veteres optimi morum magistri suis institutis receperunt, quin tamen aliarum cultiorum nationum consuetudines penitus omittam, utpote quæ causam hanc maxime juvant, & promovent perquam abunde. Refert Alexander ab Alexandro in libr. 2. genialium cap. 8., apud Ægyptios secundum a Rege locum Sacerdotes obtinuisse, & in sacris causis summo potitos imperio, quod in liberos suos, nepotesque transferrent. Propterea in formandis sacrarum Personarum moribus jura legesque edebant, quarum meminit Isocrates in laudatione Busiridis ita scribens: *nam Sacerdotibus* (Ægyptiis) *ita prospexit, primum ut e sacris redditibus opes haberent, deinde quia legibus eorum sanctimonia summa requiritur, ut temperanter viverent &c.*, unde ipsi Ægyptii Reges quandoque Sacerdotali dignitate potiri gloriabantur, uti de Mercurio Trimegistro fertur. Prosequitur idem Alexander in libr. 6. cap. 13. scribens, penes Ægyptios loco Flaminum sacrorum fuisse sacrarum literarum scriptores, quorum *in Numinum sacrificiis non minimum jus, potestasque fuit: nam quæ sacra diis darentur, & quæ victimæ cæderentur, & quando exta offerrentur, & an perfecto sacrificio litatum foret enuntiare debebant, tum sacrorum cura, & cæremoniarum ad eos spectavit.* De Græcis ita pergit vir eruditus in dicto libro 2. cap. 8. *Græci Pontificem Summum Archierosinem vocant, ad quem jus, & moderatio sacrorum pertinet ... Delphis quinque Pontifices per omnem vitam sacri erant, qui Hosii dicti, qui una cum Prophetis sacra obibant, divinasque prædictiones & cæremonias, & quo cultu, quibusque exemplis fierent, sacra prædicebant.* Apud Athenienses varia fuere Sacerdotum nomina juxta varietatem officiorum, templorumque, quibus addice-

bantur. Hinc qui Baccho inserviebat, Thyas; qui Herculi, Stephanophorus; qui Palladi, Etaobutades vocabatur. Horum tamen omnes veluti Præsides erant Panthæi, quibus causarum judicia, & arbitria rerum publicarum tribuebantur. Ut vero innumeros omittam plurium gentium mores, dico, apud Romanos veteres plurimum delatum fuisse Sacerdotibus, potissimum Pontificibus Maximis, qui reliquis inferioribus Sacerdotibus præsidebant. Inter cæteros *Metellus Pontifex Posthumium Consulem, eumdem Flaminem Martialem bellum gerentem, Africam petentem, ne a sacris discederet, multa indicta inconsulto Deo egredi urbem passus non est.* Ita Valerius Maximus libr. 1. memorab. cap. 1. num. 2. Jam notum omnibus est, Romæ legum jura penes Pontifices custodiri consuevisse, atque ab eis tradi petentibus singulis eisdem juribus experiri; unde Appius Claudius Pontifex Maximus legitimas actiones elucubravit, teste Pomponio in l. 2. §. 7. ff. de orig. juris, Livio libr. 9. in fine, Brissonio antiquit. Romanar. libr. 4. cap. 20., Valerio Maximo memorabilium libr. 2. cap. 1. num. 24. Certum præterea est, Sacerdotum maximam fuisse auctoritatem, immo & propria comitia ab illis comitiis omnino distincta, in quibus civilia negotia tractabantur, uti iterum observavit Alexander ab Alexandro libr. 4. genial. cap. 3. Quid dicam de Rege Sacrorum, quem & Regem sacrificulum vocavit antiquitas? Romuli sane tempore nondum rebus sacris gerendis peculiaria erant edita statuta, quia, ut ait Ovidius libr. 1. Fastorum, *Scilicet arma magis, quam sydera, Romule, noras.* Numa potius, sequentesque Reges ipsimet immolationibus sacram operam dare cœperunt, donec exactis Regibus, officiisque discretis inter Cives, Rex sacrificulus creatus est sub Consulatu Bruti. Primus Danius Papirius, cui jus sacrificandi, necnon de sacris decernendi relictum est, Pontifici Maximo subjectus fuit, legem propterea dicebat de diebus fastis, nefastisque, de sacris procurandis, ac de eo, quod quocumque mense faciendum esset, a quibusque cavendum esset, prædicebat. Alexander ab Alexandro libr. 3. genial. cap. 27. Præter Sacrificulum Regem erant etiam subjecti Pontifici Maximo inferiores Pontifices, quorum commune fuit onus de cæremoniis sacris publicis, privatisque decernere, quibus aris, quibus Diis, quibus hostiis, quibus diebus, quibus in templis sacra fierent, ne qui Romana sacra negligerent, peregrinosque ritus adsciscerent, aut Deorum cæremonias perturbarent. Ad hos de funeribus, de justis exhibendis, de placandis Manibus, ac supernis infernisque Diis, de votis rite exolvendis, de fide, & jurejurando plebs, quoties videbatur, tamquam ad Deorum immortalium ministros consultum ibat. Quare certum pariter est, & penes Pontifices album fuisse, in quo sacra per illos describerentur, album, inquam, quod nonnisi viris jurisdictione pollentibus, veluti Prætoribus, concedebatur. His accedit, quod ad eos Pontifices pertinebat divinas traditiones cognoscere, atque uti tales proponere populo, & e contrario siquid Religioni minus apte adscriberetur, religione liberare, necnon de Vestalium capite decernere, & ferre sententiam. Item si quis sui juris abrogandus erat, quæ causa adoptionis, quæ dignitas, quæque essent utriusque familiæ sacra a Pontificibus quærebatur, quemadmodum statuit Lex Curiata. Quid plura? Tantum dicam, Consules, Prætores, Imperatores ipsos Summum Pontificatum maximi habuisse ita, ut identidem curaverint, ut ipsi ad eumdem Pontificatum eveherentur, rati profecto, exinde majorem adhuc jurisdictionem sibi adcrescere. Nobis præferunt Historici, inter cæteros Licinium Crassum Consulem simul atque Pontificem, indeque Consulatus exacto munere Prætorem creatum summo honori sibi vertisse, quod Pontifex Maximus salutaretur. De Imperatoribus plura extant monumenta, uti de Claudio Drusi fidem facit lapis Tiburtinus effossus apud

cloacam S. Luciæ in urbe Roma notatus a Marliano in cap. 6. libr. 1. suæ typographiæ; de Augusto frustum marmoris ab eodem Marliano notatum in libr. 2. cap. 4., de Vespasiano marmor, quod positum fertur Romæ in porticu ædium conservatorum. Pudet me diutius immorari in eo Sacerdotio, quod idolatria turpis invexit, ac fovit. Tantum hæc dicta sint, ut liqueat unicuique, gentes universas, aut saltem cultiores talem sibi constituisse sui Sacerdotii dignitatem, ut eidem magna jurisdictio cohæreret.

Solidiora sunt argumenta, quæ derivantur ex Sacerdotio Judæorum, utpote quod & Deum Optimum Maximum auctorem habuit, & figura fuerit Sacerdotii Christiani. Potestas & jurisdictio Aaronico Sacerdotio a Deo tradita demonstratur in libro Deuteronomii cap. 17. ibi: *Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* Eamdem Sacerdotum veterum potestatem describit Malachias in cap. 2. ibi: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ipsius, quia Angelus Domini exercituum est.* Sane hac potestate, seu jurisdictione usi fuerunt primi Moyses, & Aaron in Sacerdotio constituti, juxta illud Psalmi 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Moyses in primis, uti nos dubitare non sinunt passim id testantia sacra veteris Testamenti oracula; Aaron etiam, siquidem ubi de religione innovanda ageretur, ad illud universus populus confluebat; utinam non confluxissent, quo tempore illos tædebat veri Dei cultus, & iidem fictilis conflandi Idoli facultatem efflagitarunt, uti constat ex cap. 32. Exodi. Quantum vero jurisdictionis sortitus fuerit Aaron in iis, quæ exprimuntur in Levitico cap. 13., facile agnoscitur, ubi eidem cum legis, tum Leprosorum cognitio, necnon judicatio divino jure mandatur. In libr. Numerorum cap. 4. vers. 27. legitur: *Jubente Aaron, & filiis ejus portabunt filii Gerson, & scient singuli, cui debeant oneri mancipari*, quibus consonat versiculus 29. eodem capite. De Aaronicis præceptis mentio quoque fit in eodem libro Numerorum cap. 18. ibi: *Dixit Dominus ad Aaron, . . . excubabuntque Levitæ ad præcepta tua.* Vita functis primis his Judæorum Ducibus sacris, in Eleazarum Aaronis filium, ejusque successores una cum Pontificia dignitate eadem potestas emanavit. Hinc cum apud Levitas quæstiones suborirentur, apud Summum Pontificem dirimebantur, quemadmodum temporibus Josue ad Eleazarum adductas fuisse testatur Josue in cap. 21. Temporibus Judith quæ non adparuit Sacerdotis Eliachim auctoritas? Ita legimus in libro Judith cap. 4. *& fecerunt filii Israel, secundum quod constituerat eis Sacerdos Domini Eliachim.* Conferatur caput 7. 8. & 13. ejusdem libri. Ipso etiam tempore Babylonicæ captivitatis adhuc vigebat Sacerdotum Judæorum potestas, uti ex actis Danielis aperte deducitur; siquidem Danielis cap. 13. vers. 5. intuemur, duos ex Sacerdotibus plenam nactos fuisse jurisdictionem, quam etiam demonstrant versiculi 28. & 41. Remigrantibus Judæis ex captivitate, paternosque revisentibus agros, una cum re sacra universa clarius elata adparuit dignitas Sacerdotum, ut apud Esdram, & Neæmiam colligimus. Esdras ipse Aaronis filium ex generosa propterea Sacerdotum stirpe, qualis perhibetur in principio cap. 7. libr. 1., non solum divina præcepta interpretabatur, & vetera restuarabat judicia, sed & ipse nova judicia instituebat. Porro eorumdem divinorum judiciorum exercitionem eidem fuisse demandatam perhibent ejusdem capitis versiculi 25. & 26. Nehemias (qui juxta nonnullos ab Esdra memorato non distinguitur, quum & Eliciæ filius dicatur ex Aaronica stirpe, cap.

princ. libr. 2. Esdræ) leges varias Judæis tulisse fertur; sic de fenore avertendo in cap. 5. vers. 7. dicti libr. 2., de luctu temperando iminentibus sacris solemnitatibus cap. 8. vers. 6. & sequent., de jurejurando, quo firmior divinorum præceptorum observatio redderetur cap. 10., & denique de decimis exigendis in cap. ult. vers. 11. & sequent. Quid referam denique Assamoneorum jura, quæ postremo florentis Judaicæ Reipublicæ tempore eisdem competierunt? Erant illi, uti nemo ignorat, ex Levitarum tribu Maximi Sacerdotes, inter quos eminuerunt Mathathias, Jonatas, Judas, cæterique egregii Fratres. Quænam eorumdem fuerit potestas amplissima, res trita est penes illos, qui vel per otium Machabaicos libros evolverint. Aucta tunc mirum in modum dignitas Sacerdotum maximam præseferebat auctoritatem, ac majestatem, & Alexander Philippi Macedonum Rex Hebræum Sacerdotem *tanti fecit, ut venerabundus venienti occurreret, & velut sanctissimum Numen adoraret*; uti scribit Alexander ab Alexandro libr. 2. genial. cap. 8.

Quod si Sacerdotium Judæorum tanta præcelluit dignitate usque ad Christi Servatoris adventum, multo major dignitas asserenda est Christiano Sacerdotio, cui turpe esset intra nudi officii, & ministerii fines contineri, & omni omnino jurisdictionis genere destitui; Ecclesia enim Christi tanto exsuperat dignitate, & Potestate cæteros religiosos hominum cœtus, quantum aut figuræ veritas, aut tenebris lux prestat meridiana. Indefinita sunt verba, quæ protulit Christus Dominus, dum Sacerdotale ministerium ad sacra dirigenda constituit, Matthæi cap. 18. ibi: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Celeberrimum est in hanc rem testimonium Apostoli Pauli, tum in cap. 12. ad Romanos, tum in cap. 4. ad Ephesios, quo Ecclesiam humano corpori vult comparatam, ut unusquisque fidelium alterius membrum sit ad diversos actus ex ordine eliciendos; quemadmodum propterea in humano corpore caput præsidet ratione, & imperio, ita quidam esse debent in Ecclesia Principes, qui populum dirigant inferiorem, atque accurato regimine ad Evangelicos fines recta perducant. At populum nonnisi jurisdictione regi certissimum est, nisi dicere quisquam velit, parum sollicitum fuisse Deum de vera religione tuenda, ut eam uniuscujusque arbitrio reliquerit. Nunc intelligo, quare S. Petrus in epist. 1. cap. 2. *Regale Sacerdotium* appellaverit, quare Joannes in Apocalypsi scripserit cap. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Patri suo.* Quare Christus idem apud Matthæum Apostolos a se Sacerdotes designatos ita allocutus fuisse perhibetur in cap. 18. *Si quis Ecclesiam non audiverit, sit sicut ethnicus, & publicanus*: & alibi: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*; ad quæ respiciens S. Cyprianus ita scribebat in libr. 1. epist 3. *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur.* Iterum Apostolus Paulus in 1. ad Corinthios cap. 4. ajebat: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores misteriorum Dei.* Qui ergo jurisdictionem in sacris rebus exercendis a ministerio apostolico abjudicat, eamdem jurisdictionem abjudicare debet a Christo Domino, cui Sacerdotes operam veluti vicariam præstant, juxta ejusdem Christi mandatum in illis evangelicis verbis: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.* Atque ex his facile causam agnoscimus, quare Christus idem Dominus præsentiam suam in rebus sacris gerendis, atque administrandis Ecclesiæ suæ promiserit, Matthæi cap. 18. ibi: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; quare etiam se missurum Spiritum Sanctum spopondérit Joannis 14. ibi: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum*; item: *Paraclitus ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*; & alibi: *Quum venerit ille Spiritus, docebit vos omnem veritatem.* Quorsum hæc,

nisi ad eum finem, quo Ecclesia in subditorum moribus informandis meliora quæque prospiceret, atque instituta salubria ferret in Christianæ universitatis emolumentum? Sunt hæc divina ipsa testimonia, quibus si Patrum judicia, & rationum momenta accedant, mirum in modum ecclesiastica jurisdictio comprobatur. Cum Joannes Chrysostomus interpretaretur verba illa Pauli 2. ad Corinth. cap. 10. *& in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam ... nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam*, ita scribebat: *Et ad hoc quidem potestatem accepimus, ut ædificemus; sin autem reluctatur aliquis, & pugnet, & insanabilis sit, etiam actione utemur altera, ut eum destruamus, ac dejiciamus.* En coercendi potestatem indicatam, quæ sane abs jurisdictione distingui non potest. Consonat his Theophilactus inquiens: *Præcipue quidem ad ædificationem accepi: quod si quispiam incurabilis fuerit, demolitione utemur, adeo ut potestatem habeam & benefaciendi primario, & puniendi, quam ad id cogar*; necnon Gennadius apud Æcumenium interpretans caput 10. 2. ad Corinthios vers. 8. se habere declarans *jus, & facultatem castigandi, & pœnis adficiendi eos, qui adversantur.* Iterum Chrysostomus homilia 2. de Pentecoste verba faciens de Apostolatu a Christo Domino instituto, *verum magistratum* appellat, cui juris dicundi potestas adhæreat, & subdit: *Spiritum Sanctum in specie linguarum venisse, ac lingua data velut codicillo quodam indicasse commissi unicuique imperii, & ad docendum assignatæ provinciæ terminum.* Eadem fuit & Gregorii Nazianzeni traditio in oratione 1. ibi: *Homini cum difficile sit scire parere, tum multo difficilius esse videtur scire hominibus imperare, præsertim tali imperii genere, cujusmodi est nostrum, quod in lege divina positum est, & ad Deum perducit, cujus imperii quanta est sublimitas & dignitas, tantum etiam periculum est prudenti utique homini & cordato.* Denique S. Hieronymus in commentariis ad 1. caput epistolæ Pauli ad Titum ita scribebat: *Ut enim judices sæculi hujus, quo nobiliores esse videantur, ex Regibus, quibus serviunt, & ex dignitate sua intumescunt, vocabula sortiuntur, ita & Apostolus grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem Apostolorum se Christi titulo prænotavit, ut ex ipsa lecturos nominis auctoritate terreret, indicans omnes, qui in Christo crederent, sibi esse subjectos.* His omnibus Patrum testimoniis evidens ratio suffragatur. Scilicet Christus Dominus Ecclesiam instituendo, eamdemque in perpetuum firmando, iis omnibus insignivisse intelligitur, quæ ad ejusdem firmitatem non tam congrua erant, quam opportuna, ac necessaria. Inter hæc specialiter est vera, propriaque jurisdictio; siqua enim de fide, de religione, de moribus, de disciplina quæstio suboriatur, non aliter ista, quam jurisdictione dirimi, definirique potest.

Quod si ad constantes Ecclesiæ usus disputatio exigatur, facile constabit, Ecclesiam perpetuo usam vera jurisdictione fuisse. Et quidem triplicis generis usus in Ecclesia deprehenduntur. Alios recentiorum ingenia præter veterem simplicitatem invexerunt. Alios apud veteres invaluisse quidem scimus, sed sensim posterioribus sæculis abrogatos, quibusque accommodari posset, quod apud Ovidium legitur libr. 1. Fastorum vers. 205. *Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.* Alii vero a vetusta & Apostolica ætate recepti sunt, & non interrupta consuetudinis serie etiam hodie custodiuntur. Et quamquam primis morem gerere expediat, dummodo ab Ecclesia probentur, secundos deceat colere, & venerari, immo & contendere, ut, quoad fieri possit, restituantur; postremis tamen adeo inhærere debemus, ut quidquid inductum iis est, tanquam rem divinam, & Supremi Numinis Spiritu insinuatam agnoscamus. Hujusmodi sane est jurisdictionis in Ecclesia exercitio, quam scimus, prout res inciderit, perpetuo in Ecclesia explicatam. Scimus ab Apostolis leges editas, seu conditos canones, quales passim exhibet S. Lucas in Actis, de constituendis

Diaconorum muneribus cap. 6., de gentibus ad Christi fidem admittendis c. 11., de gentibus non circumcidendis cap. 15. In epistolis Pauli, Petri, Jacobi, Joannis, & Judæ Apostolorum quot præcepta ad res sacras pertinentia designata intuemur? Successores Apostolorum, quoties de religione actum est, sive in Conciliis, sive extra Concilia constitutiones saluberrimas ediderunt, in sontes pœnas, censurasque inflixerunt, Clericos modo a suis officiis deponentes, modo laicos anathemate damnantes, quæ omnia profecto sine vera, propriaque jurisdictione fieri nullo modo possunt.

Neque vero ecclesiasticæ hujus jurisdictionis ratio civilem societatem, ac Rempublicam turbat, sed potius fovet, ac tuetur; immo & ipsi sæculi Principes eidem jurisdictione favere pro suo, quod in Ecclesiam habere gloriantur, patrocinio, minime detractarunt. Justinianus Imperator ita de utraque potestate præfatur in Nov. 6. *Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, Sacerdotium & imperium, illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens*; atque juxta hæc principia non dubitabat scribere Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem in can. 8. dist. 10. *Quoniam Mediator idem Dei & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque diserevit, propria volens humilitate medicinali hominum corda tursum efferre, non humana superbia rursum in inferna demergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret.* Adde his canonem 6. & 8. dist. 69. can. 21. caus. 23. quæst. 8., & cap. 6. de maj. & obed. Non iterum dubitabat ita scribere ad Leonem Isauricum Gregorius II. in epist. 1. ibi: *Ecclesiis sunt præpositi Pontifices a Reipublicæ negotiis abstinentes; & Imperatores ergo a negotiis ecclesiasticis similiter abstineant.* Tristissimum est Constantini Imperatoris exemplum, qui in Nicæno Concilio, in quo de fidei definitione agebatur, sanctionem ecclesiasticorum Antistitum auctoritate faciendam efflagitavit. Et Arcadius, & Honorius Imperatores in leg. 1. Cod. Theodos. de relig. aperte scripserunt: *Quoties de religione agitur, Episcopos oportet judicare*: Abstineo a recentioribus recensendis exemplis, utpote quæ vulgaria sunt, & quæ ne in Salmasii quidem dubitationem venerunt. Unde deducitur, non recens accessisse constitutis jamdiu Episcopis jurisdictionem, sed hanc fuisse ipsis ingenitam, divina auctoritate stabilitam, & perenni consuetudine confirmatam. Legislativam potestatem in Ecclesia agnoscimus. En majestatem. Agnoscimus distributionem publicorum Ecclesiæ munerum. En dignitatem regimini junctam. Agnoscimus sententias, & judicia causarum. En Magistratum. Agnoscimus denique facultatem reorum coercendorum. En Imperium. Fateor, aliam esse legum ecclesiasticarum materiam, aliam munerum partitionem, aliam judiciorum formam, alium coercendi modum, quam hæc omnia sint apud civilem Rempublicam. Verum hæc demonstrant quidem jurisdictionem ecclesiasticam a civili & politica jurisdictione secerni; eo autem ipso, quo secernitur, vera jurisdictio dici debet, non in nudo officio consistit. Dicta hæc omnia sint, ut Salmasii traditio rudioribus quidquam imponere nequeat. Cæterum prudentes viri jam id perspicue sibi persuaserunt, quin opus pluribus habeant.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT IV.

Quomodo Ecclesia in communi jurisdictionem exerceat.

SOlemnia Ecclesiarum comitia, sive generalia sint, sive particularia, quocumque tandem nomine apellentur, jurisdictionem sacrorum perpetuo exercuerunt, quamquam major sit generalium, quam particularium, major nationalium, quam provincialium, major provincialium, quam diœcesanorum Conciliorum potestas, can. 4. dist. 18. Maxima sane jurisdictio est Concilii universalis, quod & œcumenicum, & generale dicitur, cujus sanctiones, leges, decreta, sententiæ, si fidei, morumve materiam spectent, adeo firmæ sunt, ut a nemine retractari, a nemine violari unquam possint; si materiam disciplinæ, quamquam revocari æquis supervenientibus causis, & legitima auctoritate queant, ab omnibus tamen quousque non revocentur, custodiri debent, statim ac editæ fuerint, ac publice promulgatæ. Discrimen istud ex eo proficiscitur, quod in doctrina fidei, ac morum, quidve verum, quidve falsum sit, investigetur, in qua investigatione Ecclesia errare non potest divino Spiritu perspicue illustrata, cujus propterea sententias retractari, immutative repugnat: at disciplina ecclesiastica non quærit, quid verum, falsumve sit, sed quid deceat, expediatque; & quod decet, expeditque, vicissitudinibus subjacet temporum, locorum, personarum, cæterorumque hujus generis adjunctorum. Porro generale Concilium justum, ac legitimum appellatur, cum a Pontifice Maximo indicitur, tanquam ab eo, qui unus in Episcopos universæ Ecclesiæ convocandos potestatem exercere potest, quemadmodum in universis fere Conciliis actum est; vel saltem a Pontifice Maximo ratum habetur, confirmaturque, uti in Concilio Constantinopolitano II., & generali V. Cardinalis Norisius observavit in eleganti sua dissertatione de Synodo V. Usu quoque antiquissimo receptum est, ut Christiani Principes vel per se, vel per Legatos admittantur, sive ut validissima eorumdem auctoritate, atque in res ecclesiasticas patrocinio canones in Conciliis editi executionem facilem & paratam inveniant, sive ut contentiones malorum hominum atque seditiosarum turbarum in eisdem Conciliis avertentur, sedenturque schismata, sive ut per ipsos ea proponantur, quibus generali totius Ecclesiæ decreto sit occurrendum, can. 2. 3. & 4. dist. 96. Præterea quanquam necesse non sit, eo convenire universos Provinciarum Episcopos, requiritur tamen, ut omnes generali edicto convocentur. Etenim cum ipsi sint, qui singulis Ecclesiis præsunt, quæ ab illis præbentur suffragia, communem totius Ecclesiæ exprimant consensionem. Ex consuetudine quoque conveniunt ad Concilia generalia Romanæ Ecclesiæ Cardinales utut non Episcopi, sive ob amplissimam sui dignitatem, sive ob jurisdictionem quasi Episcopalem, quam in titulis sui Cardinalatus obtinent, cap. 11. de maj. & ob. Ex moribus etiam ac privilegio ad Concilia conveniunt Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem, sive diœcesim habentes, atque ordinum Religiosorum Præpositi Generales. Solent denique advocari ad ea Concilia Viri & in Sacra Theologia, & in Canonum doctrina periti, non quidem ut suffragium ferant, cujus jus jurisdictionem in Ecclesia obtinentibus reservatur, sed ut consilium suppeditent iis, qui suffragium laturi sunt, ad majus rei gerendæ gravissimæ decus, ampliorem majestatem, firmioremque auctoritatem.

Particularia Concilia in duplicem

classem ego distinguenda censeo, quoties de illorum auctoritate quæratur. Sunt enim aliqua, quæ licet ex unius, alteriusve diœcesis, vel Provinciæ Episcopis celebrata sint, eorum tamen statuta de diœcesi in diœcesim, de Provincia in Provinciam traducta apud universas tandem paulatim Ecclesias recepta fuerunt. Hujusmodi sunt plura Orientalia sæculi quarti Concilia, aliquot etiam Occidentalia paulo recentiora, quæ veluti norma cæterorum sequentibus sæculis extiterunt; siquidem ex iis scimus derivatos canones ad quascumque adornandas Canonum collectiones, etiam ad usum Ecclesiæ universæ. His profecto nemo inficiari audebit tantam inesse vim, ac potestatem, quanta fere Conciliis generalibus inest. Quid enim interest, an expresso totius Ecclesiæ consilio, suffragioque simul & semel leges latæ fuerint, an sensim per mores singularum Provinciarum tacitus quodammodo Ecclesiarum omnium consensus accesserit? Sunt aliqua e contrario, quæ ab unaquaque Provincia, aut diœcesi habita sunt, & quorum definitiones ad loca singularia pertinent, ita ut apud exteros tanquam leges nunquam admissæ fuerint, indiscriminatim ubique observandæ, quoties in Conciliis particularibus declarantur Orthodoxæ fidei dogmata, necnon regulæ morum & honestatis, quemadmodum priscis præsertim sæculis fieri solebat, iis tenentur non contradicere, quicumque in diœcesi, aut Provincia degunt, non quod certum omnino, & immutabile sit eorum Conciliorum judicium, sed ne forte schismata concitentur perniciosa, aut ne jam concitata periculosius augeantur, ut siquid ex contrario contendatur, non privati cujusquam hominis discutiarbitrio possit, sed superioris dirimendum judicio reservetur. Neque enim veluti probrum objiciendum est illis, qui Episcopi, clerive sui licet errantium sententiæ adquieverint, quousque non aliud, vel non uberius lumen affulgeat; quemadmodum, ut a sæcularibus judiciis argumentum petant, sine fraude & injuria solent Magistratus, immo & leges ipsæ possessionem litigiosæ rei illis etiam addicere, qui in petitorio judicio jure vincendi sint, interea nihilominus possessoriis remediis ad tuendam possessionem etiam indebitam comparatis. Prævalet privatarum opinionum studiis bonum publicæ tranquillitatis, quousque postremi judicii potest expectari sententia. At si certa disciplinæ Ecclesiasticæ capita in hisce Conciliis stabiliantur, illa omnino custodienda erunt ab iis, qui Episcopis convenientibus & decernentibus subsunt, quin ullum negotium facessat diversa aliarum Provinciarum, & diœceseon consuetudo, quippe, cum disciplinæ ecclesiasticæ capita singularibus innitantur argumentis, nihil prohibet, quominus eadem sicut pro temporum, ita & pro locorum diversitate varia invicem sint, forte etiam contraria

Jus hæc Concilia convocandi ad eum pertinet, qui præest jurisdictioni in eos omnes exercendæ, ex quibus Concilium coalescit. Sic Nationale Concilium Patriarcha, vel Primas, Provinciale Archiepiscopus, Diœcesanum Episcopus cogit; propterea quod ad primum omnes Episcopi vel Primati, vel Patriarchæ obnoxii, ad alterum omnes Antistites obnoxii Metropolitæ, seu Archiepiscopo, ad postremum omnes Episcopo obnoxii Clerici saltem majores, puta Canonici Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatarum, Parochi, & Beneficiarii universi convocari debeant, & convenire. Recentioribus sæculis tradi ab aliquibus cœpit, sine auctoritate Sedis Apostolicæ aut ab initio convocari, aut vim ullam habere semel celebrata Concilia ista non posse. Novæ opinioni occasionem dederunt nonnulli canones apud Gratianum editi in distinct. 17., fere omnes ex epistolis Isidori Mercatoris deprompti. Canon. 1. præterquamquod apocryphus communi eruditorum consensione dignoscitur, non de Synodis Episcoporum auctoritate celebrandis concipitur, sed potius de Sy-

nodis a Maxentio tyranno, & Christianorum hoste infensissimo non convocandis absque Apostolicæ Sedis auctoritate, quamquam fingitur Marcellus tradere, indulgeri Maxentio eidem tyranno, ut quosdam Episcopos congregare valeat, ibi, *Quamquam quosdam Episcopos possitis congregare.* Explicet hæc emblemata is, cui ea minime stomachum moveant. Non major est auctoritas canonis 2. sub Julii nomine a Mercatore conficti; & quamquam idem genuinus esset, commode referretur ad singularem speciem ibi propositam hæreticorum Episcoporum jam in Nicæna Synodo damnatorum, qui novum Concilium, revocaturi Nicæni Concilii generalis decreta, celebrare sine Sedis Apostolicæ auctoritate minime potuissent. Aliud autem est quærere, an liceat Episcopis iterum in particularibus Synodis ea retractare, quæ in generalibus Conciliis definita fuerunt; aliud quærere, an facultas convocandarum Synodorum sit generaliter penes Episcopos, Canon 4., qui verius, quam Gregorio, tribuendus erat Pelagio Papæ in epistola ad Narsetem, non ad Concilia Provincialia regulariter celebrata pertinet, sed potius ad certum Concilium, quod extra ordinem celebrare adnitebantur schismatici quidam Episcopi, qui in causa famigeratorum Trium Capitulorum invicem repugnare putabant acta duorum Conciliorum generalium, Chalcedonensis, & Constantinopolitani II.; ideoque sua interesse credebant, ad eorum interpretationem, vel conciliationem novam Synodum celebrare, eaque occasione ad schismatis sui præsidium Provinciali quadam sanctione Concilii Constantinopolitani, cui non adquieverant, definitiones evertere. Quis inficias iverit, in ea singulari specie, ubi de universali Constantinopolitana Synodo dubitatio nascebatur, nihil innovari potuisse, Apostolica Sede inconsulta? quæ erat germana Pelagii sententia, qualis ex verbis ejusdem canonis adparet. Canon 5. etiam ad Mercatoris sententias, & monumenta referendus est; quamquam etsi genuinus haberetur, nullum adhuc negotium facesseret. Scripta epistola proponitur ad Episcopos, *qui illicita vocatione Joannis Constantinopolitani Episcopi ad Synodum Constantinopolitanam convenerant.* Porro Joannes Constantinopolitanus primus inter Græcos Patriarchas illud molitus est, ut se Episcopum universalem nominaret, sese vel supra ipsos evehens Romanos Antistites, quasi post Sedem Imperialem ab urbe Romana Bizantium translatam, eo etiam translata intelligeretur ecclesiastica dignitas Pontificis Maximi. Hinc non tantum singulares Provinciæ suæ Synodos celebrare, sed universalium totius Ecclesiæ Conciliorum convocationem sibi fingitur adseruisse. Eum compescere debuit Pelagius junior ea epistola, si forte a quoquam veluti germana recipiatur; cum vero agnoscetur, ibidem definitum fuisse Conciliorum celebrationem ab una Sede Romana esse expectandam, tum concludetur, ibidem de generalibus Synodis sermonem fuisse institutum. Canon 6. non Symmachi est, aut Romanæ Synodi tempore Symmachi celebratæ in causa schismatis Laurentiani, sed potius referendus est ad libellum Ennodii Ticinensis Episcopi, qui apologiam & pro Synodo, & pro Symmacho adversus Laurentianos scripsit. Cum enim Laurentiani Symmacho infensi traderent, etiam sine Symmacho potuisse Romæ celebrari Concilium, hoc adjecto argumento: *Ergo Concilia Sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per Provincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt?* Respondit Ennodius: *Legite, insanissimi, aliquando in illis præter apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non de majoribus negotiis ad collationem, siquid occurrit, præfatæ Sedis arbitrio fuisse servatum. Sic enim habes: siquis Episcoporum judicio Provinciali depositus fuerit, Romanum Papam, si placet, rursus appellet &c.* Id referendum est ad canonem 3. Concilii Sardicensis, cujus pars habetur in can. 7. caus. 6. quæst. 4. Hæc sane, uti perspicuum exhibent Gra-

tiani fragmentum, & ad suos referunt auctores, ita statim indicant, quam longe a Gratiani proposito, & ab hac disputatione sit alienum. Eamdem recentiorem opinionem derivatam videmus ex can. 9. caus. 3. quæst. 6., seu ex can. 1. caus. 5. quæst. 4., sed iterum hic incidimus in laqueos Mercatoris, seu in epistolas Julio Papæ adfictas, quas unusquisque jam diu manuducentibus viris eruditissimis noverit declinare. In his monumentis non puto mihi esse diutius immorandum, ne hoc in loco recantare videar, quod tradidi in meis animadversionibus in Gratianum. Validius forte alicui videretur argumentum, quod deducitur ex cap. 4. vers. *ajunt* de electione; nisi statim observandum incumberet, non quidem ibidem definiri, aut sanciri, omnia omnino Concilia esse ab Apostolica Sede confirmanda, sed potius tradi, nulla Concilia Sedis Apostolicæ auctoritati fines certos posuisse, quos minime transgrederetur, quam ipsam formulam expresserunt Tridentini Concilii Patres, in cap. ult. sess. 25. de reformatione.

Quæcumque vero sit horum canonum sententia, & interpretatio, hodie fere receptum est, ut in Conciliis diœcesanis celebrandis libera sit Episcoporum potestas, & jurisdictio. Aliter in pluribus provinciis obtinet in Conciliis Provincialibus, utpote quæ celebrari, aut vires obtinere non solent, nisi obtenta Sedis Apostolicæ confirmatione, ob recentes, ab anno scilicet 1596. die 6. Aprilis, Romanarum Congregationum definitiones, ubi confirmatæ sunt, usuque receptæ. Non est, cur nonnulli hanc recentem disciplinam carpant: etenim facilius Archiepiscoporum, quam Episcoporum potestas intra angustiores limites coerceri potest, propterea quod Archiepiscoporum jurisdictio magis sit ex Sedis Apostolicæ concessione: quemadmodum suo in loco inferius demonstrabitur, & Episcoporum potestas ex jure divino profecta fuerit. Deinde observo, hanc ipsam disciplinam maxime congruere aliis disciplinæ sacræ capitibus, quæ recentiora sæcula invexerunt. Nimirum olim in Provincialibus Synodis ut plurimum causæ Episcoporum diriməbantur, confirmabantur Episcopi, ac consecrabantur transferebantur de una in aliam Ecclesiam, suspensionis censura, aut etiam depositionis pœna plectebantur. Causæ istæ quasi majores recentiore ætate Pontifici Maximo reservatæ fuerunt, proptereaque una etiam reservari poterat facultas provincialis Concilii celebrandi, aut confirmandi. At in Synodis diœcesanis nonnisi causæ minores & consueverunt olim, & solent hodie agi, quæ liberæ Episcoporum potestati relinquuntur. Denique aliam agnosco discriminis rationem: nimirum in Provincialibus Synodis plura identidem statui solent, ex quibus monachi conqueruntur, sua exemptionum privilegia non parum imminui; unde profitentur, se Synodorum statutis minime teneri; Episcopi e contrario conqueruntur, statuta sua in provincia exinde contemni, quod ne eveniat, passim diuturna consuetudine, quæ jus receptum constituit, curaverunt, ut ab Apostolica Sede Synodorum Provincialium confirmationem impetrarent, rati tum monachos etiam obsecuturos, quibus contra Pontificis Maximi voluntatem nulla exemptio proderat. Equidem fateor, hodie plures esse causas, in quibus monachi Episcopis saltem tanquam Sedis Apostolicæ delegatis subjiciuntur, præsertim in conspectu Tridentinorum numero plurium decretorum, de quibus erit inferius agendum, & respectu istarum causarum suas vires etiam adversus monachos exerere posse Synodales Episcoporum constitutiones, quamquam in aliis causis inanes haberentur; proindeque convocationem Synodorum veluti quid mixtum Pragmatici vocant, quasi in parte pertineat ad legem diœcesanam, in parte ad legem jurisdictionis. Verum, quam multa argumenta sunt, quæ dubietatem facere possunt, & contentiones movere? quibus sane opportunius occurritur, accedente Pon-

tificis Maximi confirmatione. Dices, hanc causam esse & diœcesanis, & provincialibus Synodis communem, eamque ob rem nullum in hac parte discrimen inter utrumque Synodorum genus rite adsignari. Ego repono, monachos, & regulares universos recentioribus sæculis in Provincias fuisse tributos, atque ut plurimum eas, quæ provinciis Episcopalibus respondent. Hinc commodius in Conciliis Provincialibus edi statuta possunt, quæ monachis & regularibus universis sequenda sine contradictione proponantur; quasi tum toti monachorum Provinciæ communia esse possint, & facilius executioni mandanda.

Vix de Nationalibus Conciliis hoc in loco feci mentionem, utpote quæ recentioribus sæculis celebrari amplius non consueverunt, postquam Primatum dignitas, & potestas in Occidentali Ecclesia plurimum imminuta est, & singuli Archiepiscopi, ut Pontifici Maximo immediate subjicerentur, contenderunt. Exempla vetera horum Conciliorum in Occidente potissimum occurrunt in Africa, cujus Episcopos universos convocabat identidem Episcopus Carthaginensis. Hinc in epistola Concilii Carthaginensis ad Bonifacium Papam memorantur Episcopi numero 217. *ex omni Concilio Africæ*. Et in canone 19. Codicis Africanis nominatur *Concilium universale anniversarium*, Conciliumque *plenarium* dicitur apud Augustinum in libr. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 3. In Italia vel a Romano, qui decem, vel a Mediolanensi Episcopo, qui septem provinciis præerat, convocabantur. In Gallia aliquando Trevirensis, aliquando Arelatensis Episcopus jura Primatis in convocatione Nationalis Concilii explicavit, sicut in Hispania Toletanus Episcopus, quemadmodum demonstrant acta Concilii Toletani I. anni 400.

De Conciliis Provincialibus innumera propemodum tradi possent ex omnium fere sæculorum disciplina, ex omnium fere Christianarum Provinciarum usibus comprobata. Verum, quod omnium utilissimum est, in disciplina recens in Concilio Tridentino constituta consistam, in quo cap. 2. sess. 24. de reform. decretum est, ut illa, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur, præceptumque, ut Metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior intra annum ad minus a fine Tridentini Concilii, & deinde quolibet saltem triennio commodo tempore non prætermittat Synodum in Provincia sua cogere; quo Episcopi omnes, & alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur. Item præceptum, ut Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subsunt, (idem dicendum de Archiepiscopis, qui nullos suffraganeos habent, uti tradidit Benedictus XIV. de Synodo diœces. libr. 2. cap. 4., idem etiam dicendum de Abbatibus, qui *nullius Diœcesis* esse dicuntur) aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis interesse debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, observent, & observari faciant, salva manente in reliquis eorum exemptione, & privilegiis. Itaque quolibet saltem triennio celebrari Provincialia Concilia Tridentini Antistites voluerunt, qua sane lege non constitutum adparet, ne frequentius celebrarentur, sed potius ne diutius celebratio differretur. Sane olim bis in anno fiebant ex canone 5. Nicæni Concilii, seu canone 3. distinct. 18. confirmato in Concilio Antiocheno, can. 4. ibidem, & in Concilio Chalcedonensi, can. 6. ibidem. Deinde cum ea disciplina negligi cœpisset, Græci primum in Trullano Concilio voluerunt, ut saltem semel in anno celebrarentur, can. 8., sequentes Justinianum Imperatorem in Nov. 137. cap. 4. quod probavit deinde septima Synodus in can. 7. dist. 18., & Concilium Lateranense Innocentii III.

in cap. 25. de accusation. Recentioribus denique sæculis permissum fuit, ut saltem unoquoque triennio ii conventus fierent, in Concilio Basileensi, cui morem gessit Leo X. in sua Synodo Lateranensi, deinde Patres Tridentini in laudato decreto. Quod autem ibidem dicitur, teneri suffraganeos Episcopos, immo & exemptos electione secuta, convenire, nisi legitima & gravis causa illos excuset, consonat vetustis canonibus, can. 5. 9. 10. 12. 13. & 14. dist. 18., & quidem indicta in negligentes pœna excommunicationis, dicto can. 12., quæ tamen in eo tantummodo consistebat, ut Episcopus ad Synodum non accedens sua diœcesi contentus esse deberet, non negotia provinciæ totius, non pro virili quidem parte attingere, uti dicitur in dicto can. 10. Præterea quod legimus apud Tridentinos Antistites, legitime impedito Archiepiscopo ad Coepiscopum antiquiorem pertinere convocationem Synodi, non solum indicat, Synodum a Vicario Generali Archiepiscopi convocari non posse, sed etiam neque convocari posse a Vicario Capitulari, Archiepiscopali Sede vacante; quod enim de Episcopo impedito dicitur, facile ob similem, immo & urgentiorem rationem extenditur ad eum casum, quod sedes Archiepiscopalis vacet. Nomine Coepiscopi antiquioris eum intelligo, qui cæteros Suffraganeos ordinationis tempore præcedat; præterea eum, qui vere suffraganeus sit, non alium, forte exemptum, qui illud Concilium provinciale elegerit, quod consonare videtur integro contextui Tridentini decreti. Insuper observandum est, Episcopo comprovinciali impedito licere quidem delegatum nomine suo ad Synodum mittere; non quidem ad eum finem, ut suffragium in Synodo ferat, sed ut ea explicet Synodo, quibus occurri possit, ac debeat, consilio suo aliorum sententias adjuvet, canonesque statutos redux ad Episcopum adferat, can. 9. dist. 18. Hunc ipsum ob finem advocabuntur, & admittentur in Concilio Capitula Cathedralium Ecclesiarum, ad quæ pertinebit res emergentes palam exponere, ac ferre consilium, non suffragium. Quamobrem deducitur, jus suffragii penes solos Episcopos esse; non Episcopos autem, seu eos, qui quasi episcopali jurisdictione non gaudent, etiamsi ex consuetudine Synodo interesse deberent, jure tantum suppeditandi consilii gaudere.

Synodorum Diœcesanarum a singulis Episcopis celebrandarum licet auctoritas sit minor, seu ratione diœceseos, quæ Provincia angustior est, sive ratione suffragiorum, quæ ab uno tantum Episcopo, & minoribus sub eo constitutis Clericis pendent, sive ratione subjectionis, quod a Synodis possint Provincialibus emendari, non mediocris tamen potestas, & ratio habetur. Hinc Tridentini iidem Patres ita subsequuntur in laudato cap 2.: *Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur; ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subdantur, accedere teneantur; ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse.* In primis igitur *quotannis* eas celebrari definitum est, ad exemplum sane veteris disciplinæ, quæ in Provincialibus Conciliis obtinebat, præsertim postquam obtinuit, Provincialium Conciliorum decreta in diœcesanis promulgari, dicto cap. 25. de accusation. Et quamquam in Conciliis Provincialibus prorogatum fuerit tempus usque ad triennium, non inde tamen prorogari æqualiter debuit in diœcesanis, ob majora, quæ in celebrandis Provincialibus Synodis incommoda emergere solent. Præterea dicitur impersonaliter *celebrentur*, ex quo deducitur, non solum Episcopum Synodos diœcesanas celebrare posse, sed etiam Vicarium Episcopi generalem, ac potiore jure Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante, quidquid obtineat in Synodis Provincialibus, juxta ea, quæ modo de eisdem adnotabantur. Immo nec repugnat exinde Triden-

tinis decretis, nonnullos ex Abbatibus, qui nullius diœcesis appellantur, & quasi episcopali jurisdictione pollent, hujusmodi Synodos convocare. Adjicitur in Tridentino decreto, intervenire ad Synodos debere *etiam exemptos* quosdam, unde colligitur, dubio procul teneri ad eas accedere non exemptos, Capitula dixero Cathedralis, & Collegiatarum Ecclesiarum, cap. ult. de his, quæ fiunt a Prælatis, Parochos universos, vel eorum Vicarios, & clericos cæteros, illos saltem, qui ecclesiastica beneficia possident, prout uniuscujusque diœceseos fert consuetudo; in quibus tamen Synodis fatendum est, potissimas esse Episcopi partes, utpote penes quem præcipue ecclesiastica eminet jurisdictio. Ne vero inanis videatur Personarum Episcopo inferiorum accessio, dicendum erit, facultatem esse istis ea proponendi, quæ definitione indigeant, consilium, vel consensum jus dicenti Episcopo præbendi, ut dum consilium antecedit, illud sequi Episcopus debeat, quoties major, & sanior pars in certam sententiam descendat, & dum consensus subsequitur, definita omnia communi suffragio intelligantur. Quoad exemptos attinet, distinguendos voluerunt Tridentini Antistites eos, qui Capitulis generalibus minime subduntur, ab iis, qui Capitulis generalibus sunt obnoxii. Prioris generis exempti, sicut ad Synodum accedere debent, ita & Synodi definitionibus adquiescere, obsequi, obtemperare, ne alias veluti acephali in Episcoporum diœcesibus commorantes quasi arbitrio suo, ac voluntati libere relicti videantur. Posterioris generis exempti ex Tridentina eadem sanctione convenire tenentur, si Parochiales, vel alias sæculares Ecclesias administrent, & in iis, quæ ad illarum Ecclesiarum administrationem pertinent, Synodo parere, argumento cap. 11. sess. Tridentinæ 25. de Regularibus. Extra has causas minime tenebuntur, si Episcopus jure ordinario eos ad Synodum vocet; quamquam obstringantur, quotiescumque Episcopus in eos exercendam arbitretur jurisdictionem sibi a Sede Apostolica delegatam, juxta Tridentinum Concilium in sess. 6. de ref. cap. 4., sess. 7. de ref. cap. 14., sess. 21. de ref. cap. 8., & sess. 25. cap. 12. & 13. de Regularibus; dummodo tamen hac in specie Episcopus abstineat ab iis attingendis, in quibus exemptio ipsa consistit; etenim præsertim post has Pontificias delegationes obtinuit, ut potestas convocandæ Synodi veluti mixta credatur, partim scilicet relata ad legem diœcesanam, partim ad legem jurisdictionis, unde monachi, & regulares universi aliqua in parte Synodis eisdem subjiciuntur, illorum exemptione non obstante. Videatur Fagnanus ad cap. 7. de offic. Jud. ordinar. Ad evitandas controversias omnes, quæ in hac exemptionum, & exemptorum materie emergere solent, nonnulli Episcopi opportunum putant, ut ideo confirmationem decretorum Synodalium a Sede Apostolica postulent, quemadmodum observavit Cardinalis de Luca disc. 30. ad Concilium Tridentinum num. 9. Ex iis, quæ hucusque observavimus, liquet, Conciliorum diœcesanorum finem illum potissimum esse, ut mores forte corrupti, præsertim in Clero, reformentur, cohibeantur excessus, siqua jurgia inter clericos suborta fuerint, componantur; magisque ac magis etiam confirmanda exhibeantur, ac promulgentur majorum Synodorum statuta, juxta dictum capitulum 25. de accusationibus.

Illud hodie inter cætera celebrationi horum Conciliorum accessit, ut constituantur Judices, Testes, atque Examinatores, qui propterea vulgo appellantur Synodales. Judicum Synodalium nomine eos intelligimus, qui ex decreto Tridentini Concilii in Synodis Episcoporum designandi sunt ideo, ut eis causæ in Provinciis delegentur a Sede Apostolica sess. 25. de ref. cap. 10., ne forte aliis contingat, ut controversiarum discussio viris parum idoneis demandetur. Primus Bonifacius VIII. in cap. 11. de rescript. statuerat, ne causæ aliis committerentur

tur, quam obtinentibus vel dignitatem, vel personatum, vel canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus. Amplius Concilium Tridentinum decrevit, ut in Synodo ii designarentur, quorum doctrina præstans esset, ac probata, quatuor saltem, aut etiam plures, in quorum etiam interim mortuorum vicem liceat Ordinario consilio Capituli accedente alios substituere, ita ut delegationes aliis factæ, sive ab Apostolica Sede, sive a quibuscumque Apostolicæ Sedis officialibus, subreptitiæ, proptereaque irritæ censeantur. Quamobrem hodie locum habere amplius nequit rescriptum Alexandri III. in cap. 14. de offic. & potest. judic. deleg., quo declaratum est, successorem in dignitate causam persequi posse, ubi dignitati delegatio facta fuerit, cum hodie amplius non attendatur ipsa dignitatis ratio, sed potius designatio Synodalis. Aliud sane esset de delegatione Ordinario facta dicendum; etenim in Ordinariis delegandis nihil novi Concilium Tridentinum induxit, ut liquet ex illis verbis *præter Ordinarios locorum*. Notat in hanc rem Barbosa ad dictum caput 10. Tridentinum num. 25., decretum hoc in usu non esse, ex eo potissimum, quod vix Episcopi sint, qui deputatorum judicum nomina ad Sedem Apostolicam transmittant, quod & adnotavit, & doluit Benedictus XIV. in suo opere de Synodo diœcesana libr. 4. cap. 5. num. 6. & sequentibus. Verum idem Benedictus Papa in sua constitutione, quæ incipit: *Quamvis Paternæ* anni 1741. 26. Augusti, Episcoporum sollicitudinem excitavit, ut electorum in Synodo Judicum nomina ad Sedem Apostolicam transmitterent, fide sua esse jubens, non aliis delegatum iri causarum cognitionem a Sede Apostolica.

Testes Synodales eos vocamus, vel qui ad Synodum deferunt, quæ corrigenda, discutiendaque per Synodum sint; vel qui a Synodo constituuntur, ut inquirant per diœcesim, an aliqua sint emendanda, corrigenda, vel discutienda, eadem ad sequentem Synodum delaturi. Horum testium disciplina jam vigebat sæculo Ecclesiæ nono temporibus Reginonis Prumiensis, cujus est canon 7. caus. 35. quæst. 6. perperam Eutychiano Papæ adscriptus, ex quo constat, laicos testium Synodalium munere tunc fungi consuevisse. Post constitutionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati, cum illud officium mandari debuerit idoneis, providis, honestisque personis in tota diœcesi vigilaturis, ne adversus ecclesiasticam disciplinam abusus irrepant, nulla tamen eis jurisdictione concessa, cap. 25. vers. *ut autem* de accusationibus, soli clerici visi fuerunt designandi, quemadmodum etiam hodie designantur; quamquam faciendum sit, hodie nomine tenus Synodales testes dici, quod exequi commissum munus minime soleant, optandumque supersit viris probis, ut ea disciplina, quoad fieri commode possit, restauretur. Passim Episcopi utilitati Ecclesiarum suarum, quæ ex hoc testium officio derivaret, hodie consulunt, vel institutis Vicariis foraneis, a quibus postulant, ut in abusus Parochiarum inquirant, & agnitos abusus denuntient, vel visitationibus diœceseos ante Synodi celebrationem factis, quibus eorum instructus animus deliberaret commodius, quid Synodo præstandum sit.

Examinatores denique Synodales dicuntur, qui ex constitutione Tridentini Concilii in sess. 24. de reform. cap. 18. designari in Synodo debent, ut indicto ad Beneficia Parochialia concursu cum Episcopo examen perficiant. Proponi isti numero saltem sex ab Episcopo, vel ejus generali Vicario debent, deinde in Synodo ipsa probari, Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel alii clerici, seu regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei. Quoniam vero Concilium Tridentinum cavit, ne ulla simoniæ suspicio esse possit examinis causa, saluberrima consuetudo quotidiana praxi firmata recepta est, ut nullum laudatis examina-

toribus stipendium adsignetur, & nihil omnino lucri occasione examinis examinatoribus adquiratur. Debent illi in ipsa Synodo jurejurando spondere, se nihil admissuros, quod Ecclesiæ legibus fraudem faciat, redituri sane in Synodo, si opus erit, Provinciali rationem, si quid contra officium admisisse deprehendantur. Quæri ad hanc rem solet, quandonam examinatorum Synodalium officium exspiret. Nemo sane dubitat, posteriore Synodo facta, aliisque examinatoribus electis in priore Synodo electorum officium cessare, quod ex ipsis Concilii Tridentini verbis deducitur, postulantibus, singulis annis in diœcesana Synodo examinatores proponi, probarique oportere. Eo redigitur difficultas, quid juris primum, si ex examinatoribus aliqui intra annum vel supremum diem obierint, vel longo a diœcesi abesse cœperint, nec brevi redditurі credantur; deinde quid juris, si post annum, aut diuturnius tempus nova Synodus minime celebretur? In prima specie arbitror, si adhuc in diœcesi sex examinatorum numerus superest, nihil esse innovandum, quum is numerus menti Tridentinorum Patrum satis congruat; ac si forte numerus ille non supersit, non est deneganda potestas Episcopo cum consilio Capituli subrogandi eo usque, donec sextus numerus impleatur; etiamsi forte adhuc tres superfuerint, per quos possit forma examinis obtineri; etenim alium esse voluerunt Tridentini Patres numerum constituendorum examinatorum, alium numerum examinatorum, vocandorum, prout res incidit, sive quoties fit concursui locus, arbitrio Episcopi, ut integrum maneat in seligendis examinatoribus Ordinarii arbitrium; quamquam tamen Vicario Capitulari eam potestatem non facile adseramus, cum in Episcopi solius, seu etiam ejus Vicarii arbitrio res hæc tota a Tridentino Concilio commissa legatur. In altera specie non defuerunt, qui putarent, elapso anno ipso jure examinatorum officium exspirare, quasi formula illa Tridentini Concilii *singulis annis* id postulet. Verum verba illa *singulis annis* non per se consistunt, sed sequentibus *in diœcesana Synodo* cohærent, quasi diceretur, renovandos esse examinatores in Synodis diœcesanis, quæ debent annis singulis celebrari. Hinc ne alias negligeretur forma concursus ob defectum examinatorum, concludemus, officium illorum ultra annum usque ad sequentem Synodum prorogari. Quod si examinatores ipsi defecerint, ut sex numerari amplius nequeant, deneganda erit Episcopo facultas alios designandi; est enim, quod Episcopo imputetur, si Synodum minime cogat, quam cogere ex canonum sanctione tenetur, ibidemque non curet alios substitui.

CAPUT V.

Per quas singulares Personas, seu dignitates, vel officia, ecclesiastica jurisdictio exerceatur.

QUÆ in præcedente capite tradita sunt, pertinent ad jurisdictionem Ecclesiasticam in publicis Ecclesiæ comitiis exercendam. Sunt etiam in Ecclesia singulares personæ jurisdictione pollentes, quarum aliæ communi, aliæ speciali jure illam explicant. Memoro in primis Pontificem Maximum, ejusque Legatos, deinde majores Antistites quocumque nomine appellentur, id est, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, sive Metropolitarum, post quos laudo minores Episcopos, qui Archiepiscopis subsunt; atque his proxime accedunt Abbates nullius, ut vocant, diœcesis. Post hos collocabimus Prælatos in

feriores numero plurimos, seu jurisdictionem in foro tantum interno exercentes, uti sunt Parochi, seu jurisdictione etiam in foro externo utentes, sive regulares, sive sæculares Prælati appellentur, quorum discrimina in sequentibus dissertationibus sigillatim erunt observanda. Tantum initio generaliter adnotandum est, potestatem jurisdictionis, seu modum ejusdem exercendæ variis consuetudinibus, præscriptionibus, privilegiis, reservationibus obnoxium esse; quod, uti initio adnotavimus, ejus origo non eadem omnino sit, quæ est ordinis: videlicet ex jure gentium, & ex generali regiminis sacri natura proficiscitur, quæ varia esse potest pro rerum, locorum, temporumque adjunctis, prout rerum earumdem sacrarum ratio, & Ecclesiæ utilitas postulat.

Non est tamen hoc in loco omittenda generalis discussio de ecclesiasticarum dignitatum collatione invicem facienda, ut dignoscatur, quæ unius sit supra alteram prærogativa, atque præstantia, unde fiat, ut in concursu una alteri sedem, locumque concedat. Non ambitum fovent, ut perperam nonnulli visum est, hujus generis controversiæ, quando potius ambitum perimunt, statutis certis regulis, quibus unusquisque intra limites sibi constitutos contineatur, non honorem imminuat, non locum occupet alienum; immo ad hoc dispensationis divinæ provisio gradus diversos, & ordines constituit esse distinctos, ut, dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diversitate contextio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum; neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret, can. 7. dist. 89. Istud est, quod ajebat Calistratus in l. 19. ff. de offic. Præsid., ex conversatione æquali contemptionem dignitatis nasci, & quod Ulpianus in l. 4. §. 4. ff. de offic. Procons., turbari Provincias, si non ex ordine dignitates excipiantur. Huc pertinebat sollicitudo Nicænorum Patrum, dum in can. 14. dist. 93. caverunt, ne Diaconi quidquam Presbyterorum honori detraherent: huc etiam sollicitudo Imperatorum Theodosii & Justiniani in suis codicibus titulos inscribentium latis ad eam rem legibus: *ut dignitatum ordo servetur*, a quo non longe distare videtur Gregorii IX. titulus *de majoritate, & obedientia.*

Ut certis regulis id nos conficiamus, observamus in primis, quoniam nonnisi duo in Ecclesia præstantiam habent, ordo scilicet, & jurisdictio, committi invicem posse, vel cum ordine ordinem, vel cum jurisdictione jurisdictionem, vel jurisdictionem cum ordine. Hinc primo concludimus, ubi ordo unus cum uno ordine, id est, quibus nulla jurisdictio adhæreat, concurrit, majorem ordinem minori præferri, Episcopum ex. gr. Presbytero, Presbyterum Diacono &c. can. 14. dist. 93. cap. 15. de major. & obed.. At si par utrobique ordo sit, seniorem juniori, id est, antea ordinatum recentius ordinato præferri, can. 7. distinct. 17., can. 1. dist. 18., Concilio Tridentino sess. 24. de reform. cap. 2. ibi: *Coepiscopus antiquior*, nisi agatur de eo, qui fuerit a Papa ordinatus, qui aliis præfertur, cap. 7. de major. & obed., juncto cap. 7., & 12. de præb. in 6.. Secundo definimus, ubi jurisdictio cum jurisdictione concurrat, spectandum esse, an æqualis utrimque jurisdictio sit, an inæqualis; item in utrimque jurisdictio ordini eidem cohæreat, an diverso. Ubi æqualis utrimque jurisdictio est, æqualis etiam ordo, senior juniori præferetur, uti contingit, in Coepiscopis, quemadmodum probant canones modo laudati; quod verum est, si ejusdem generis sit jurisdictio; nam in diversi generis jurisdictione altera alteri præstat; sic jurisdictio externi fori dignior est jurisdictione fori interni, criminalis civili, ordinaria mandatæ præfertur; item ea, quæ veram jurisdictionis formam habet, illi, quæ per modum tantum arbitrii exerceatur.

Item non erit recipienda eadem regula, si, ubi æqualis sit ordo, & jurisdictio, non tamen æqualia sunt dignitatis ornamenta. Hinc inter Abbates ordine, & jurisdictione pares, mitrati non mitratis regulariter præferuntur, cap. 6. de privilegiis in 6.. Ubi jurisdictio minor est, ordo æqualis, jurisdictione major præfertur ordine æquali, uti contingit in Archiepiscopis respectu Episcoporum. Potiore propterea ratione præfertur jurisdictione & ordine major ordine & jurisdictione minori. Ubi jurisdictio æqualis est, ordo minor, major ordine præfertur jurisdictione æquali: sic Episcopi præferentur Abbatibus jurisdictionem quasi episcopalem habentibus. Ubi major est jurisdictio, ordo minor, potior est ratio majoris jurisdictionis habenda; qua ratione Archiepiscopus necdum consecratus Episcopo suffraganeo consecrato dignior habetur, & Vicarius Generalis Metropolitani, cum eo officio fungitur, suffraganeos Episcopos, utut non Episcopus, præcedit, can. ult. dist. 93., eodemque jure Pontificii Legati non Episcopi, ubi muneri incumbunt, Episcopis præferuntur, non tam ex eo, quod alienam, & digniorem personam exhibeant, quam quod in hoc quæstionum genere jurisdictio potius, quam ordo attendatur; cujus rei argumento est, quod si concurrat cum Episcopo juniore Vicarius Episcopi senioris, non Vicarius Episcopo, sed Episcopus, qui alias seniori Episcopo cederet, Vicario senioris Episcopi præferatur, quasi etiam is dignitatem tanquam Vicarius exhibeat, non ætatem. Ratio vero, cur in hujus generis controversiis jurisdictio potius, quam ordo consideretur, in eo primum, meo judicio, consistit, quod potestas ordinis per se refertur ad Corpus Christi verum, uti initio adnotabam, vix, & nonnisi in paucis, ad corpus Christi mysticum; at potestas jurisdictionis tota in corpus Christi mysticum exerceatur. Dignitas autem, & præeminentia tota spectat corpus Christi mysticum, seu membra Ecclesiæ inter sese invicem comparata. Deinde adjicere possum, potestatem ordinis potestate jurisdictionis esse recentiorem, tanquam illam, quæ jam jure gentium constituta jurisdictioni sacrorum accesserit, non eam in fastigio distinctis numeris collocaverit, sed jam suis quamque in sedibus collocatam invenerit, ac tantum nitidius exornaverit. Exinde tertio loco facile proficiscitur, ubi jurisdictio sola, sive nulli ordini adnexa, cum uno ordine, seu cui nulla cohæreat jurisdictio, concurrat, jurisdictionem ordini anteferri oportere; uti contingeret in Abbate non ordinato, aut in Vicario generali vix clericali tonsura initiato jurisdictionem episcopalem, aut quasi exercentibus.

Cæterum utut certa, aut saltem probabilia videantur ista principia hucusque jacta, verum tamen est, disciplinam hanc, ut vocant, majoritatis (quæ sane multum a superioritate distinguitur, argumento legis 7. §. 1. ff. de captivis) moribus potius, & consuetudine, regi, ut is eum locum tenere pergat, quem se hucusque tenuisse demonstret, cap. 6. de consuetudine, cap. 9. de probationibus; quod quidem recipiendum est, ubi æqua sit dubitandi ratio; nam si omnino temere locus usurpatus adpareat, nihil erit, quod judicem movere possit, ne omnia in pristinum restituat, can. 20. & 24. dist. 93., cap. 17. de privilegiis. Item in consuetudine observatione dignum est, non attendi postremas quasdam ordinum immutationes, quæ potius ex urbanitate originem habuerunt, quæ sane nullum jus inducunt, argumento l. 31. ff. de oper. libert., vel quibus singularia quædam temporum, & locorum, aut personarum adjuncta occasionem dederunt, argumento legis 14. ff. de exceptione rei judicatæ, & legis 123. §. 1. ff. de regulis juris. Ne vero occasione hujusmodi controversiarum aliquando conventus publici turbentur, jamdiu obtinuit, ut inter contendentes palam fiant protestationes, ne ex facto jus alicui adquiratur, quemadmodum constat factum fuisse in Con-

cilio Tridentino, sive in fine sessionis 2., sive in fine sessionis 25. de reformatione sub titulo de loco oratorum. Insuper Concilium idem Tridentinum in sess. 25. de Regularibus cap. 13. cavit, ut controversiæ omnes de præcedentia, quæ oriuntur inter ecclesiasticas personas tam sæculares, quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum cadaveribus, ab Episcopo, amota omni appellatione, componantur; quod tamen decretum non ubique receptum esse testatur Jacobus Gothofredus in libello de jure præcedentiæ part. 1. cap. 2. in notis litera G.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE PONTIFICE MAXIMO.

CAPUT I.

De Pontificis Maximi dignitate, auctoritate, ac jurisdictione in Ecclesia universa.

QUOD recentiores hæretici numero plurimi Joannem Wiclefum veluti antesignanum secuti tradere a sæculo primum Ecclesiæ decimoquarto cœperunt, nullam esse supremam in Ecclesia potestatem divino jure constitutam; non Petrum supra Apostolos cæteros jurisdictionem obtinuisse; neminem propterea esse debere ex Episcopis, qui se Petri successorem in Primatu dicat, seque eo nomine cæteris præferat, recta colligentes, Romano Antistiti divino jure cæteros Episcopos esse pares etiam jurisdictione, ac potestate; hodierna ætate tot virorum eruditissimorum studiis, atque elucubrationibus adeo confectum est, ut nihil omnino adjici præterea possit. Paucis dicam, sacras literas singularem, & maximam Petri supra cæteros Apostolos potestatem docere apertissime, Matthæi cap. 10., & 16., Lucæ cap. 22., Joannis cap. 21., item præcipuas in gravioribus ecclesiasticis causis fuisse inter Apostolos Petri partes, Actorum cap. 1. 2. 3. 4. & 15., denique Romanum Antistitem agnitum fuisse tanquam Petri successorem, & totius Ecclesiæ Principem constantissima Ecclesiarum omnium traditione. Perpetuus Latinæ Ecclesiæ labor in retundendo Græcorum ambitu jurisdictionem Romani Episcopi evadere conantium, Latinorum traditionem perspicue demonstrant. Orientalis autem Ecclesia vel in ea ipsa causa, qua aliquando se a Romanæ Sedis obedientia subducere conata est, maximum in Romana ipsa Ecclesia constitutum Pontificatum se testata est agnovisse. Undenam enim Constantinopolitani Patriarchæ veteres, quorum deinde voluntatem, & ambitum apertius explicavit Anatolius, vix absoluto Chalcedonensi Concilio, moliti sunt, ut cæteris etiam Patriarchis præferrentur, uno excepto Romano, nisi quod Constantinopolis, translata in eam Imperiali Sede, junior Roma appellaretur? Undenam sæculo sexto Joannes jejunator dictus & ipse Constantinopolitanus Antistes, universalem se Episcopum nominavit, nisi quod crederet, Romanæ Sedis privilegia

Sedi, quam tenebat, facta fuisse communia? Quod si amplius recentiores Constantinopolitani Episcopi, præ cæteris Photius, ausi sunt, facto schismate, potissimum ex eo sibi adserere conati fuerunt Pontificatum Maximum a Romanis in se translatum, quod Latinum Imperium translatum esset ad Græcos: quæ sane rationes ab hominibus Romanæ Sedi acriter infensis derivatæ invictissimæ sunt ad demonstrandam generalem utriusque Ecclesiæ consensionem in eo, quod & Sanctus Petrus, & Romani Antistites post Petrum, Primatum in Ecclesia gesserint, utut schismatici iidem Græci alio ab urbe Roma transferri quandoque Primatum posse falsa opinione sibi blanditi fuerint, atque sibi adserere revoluto imperio non dubitaverint.

Quid in contrarium hæretici adferre soleant, minime recenseo, hanc Provinciam Theologis relinquens, quorum potissimum est dogmata fidei adserere, vindicare. Non debeo tamen prætermittere, quod meum esse posse videtur, interpretationem quorumdam monumentorum, quæ in Codice canonum exhibentur, quorum aliqua a veris catholicis proferuntur ad firmandum Romani Antistitis Primatum, quamquam argumento non satis idoneo, aliqua proferuntur ab hæreticis causa infirmandi dogmatis: atque in hac re, licet damnem hæreticorum perfidiam, dum in præsidium hæreseos suos sacros canones torquere conantur, laudare tamen non possum nimium catholicorum illorum ardorem, quo correpti leviora gravioribus congerunt argumenta, forte etiam facili negotio enervanda. Non indigent inanibus subsidiis Catholicæ Ecclesiæ dogmata, de quorum veritate aliunde constat evidentissime. Catholici quidam ad confirmandum Romanæ Ecclesiæ Primatum in medium adtulerunt canonem 6. dist. 65., qua in parte ibidem traditur, Romano Episcopo *parilem esse morem*, ut Episcoporum habeat potestatem. Est is canon sextus ex Nicænis, & propterea conjungendi erunt cum eo Gratianeo fragmento canon 8. dist. 64., & canon 1. dist. 65. Verum canon iste Nicænus ad rem parum pertinere videtur, editus adversus Meletium in Thebaide Episcopum, qui Alexandrino, cui suberat, inscio Antistite, Episcopos ordinabat; atque in eo cavebatur, ne Alexandrino Episcopo inconsulto, Episcopi ordinarentur in Alexandrina diœcesi constituendi, argumento a simili petito ex Romana diœcesi, in qua nullus ordinabatur Antistes, inscio Episcopo Romano. Sunt hæc, quis non videt? jura potius Metropolitica, seu Patriarchalia, quam jura Primatus. Plura hoc in loco non congero, propterea quod jam Nicænum eumdem canonem expenderim in meis animadversionibus in codicem Gratiani. Plura e contrario monumenta sunt ex codice canonum deprompta, quibus utuntur Hæretici ad Primatus jura evertenda. In primis objiciunt canones 33. & 37. caus. 2. quæst. 7., quorum prior Hieronymo adscriptus est, posterior Ambrosio, ubi videtur Paulus Apostolus Petro Apostolo adeo æquiparatus, ut par agnita videatur utriusque potestas; adeo etiam, ut quis cui præferatur, in incerto esse videatur. Equidem neminem movere debet canon 33., utpote qui nullibi inter opera Hieronymi reperitur; immo Hieronymi sententiis nunquam congruere potest, quando certum est, Hieronymum reprehensionem Petri a Paulo, de qua sermo fit in epistola ad Galatas cap. 2., non vere, & ex animo factam credidisse, sed utili quadam simulatione, ut nimirum uterque populus salvus fieret, dum & qui circumcisionem laudabant, Petrum sequerentur, & qui circumcidi nolebant, Pauli prædicarent libertatem. Ita scribebat Hieronymus idem in epistolam ad Galatas cap. 2., ad cujus argumentum pertinet canon 21. caus. 22. quæst. 2. In conspectu hujus Hieronymianæ doctrinæ, quomodo tribui possunt Hieronymo ea verba canonis 33. caus. 2. quæst. 7. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non im-*

parem sciret? Omitto lubens alias, & quidem gravissimas interpretationes Catholicorum virorum sano modo, & sine injuria Primatus Petri, laudatum monumentum intelligentium; statim ac enim de auctore canonis minime constat, frustra in adsequenda auctoris mente laboraretur. In canone 37., incerti sane auctoris, cum sermo ille, ex quo depromptus est, ab aliis Ambrosio, ab aliis Augustino, ab aliis Maximo Taurinensi adscribatur, non de potestate fit sermo, & jurisdictione, sed de meritis, & corona martyrii, quemadmodum contextus ipse demonstrat, quod sine Petri contumelia dici poterat; quemadmodum sine Petri contumelia Augustinus ipse professus est, se in martyrii gloria comparare potuisse Petro Cyprianum, utut Cyprianum longe minorem Petro auctoritate profiteretur, can. 35. caus. 2. quæst. 7. Secundo objiciunt canonem 26. caus. 11. quæst. 1. depromptum ex canone 9. Concilii Chalcedonensis, in cujus conspectu liquet, postremum clericorum, Episcoporumve judicium apud Constantinopolitanum Antistitem discuti, ac dirimi oportere. Verum nemo ignorat, canonem istum esse fetum ambitus Anatolii Constantinopolitani Episcopi, dignitatem suam, & jurisdictionem nimium late extendentis, & perperam sub nomine Chalcedonensis Concilii laudari. Ego jam id adnotavi in meis animadversionibus in Gratianum, ubi ita & canonem interpretatus sum, ut Romano Primatui minime officiat. Denique objiciunt canones 3. & 6. dist. 22. ubi magni fit auctoritas Patriarchæ Constantinopolitani. Verum præterquamquod ibidem intuemur Constantinopolitanum Patriarcham Antistiti Romano subjectum, quæ ad eos canones recte illustrandos pertinent, jamdiu adnotavi in laudatis meis animadversionibus in Codicem Gratiani, ad quas curiosum lectorem, nisi gravetur, lubens remitto, sperans, eum commode conclusurum, nihil ex iis monumentis adversus Primatum Romanæ Sedis posse deduci.

At quanto facilior est definitio, qua concludatur, Romanum Antistitem esse universæ Ecclesiæ Principem, tanto salebrosior est disquisitio, in quonam consistat iste universæ Ecclesiæ Principatus. Paucis ego ita edissero. Quousque inter Apostolos tributæ non fuerunt Provinciæ, item quousque inter successores Apostolorum nondum tribuendæ diœceses fuissent, ita erant a Petro, & Petri successoribus Primatus jura explicanda, ut in primis solus Pontifex Maximus ea gereret, quæ universam Ecclesiam uti universam spectarent; deinde ut solus ipse Pontifex Maximus Episcopo cuicumque immediate præsent, ipse defectus cæterorum suppleret, excessus corrigeret, & prout ecclesiastica necesitas, vel utilitas postularet, illos intra certos limites causarum, vel locorum, vel personarum cohiberet. En duplicem supremam potestatem, & veluti generalem, ex qua Primatus Pontificius coalescit. Et quidem utraque potestas perspicue deducitur ex Sacris ipsis literis. Nimirum potestas administrandi, ea quæ ad universam Ecclesiam spectant, uti universam, adparet in capite 16. Matthæi, ubi Christus singulari sermone Petrum allocutus, eidem quæcumque ligandi, solvendique facultatem super terram concessit; neque alio modo potestas singularis Petro his verbis data a potestate concessa cæteris Apostolis distingui potest, quam interpretando verba Christi in Petrum directa de potestate regendi Ecclesiam uti universam, & verba Christi in cæteros Apostolos directa de potestate regendi Ecclesiam juxta modum deinde inter ipsos ex utilitate Ecclesiarum definiendum. Potestas vero altera Petro concessa regendi etiam Prælatos Ecclesiæ, & eos omnes cum jurisdictione in officio continendi, adparet in cap. 22. Lucæ, ubi a Christo legimus Petro mandatum, ut ipse aliquando conversus confirmaret Fratres suos. Post distributas provincias, & diœceses, non quidem a divinis institutionibus recessum fuit (neque enim recedi ab

iis poterat), sed supremæ illius potestatis usus ad elegantiorem quamdam formam redigi debuit. Etenim ubi plures inter Prælatos Ecclesiæ constituti sunt gradus, uni certa diœcesis sub nomine Episcopi adsignata fuit; alteri certa provincia præter diœcesim sub nomine Archiepiscopi, seu Metropolitani; alii certa natio præter diœcesim, & provinciam sub nomine Primatis; alii amplius quoddam territorium plures in se & diœceses, & provincias continens præter singularem diœcesim, provinciam, & nationem sub nomine Patriarchæ, vel Exarchi. Hinc fieri cœpit, ut in Romano Antistite singulares plures dignitates eniterent, qualis esset Romanæ diœceseos Episcopi, quam cum Episcopis cæteris, Romanæ provinciæ Archiepiscopi, quam cum Archiepiscopis aliis, finitimarum aliquot provinciarum Primatis, quam cum reliquis Primatibus, totius Occidentis Patriachæ, quam cum Orientalibus Patriarchis communem haberet, tandem ipse solus supremam Pontificatus Maximi dignitatem, ac potestatem divino jure sibi datam retineret, explicaret. Quamobrem hodie dignitates istæ Pontificum Maximorum recto ordine cumulatæ dispiciendæ semper erunt, ut singularis, & uniuscujusque propria vis, ac facultas intelligatur, & ratio, prout res incidit, habeatur, dummodo semper illud præ oculis positum sit, veram, & primigeniam Pontificatus Maximi naturam in eo consistere, ut primum ab uno Pontifice Maximo Ecclesiæ universæ, uti universæ, negotia pendere debeant, deinde ut Episcopi cæteri, quacumque dignitate fruantur, illi subsint, servato constituto ordine, ubi opus, aut opportunum sit, adjuvandi, confirmandi, corrigendi, plectendi, uno verbo, eo utilioribus modis dirigendi, quo Ecclesiæ omnes eam sortiantur fidelem administrationem, quam Christus Dominus, a quo omnis potestas in Ecclesiam derivat, gerendam præordinavit, aut earumdem Ecclesiarum utilitas postulat; quæ duo, uti dictum est, veluti summa sunt capita generalis illius in totam Ecclesiam potestatis. Hinc sane intelligimus, qua ratione pertineat ad Pontificem Maximum Episcopos ad generale Concilium convocare, convocatæque Synodo præesse, item ea disponere, quæ ad propagationem fidei latius extendendam conducunt, certas præterea leges constituere in omnibus diœcesibus regulariter observandas, causa seu confirmandæ fidei, seu doctrinæ morum stabiliendæ, tuendæque, seu indicendæ in disciplina unitatis; hæc enim singula cum similibus Ecclesiam universam uti universam respiciunt. Hinc insuper intelligimus, qua ratione factum fuerit, ut quædam induci potuerint, aliquando etiam debuerint, reservationes, devolutiones, exemptiones Sedis Apostolicæ gratia; ut appellationes ad Sedem Apostolicam ab Episcoporum sententiis probarentur, aut alia his similia, quæ aut sui natura indicant, inferiorum Antistitum excessus cohiberi, aut suppleri defectum ea ratione debuisse.

Non est hic locus immorandi diutius in singulis fusa oratione exornandis, quoniam plurima suis locis accommodata in meis tractationibus ex ordine reperiuntur. Tantum nonnulla dicam de appellationibus ad Sedem Apostolicam admittendis undecumque, quod constantissime in Ecclesia Dei a primis etiam sæculis derivata, & ad nostra usque tempora producta disciplina probat, atque confirmat. Mihi semper visum fuit gravissimum hoc argumentum. Appellatio subsidium est miseris, quo ad superioris judicia provocatur, ut inferioris Judicis, qui sententiam injustum aut ex imperitia, aut ex dolo pronuntiavit, sententia reformetur. In vim Pontificii Primatus subsunt universi Episcopi jurisdictioni Romani Antistitis, sive defecerint, sive excesserint, corrigendi, uti superius demonstratum est; ergo a sententiis Episcoporum admittenda appellatio est ad Apostolicam Sedem. Quoniam vero etiam scriptis canonibus probanda res esset adversus eos, qui forte contra sentirent

immo & interpretatione commoda illustrandi sunt quidam canones, qui in medium proferuntur ab iis, qui disputare de hac re non dubitant, profero in primis canones Concilii Sardicensis 3. & 7., qui referuntur apud Gratianum in can. 36. caus. 2. quæst. 6., & can. 7. caus. 6. quæst. 4.. Varias eorum canonum editiones, immo & eorumdem edendorum canonum causas exhibui in meis adnotationibus in Codicem Gratiani; ex quibus tamen constantissime deducitur, jam ab antiquissima ætate agnitam fuisse hujusmodi appellationum disciplinam, & jam eo sæculo adparere, quo primum condi canones scripto cœperunt. At in contrarium objici solet canon 15. Concilii Antiocheni, seu canon 5. caus. 6. quæst. 4.. Num quisquam in ejus conspectu forte judicavit, Antiochenos Patres a Conciliis Episcoporum Provincialibus nullam, ne ad Apostolicam quidem Sedem, appellationem admisisse? Ita visum fuit Christiano Lupo, qui exinde præcipiti consilio occasionem arripuit detestandi & canones, & Synodum ipsam Antiochenam. Balsamon Græcus interpres mitius scribens ait, eum canonem sublatum fuisse in Synodo Sardicensi, non tamen huic opinioni satis fidens ita prosequitur: *Sin autem hoc nolis dicere, interpretare canonem, & dic, fieri condemnationem a Synodo, in quam non cadit appellatio, ut a Papa, vel a Patriarcha Constantinopolitano.* Insuper habeamus in præsentia, quod interpres in Græco schismate enutritus de Patriarcha Constantinopolitano adjecit: longe ipse aberrat a proposito Antiochenorum Antistitum, qui aperte de Provincialibus quibuscumque Synodis sermonem instituerunt. Alexius Aristinus adfirmat quidem, eo canone interdictam esse quamcumque appellationem a Conciliis Provincialibus interponendam, eos tamen, qui contra sentiunt, benignius, humaniusque sentire, ac propterea esse ipsis Antiochenis Patribus anteferendos, immo eo etiam progreditur, ut tradat, contrariam opinionem placuisse eisdem Antiochenis Episcopis in can. 4.. Quis huic opinioni facile subscribat, qua sibimetipsis Antiocheni Episcopi contradixisse ferantur? Gratianus, quem Canonistarum fere omnium turba secuta est, ad eum canonem adnotavit, canonem esse intelligendum, ea adjecta exceptione: *nisi ad Judicem majoris auctoritatis fuerit provocatum.* Mihi sane rem hanc ad rectam rationem exigenti ab omnibus his interpretationibus recedendum videtur, atque ita omnis dirimenda controversia, ut & apellationibus ad superiores ordines faciendis nihil detrahatur, & integra maneat optima Antiocheni Concilii constitutio. Observo, apud veteres receptissimas quidem fuisse boni publici causa appellationes, ne scilicet innoxii impune ob quorumdam Judicum imperitiam, ne improbitatem dixerim, damnarentur; non tamen appellationes istas in reipublicæ ipsius dispendium detorqueri aliquando potuisse; quod sane contigisset, si facta fuisset litigantibus potestas appellandi perpetuo, etiam post sententias plures, seu ejusdem sententiæ per plures, & diversos Judices confirmationes. Coercenda etiam erat nimia, & importuna appellandi licentia, ne lites perpetuæ fierent, neve temere litigantes vix temere susceptæ litis pœnam sentirent. Hinc saluberrime aliquando constitutum scimus, ut qui post triplex judicium constanti Judicum sententia fuisset damnatus, appellandi facultate deinceps destitueretur. Id apud Græcos olim obtinuisse, Plato testatur in Dialogo 6. de legibus, vel legum latione, quod & abs Justiniano confirmatum est in l. un. cod. ne liceat in una eadem caus. tertio provoc., auth. *Siquis litigantium* cod. de Episcop. audient.; quibus addi potest capitulum 65. de appellation.. Quis exinde facile non deducat, qualis revera fuerit mens Antiochenorum Antistitum, quum post concordem Concilii Provincialis sententiam nihil amplius effugii voluerunt superesse damnatis? Videlicet ordo causarum ecclesiasticarum is erat, ut primo res coram Diœcesano discuteretur,

deinde post ejus sententiam deferretur ad Metropolitanum, demum vero ad Concilium, in quo omnium Comprovincialium Episcoporum auctoritas intercederet. Loquimur profecto de Provinciali Concilio, in quo non triplex tantum concors judicium agnoscere fas est, sed tot judicia, quot Episcopi ad Concilium convenerunt. Et sane si concors omnium sententia in Concilio fuisset, qualis etiam in superioribus judiciis per Episcopum, atque Archiepiscopum prodita fuerat, quis plenæ Concilii sententiæ, nisi temere litigans, adquiescere non debuisset? Hinc potius Antiocheno canone coercita fuit litigantium temeritas, quam detractum fuerit jurisdictioni superiorum Antistitum, ad quos appellatio jure sit admittenda. Quæ interpretatio consonat Gratiani verbis, ibi: *ab omnibus Episcopis,... unam, consonamque sententiam... quæ ab omnibus prolata est* &c., eodemque modo consonat aliis Latinis Græci canonis versionibus. Si cui adhuc difficultatem faciat laudatus Sardicensis canon, quo non tanquam suprema habetur Concilii Provincialis sententia, facile canonem canoni conciliabit, ajendo, in Sardicensi Concilio de ea causa agi, quæ non concordi Episcoporum judicio absoluta fuisset; aut observando, Antiochenos Episcopos utpote Græcos consuetudini paruisse in tribunalibus Græcorum receptæ de non producendis ultra triplex judicium appellationibus, quæ tribunalium disciplina tempore Concilii Sardicensis ad occidentales Provincias nondum traducta fuerat, nec propterea confirmari commode poterat in Sardicensi fere occidentalium omnium Concilio. Tandem ea disciplina communis fieri potuit & orientali, & occidentali imperio post editam generalem legem abs Justiniano Imperatore, qualis adparet in l. un. cod. ne liceat in una, eademque causa tertio provocare, juncta nov. 82. cap. 5. Nondum expedita res in conspectu veterum canonum; siquidem adhuc superest expendendus canon 22. Milevitani Concilii anni 416., relatus a Gratiano in can. 35. caus. 2. quæst. 6. & in can. 34. caus. 11. quæst. 3. cujus etiam sententia renovata fuit ab Africanis Episcopis in Concilio Carthaginensi anni 418. sub Aurelio can. 28., relata in codicem canonum Africanæ Ecclesiæ cap. 28. & 125.. Sanxerunt ibidem Africani Antistites, ad transmarina judicia non debere appellari, quod apud ipsos idem erat, ac definire, non esse ad sedem Apostolicam appellandum. Ignorabant Africani Antistites Sardicense decretum, quando non semel statuerunt, omnia negotia in Conciliis Provincialibus, aut totius Africæ Nationalibus, terminari oportere; non sane ex eo, quod Apostolicæ Sedis judicia temnerent, & non tanquam superiora venerarentur, sed potius, ne perfidia temere litigantium fieret ut appellatione ad transmarina judicia interposita, sententiæ Conciliorum Nationalium effectu suo diutius frustrarentur. His appellationum suffugiis abutebantur Hæretici, præsertim Pelagiani, ac Cælestiani, qui in Africa diras contentiones Ecclesiarum movebant, fovebantque; ipsi enim appellationum prætextu sanctorum Africanorum Antistitum sententias illudebant, pessimumque hæreseon virus latius interea effundere non dubitabant. Nemo profecto ex prudentibus ignorat, summi juris apices aliquando cum æquitate committi, ut si forte æquitatem sequaris, in jus impingere, si e contrario summo juri adhæreas, æquitatem certis in casibus lædere videaris. Itaque Africani Antistites superiorem noverant in Romana Ecclesia potestatem, ac propterea summo jure ad eamdem appellationes interponi posse non inficiabantur. Tantum appellationes illas in iis adjunctis denegare voluerunt propter abusus, æquitate quadam sibi proposita summi juris regulas non attendentes. Ita statuerunt in Milevitano laudato Concilio anni 416., ita etiam in subsequente Concilio Carthaginensi anni 418.. Quando vero canones illi æquitate potius, quam jure editi perpetuam reddere non pote-

rant disciplinam, quum anno 419. aliud celebraretur in Africa Concilium, Legati Romanæ Ecclesiæ, qui eo convenerant, proposuerunt, ut generaliter decerneretur, liberam illinc esse debere appellationem ad Romanam Ecclesiam, allegantes, illud jam in Nicæno Concilio constitutum fuisse. Rati hinc Antistites Africani, suam a Legatis sanctionem improbari, quam in duobus præcedentibus Conciliis ediderant, quasi ne æquitatis quidem prætextu a Nicænis regulis, quas tunc adamussim custodiri plurimum intererat, recedere potuissent, responderunt, se quidem omnes Nicænos canones custodire, servare; dubitare tamen, utrum ea, quæ de appellationibus proferebantur, vere fuissent in Nicæno Concilio definita. *Nos servaturos profitemur* (ajebat ibidem Alypius Episcopus Tagastensis) *quod in Nicæno Concilio constitutum est, adhuc tamen me movet, quomodo cum inspiceremus Græca exemplaria hujus Synodi Nicænæ, ista ibi, nescio qua ratione, non invenimus.* Hinc postulatum est, ut Legati mitterentur Constantinopolim, Alexandriam, & Antiochiam, unde acta Nicæni Concilii integra haberi possent, etiam exorantes Pontificem Maximum Romanum, ut & ipse omnem sollicitudinem in obtinendis Nicænis optimis exemplaribus conferret, interea vero liceret unicuique Provinciæ morem suum servare, in qua sententia fuit & Augustinus Hipponensis, qui Concilio illi subscripsit, adjecta clausula: *salva diligentiore inquisitione Concilii Nicæni.* In errore facti versabantur, qui Nicænos canones proposuerant; erant enim potius canones Sardicenses, quod contigere potuit, vel quia Sardicense Concilium tanquam appendix Nicæni haberetur, vel quia in codice canonum, quem Legati Pontificii præ manibus habebant, Sardicenses canones subjecti essent Nicænis, unde facile a Nicænis non secernerentur. Neque puto, Africanos habuisse compertos specialiter Sardicenses canones, & jam tum in suos codices recepisse; ex eo enim facile errati causam deprehendissent. Itaque res postmodum explorata fuit; tum autem post receptos in Africa Sardicenses canones, a Concilio Milevitano, & Carthaginensi recessum est. Receptos vero Sardicenses canones non multo postea Fulgentius Ferrandus Afer testificatur, quando eos memorat in canone 59. sui Breviarii, ibi: *ut adjudicatus Episcopus ad Apostolicam Sedem, si voluerit, appellet. Concilio Sardicensi tit. 5.*, & Crisconius etiam Afer in cap. 159. sui Breviarii, ibi: *ut inter discordes Episcopos Comprovinciales Antistites audiant: quod si damnatus appellaverit Romanum Pontificem, id observandum, quod ipse censuerit. Concilio Sardicensi titulo* 3. Ex his ego concludo, perperam ex Milevitano, & Carthaginensi canonibus quidquam colligi posse ad evertendam generalem disciplinam appellationum ad Sedem Apostolicam interponendarum.

Quicumque investigant, num Primatus Pontificis Maximi etiam in eo consistat, quod Pontifex idem ordinariam ubicumque, seu in singulis uniuscujusque Episcopi diœcesibus, jurisdictionem explicare valeat, unde in vulgare abiit adagium, Pontificem Maximum ordinarium ordinariorum existere, non videntur meo judicio parare sibi undecumque aptam de ejusdem Primatus ratione disputationem. Etenim proposita quæstio antevertere minime potest divisionem diœceseon, non divino, sed ecclesiastico, licet aut apostolico, aut pene apostolico jure inductam; Primatus autem potestas in jure divino anteapostolico & fundamentum habet, & causas: immo & longe distant hæc duo, Primatum habere in universa Ecclesia, & exercere ubicumque Sacrorum jurisdictionem; ne alias forte dicamus, Apostolos, aut Episcopos ante divisionem Provinciarum Primatum habuisse universos, utpote quorum potestas, ac jurisdictio nullis locorum finibus circumscribebatur; aut perpetuo Episcopos omnes Primatum jure habendos, si nusquam ad divisionem Provinciarum deveniendum judicavissent. Ubi ea disputatio facienda sit, a facto ma-

gis, quam abs jure petendam definitionem puto; ex eo nimirum, utrum divisis ecclesiastico jure Provinciis reservata ea potestas Pontificis Maximi gratia fuerit, quasi respectu supremæ illius dignitatis nulla divisio facta fuerit, seu nulli locorum limites designati. Et quidem statim adparere potest, Romanam diœcesim instar cæterarum fuisse constitutam; sed an hæc ipsa constitutio potius ideo emerserit, ne in eam finitimi Episcopi prosilirent, an ideo, ne Romanus etiam Antistes eam egredi ullo modo vi sui Episcopatus posset, non satis adparet. Quid ergo? Quando antiquissima divisionis, & tributionis illius gesta certis, & perspicuis documentis commendata non fuerunt, ex quibus sera posteritas judicaret, illud supererit, ut fidenter dicatur, eam habitam tunc fuisse Romani Episcopi rationem, qualis ex moribus sæculorum subsequentium demonstratur, quasi longus rerum gerendarum usus (observantiam Pragmatici dicerent) quid ab initio inter se convenerint dividentes, gravissimo sane argumento definiant. Deinde plurimum juvabit observare, quid agendum a dividentibus decuisset, ut illud actum a viris apostolicis prudentissimis præsumatur, quod honestius videretur. Si ista principia jaciantur, quid dubitamus, quin divisionem illam non obfuisset latissimæ Romani Antistitis potestati adfirmemus? dummodo tamen illud adjiciatur nihil exinde fore divisarum Ecclesiarum utilitati detrahendum, quam & ipse Antistitum omnium Princeps curare, & promovere ex Christi mandato tenetur, & quæ provinciarum divisione causam dedit maxime gravem: quod idem est, ac dicere, tum eam potestatem exerceri a Pontifice Maximo libere posse, cum ipse id interesse, atque expedire certis de causis minime contemnendis, prudenti arbitrio judicaverit. Itaque in primis si facta quærimus, ex quibus quinam fuerint Ecclesiæ mores, & facta dividentium Antistitum colligantur, primum observo, angustos admodum fuisse Romanæ diœceseos fines, qui vix urbem ipsam egrediebantur, uti probat Epistola Innocentii I. ad Decentium Eugubinum, ibi: *De fermento, quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ.* Verosimile autem non est, adeo augustos designatos fuisse Romano Antistiti terminos, ut amplior statim videretur alterius cujuscumque Episcopi diœcesis. Deinde factum illud egregium demonstro, & quidem antiquissimum, divisionis inter Petrum junctis Joanne & Jacobo, & Paulum juncto Barnaba initæ ita, ut Petrus cum Jacobo, & Joanne erga Judæos, Paulus cum Barnaba erga Gentes apostolico munere fungerentur, Epist. ad Galatas cap. 2.. Scimus enim servatam eam divisionem a Paulo, & Barnaba fuisse, ne Judæorum curam ipsi susciperent; servatam quoque fuisse abs Jacobo, & Joanne, ne Gentibus evangelizarent; Petro autem liberam fuisse in omnes, ubi opportunum videretur, potestatem; quod & Paulus idem docet in dicto cap. 2., nonnulla subjiciens de officio Petri erga Gentes, & factum Petri luculentissime commonstrat, quando Antiocheno Episcopatu relicto, Romam se transtulit, inter gentes Ecclesiam fundaturus. Fuit ista prima, de qua constat, regiminis sacri partitio, ad quam facile præsumuntur veluti ad normam, exactæ aliæ deinde factæ locorum, Provinciarumque partitiones. Plura sunt recentiora facta, quibus in singularibus diœcesibus Episcoporum certis de causis Romanos Antistites jurisdictionem exercuisse liquet, vel dum Concilia particularia celebrarentur, in quibus Legati Pontificii interfuerunt, quemadmodum ex superius laudato Africano Concilio anni 419. constat, ut omittam alia Concilia numero plurima; vel dum scimus, ubicumque semper licuisse Romano Pontifici uti pallio, quod argumentum est jurisdictionis, cap. 4. de auctorit., & usu pallii, vel etiam licuisse ipsi incedere in quacumque diœcesi

præeunte Cruce ad similis jurisdictionis argumentum, cap. 23. de privilegiis. Insuper verum est, quam maxime decuisse, ut dum Provinciæ dividerentur, singularis quidam honos primæ Sedi reservaretur, ut qui eam teneret, latius posset episcopalia munera gerere, ubi expedire judicaret, neque enim id adeo facile Coepiscoporum invidiam concitabat, dum certa in Principem suum obsequia ea ratione exhibuissent: siquidem si in Africa ille honos aliquando delatus est Carthaginensi Episcopo tanquam Africæ Primati, ut ipsi liceret, unde voluerit, ex Africa tota clericum ordinare, quemadmodum legitur in inscriptione canonis 55. codicis Africani; si similis prærogativa apud Græcos reservata fuit Episcopo Constantinopolitano, tanquam in Oriente Principem Sedem occupanti, ut honoratior haberetur illius Episcopatus, quemadmodum tradit Balsamon in notis ad canonem 17. Concilii Trullani, cui consonare videtur Novella Justiniani 3. cap. 2. in principio; si Patriarchæ Orientales experiebantur in universis diœcesibus jure Stauropegii, quo fiebat, ut monasteria quædam in diœcesibus inferiorum Antistitum ædificata benedicerent ipsi, &, cruce in iis erecta, jurisdictioni suæ reservarent, lege Diœcesana eximereht, quod antiquissima consuetudine, non schismatica usurpatione ab Orientalibus Patriarchis adquisitum ostendit Christianus Lupus in scholiis, & notis ad canones Conciliorum edit. Bruxull. pag. 653., conveniens quoque erat, ut ea, atque his similia nunquam denegarentur Romano Antistiti, eo etiam potiore jure, quo excellentior erat ejusdem supra Primates, ac Patriarchas cæteros Principatus. Immo & factum ipsum Episcoporum, seu Carthaginensis, seu Orientalium Patriarcharum, præsertim Constantinopolitani, facile indicat, similes facultates exercitas tunc fuisse a Romano Antistite, cujus unius exempla movere potuissent Primates illos, ut ab Episcopis ubi subjectis honorem in certis causis non absimilem postularent, quo pertinet argumentum canonis 6. dist. 22., ex quo constat, Constantinopolitanum Antistitem petiisse, ut eum honorem exciperet, qui Romano Antistiti deferebatur; & argumentum canonis 6. dist. 65., ex quo constat, Alexandrinum Episcopum certas sibi vindicavisse in suo Patriarchatu prærogativas, propterea quod *& Episcopo Romano parilis mos erat.* Nunc sane intelligimus, qua ratione dicere potuerit Bonifacius VIII. in cap. 2. de præb. in 6., plenariam dispositionem beneficiorum in universa Ecclesia ad Romanum Pontificem pertinere, quæ sane plenaria dispositio cum ordinaria non confunditur, aut ordinariam non excludit; qua item ratione Gregorius IX. in cap. ult. de foro compet. rescripserit, Episcopos immediate conveniri apud Sedem Apostolicam posse, adjecta ratione, quod Romana Ecclesia Ecclesiarum omnium mater sit, & magistra, argumento l. 33. ff. ad municipalem; qua itidem ratione ei, qui ordinatus sit a Pontifice Maximo, singularis honor in universis diœcesibus sit deferendus, cap. 7. de majorit. & obed., argumento cap. 7. & 12. de præbend. in 6., qua denique ratione Concilium Tridentinum in cap. 20. sess. 24. de ref. postquam constituisset, causas omnem ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognosci, atque omnino saltem infra biennium a die motæ litis terminari, nec antea aliis committi, nec avocari, statim subjecit, ab ea regula non solum excipiendas esse majores quasdam causas, quæ jam essent juxta canonicas sanctiones Sedis Apostolicæ judicio reservatæ, sed etiam illas, quas *ex urgenti rationabilique causa judicaverit summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis suæ manu propria subscribendum, committere, aut avocare.* Quare profecto Concilii Tridentini doctrina mirum in modum confirmat, quæ hucusque de lata Romani Antistitis in Ecclesias omnes potestate, ac jurisdictione tradidimus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT II.

Quibus modis jurisdictionem suam per se Romanus Antistes exerceat.

Huc referendus est titulus 2. & 3. libri 1.

DUobus potissimum modis jurisdictionem, potestatemque suam in universa Ecclesia Pontifex Maximus exercet, rescriptis, ac constitutionibus; prioribus nimirum generale jus perspicuum confirmans, obscurum explicans, dubium declarans, contractioribus formulis editum quandoque protrahens juxta mentem Legumlatorum, vice versa laxioribus verbis explicatum contrahens ex eorumdem Legumlatorum sententia; posterioribus vel novum jus edens, vel antiquum confirmans, vel antiquo quidquam adjiciens, vel nonnihil detrahens, vel in totum novis emergentibus causis abrogans, vel in novam quamdam formam immutans, vel denique clariore sententia illustrans.

Rescriptorum, ut ab iis exordiar, duo sunt genera, quorum alia sunt instar familiarium epistolarum, quoties scilicet Pontifices Maximi a quibusdam interrogantur, sive ob arctissimam, quam foveat amicitia, consuetudinem, sive consilii petendi causa, quasi a viro doctissimo, vel piissimo, & fere paterna charitate in fideles omnes adfecto: alia instar potius constitutionum sunt, quibus quid in certis facti adjunctis agendum sit, interroganti ex auctoritate præcipitur. Prioris generis rescripta quamplurima cernuntur apud veteres. Si enim inter ipsos antiquissimos Episcopos jurisdictione, atque ordine pares ea erat in rebus ecclesiasticis gerendis mutua cura, ac sollicitudo, ut alter alterum identidem consuleret in dubiis rebus præsertim gravissimis, vel consulenti pro rei merito responderet, vel demum respondenti morem gereret prudentissime, quemadmodum ex vulgatis Augustini, Cypriani, Basilii, aliorumque epistolis facile liquet; si ipsi etiam Pontifices Maximi aliquando nonnullorum Episcoporum consilia vehementer efflagitarunt; sic Leo Magnus Paschasinum Lilybæum Episcopum de cyclo Paschali consuluit, & Siricius in Epistola ad Mediolanensem Ecclesiam, quæ habetur inter Epistolas Ambrosii, ait: *Optarem ... ut vicissim discurrentibus literis sospitatis indicio juvaremur vestro*; sane frequentius contingere poterat, ut ab Episcopis cæteris interrogarentur Romani Antistites, quorum prudentiæ, sapientiæ, ac vigilantiæ pastoralis summa fiducia habebatur. Hisce autem rescriptis nulla vis inerat obligandi, cum neque ipse rescribens in ea esset voluntate, ut obligaretur interrogans, quasi magis ex urbanitate, quam ex auctoritate rescribens, nec qui rescriptum susceperat ea mente interrogavisset, ut se obligaret, quasi magis fidelem, & prudentem virum, quam Pontificia potestate præditum consulens. Major sane habenda est ratio rescriptorum secundi generis, quibus scilicet jus dicitur, & jurisdictio proprie exercetur. Hinc de iis scribens S. Augustinus in libr. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 3. inquit: *Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est, totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac literis Innocentii tota hac de re dubitatio sublata est.* Jungatur his rescriptum Innocentii Papæ ad Concilium Carthaginense, & aliud rescriptum ad Concilium Milevitanum. Exceptio est, si forte quædam asperitas in ipsis a suscipiente detegatur, unde constet, Pontificis animum alicujus fraude circumventum fuisse, quemadmodum & iidem Pontifices animadvertendum voluerunt in cap. 5. de rescriptis, & in cap. 6. de præb. & dignitat.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Verum enim vero adhuc in hac re deliberandum puto: siquidem plura in rescripto contineri solent; & primo quidem ipsa rescripti sententia principalis, seu pars illa rescripti, qua interrogationi satisfit; deinde præfatio rescripti; tertio rationes sententiæ principali adjectæ; postremo illa, quæ inter rescribendum extra propositam speciem adsuta fuerunt. Si principalem rescripti sententiam observaverimus, nulla erit dubitatio, quin illa vim legis habeat; in eo enim animus Pontificis minime defuit, ut interroganti quidquam agendum ex auctoritate indiceret; immo & ipse interrogans frustra ad Pontificem Maximum confugisset interrogando, quoties adhuc sibi liberum esse arbitraretur, a regulis propositis omnino recedere. Ast quæ in præfationibus, rationibus adjectis, cæterisque, quæ extra propositum adsuta fuerunt, continentur, potius ad ornatum orationis pertinent, neque ex eorumdem Pontificum, Maximorum voluntate obligandi vim habent. Non obligans hæc quasi rescripti pars, quia in illis interroganti minime respondetur, ad quæ non pertinet interrogatio: non obligant hæc quasi nova constitutio extra rescripti causam motu proprio a Pontifice lata, cum leges hac ratione ferri, edive non soleant. Facilius hæc intelligentur ab eo, qui observaverit, quibus uterentur Pontifices Maximi in edendis rescriptis, in quibus sane diversa erat ratio, ac in edendis constitutionibus. Nimirum constitutiones utpote ferendæ in bonum publicum Ecclesiæ universæ, in solemni cœtu Antistitum Romanæ provinciæ, & recentioribus sæculis in consistorio Cardinalium comprobabantur. At rescripta, quæ ad causas privatorum pertinebant, proindeque non tanto momento habita, probabantur apud Pontificios Capellanos, quorum fidei commendabatur a Pontifice Maximo, ut unus ex ipsis libellum interrogationis exploraret, summam libelli in Cappella, seu in Cappellanorum collegio referret, quo facto Pontificis Maximi sententia explorabatur, denique accepta Papæ sententia, unus ex Cappellanis eam in scripturam, quæ responsionis loco esset, redigebat, plura adjiciens sponte, quibus rescriptum ornatius videretur; atque ea in re Cappellanus nonnihil sibi pro suæ doctrinæ modo indulgebat. De his Cappellanis mentionem fecit S. Bernardus in libr. 4. de Considerat. cap. 1., & Joannes de Deo in suo pœnitentiali titulo *de pœnitentia Cappellanorum Domini Papæ*; immo & constat, Gregorium IX. suam decretalium compilationem mandavisse Raymundo Pennafortensi, quem suum Cappellanum nominavit. Istis autem Cappellanis succedisse eos, qui appellantur Rotæ Auditores, in relatione Curiæ Romanæ disc. 32. Erat hoc positum in more media Ecclesia ætate, ut non solus Pontifex, sed & Episcopi, & Abbates, & Principes Cappellam haberent, in quam referri dicebantur, quicumque aut dictarent, aut scriberent illorum responsa, e propter Cappellani appellati, uti demonstrat Ducange in suo Glossario ad verbum *Cappella*, & *Cappellanus*, & ex can. 5. Concilii Strigonensis anni 1114. apud Mansium in Supplemento. Nunc intelligimus, quare in pluribus Pontificiis rescriptis nonnulla contineantur extra principalem sententiam, in qua una vis rescripti consistit, quæ sint aut prorsus extranea, quandoque etiam minus ad rectam rationem exacta, in quibus scilicet Cappellanus plurimum suo ingenio indulsit, iis præsertim temporibus, quibus aut Theologiæ, aut Canonum, aut etiam solidæ Philosophiæ studia non satis culta fuisse non ignoramus. Ut exempla proferam, videmus in cap. 2. de translat. Episcop. præcipuam rescripti sententiam contineri in eo, quod translatio Episcoporum Pontifici Maximo reservetur; an vero recte argumentatus fuerit rescripti exarator, dum plura congessit de dissociatione conjugii carnalis, comparata cum dissolutione conjugii spiritualis, necnon de dissoluto conjugio spiri-

tuali per translationem, ego sane adfirmare non auderem. In capitulo 11. de renuntiat. agnoscimus præcipuam rescripti sententiam in eo, quod tradatur, Episcopus pœnitentem, & pœnitentiæ causa abdicantem restitui non oportere. Quis autem dicat, Concilium illud, quod ibidem memoratur, revera *unum esse ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur*, quasi fuerit Concilium I. Constantinopolitanum, seu generale secundum, quando ea sententia refertur ad canonem 45. caus. 7. quæst. 1., quæ est conciliabuli Constantinopolitani schismatico Photio celebrati? Scimus insuper, quam [illegible] tas sit capituli 8. de major. & obed., dum sua jurisdictio Constantinopolitano Patriarchæ vindicatur, & intra certos limites coercetur; at nemo dixerit, similem auctoritatem inesse in ea parte, qua traditur, quatuor Orientales Patriarchatus in quatuor animalibus fuisse jam olim ab Ezechiele præfiguratos. Veneramur sanctionem capituli 8. de consanguin. & adfin., ex qua gradus consanguinitatis, & adfinitatis ad quartum numerum coerciti fuerunt; at cautius, ut arbitror, intelligenda adjecta ratio, *quia quatuor sunt humores in corpore, qui constat ex quatuor elementis.* Quis itidem recipiat, quod inter disputandum adjicitur in cap. 3. de presbyt. non baptiz., dum dicitur, *non esse generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus sacramentis, quod Baptismus sit fundamentum illorum, &c.*? Denique, ut alia omittam pene innumera, jam passim agnoverunt viri eruditi, non juris auctoritatem habere canonem 24. de cons. dist. 4., in ea parte, in qua statuitur, Baptismum non *in nomine Trinitatis*, sed tantum *in nomine Christi* collatum, valere, propterea quod Romanus Pontifex non de eo interrogatus proponitur, sed potius de persona, quæ baptismum ministraret, ad quam refertur præcipua rescripti sententia, cui proculdubio inest juris auctoritas.

Hæc rescripta vulgo, nec improprie, singularium constitutionum nomine appellatur, quod singularia facta respiciunt, quasi pronuntiatæ ut plurimum de dubio jure sententiæ; tum vero etiam legum auctoritatem exerunt, cum vel in provinciis executionem paratam invenerunt, vel in generali canonum Codice inserta fuerunt, eaque ratione promulgata, ut ad similes emergentes casus commode producantur, quemadmodum observatur in codice Gregorii IX., ut plurimum ex variis rescriptis composito, vel adaucto, ad controversias in foro ecclesiastico dirimendas, eadem fere ratione, qua Codex aut Theodosianus, aut Justinianeus elucubratus adparet, variis constans rescriptis Imperatorum.

Non sunt tamen ista rescriptorum genera, quæ in legibus latis explicandis, & clarius exhibendis consistunt, cum alio rescriptorum genere confundenda, quæ jus commune minime attingunt, sed tantum privatorum negotiis prospiciunt, quæ vel ad beneficia, ad dispensationes, ad remissiones, ad indulgentias, & tunc gratiæ; vel ad instruendas litium causas pertinent, & tunc justitiæ dicuntur; utraque autem sive gratiæ, sive justitiæ rescripta in eo omnino gratiosa appellari possunt, quod neutra ad alias personas, aliasve causas, utut eadem ratio videatur, extendi possint, quasi Pontifex Maximus in rescribendo singularem vel causæ, vel personæ benefaciendi voluntatem exhibuerit. Obtineri ista solent, non a Prælatis sententiam juxta juris definitiones prolaturis, sed potius a privatis, qui sua interesse putant, ob certas causas communis juris regulas aliquando non servari in litibus, quas patiuntur, in beneficiis, quæ postulant, aut similibus.

Variæ sunt regulæ in istis rescriptorum generibus observandæ. Prima est, rescripta esse perpetua, id est, solo temporis alicujus lapsu non finiri, nisi id specialiter in rescripto ipso adjectum fuerit; habet enim rescriptum quamdam legis formam, proindeque exemplo legis perpetuum erit. Nemini vero negotium fa-

cessat, quod legitur in cap. 23. de rescript., nimirum, eum, qui rescripto justitiæ non usus fuerit intra annum, rescripti beneficio cadere; siquidem non inde colligitur, rescripta justitiæ anno finiri, sed potius id referendum est ad speciem singularem ibidem propositam, juxta quam demum post annum contingebat, ut per secundum rescriptum abrogaretur rescriptum primum, non vi sua caderet. Proponebatur, unum ex litigantibus singulares justitiæ literas, sive rescriptum a Pontifice Maximo impetravisse, puta, quo causæ discussio alicui demandaretur. Alter collitigans alteras a Pontifice Maximo literas, sive rescriptum impetraverat, puta, quo causæ ejusdem discussio alteri demandaretur, non facta tamen mentione rescripti jam pridem ab adversario obtenti. Respondit ex æquitate Innocentius III., literas secundo impetratas executioni mandari posse, quum qui priores literas impetraverat, iisdem per annum usus minime fuerat, quasi diceretur in ea specie, primum rescriptum abrogatum fuisse per secundum, cæterum illud ipsum rescriptum primum executioni mandari potuisse etiam post annum, si adversarius secundum rescriptum non impetrasset, quo primum abrogaretur. Erat uterque collitigans redarguendus: nimirum qui primum rescriptum obtinuerat, de negligentia dolo proxima; statim ac enim annum præterlabi permisit, antequam rescripto uteretur, eo se animo esse tacite professus est, ut controversiam redderet diuturniorem, cap. 9. & 12. de rescript.; qui secundum, ob fraudem, quod de rescripto obtento a primo nullam fecisset in obtinendo secundo rescripto mentionem, cap. 3. eod. tit., uterque propterea puniendus erat; primus, ut anno elapso pati deberet contra se secundum rescriptum opponi, secundus, ut interea secundi scripti commodo frustraretur. Secunda regula est, morte concedentis rescripta sive gratiæ, sive justitiæ exspirare, si re integra concedens mortuus fuerit; secus tamen, si res integra esse desierit tempore mortis concedentis. Quod ut intelligatur, distinguenda sunt in hac re rescripta gratiæ a rescriptis justitiæ. In rescriptis gratiæ res integra esse dicitur, quoties mortuus est concedens, antequam delegatus adiretur, eidemque rescriptum exhiberetur, nisi tamen de gratia agatur ipso rescripto jam perfecta, & ad cujus effectum meri tantummodo executoris officium desideretur, cap. 9. de offic. & potest. judic. deleg. in 6., cap. 36. de præb. in 6.. In rescriptis justitiæ res integra dicitur, quoties ante mortem concedentis nec citatio, nec contestatio facta fuisset. Quod si litis contestatio jam facta deprehenderetur, nulla dubitatio est, quin res integra esse desineret, & rescriptum esset omnino plenæ executioni mandandum. Difficultas est in ea specie, in qua citatio quidem ante mortem rescribentis, nondum tamen contestatio facta fuisset. Requiri contestationem litis videtur insinuare Lucius III. in cap. 19. de offic. & potest. jud. deleg., sufficere citationem videtur definivisse Urbanus III. in cap. 20. eod. tit.; *maxime si delegatus non sit certus de obitu delegantis.* In hac dubitatione, & quidem gravi, in qua contraria nonnullis videntur Pontificum Maximorum rescripta, profiteor me ancipitem hærere, magisque opto, ut publica auctoritate hæc disputatio definiatur, quam singulari opinione mea intercedo, præsertim cum noverim Gregorium VIII. successorem Lucii III., & Urbani III. non certam, & generalem disciplinam tradere voluisse in hac controversia, sed rescripto quodam suo, quod legitur in 2. collectione cap. 7. de rescriptis, modum quemdam adjecisse rescriptis a prædecessore suo obtentis, non facile ad exemplum trahendum, & ex prudentia potius, aut æquitate constitutum, quam ad generales juris regulas exactum, dum ita ad omnes Prælatos Ecclesiarum scripsit: *Nos multorum expensis prospicere volentes, & allevare labores, de consueta moderatione Apostolicæ Sedis duximus statuendum, ut literæ Prædecessoris nostri Domi-*

ni Urbani a tribus mensibus ante obitum ipsius destinate pro facienda justitia, & litigiis dirimendis, quæ tamen alicujus præjudicium non contineant, manifestum, aut calumniam iniquitatis, eumdem habeant tempore administrationis nostræ effectum, quem habere, si adhuc ille viveret, debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandavit agendum, & nemo ad nos pro hujusmodi excusatione, accepta per illam commissione de sua justitia obtinenda cogatur in vacuum laborare. Insuper pro varietate adjunctorum quidquam singulare constitutum scio ab Honorio III. in cap. 30. de verb. signif., qui mentem Innocentii III., dum tempus motæ litis consignavisset, interpretatus, rescripsit, in certa controversia novi operi nuntiationis litem non dici motam a die jactus lapilli, sed potius a die litis contestatæ. Hujus generis definitionibus occasionem præbebant specialia adjuncta causarum, item singulares quædam formulæ in rescriptis, prout res inciderat, expressæ, quasi ex æquitate potius, quam certa, atque immutabili juris disciplina definitio quæque penderet. In conspectu horum omnium capitulorum, præsertim vero laudati capituli 7. de rescriptis in 2. collectione, prudenter sensurum eum puto, qui moderatione quadam usus acta probanda esse censuerit illius Judicis delegati, qui citatione facta, & postea secuta morte delegantis, in causa processerit, si mortem delegantis ignoraverit, & si non diuturnum tempus a citatione ad litis contestationem interfluxerit; puta tempus trium mensium juxta sententiam Gregorii VIII., alias autem improbaverit acta delegati, qui post factam citationem mortuo delegante in causa processerit post diuturnum ultra tres menses lapsum tempus, & quando conscius erat mortis Pontificis delegantis. Hæc vera puto, etiam si Summus Pontifex rescribere se professus fuerit non suo singulari, sed Sedis Apostolicæ nomine; neque enim cum hac specie aliquid commune habet species capituli 5. de rescriptis in 6., in quo non proposita fuit quæstio de vi rescripti, sed potius de tempore, ad quod semel concessa, & ad effectum jam perducta rescripti gratia ex concedentis voluntate perduraret. Tertia regula est, morte illius, qui rescriptum obtinuit, exspirare rescripta gratiæ, non vero rescripta justitiæ, quæ & proderunt heredi, ubi heres eamdem controversiam aut illaturus sit, aut passurus; propterea quod rescripta gratiæ in personam præcipue concepta sint, rescripta vero justitiæ præcipue in causam. Neque obstat capitulum 36. de rescriptis; etenim ibidem de herede non agitur; sed de successore feudali, qua sane actione mutui non sicut successor hereditarius conveniri poterat; eo vel magis, quod ibidem rescriptum non incertam specialiter designatam personam conceptum fuerat, sed clausula adjecta indefinita *quidam alii*, quæ personalis omnino videbatur, aut saltem, quoad fieri posset, ad paucas personas contrahenda, cap. 2. de rescript. in 6., immo nec ad personas illustres referenda, cap. 15. eod. tit. apud Gregorium IX.. Quarta regula est, rescripta omnia tacitam habere conditionem, si preces veritate nitantur, aut si nihil omissum fuerit ex iis, quæ si enarrata fuissent, obtinendo rescripto impedimentum opposuissent; propterea quod in his speciebus deficere præsumatur rescribentis voluntas, cap. 2. & 20. de rescriptis. Hinc est, quod, uti diximus, in secundo rescripto in eadem causa obtinendo fieri debeat mentio primi, quo omisso, rescriptum secundum nullum erit, quousque intra annum primi rescripti nullus fiat usus, dicto cap. 23. eod. tit., nisi tamen primum rescriptum generale esset, secundum speciale, ex recepta regula, quæ docet, generi per speciem derogari, cap. 1. eod. tit.. Hinc quinta regula fluit, qua traditur, rescripta singulare aliquod continentia, generalibus rescriptis detrahere; quamobrem ex. gr. is, cui rescripto concessum fuit, ut generaliter primum vacans beneficium consequeretur, non potest certum etiam primo vacans beneficium

postulare, si illius specialis exspectativa alteri concessa fuerit rescripto, utut posteriore, cap. 11. 25. & 38. de præb. in 6., cap. 6. 24. de rescript., & cap. 10. eod. tit. in 6.. Sexta regula est, singularia rescripta ita intelligenda esse; ut quoad fieri possit, minime detrahatur juri communi, immo & indubia formula ex jure ipso communi interpretationem accipere, cap. 18. de rescript.. Hinc, si delegato certa, & singularis ratio procedendi in causa præstituta fuerit, insuper habita forma juris ordinarii, & interea de rescripti viribus præjudicium emergat, exceptione proposita ex. gr. subreptionis, vel obreptionis, delegatus idem in hoc præjudicio formam juris ordinarii sequetur. Hinc etiam fit, rescripta, in quibus certarum tantummodo conditionum mentio habetur, ad aliarum conditionum eventum, utut similium, non extendi, cap. 6. de rescript. in 6., cap. 16. vers. *cum autem* de præbend. in 6.. Septima regula est, rescripta quidem gratiæ a quocumque favore alterius impetrari posse, non vero rescripta justitiæ, quæ tantum impetrari possunt ab illis, quorum causa in judicio sit versanda, vel ab eorum conjunctis, vel a procuratore eorum instructo speciali mandato, cap. 28. vers. *sunt & alii*, & cap. 33. de rescriptis. Octava regula est, quæ potissimum Ordinariorum rescripta recipientium gratia constituitur, posse ipsos suspendere rescripti executionem, si forte aliquid asperum, aut parum utile continere videantur, interea reddendo Pontificem Maximum certiorem, & nova exspectata Papæ sententia, cap. 5. de rescript., cap. 6. de præbend., aliquando enim contingit, Pontifices ipsos Maximos precibus impetrantium circumveniri, & circumventionibus agnitis, declarare, se aut nunquam in ea voluntate fuisse, quæ rescripto exhibetur, aut voluntatem ipsam maturato consilio revocare, cap. ult. de rescriptis in 6., extrav. 2. de præbendis inter communes; quamobrem Alexander III. in cap. 4. de ætate, & qualit. præf. Episcopos monuit, ne paterentur in beneficiis institui minus idoneos clericos, *ne literarum quidem suarum obtentu.* Hac ipsa cautione uti oportere voluit Justinianus eos, qui in Magistratu erant, & ad quos Imperatoria rescripta dirigerentur, Nov. 17. cap. 4., & Nov. 134. cap. 6.

Consueverunt aliquando Pontifices Maximi in rescriptis justitiæ adjicere clausulam *appellatione remota*, qua fiat, ut a sententiis delegatorum appellare non liceat, cap. 12. de appellation.. Et quidem quemadmodum in civili Republica appellationis subsidium aliquando substrahere, unius Supremi Principis est, l. 1. §. 4. ff. a quib. appell. non licet, l. 1. §. 1. ff. de offic. præf. prætor., ita in ecclesiastica judiciorum disciplina ad solum Romanum Antistitem pertinet, causas dirimendas ea formula committere, qua appellandi facultas adimatur, in iis scilicet adjunctis, in quibus vel certas controversias plurimum expediat brevi temporis spatio definiri, vel explorata sit doctrina, ac probitas Judicis delegati, de quo proinde nulla probabilis suspicio suboriatur. Equidem si rescriptum delegatus susceperit, adjecta clausula *appellatione remota*, & sentiat inde is, contra quem pronuntiatum fuerit, se nimium gravari sententia, saluberrimum, tutissimumque consilium suscipiet, quoties ipse porrectis Pontifici Maximo precibus petat novum rescriptum, quo sibi liceat appellare, quasi inde rescriptum prius, quo omnis appellandi facultas denegata fuerat, posteriore obtento in ea parte abrogetur; neque enim ubi æqua sit causa, qualis esse potest judicis pridem dati vel ignoratio, vel oscitantia, vel iniquitas, id solet a Pontifice Maximo denegari, cap. 28. vers. *præterea* de offic. & potest. jud. deleg.. Hoc tamen remedium extraordinarium est. Eo nunc disputationem intendamus, quo interpretatio clausulæ *appellatione remota* ad summos juris apices exigatur. Nonnulla statim in hac re observanda occurrunt, quibus generalis illa formula certis finibus,

& quidem ex voluntate eorumdem Pontificum rescribentium, contrahatur. Generalis illa a sententia judicis appellandi facultas, quæ gravitas abs jure conceditur, licet ut plurimum sit utilis reipublicæ, quod instar naturalis cujusdam defensionis inducta fuerit, & veluti æquitatis, justitiæque præsidium, aliquando tamen litigantium temeritate in gravissimum reipublicæ dispendium detorquetur. Si enim utilis appellatio est, ubi judicis religio, integritas, sedulitas, doctrina deficere videatur, æque perniciosa erit, ubi prolata ab integerrimo judice, atque doctissimo sententia fuerit, nihilque aliud in appellante deprehendetur, quam improba, nullumque modum servans temere vitilitigandi licentia, vix finem post diuturnas tergiversationes habitura. Quamobrem uti hinc interest, adversus improbitatem, vel imperitiam judicum potestatem appellandi aliquando concedi, ita illinc, adversus effrænem temere litigantium libidinem appellandi facultatem denegari. Quis vero in his obscuris rerum humanarum adjunctis adeo divinus erit, ut perpetuo detegat modo litigantium improbas voluntates, modo judicum imperitiam, aut iniquitatem; exinde autem qua denegando, qua concedendo appellationes utilitatem curare publicam possit? Quid ergo? Tota res hæc præsumptionibus, tota conjecturis innititur, propterea que a prudenti arbitrio Pontificis Maximi pendebit definire, quibus in facti speciebus deneganda, quibus e contrario concedenda appellatio, eadem ratione, qua scimus, Romanos Imperatores post tres conformes sententias a diversis judicibus pronuntiatas sustulisse litigantibus facultatem apellandi, quod tum adparere temere litigantium perfidia, opportunis sane legibus coercenda, l. un. cod. ne liceat tertio in un. ead. caus. appellare. Ex his principiis fluere debet, germana clausulæ *appellatione remota* interpretatio. Nimirum dico, tum demum per eam clausulam denegari damnato appellationem, quum de æquitate sententiæ liquido constet, statimque adpareat, appellaturos nullam habere probabilem appellandi causam, & eo tantum animo esse, ut perpetuam litem reddant, & adversarium suum diuturnis litium ambagibus, atque involucris defatigent. Neque aliter eam clausulam interpretati sunt iidem Pontifices, nimirum tum demum denegaverunt post eam adjectam clausulam appellationem, quum inanis esset appellandi causa, cap. 21. de rescr., cap. 12. de off. jud. ord., vice versa, non obstante ea clausula appellationem admiserunt, quum æqua subesset damnato causa appellandi, cap. 15. & 17. §. *si vero* de offic. & potest. jud. deleg., cap. 46. & 47. de appellat.. Revera, sicut ex juris definitione cum appellatio conceditur, non ideo dolo temere litigantium, ex multiplici judicio adversarium juxta petentem fatigantium, favetur, cap. 3. 19. & 22. de appellat., ita nec appellationis denegatio ideo fit, ut inique oppressis ad reparationem damni omnis aditus præcludatur. Quid enim ex. gr., si delegatus facultatem habens judicandi *appellatione remota* in jus quemquam vocet, ut in certo loco compareat, & a citato excipiatur, locum non esse sibi tutum? Non admissa exceptione, nihilominus appellabitur cap., 47. de appellation.. Quid si delegati ejusdem persona suspecta esse dicatur, & quidem legitima de causa? Appellari nihilominus poterit, si ille causam prosequatur, & dirimat, cap. 36. eod. tit.. Quid si delegatus formam rescripti minime servet, dum in causa procedit? Species ponitur apud Innocentium III. de duobus delegatis, ut vel alteruter, vel ambo judicent, traditurque, licere appellare, non obstante clasula *appellatione remota*, si unus ex delegatisalium subdelegaverit, & subdelegatus cum altero delegato sententiam pronuntiaverit, cap. 27. §. *si vero* de offic. & potest. judic. deleg.. E contrario apud eumdem Innocentium III. rescriptum *appellatione remota* impetratum vires suas exeruit, respectu Abbatis in causa

monasterii in jus vocati, qui allegaverat, ad evadendam delegati jurisdictionem, non factam fuisse in rescripto monasterii mentionem, non alia sane de causa, nisi quod inanis omnino ea appellatio videretur, cap. 21. de rescriptis. Hæc ratio fuit, quare aliquando Pontifices Maximi clausulam illam *appellatione remota* strictius, quoad fieri posset, interpretari consueverint. Cujus rei argumento est, eam clausulam non facile extensam fuisse a persona colligantis, cujus odio fuerat impetrata, ad alias personas, quarum jus ex delagati sententia imminueretur. Fingamus enim vero, ortam inter duos contentionem de jure præsentandi committi dirimendam delegato *appellatione remota*: si tamen delegatus non solam controversiam definiat, sed etiam a victore præsentatum, contempto eo, ad quem jus instituendi pertineat, ipse instituat, a facto delegati jure appellavit, qui jus instituendi se habere proponit, cap. 15. de offic. & potest. jud. deleg.. Equidem hinc intelligo, me in gravissimam difficultatem induci; quod vix designari possit post hæc posita principia, quis singularis sit clausulæ illius effectus, quoniam adhuc, ea non obstante, justæ appellationi locum facio, iniquam tantummodo excludo, juxta capitulum 12. de offic. jud. ordin., alias autem verum est, jure communi inspecto, inanes appellantium conatus cohiberi, seu, quod idem est, non recipi appellationes, quæ æquitate probabili non innitantur, cap. 3. 5. §. ult., cap. 13. 14. 15. 19. 22. & 61. de appellation.. Nemo sane exinde colligat, inanes omnino fuisse ejus clausulæ adjectiones, quasi ipso jure, si ita clausula explicetur, inesse eadem videatur. Etenim cum disciplina adjiciendæ ejusdem clausulæ sæculo primum duodecimo invaluerit, respicere sufficiet ad illorum temporum adjuncta, ut, qualis ejusdem esse potuisset utilitas, perspiciatur. Orta fuerat nono labente sæculo in Gallia acris controversia, cui occasionem dederat Rothadus Suessionensis Episcopus. Hic in Synodo Provinciali damnatus appellaverat Apostolicam Sedem, ex eo autem postulaverat a Gallicanis Episcopis, ut ab executione Synodalis sententiæ interim abstinerent. Vix adduci potuerunt Gallicani Episcopi, ut introductæ ad Sedem Apostolicam appellationi consentirent; intererat autem Romanæ Sedis, ut Rothadi postulatorum ratio haberetur, quo validior appellationum ad Romanam Sedem deductarum vis adpareret, quod non immerito dici poterat, ob generalia juris principia suadentia, appellatione pendente, nihil esse innovandum. Id liquet ex pluribus epistolis Nicolai I. ad Episcopos Galliarum directis. Et quoniam illud erat Gallicanorum Antistitum effugium, quod clamarent, suspensa Synodalium sententiarum executione post interpositam appellationem, improbis, ac seditiosis clericis aperiri viam ad tergiversandum amplissimam, & frustrandam diuturnis moris Ecclesiarum utilitatem, non statim ab Apostolica Sede ea generaliter admissa fuit exceptio, ne forte eo prætextu appellationes omnes ad Apostolicam Sedem impedirentur. Hinc opportunum diu fuit, quascumque appellationes nullo causarum observato discrimine recipi, quæcumque demum esset appellandi causa. Atque id sæculo decimo, & undecimo servatum est, quousque nimirum illius controversiæ semina, aut vestigia delecta non omnino fuerunt. Ubi vero contentiones omnes quievere, & viris prudentissimis displicere cœpit, rite, justeque damnatos occasiones illius controversiæ audaciores factos temere appellare, quod conquesti fuerunt Ivo Carnotensis epist. 172. 180. & 219., Hildebertus Cenomanensis epist. 82., & S. Bernardus in libr. 3. de Considerat. ad Eugenium cap. 3., Pontifices Maximi de recto judiciorum ordine admodum solliciti iterum voluerunt restituere non facile admittendarum appellationum disciplinam, modo Ordinariis, modo delegatis suis mandantes, ut causas ipsi finirent, adjecta clausula *appellatione remota*, id est, ejus

generis appellatione, quæ tribus illis sæculis ob certa causarum adjuncta facilius admissa fuisset, non ea, quæ gravi causæ inniteretur, & quæ ex perpetua juris doctrina concessa deprehenderetur. Quæ cum vera sint, jure concludendum videtur, clausulam illam rescriptis delegationum adjectam circa sæculum duodecimum restituisse potius generalem juris disciplinam, quæ ante sæculum nonum sine discrimine vigebat, quam aliquid singulare invexisse. Tantum illud singulare adnosci potest, quod liberam omnino, & effrænem appellandi facultatem per aliquot sæcula facile admissam intra pristinos fines coercuerit. Quid vero est, quod ait Innocentius III. in cap. 53. de appellation., quando adjecta clausula *appellatione remota* definit, quamlibet provocationem, id est, appellationem, remotam intelligi, quæ abs jure non indulgeatur expresse? Non sunt hæc aliena interpretationi meæ, quam potius mirum in modum confirmant, dummodo nomine appellationis, quæ abs jure non indulgetur expresse, intelligamus appellationem inani fundamento innixam, quando verum est, omnem justis de causis propositam appellationem abs jure expresse indulgeri, eo vel magis, quod Innocentius ibidem appellationem, quæ abs jure non indulgetur expresse, opponit illi appellationi, quæ sit interponenda ab eo, qui injuste gravatus ex sententia fuerit; quod idem erat, ac dicere, non indulgeri expresse abs jure appellationem gratia illius, qui velit sine causa, & temere provocare. Clarius id liquet ex rescripto Alexandri III. in cap. 1. de rescrip., juncto cap. 34. de appellat., ex quibus constat, labente sæculo duodecimo, cum facile & quacumque de causa recipiendarum apud Sedem Apostolicam appellationum disciplina perduraret, quod vel expressis privilegiis impetrari solebat, ut in dicto cap. 1., vel literis præbiti patrocinii (literas *protectionis*, alias *salvamguardiam* barbare appellabant) uti in dicto cap. 34. ad evadendas Ordinariorum de eadem disciplina conquerentium exceptiones, si tamen deinde contra appellaturos rescriptum appellatione remota impetraretur, singularia illa appellationum privilegia irritari consuevisse. Revera in dicto cap. 1. de rescript. dirceto ad Senonensem in Gallia Archiepiscopum proponitur, nonnullos in Senonensi Provincia extitisse, quibus ex Apstolico privilegio indultum generaliter erat, ut possent in quacumque causa appellare. Erant hæc appellationum genera recipienda potissimum eo tempore, quo in Galiis, uti dictum est, ægre patiebantur Episcopi, quod ad Sedem Apostolicam appellantur. Pacata controversia, & admissis æquo animo ab Episcopis appellationibus ad Sedem Apostolicam, ubi æqua esset appellandi causa, Pontifices Maximi cœperunt rescriptis singularibus derogare memoratis privilegiis generalibus, unde fieret, ut qui olim ex generali privilegio appellare semper potuisset, ex singularibus deinde rescriptis certis in casibus ab appellando repelleretur, quo pertinent postrema illa capituli verba: *Quia speciale mandatum derogat generali.* Immo & in eisdem Gallicanis Provinciis identidem Pontifices Maximi voluerunt, ut latius intelligeretur ea clausula *appellatione remota*, nimirum etiam ad judicium reconventionis extenderetur, ut liquet ex cap. 2. de mutuis petitionibus directo ad Decanum Rothomagensem statim ac enim receptum est, ut *appellatione remota*, ea remota appellatio intelligeretur, quæ temere institueretur, cur non similiter remota hujusmodi appellatio intelligeretur in judicio reconventionis? Nondum ab hac materia discedendum censeo, nisi pauca adjiciam ad interpretationem duorum rescriptorum, quorum primum est Cœlestini III., alterum Gregorii IX. in cap. 41. & 71. de appellation., primo enim obtutu invicem adversari videntur, dum in illo traditur, nihil interesse, an clausula *appellatione remota* in principio, an in medio, an in fine rescripti adjiciatur, ut omnes rescripti ar-

ticulos adficiat, in isto, clausulam in medio adpositam, non repetitam in fine, ad postremam rescripti partem non referri. Ego observo, Gregorium non evertisse, sed explicavisse clarius sententiam Cœlestini, quasi Cœlestinus de articulis invicem connexis rescripserit, Gregorius de articulis, qui separari commode possunt; quemadmodum indicant verba illa: *Si sunt plura negotia se minime contingentia.*

Alterum modum, quo Pontifices Maximi per se jurisdictionem suam exercent, diximus esse constitutiones, quarum nomine intelligimus Pontificias epistolas motu proprio editas, & generaliter Ecclesiæ universæ, aut certo ecclesiasticarum personarum generi ubicumque in universi Ecclesia constituto propositas. Multiplex est harum epistolarum partitio. In primis ex eo, quod ad universos dirigantur, vel encyclicæ dicuntur, sive catholicæ, vel tractoriæ, sive tractatoriæ. Catholicæ (verbis utor Æcumenii in commentario in epistolam Jacobi Apostoli, cui Catholicæ nomen inscribitur) dicuntur epistolæ quasi encyclicæ, quæ non separatim gentem unam, aut civitatem spectant, sed fideles omnes in universum. Tractoriæ, seu Tractatoriæ ita appellabantur a tractu, sive a circuitu, in quem mitti solebant Conciliorum celebrandorum gratia, uti apud Augustinum epist. 217.. Item ratione qualitatis, seu conditionis illorum, ad quos epistolæ diriguntur, modo clericæ dictæ sunt, modo diaconales, modo episcopales. Et quidem clericæ epistolæ licet aliquando vocarentur illæ, quæ a clero scriptæ essent, quandoque tamen etiam illæ significabantur, quæ ad universum clerum mitterentur; uti apud Cyprianum epistola 4. Diaconales ad diaconos dirigebantur, quibus regulæ traderentur bonorum Ecclesiæ administrandorum, pro illorum cura diaconis demandata. Episcopales etiam Entronisticæ dicebantur, quas videlicet initio Pontificatus sui non tantum singuli Episcopi ad collegas suos, sed etiam Pontifex Maximus ad universos Episcopos scribebant, ut scilicet ea ratione Episcopi epistolam suscipientes recens consecratum Pontificem agnoscerent, ac salutarent; atque appellabantur etiam epistolæ *a paribus*, derivato vocabulo ex eo, quod paria exemplaria ejusdem epistolæ ad singulos mitterentur; immo & eædem epistolæ continebant fidei professionem, quam recens consecratus Episcopus, aut Papa scripto emittebat, & palam, conscios reddendo cæteros Antistites suæ religionis. Hujusmodi epistolam exhibet Liber Diurnus editus in tomo 2. Bibliothecæ Sebusianæ cap. 2.. Insuper ratione rerum, de quibus in epistolis agitur, vel denuntiativæ dicuntur, vel declarativæ, vel indicativæ, vel paschales, vel salutatoriæ, vel synodales. Denuntiativæ sunt, quibus hæreticus, aut infidelis quisquam denuntiatur, ut omnes norint, ab illius conversatione, præsertim in sacris rebus, fore abstinendum; qua ratione apud Leonem Magnum postulavit Flavianus, ut denuntiaretur Nestorius. Declarativæ sunt, in quibus suborta aliqua hæresi, aliquando prodito nomine auctoris, Pontifices illam publice detestantur, & fideles omnes monent, ut se ab illa, quoad fieri possit, avertant. Indicativæ epistolæ sunt, quibus Pontifex Maximus utitur, ut indicet, justi cujusdam animam Beatorum, vel Sanctorum fastis decreto suo adscriptam fuisse. Paschalis epistola olim in usus erat, cum per Pontificem Maximum indicebatur dies Paschalis festivitatis in universa Ecclesia celebrandæ. Ita legitur in Concilio Arelatensi I. can. 1., ubi Arelatenses Episcopi his verbis Pontificem Maximum alloquuntur: *Primo loco de observatione Paschæ Dominicæ, ut uno die, & uno tempore per omnem orbem a nobis observetur, & juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas*; ad quæ referendus est canon 26. de consecr. dist. 3.. Refert Leo Magnus in epist. ad Martianum Augustum, hunc apud veteres morem fuisse, ut Alexandrinus Episcopus apud suos

Ægyptios lunaris orbis peritissimos investigaret legitimum diem lunæ Martiæ ad Paschalem diem definiendum, quem diem ita designatum notaret apud Pontificem Romanum; quoque accepto Romanus Pontifex per generalem Epistolam universos Episcopos moneret, ut *eumdem diem* veluti Paschalem haberent. Temporibus Concilii Braccarensis II., seu prope finem sæculi sexti, obtinebat, ut Pontifex Maximus Metropolitanis universis Paschalem diem denuntiaret, quem *inferiores Episcopi* singulari a suis Metropolitanis acciperent, can. 25. de cons. dist. 3.. Salutatoriæ epistolæ olim erant, cum mutuæ charitatis fovendæ causa identidem Episcopi inter sese invicem, aut ipsos Pontifex Maximus mutuis datis, redditisque officiis salutabant. De Synodalibus epistolis vix quidquam adjicere juvat; ex ipso enim nomine percipitur, designari eas, quæ Concilii celebrandi causa ad *Episcopos diriguntur.*

Hodie multæ harum epistolarum species fere exoleverunt. Vulgares autem sunt constitutiones, quas Bullas ob subjecta plumbea signa appellaverunt, sive fidei, sive morum dogmata, sive disciplinam spectent, sive generalem gratiam, puta remissionum, indulgentiarum, ac dispensationum, ad quas gratia Jubilæi refertur, contineant. Qua tamen in re in præsentia distinctio est observanda Brevium, & Bullarum; etenim obtinuit, non omnes epistolas Pontificias Bulla plumbea obsignari, sed aliquas cera rubra sub annullo Piscatoris, quas Brevia appellant, quasi *breviore formula* contractas. Qui velit inquirere, a quo primum tempore vel annullo Piscatoris in Brevibus, vel plumbeis notis in Bullis Summi Pontifices uti consueverint, non modicum, forte etiam inanem laborem impenderet. Ego tantum dixero, morem plumbea sigilla adhibendi a Polidoro Virgilio libr. 8. de inventione rerum cap. 2. referri inductum a temporibus Hadriani, aut Stephani III., quamquam nonnulli plumbea sigilla se vidisse testentur Sylvestri, Leonis Magni, Gregorii Magni, & Sergii, uti refert Ducange in verba *Bulla plumbea.* Et quidem veteres illi Pontifices nomina sua in plumbo imprimenda voluerunt, neque alia vetustior adparet Bulla, quæ, uti mos præsens est, imagines exhibeat Apostolorum Petri, & Pauli, quam sub Hadriano IV. circa annum 1155.. Formula vero signandi annulo Piscatoris non adeo antiqua videtur: tantum adparet ex Epistola Clementis IV. ad Petrum Grossum nepotem suum anni 1265., jam sæculo decimotertio eum usum invaluisse, dum Romanus Antistes ad familiares suos, vel arcta sibi necessitudine junctos scriberet. Hodie Brevia latine scribuntur nitido stylo, & charactere in subtilibus, albisque membranis, in levioribus quibusdam negotiis, puta ordinariis dispensationibus, indulgentiis, ac similibus, item aliis favore pauperum expediendis non in Cancellaria, sed in Secretaria, quam ideo Brevium appellant, non ab alio, quam a Secretario subscripta. Quamobrem ne fraus fiat, non solum in Regesto per Secretarium adnotari solent, sed etiam archetypa Pontificia manu subscripta adversari, ut, quoties opus fuerit, de veritate impetrati Brevis constare possit, nisi tamen agatur de gratia, aut dispensatione adeo ordinaria, ut cuicumque petenti denegari minime soleat; quales fere sunt dispensationes pro suscipiendis extra tempora, aut infra ætatem sacris ordinibus, & quædam species indulgentiarum sine difficultate concessarum; in istis enim negotiis fraudis periculum remotum esse videtur, nec tanta opus esse cura, ac sollicitudine. In causis gravioribus, quæ non favore pauperum expediuntur, Bullam fieri plumbeam receptum est, pendentem ex membrana crassiore, vel filo cana pis, si de justitia agatur, vel filo serico, si de gratia, membrana, ipsa, in qua Epistola Pontificis exhibetur, vetere stylo gallico exarata, præsertim in causis ad reservationes, affectionesque Pontificias pertinentibus, propterea quod Bullarum istarum frequentior

usus esse cœperit eo tempore, quo Avenione in Gallia Pontifices Maximi consistebant. Quænam per Secretariam Brevium expediantur, quænam e converso a Dataria sint expedienda, aperte declaravit Benedictus XIV. in sua constitutione anni 1745. CXLV. tom. 1. Bullarii.

Quæ proprie constitutiones dicuntur, nimirum ad bonum Ecclesiæ commune directæ, non antea obligant fideles singularum diœceseon, quam fuerint in singulis diœcesibus promulgatæ. In primis enim, quomodo obstricti legibus dici possent fideles populi, quas probabiliter ignorant, & quomodo leges probabiliter noverint, quas nec legere potuerint ob oculos positas in provincia, nec publico testimonio, cui fides omnino debeatur, audierint? Qui contra sentiunt, ajunt, statim ac constitutio promulgata sit in urbe principe, facile eam compertam fieri universæ Ecclesiæ, propterea quod notitia constitutionis facile exinde in universas Ecclesias derivet, præsertim quia in urbe principe esse solent, & commorari homines ex variis urbibus, confluentes, qui per epistolas certos reddant nationales suos de edita lege. At vero ego observo, non egredi fines conjecturæ utcumque gravis, quod dicitur, in urbe principe commorari variarum omnium etiam nationum homines: itidem observo, conjecturam esse, eosdem homines variarum nationum notitiam præbere suis de edita lege. Ex duabus autem conjecturis, quarum una ex altera pendeat, induci posse obligationem, nescio, an tuto possit adfirmari. Addo his, etiamsi verum esset, per epistolas eorum, qui in urbe principe commorantur, præberi notitiam legis in provincias universas, eam tamen notitiam duplici vitio laborare, quorum primum est, epistolas illas ut plurimum esse imperfectas, seu, quod idem est, sæpe verba pro verbis, sententias pro sententiis supponere, nonnihil aliquando legi detrahere, aliquando nonnihil adjicere; semper autem interest populi, verba ipsa legis intueri, atque rimari; alterum est, epistolas illas semper esse privatas; alias autem verum est, obligationem eorum, quæ ex Principis placito pendent, nonnisi testimonio publico induci; nam si sufficeret, constare privatis testimoniis de Principis voluntate, ne promulgatio quidem in urbe principe facta requireretur. Finge enim vero legem a latore legis editam esse, immo & ejusdem manu subscriptam; interea autem ante promulgationem in urbe principe factam privatis quibusdam testimoniis circumferri, quod in lege continetur, nemo unquam tradere ausus est, jam inductam fuisse legis obligationem. Quod cum ex eo proficiscatur, quod non sufficiat ad obligationem inducendam notitia privata, statim intelligitur, neque obligationem induci in provinciis apud eos, qui tantum privatam legis notitiam habuerunt, acceptam per epistolam illorum, qui in urbe principe commorantur. His accedit alia observatio: nimirum cum non eadem sit locorum omnium indoles (utor verbis Benedicti XIV. in libro 6. de Synodo Diœcesana cap. 1.) non iidem ubique hominum mores, non eædem in omni loco simul inolescant morum corruptelæ, nequeunt leges omnes cuicumque loco, & tempori congruere; sed quod unius diœcesis status hic & nunc decernendum suadet, alteri diœcesi inopportunum, aliquando etiam obnoxium accideret. Hinc est, quod laudatus Pontifex in libr. 9. ejusdem operis cap. 8. num. 3., ubi de constitutionibus disciplinam spectantibus agatur, laudat illorum Episcoporum solertiam, qui quoties in nova constitutione ad eos missa promulgationis causa deprehendat quædam diœcesi suæ minus utilia, quæ sane Pontifice Maximo, uti factorum singularium adjunctis involuta, comperta non præsumuntur, cap. 1. de constitut. in. 6., interea abstinent a promulgatione, pro ea, quæ ipsis imminet, cura publica Dio-

cesanæ utilitatis; eadem ratione, qua paulo antea idem Benedictus XIV., cum sermonem faceret de Pontificiis rescriptis ad privatorum utilitatem directis, adseruit facultatem universis, *quorum interest, & quorum res agitur, exponendi damnum, aut jam obventum, aut proxime obventurum ex Pontificio decreto*, proptereaque curandi, ut rescripti executio, si opus videatur, irritetur. Atque id est, meo judicio, quod Gratianus scribebat post canonem 3. dist. 4., *leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium adprobantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur.* Legum ita edendarum disciplina semper, & apud universas gentes constantissima fuit; si enim naturalem legem unicuique homini intimam, & quæ propterea a nemine ignorari potest, excipias, nulla lex unquam prodiit, quæ palam universitatibus omnibus legi futuris obnoxiis non diceretur. Ista forma Mosaicæ legis omnibus Hebræorum tribubus patefactæ; ista forma Evangelii per omnem terram exeunte Apostolorum sono prædicati: ista forma Romanarum legum promulgandarum, quæ propterea communis Reipublicæ sponsio appellabantur, l. 1. ff. de legibus, unde veterum vestigiis hærens Justinianus in Nov. 66. cap. 1. valere leges de testamentis latas pronuntiavit, *ex quo in commune fierent manifestæ, in provinciis autem, ex quo discretæ per Metropolitas palam factæ fuissent*; neque ab ea disciplina recessit, cum ecclesiasticæ utilitatis causa nonnulla constituisset, quemadmodum adparet ex Nov. 6. in §. 1. epilogi. Ista denique forma legum ecclesiasticarum in generalibus præsertim Conciliis editarum, cap. 13. de pœnit., & remiss., cap. 25. de accusation., Concilio Tridentino sess. 24. de reform. matrim. cap. 1., ut omittam Epistolam Synodicam Concilii Nicæni vel ad Sylvestrum Papam, vel ad Episcopos Ægyptios, aliosque, qui Synodo non interfuerant, Epistolam Concilii Sardicensis ad Julium Papam, Epistolam Concilii Ephesini ad universos Episcopos, Epistolam Siricii ad Himerium Tarraconensem, Epistolam Innocentii ad Exuperium Tolosanum, Epistolam Zozimi ad Episcopum Arelatensem, Epistolam Leonis Magni ad Nicetam Aquilejensem, atque alias numero plurimas. Quando vero Novellam 66. Justiniani memoravi, nollem, quod ibidem dicitur, legem post duos primum menses a die promulgationis numerandos obligare, ad constituendam generalem regulam traheretur. Singularis fuit in ea lege certi temporis designatio, quæ aliis in casibus relinquenda est arbitrio Judicis æstimaturi, quandonam post promulgationem a nemine probabilis ignoratio legis allegari amplius nequeat. Hinc scimus, aliquando brevius tempus fuisse designatum, aliquando diuturnius, uti in dicto cap. 1, Tridentinæ sessionis 24. cap. 23. de præb. in 6., extrav. un. de pærb. & dignit., Nov. 66. cap. 1., Nov. 116. cap. 1. protereaque jure optimo hanc rem arbitrariam appellavit Menochius in libr. 2. de arbitrariis centuria 2. casu 185.

Non debeo hoc in loco dissimulare, quod nonnulli contra sentientes scribere non duvitaverunt, ajentes, definitam jam fuisse hujus generis controversiam rescripto Innocentii III. in cap. 1. de postulat. Prælat. in iis verbis: *Nec sit necessariam, cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel literas inculcare, sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam*; quibus etiam subjicitur exemplum Sardicensium canonum, quasi isti ab iis quoque observari debuerint, quorum in provinciis non fuerant promulgati. Miror eruditos viros novæ opinionis fundamenta quærere in argumentis, quæ informi quodam discurrendi pruritu correptus cumula-

re solebat, qui scribendis Innocenti III. rescriptis ex mandato illius Pontificis addictus erat, homo scholasticarum tricarum studiosus, ex iis singulare capiens oblectamentum; neque enim ista argumenta adjecta fuerunt quasi in quibus doctrinæ suæ solidam basim constitueret Innocentius, sed quasi quibus doctrinam suam quomodocumque exornatam putaret, quemadmodum superius generaliter tradendum mihi fuit, dum auctoritatem rescriptorum Pontificiorum expenderem. Attendendus est præcipuus Innocentiani rescripti scopus, in quo ejus, quo vim juris habeat, summa consistit: cæterum si singula, quæ adjecta fuere, sequamur, nescio, an germanis juris principiis perpetuo adhærere possimus. Sic, ut exempla proferam, ex cap. 2. de translat. Episc. admittemus quidem translationes Episcoporum Pontifici Maximo reservari, non ideo tamen, quod conjugii spiritualis vinculum per translationem Episcopi dissolvatur, & quod hujus conjugii dissolutio soli Deo reservetur, cum aliis nonnullis, quæ ibidem oculis indigesta scribendi methodo exarata subjiciuntur. Sic in cap. 8. de celebrat. Missar. colligimus, aquam esse in Eucharistia una cum vino offerendam; an vero id recte probetur ex Mosis facto aquam e percussa silice derivantis, adhuc deliberandum fortasse videretur. Sic in cap. 3. de Presbyt. non baptiz. definitur, Presbyterum non baptizatum, & baptizandum esse, & iterum ordinandum: at quis statim admittet, quod ibidem traditur, non esse generaliter verum, baptisma cæterorum Sacramentorum novæ legis fundamentum esse, Sacramentumque conjugii, sicut & Eucharistiæ, a non baptizatis recipi posse? passim hæc observantur in rescriptis Innocentii III. numero plurimis, inter cætera etiam in cap. 5. de digam. non ordinand., & in cap. 8. de divortiis, in quibus Cappellanus addictus exarandis Pontificiis rescriptis extra Pontificiam Sententiam nonnihil sibi, doctrinæque suæ indulgere consueverat. Itaque, ut ad rem accedamus, quid in objecto cap. 1. præcipue voluerit, riteque definiverit Innocentius III., investigemus. Philippus Rex Galliarum, repudiata Ingeberge uxore sua, prætextu consanguinitatis, & maleficii, probantibus nonnullis Gallicanis Episcopis anno 1196. Mariam filiam Ducis Moraviæ, & Bohemiæ uxorem superinduxerat. Ab eorum Galliæ Episcoporum suffragiis ad Cœlestinum III., iterumque ad Innocentium III. Cœlestini successorem appellavit Ingeberges, renovatoque apud Pontifices Maximos judicio declaratum est, non potuisse Philippum secundas contrahere nuptias, quod nullum cognationis, vel maleficii impedimentum prioribus obstitisset. Ut Pontificia sententia executioni demandaretur, missus fuit ab Innocentio Legatus in Galliam Petrus Capuanus Cardinalis, qui cum Regem a Secundis nuptiis adducere statim non potuisset, adstantibus Episcopis universis totum Galliæ Regnum interdicto supposuit; unde diræ inter Philippum, & Innocentium obortæ sunt simultates. Episcoporum Gallicanorum divisi fuere tunc animi, quorum alii Pontifici Maximo, alii Regi adhærebant, ac posteriores isti interdicti censuram minime custodiebant; inter quos fuit Hugo de Nuceriis Episcopus Antissiodorensis. Videantur in hanc rem capitulum 7. de offic. Legati, capitulum 43. de appellation., & capitulum 13., qui filii sint legitimi, in quorum conspectu factum illud luculentius illustratur. Vacaverat in his temporum, & causarum adjunctis Senonensis Archiepiscopatus, communique Senonensis Capituli suffragio memoratus Hugo Antissiodorensis Episcopus fuit in Archiepiscopum postulatus. Et sibi ingrata, & tristis Galliarum Regno visa fuit ea postulatio Innocentio; sibi in primis ingrata, quod is electus Archiepiscopus esset, qui sententiam Pontificis, & interdictum Legati contempserat; deinde tristis Galliarum

Regno, cui non expediebat, eum majore ecclesiastica dignitate insigniri, qui adulteræ Regis conjunctioni aut indulgere pergeret, aut connivere. En rationem, quare Innocentius Hugonis postulationem rejecit, quæ tota Innocentianum rescriptum regit, ac firmat. Quoniam vero excipiebat Hugo, ajendo in primis, interdicti sententiam tantum affecisse Galliæ provincias Regi immediate subjectas, non eam, in qua ipse degebat, seu Divionensem in Ducatu Burgundiæ, deinde eam interdicti sententiam non sibi speciali mandato fuisse indicatam, replicavit Innocentius adversus postremam exceptionem, satis fuisse, sententiam interdicti publice promulgari, nec opus extitisse, per speciale mandatum omnibus notam fieri, atque istud est, quod significant laudata verba capituli 1.. Diutius his controversiis hinc illinc agitati fuerunt animi, quæ tamen deinde pacatis communi consensione rebus quieverunt. Hæc cum ita sint, forte præceps judicandum erit consilium illius, qui ex rescripto Innocentii inter medias contentiones edito ita utatur, ut omnibus omnino verbis, ipsis etiam decisis sententiarum fragmentis causa disputationis adjectis, adhærendum existimet. Quod si adhuc laudatis verbis, quæ nobis negotium facessunt, adhæreamus, nihil tamen in contrarium perspicue probant; quando ibidem non de lege edita, sed potius de judiciali interdicti sententia agitur; multum autem interest inter modos, & rationes promulgandarum sententiarum, & modos, ac rationes promulgandarum legum, quamquam consarcinator rescripti vocem *constitutionis* expresserit pro ea, quæ exprimenda erat, voce *interdicti*; ea enim ætate jam ab usu recesserat de sententiis censurarum indictarum in singulis saltem finitimis provinciis publicandis disciplina, quæ olim observabatur. Præterea in proposito ea ratio plurimum facere poterat adversus Hugonem Episcopum Antissiodorensem, qui, licet speciale mandatum non habuerit servandi interdicti, publicis tamen comitiis interfuerat, quando Cardinalis Legatus interdicti sententiam pronuntiaverat, cujus propterea ignorationem allegabat frustra, qui publice, & solemni modo editam sententiam aut viderat, aut audiverat. Nunc porro intelligimus, quod in dicto cap. 1. subjicitur de canonibus Concilii Sardicensis, quos a Græcis custodiendos scripserat Nicolaus I. in can. 14. dist. 16., ad quem canonem ibidem Innocentius III. respexit. Opposuerat Nicolaus adversus Græcos statuta Concilii Sardicensis: exceperant Græci, se ea statuta non habere, propterea non eisdem obstringi. Non sane replicavit Nicolaus, nihilominus Græcos obligari, quod non requireretur, Sardicenses canones ubique promulgatos existere, sed potius, se credere non posse, promulgatos canones non fuisse apud Græcos, imputandum autem esse Græcis, quod semel receptas leges abjecerint, aut non retinuerint. Hoc exemplum mirum in modum serviebat proposito Innocentii pugnantis adversus Hugonem: quem redarguebat in eo, quod negligeret interdicti sententiam, non quam ex publicis documentis non excepisset, sed quam semel ex publicis documentis acceptam contempserat, seu quam in publicis comitiis in congressu omnium Episcoporum Galliæ audiverat, redux deinde ad Ecclesiam suam, quasi eam oblitus esset, non custodiverat. Concludamus igitur, opposita verba parum juris auctoritate pollere, qua etiam si pollerent, ad rem non pertinere, ad quam etiam si pertinerent, contrarium probare, non id, quo ab adversariis detorquentur.

Illud quoque in edendis constitutionibus observandum est, ut, quamvis penes Legislatorem unum tota sit potestas, ac jurisdictio, ipse tamen consilio virorum prudentum utatur, unde lex dici possit *virorum prudentum consultum*, qualem appellabat Papinianus in l. 1. ff. de legibus. Disputent inter se juris pu-

blici studiosi, an vis legem potissimum a voluntate ferentium pendeat, an potius ab eorumdem sagacitate: ego contentus sum didicisse a Philosophis, utramque concurrere oportere, ut lex optima, ac saluberrima evadat. Concurrit sagacitas, quam optimum consilium, judiciumque regit; concurrit voluntas, quam majestas non sinit effectu suo frustrari. Hinc est, quod voluntas, quæ per se idonea facultas est ad exequendum, non alienum exspectet auxilium; sagacitas autem, quæ variis hinc illinc effusis luminibus est illustranda, alienis consiliis adjuvetur. Hanc disciplinam & Ethnici, & Christiani Principes in suis edendis legibus servaverunt. Ex Ethnicis laudo Alexandrum Severum, qui, teste Lampridio in Alexandro, non aliter legem ferre consueverat, quam accedente consilio jurisperitorum viginti, & sapientissimorum quinquaginta, dissertissimorumque vivorum. Ex Christianis laudo Theodosium, cujus monumentum perspicuum legere est in l. 8. cod. de legib., professum, se non aliter legem conditurum, quam si & proceres sacri palatii, & Senatus eam probavissent. Et quidem in Ecclesia simili ratione constitutiones condi consueverunt, non in Conciliis tantum, de quibus nulla esse dubitatio potest, sed etiam extra Concilia; quando scimus, unumquemque Episcopum in gravioribus administrandæ diœceseos negotiis seu cleri sui, seu capituli consilio usum fuisse cap. 4. & passim, de his, quæ fiunt a Præl., eademque ratione Pontificem Maximum cleri quoque Romani, aut illorum, qui in cleri ejusdem jura recentioribus sæculis successerunt, consilia postulavisse, ubi de Romanæ tantum diœceseos cura ageretur. Quod si a Pontifice Maximo aliquid agendum esset, quod universam Ecclesiam exspectaret, majoris cujusdam, præstantiorisque conventus accessione opus esse videbatur. Per novem, aut decem priora sæcula cogere ad eas dirimendas causas solebant Romani Antistites non solum septem suburbicarios Antistites (hodie sex tantummodo numerantur ob unitum Episcopatum Sanctarum Ruffinæ, & Secundæ, alias Sylvæ candidæ, cum Episcopatu Portuensi) quasi suffraganeos suos, & provinciales, sed etiam plures selectos ex universa Italia, quasi Nationales, seu Primatui Romano singulari quoque jure subjectos; atque, ac si congregaretur Synodus, horum explorato consilio definiebant, definitumque universæ Ecclesiæ proponebant. Optima sane rerum gerendarum prudentia, ubi potissimum discutienda foret fidei, morumve doctrina; ut enim hæc, ad traditionem veterem, & apostolicam erat exigenda, utile erat testimonia illorum advocare, in quorum Ecclesiis integra magis videri poterat, quales erant Italicæ, quas Apostoli Petrus, & Paulus, eorumque socii, aut discipuli per se erexerant, a quibus deinde, quæ in remotioribus provinciis constitutæ fuerunt, derivatæ doctrinam primigeniam quasi e fontibus purissimis acceperunt. Non poterat tamen exinde non proficisci quoddam Italicarum provinciarum incommodum, quando illarum Episcopi frequenter occasione constitutionum universalium edendarum avocabantur a Diœcesana sollicitudine, aliquando etiam non residere per diuturnum tempus cogebantur; item quoties per constitutiones novas generales disciplinæ capita essent stabilienda, non videbantur satis opportuna unius Italicæ Ecclesiæ Episcoporum consilia, forte tantummodo italicis moribus accommodata, & non facile aliarum provinciarum adjunctis consentanea. Eam ob rem sæculo decimo, & undecimo Pontifices Maximi satius duxerunt, ut alia ratione commodis Ecclesiarum consulerent, Cardinalium collegium tanquam a consiliis designando, in quod admitterentur primum sex Episcopi suburbicarii, ut aliquod veteris disciplinæ vestigium superesset, adjectis presbyteris, ac diaconis titulos in urbe ecclesiasticos administranti-

bus, immo & receptis in idem collegium viris ex universo orbe selectis eximiis, qui singularum provinciarum mores callerent, eaque in congressu proponerent, quæ vel utilia, vel minus utilia viderentur; atque huc pertinet, quod ajebat S. Bernardus in libr. 4. de Considerat. cap. 4. *An non eligendi de toto orbe orbem judicaturi?* quibus consonat Concilium Tridentinum in cap. 1. sess. 24. de ref. vers. *ea vero.* Plurimum id profuit, ut Cardinalium dignitas multis jam tum nominibus præclara, in dies illustrior fieret, quod Cardinales tanquam Pontificis Maximi Senatus haberentur, & præstantiora membra Pontifici Maximo adhærentia, ad regendam universam Ecclesiam opera, ac consilio designata, cap. 27. vers. *decet* de electione in 6.. Quamquam vero id etiam hodie vigeat, ut Romani Pontifices constitutiones suas se edidisse, præhabito Cardinalium consilio, profiteantur, scribit tamen Petrus de Marca in libro 1. de concordia Sacerdotii, & Imperii cap. 9. num. 8., hodie eo jure uti Romanum Antistitem, ut Cardinales quidem in consilium adhibeat, sed eorum non indigeat assensu, inque ejus consuetudinis demonstrationem testimonium adfert Bellarmini, Azorii, cæterorumque Scriptorum; quasi ideo Cardinalium consilium accedere debeat, ut in conspectum Pontificis adferantur, quæ aut pro ferenda, aut contra ferendam constitutionem objici possint, non ideo, ut cum Pontifice Cardinales consilia ferentes solidam jurisdictionem exerceant. Cæterum non est dubitandum, Pontificem Maximum accepto consilio in illam partem propendere oportere, quæ sanior sit, & gravioribus innitatur argumentis, eo ipso jure, quo utilitatem Ecclesiæ universæ ex officio suo gravissimo, ac divino mandato curare, ac promovere tenetur, non quidem data potestate Cardinalibus contra sentientibus obsistendi, quod jurisdictionis esset, argumento canonis 3. dist. 19., sed ut Pontifex Maximus omnis culpæ notam coram Deo evadat, dum ecclesiasticæ curæ deesset, justaque selectorum virorum officia temneret, can. 1. 2. 4. 6. 7. 16. caus. 25. quæst. 1., can. 4. & 10. caus. 25. quæst. 2.

CAPUT III.

Quibus modis jurisdictionem suam per Vicarios, aut instar Vicariorum constitutos, in Romana Curia Pontifex Maximus exerceat.

Huc referendus est titulus 28. libr. 1.

AMplissima Ecclesiarum omnium sollicitudo, in quam graviter incumbens Pontifex Maximus diversitate negotiorum distrahitur, postulavit, ut non ipse perpetuo per se singula administraret, sed quosdam in partem suæ sollicitudinis advocando designaret, per quos certæ res dirigerentur, atque implerentur. Æquissimum autem in hac parte erat, ut eorum præ cæteris eligendorum ratio haberetur, qui uti modo tradebam, a consiliis Pontificis ejusdem essent, & unum veluti principale corpus cum illo constituerent, Cardinales dico e variis christiani orbis provinciis designatos, qui propterea omnium fere provinciarum mores una callerent, exindeque Ecclesiarum omnium utilitatibus prudenter posse prospicere præsumerentur. Et quoniam duplex est Pontificis Maximi officium, singulare unum, quod Romanam singularem Ecclesiam, seu diœcesim; generale

alterum, quod Ecclesias, seu diœceses omnes in communione Romanæ consistentes exspectat; postquam adnotaverimus in universum certas regulas respectu muneris illorum, quos in partem suæ sollicitudinis Summus Pontifex vocet, observemus in primis, quid in Romana ipsa diœcesi Cardinalibus concesserit, deinde quid aliquando mandaverit eisdem gratia Ecclesiæ universæ gerendum.

Regulæ generales, quæ respectu horum munerum sunt observandæ, duobus veluti principiis hærent. Primum est, quoniam de supremo Ecclesiæ Principe agitur, non jurisdictionem universam, & quantacumque sit, in ejus veluti constitutos Vicarios fluere, quando scimus, eam esse delegatæ a Principe jurisdictionis indolem, ut, qui eam ex mandatis exercet, non unum & par cum Principe tribunal habeat; cujus rei argumento est, quod a Delegato Principis ad Principem ipsum appellationi adhuc sit locus, argumento l. un. cod. qui pro sua jurisdictione, l. 16. cod. de appellation., l. §. 1. ff. quis, & a quo appelletur. Hinc quamquam a Vicario Episcopi appellatio ad Episcopum denegetur, cap. 2. de consuet. in 6., a Delegato tamen Pontificis Maximi ad eumdem Pontificem provocatur, cap. 27. vers. *porro* de offic., & pot. jud. deleg.. Alterum principium est, nonnullas inesse Pontifici Maximo prærogativas, quas, quod dignitati ipsi cohæreant, personales quodammodo dixerimus, nec facile alias communicandas, eodem jure, quo nec ipsa dignitas Pontificatus Maximi per quamcumque delegationem communicari potest. Quamquam enim credamus, Spiritum Dei singulis Ecclesiæ Christi Prælatis specialiter ad res bene gerendas adesse; specialius tamen, pollicente Christo Domino, & Petro, & Petri successoribus adfuit semper; quod sane privilegium non naturam induit jurisdictionis, neque ipsam ex delegationibus decisam sequitur, sed singularem denotat, atque Apostolicæ ipsi Sedi intime cohærentem in deffiniendo præstantiam, ac dignitatem.

His generaliter positis, si quæratur, quid Cardinalibus Pontifices Maximi in Romana ipsa urbe, ac diœcesi concesserint, observamus in primis, receptum esse, Cardinales in suis titulis, sive Ecclesiis in urbe Romana constitutis, in quibus antiquitus Presbyteralia, seu diaconica officia exercebant, pro qualitate singulorum, sive sæculares, sive regulares clerici in iis administrent, jurisdictionem exercere quasi Episcopalem, cap. 11. de majorit., & obedient., & quidem ordinariam, ita ut morte Pontificis Maximi minime exspiret. Hinc Cardinales in suis illis Ecclesiis utuntur Pontificalibus insignibus, etiamsi Episcopi non sint, & solemniter populo benedicunt, constitutiones etiam ferunt, populum, & clerum sibi subjectum obligaturas, clericos illis Ecclesiis addictos corrigunt, &, ubi opus sit, censuris coercent, more Episcoporum visitationem peragunt, clericos vel in beneficiis instituunt, vel a beneficiis legitima de causa destituunt, cap. 24. de electione; controversias inter eosdem clericos dirimunt, ordines etiam sive majores, sive minores sibi subjectis conferunt, si Episcopali charactere sint insigniti, aut, si tantum Presbyteri sint, tonsura, & minoribus ordinibus initiant; præterea eorum gratia, qui eisdem titulis subsunt, dispensant in omnibus iis casibus, in quibus Episcopi dispensant in diœcesibus suis, nisi tamen agatur de dispensandi facultate, quæ a Tridentino Concilio Episcopis facta videatur jure singulari, & gratia Episcopatus, uti est dispensatio in omnibus fere irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, juxta caput 6. sess. 24. de reform.. Quod quidem quamdam dubitationem habere potuit statim post Concilium Tridentinum; verumtamen auctoritate Gregorii XIII. ita definitum fuit anno 1582., quemadmodum testatur Fagnanus in cap. *cum Ilorios* de sent. excommunicat. num. 32.. Item Car-

dinales iidem sibi confessarium eligunt juxta privilegia Episcopis concessa in cap. ult. de pœnit. & remiss., pœnitentiarum canonicarum remissiones, sive indulgentias ad centum usque dies elargiuntur; denique ex singulari privilegio Cardinales omnes illud obtinent, ut, non quidem in generalibus, & in bonum Ecclesiæ latis, constitutionibus, sed in generalibus reservationibus, ac legibus certas Prælatorum, ac clericorum facultates restringentibus, aut statutis pœnas asperiores infligentibus, non comprehendantur, nisi de illis facta fuerit mentio specialis, juxta regulam 70. Cancellariæ, argumento capituli unici de schismaticis in 6., Concilio Tridentino sess. 24. de reform. cap. 18.. Non tamen Cardinales in suis titulis Synodum convocare possunt, sive ex eo, quod non plures sub se Parochos habeant, eodem fere modo, quo Archiepiscopi non habentes suffraganeos Episcopos convocare nequeunt Concilium Provinciale; sive ex eo, quod vi privilegiorum suorum non eo evecti sint, ut veram diœcesim habere dicantur, eodem iterum modo, quo qui Archiepiscopi ex privilegio constituti sunt sine ulla designata regenda provincia, Provinciale Concilium celebrare nequeunt: æquabilis autem ratio est, & illius, qui nulla provincia potitus Provincialem, & illius, qui nulla diœcesi gaudens Diœcesanam Synodum celebrare præsumat.

Pontificiam quoque Diœcesanam jurisdictionem in urbe exercet Cardinalis Vicarius appellatus, ampliore sane prærogativa insignitus, quam sint cæteri Episcoporum Vicarii, utpote cujus officium, etiam Sede Pontificia vacante, perdurat, quemadmodum testatur Fagnanus ad cap. 14., de majorit., & obed. num. 69., utpote etiam qui lubitu suo potest sine expressa concessione Papæ Diœcesanam Synodum convocare, quamquam raro hac facultate utatur, propterea quod Pontifex Maximus, si qui in urbe abusus emergant, iis ocurrere expeditiore ratione consueverit. Quamquam vero passim tradatur, Vicarii jurisdictionem extendi usque ad quinquagesimum ab urbe lapidem, id tamen non pertinet ad loca sex Episcopis suburbicariis subjecta, sed solum ad ea numero sane pauca, quæ suburbicariis diœcesibus cohærent, non ad diœceses suburbicarias pertinent, ex quo explicatur, quod traditur in cap. 5. de offic. Vicarii, jurisdictionem illam extra urbem non extendi, quasi vix extra urbem extendi videatur, quod ad perpauca loca extra urbem extenditur. Cæterum gratia Vicarii illius constitutum est etiam respectu diœceseon suburbicariarum, ut, licet Episcopi suburbicarii per se in sua diœcesi, aut per suffraganeum, si quem habent, in diœcesi constitutum Episcopum (nomine suffraganei hic intellige Vicarium Generalem in spiritualibus designatum, qui Episcopali ordine, seu charactere sit insignitus) ordinare suos clericos valeant, non possint tamen alteri Episcopo ordinationem clericorum suorum mandare, sed omnino debeant ordinandos sive in majoribus, sive in minoribus ordinibus ad Cardinalem in urbe Vicarium dimittere. Non adjicio hic, sed tantum indico, quid Pontifices Maximi urbis negotia gesturi singularibus ad id institutis Congregationibus constituerint, nimirum Congregatione *Visitationis Apostolicæ*, quæ spirituale Romani populi bonum, adhibita Episcopali sollicitudine, spectat, Congregatione *super consultatione negotiorum Status ecclesiastici*, quæ vulgo *Consulta* dicitur, & Congregatione *boni regiminis*, quæ politicum Status, seu dictionis ecclesiasticæ regimen fovent. Qui plura de his desiderat, adeat Cardinalem de Luca in relatione Romanæ Curiæ disc. 24. 25. 26. & 27.

Specialia hæc sunt Romanam diœcesim spectantia. Inquirendum utilius est, quorumnam opera in Romana Curia Pontifex Maximus utatur in gerendis Ecclesiæ universæ negotiis. Neque enim eadem est omnium ratio; cum nonnulli

sint designati veluti Magistratus quidam, quorum consilio, atque prudentia optimo Ecclesiarum regimini consulatur, nonnulli ut conscientiis privatorum, qui certis canonum pœnis, aut impedimentis detinentur, utiliter in foro tantum interno prospiciatur; nonnulli denique, quorum officio expeditius ad executionem Pontificiæ voluntatis deveniatur. Varia hæc aut Congregationum ad id institutarum, aut singularium virorum ad id designatorum munera paucis indicabo, ut unusquisque statim intelligat, quid ad cujusque officium pertineat, unde & valeat in singulis diversas illas modo laudatas notas, seu characteres deprehendere.

In primis memoro Congregationem consistorialem. Cum enim majorum beneficiorum provisio hodie in consistorio Papæ sit facienda, quod ex decreto Concilii Tridentini sess. 24. de ref. cap. 1. contingit in electionibus Cardinalium, atque Episcoporum, & horum exemplo quorumdam regularium Prælatorum, quorum propterea monasteria consistorialia appellantur; item in consistorio soleant expediri constitutiones coadjutorum cum jure futuræ successionis inconsistorialibus Ecclesiis, vel monasteriis; præterea admitti dimissiones, vel translationes easdem Ecclesias, vel monasteria possidentium; insuper probari causæ, ex quibus ad novas erigendas Metropolitanas, vel Episcopales Ecclesias, vel ad divisiones, vel ad uniones earumdem, designandis sub alia forma diœcesibus, deveniendum proponatur; ad dirimenda plurima, quæ hisce causis quandoque difficultatem faciunt, instituta fuit singularis Congregatio, quæ consistorialis dicitur, ut in ea primum consistoriales laudatæ causæ discuterentur, discussæque quasi præparatæ ad consistorium, referrentur, definitionis, ac decreti sanciendi gratia.

Altera est Congregatio Concilii Tridentini, primum a Pio IV. instituta, deinde a Sixto V. ampliore potestate instructa. Cum enim prævidissent Tridentini Patres, non ita in Concilio declarari omnia potuisse, ut nulla omnino explicatione indigerent, in fidem Pontificis Maximi recipienda ea voluerunt, sperantes, ut ipse, aut novum, ubi opus esset, congregando Concilium, aut evocatis ex illis præsertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos tractando emergenti negotio viderit expedire, aut commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus consuleret, uti legimus in fine sessionis 25. sub titulo de recipiendis, & observandis decretis Concilii. His adhærens Pius IV. prudentissime vetuit, ne quis Tridentinis decretis glossemata, & interpretationes adjiceret, quibus aliquando eventurum timebat, ne Sanctorum Patrum sententiæ eluderentur; immo & ad expeditiorem decretorum executionem Congregationem instituit, quæ sedulo invigilaret, ut sine tergiversatione Tridentinis semel promulgatis præceptis pareretur, unde ea Congregatio appellabatur *pro executione, & observantia Concilii.* Quis vero facile in iis adjunctis executionem meram curare potuisset, quin aliquando, si quid obscurum emergeret, interpretatione suppleret? Sed interea ea Congregatio facultate interpretandi destituebatur, donec eam a Sixto V. expresso mandato suscepit; quamobrem deinceps eadem Congregatio appellata fuit *pro executione, & interpretatione Concilii Tridentini.* Potissima autem hujus Congregationis cura hodie in eo versatur, ut Provinciales, & Diœcesanas Synodos celebrari curet, quoad fieri possit; item ut recipiat appellationes ab improvidis quarumdam Synodorum particularium statutis, atque ista, ubi exhibeantur, discutiat, ac probet; & regulariter ut ea omnia agat, quæ ex Tridentinarum legum custodia pendent; qua de causa ipsa excipere solet, & discutere postulata, quæ in relationibus status Ecclesiarum ab Episcopis, ubi præsertim Limina Apostolica visi

tant, proponuntur. Ejusdem tamen decreta, potissimum quod promulgari non soleant, non ubique tanquam leges recipiuntur, immo & ubi recepta sunt, duabus deprehenduntur observationibus obnoxia. Prima observatio est, quam jampridem adhibuit Cardinalis de Luca in adnotationibus ad Concilium Tridentinum disc. 1., non esse indiscriminatim adhærendum quibuscumque collectoribus, qui ea vel Mss. codicibus, vel impressis exhibuerunt, cum pluries contingat, ut tanquam decretum Congregationis exhibeatur, de quo nulla in ejusdem Congregationis tabulario, seu regesto vestigia habeantur, quod & animadvertit Fagnanus in cap. *quoniam* de constitution. num. 9., & in cap. *cum venissent* de judiciis. Altera observatio est, ubi ejusmodi decretum in forma authentica proferatur, investiganda esse adamussim. & rei propositæ, & temporum, & personarum, & locorum adjuncta; quod forte singularibus horum adjunctorum causis decretum inniti possit, non facile ad alia adjuncta non undecumque similia producendum; quamobrem eadem ipsa Congregatio, ubi certa adjuncta immutarentur, olim dictam in aliis adjunctis retractare sententiam non dubitavit, quemadmodum pluribus in locis adnotavit Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana libr. 1. cap. 5. num. 3., libr. 2. cap. 11. num. 12., libr. 5. cap. 7. num. 6. libr. 10. cap. 3. num. 5., libr. 11. cap. 6. num. 5., libr. 12. cap. 3. num. 2., & libr. 13. cap. 24. num. 5.. Non est omittendum, interpretationem Tridentini Concilii Congregationi commissam pertinere tantum ad ea Concilii capita, quibus aut mores, aut disciplina reformatur; nam ea, in quibus fidei dogmata definiuntur, interpretationi Pontificis Maximi sunt reservata. Item omittendum non est, etiam ubi recepta sunt generaliter ejus Congregationis decreta, posse aliquando Episcopum ab eisdem recedere, si æqua suggerat causa, quemadmodum iterum adnotavit Benedictus XIV. in libr. 2. de Synodo Diœcesana cap. 7. num. 7.; neque enim disciplina generalibus regulis expressa ita singulas afficere provincias potest, ut omnibus utilis esse videatur, uti superius de generalibus constitutionibus dictum est.

Antiquior est Congregatio, quam Supremæ Inquisitionis adversus hæreticos, seu Sancti Officii appellant; cum enim a decimotertio sæculo constitui in aliquibus provinciis cœperint a Pontifice Maximo delegati, quorum opera coercerentur hæretici, iidemque deinceps plurimi extiterint, primum sub Paulo III. anno 1542. sex Cardinales designati sunt, quibus generalia fidei tuendæ negotia mandata, & a quibus cæteri in provinciis constituti Vicarii penderent. Numerum Cardinalium auxit Pius IV., semelque institutam designationem confirmaverunt Pius V., & Sixtus V.. Ob summam rei gravitatem, quæ in hac Congregatione tractatur, ei Summus ipse Pontifex præsidere solet; quando autem præsidet, non Congregationis nomine, sed ejusdem Papæ, decretum, prout res incidit, conficitur.

In hujus Congregationis adjutorium alia instituta Congregatio fuit, quæ *Indicis* appellatur. Jam ab anno 1557. nonnullis Delegatis suis mandaverat Paulus IV., ut quoniam noxii plures præsertim hæreticorum libri emerserant, quibus integra simplicium fides, & mores corrumpi facile poterant, certus index illorum conficeretur, publiceque proponeretur, unde unusquisque nosset, a quorum sibi foret lectione abstinendum. Absolutus index fuit anno 1559. pluribusque in locis auctoritate Pontificis promulgatus, indictis gravissimis censuris, & pœnis adversus eos, qui designatos in indice codices legissent. Id enarratur in sess. 18. Tridentini Concilii, quod tamen, sive de indicis, sive de censurarum causa ageretur, iterum tractatum visum est, sive ut opportuniore remedio nonnullorum querelis

obviam iretur, sive ut consultius peregrinæ, & a veritate catholica alienæ doctrinæ improbarentur. Hinc Tridentini Patres prudentes viros selegerunt, qui rem diligenter consideratam ad Concilium referrent absolvendam. Vix extrema manus fuerat huic negotio a prudentibus selectis viris imposita, cum dissolvendum Concilium foret, quamobrem cum ob librorum varietatem, & multitudinem distincte, & commode a Sancta Synodo omnia dijudicari non possent, præceptum fuit, ut, quidquid ab aliis præstitum erat, Romano Pontifici exhiberetur, ut ejus judicio, atque auctoritate terminaretur, ac vulgaretur, uti legimus in fine sessionis 25. sub titulo *de indice librorum.* Hinc confectus librorum index Pio IV. exhibitus, ac comprobatus, adjectis quibusdam regulis (quod erat ultra Concilii Tridentini mandatum) a Pio IV. similiter confirmatis. Hæc unusquisque facile legere poterit impressa ad calcem Tridentini Concilii una cum præfatione Foreis deputationis ad conficiendum indicem Secretarii. Itaque hodie a Sixto V. instituta Indicis Congregatio de libris damnandis judicare solet, non tamen ita, ut auctoritas Congregationis Inquisitionis in hac parte exspiraverit, sed ut Indicis Congregatio Congregationi Inquisitionis adjutorium præstet, ut initio dicebam.

Duæ aliæ a Sixto V. institutæ fuerunt Cardinalium Congregationes, quarum una regularium causas dirimeret, & dicebatur *pro Consultationibus regularium*, altera causas Episcoporum, aliorumque, qui quasi Episcopali jurisdictione gauderent, & dicebatur *pro Consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum.* Hodie vero una est junctis officiis Congregatio, quæ dicitur *super negotiis Episcoporum, & regularium*; atque hæc dirimere controversias solet, quæ inter regulares, & Parochos, & Episcopos, item inter collegia ecclesiasticorum, & prælatos suos suboriuntur. Hæc præterea, ubi opus esse videatur, constituit Vicarios Apostolicos Ecclesiis vacantibus, uti notavit Benedictus XIV. in libr. 2. de Synodo Diœcesana cap. 10. num. 9., regulares apostatas recipit, ubi resipiscant, monialium etiam curam suscipit in iis, quibus Episcopi præsto esse ordinaria auctoritate non possunt, præsertim ubi agatur de sanctimonialibus ab uno ad aliud monasterium transferendis.

Præterea postquam in fine Tridentini Concilii sub titulo de indice librorum, & Catechismo, Breviario, & Missali, in fidem Pontificis Maximi delatum fuisset, ut ipse sacras cæremonias sive in Missarum celebratione, sive in Psalmodia, aliisque ecclesiasticis functionibus definiret, instituta fuit alia Congregatio Cardinalium a Sixto V., quæ his negotiis præesset, quæ propterea *Congregatio Rituum* nominatur; cui quoque commissæ fuerunt discussiones causarum Beatificationis, ac Canonizationis, ut vocant, Sanctorum; quamquam causæ istæ discuti in eadem Congregatione soleant junctis aliis prudentissimis viris, alias eamdem Congregationem minime componentibus, quod hujusmodi causæ gravissimæ sint, & habeantur.

Ut paucis, & veluti per indicem, complectar aliarum Congregationum munera, Clemens IX. *Congregationem Indulgentiarum* fieri jussit, ut ipsa apocryphas, indiscretasque indulgentias examinaret, earumque usu interdiceret, juxta regulas Tridentini Concilii in sess. 25. in decreto de indulgentiis, & sess 21. de reform. cap. 9.; alia quoque instituta Congregatio, quæ dicitur *Immunitatis*, ad quam negotia referantur immunitatis ecclesiasticæ; item Congregatio *Fabricæ S. Petri*, cui tamen non omnia loca subjecta ex sui institutione fuerunt, quæ piis voluntatibus testantium exequendis se immiscet, quoties Ordinarii per annum eas exequi negligant. Qui plura desiderat, adeat constitutionem 74. Sixti V. in Bullario Romano, unde plurimarum Congregationum institutiones intuebitur, & singularia officia.

Singularia nunc quorumdam in Romana Curia designatorum officia persequamur, qui vel jurisdictionem Pontificiam in foro interno, seu conscientiæ exercent; vel quorum munere ad executionem Pontificiæ voluntatis expeditius devenitur. Jurisdictionem Pontificiam in foro interno, seu pœnitentiali exercet major Pœnitentiarius, sive per se, sive per Pœnitentiarios minores ejusdem adjutores constitutos, cujus propterea officium Apostolica Pœnitentiaria nominatur. Ad eum libello supplici ex universa Ecclesia confugere quisque solet, etiam reticito nomine confugientis, quotiescumque detinetur occulto quodam crimine, occulta pœna, vel occulto impedimento, cujus absolutio, dispensatio, vel relaxatio Sedi Apotolicæ reservatur. Solent præterea in forma commissoria Pœnitentiariæ rescripta dirigi ad discretum virum doctorem in Theologia, vel in jure canonico, Confessarium ab Ordinario adprobatum, ut ipse Apostolica auctoritate a peccato absolvat, censuram relaxet, ab impedimento dispenset; ita tamen, ut primum confessionem sacramentalem illius, qui uti vult rescripto, excipiat, & in foro tantum interno absolvat, nec gratia Pontificia in foro externo prodesse possit, eamque ob rem, executioni mandato rescripto, rescriptum ipsum lacerare teneatur, ne ullum ejus monumentum supersit; & gratis omnia expediuntur. Ad istud tribunal inter cæteros confugere poterunt, qui Missarum numerum implendum susceperunt, & quem implere nulla ratione possunt, ut opportunum consilium suscipiat; item qui secreta matrimonia, & in foro tantum, ut ajunt, conscientiæ certis de causis sunt contracturi, juxta regulas a Benedicto XIV. traditas in constitutione 35. *Satis vobis* tom. 1. ejusdem Bullarii; monachi quoque Apostatæ ab apostasia *reversuri*, & moniales certis de causis optantes, ut ab electo in aliud monasterium transferantur, uti scribit idem Summus Pontifex in libr. 13. de Synodo Diœcesana, cap. 11. num. 11. & sequentibus, & cap. 12. num. 29.

Ut ad executionem Pontificiæ voluntatis expeditius deveniatur, tria sunt constituta in Romana Curia officia, Cancellarii, unde Cancellaria, Datarii, unde Dataria, Secretarii Brevium, unde Secretaria Brevium nominatur. Quoties Cancellariæ, vel Datariæ aliquis ex Cardinalibus præficitur, iis non Cancellarius, vel Datarius, sed Vicecancellarius, vel Prodatarius vocatur. Ad Cancellariæ officium spectat, eorum curare expeditam executionem, quæ aut gravissima sunt, aut in Papæ consistorio fiunt; unde etiam beneficia consistorialia a Cancellaria dependent, & apud ipsam conferuntur, nisi quædam dispensatio necessaria fiat; tunc enim dispensationis illius causa Datariæ officium intervenire solet, immo & officium, uti vocant, *Componendæ*, si quædam compositio facienda sit, seu quasi transactio, quemadmodum ex. gr. contingit in eo, qui simoniace beneficium obtinuit, & illud per modum novæ provisionis aut in Dataria, aut in Cancellaria postulat. Olim regulæ illæ, quæ dicuntur Cancellariæ, spectabant Cancellarii, illorumque, qui Cancellario administrant, instructionem, unde eædem nomen suum acceperunt. Hodie vero plura continent, præsertim etiam recentiorum reservationum materiem, de quibus suo in loco sermo recurret. Datariæ officium ita dictum a barbaro vocabulo *datare*; seu diem designare, in eo consistit, ut ex eo pendeant expeditiones Pontificiarum concessionum minorum, & quæ in consistorio minime fiunt; immo & quandoque consistorialium, iis nimirum in casibus, quos modo memorabam, juncto etiam officio *Componendæ*, si compositionem fieri expedire ex qualitate negotii videatur. De Secretario Brevium vix opus est, ut aliqua subjiciam, quando jam superius *tradidi*, in quonam a Bullis Brevia Pontificia distinguantur. Tantum dicam, ejus officium in memoratorum Brevium expeditione consistere.

CAPUT IV.

Quibus modis Pontifex Maximus per Vicarios extra Urbem constitutos jurisdictionem suam exerceat.

Huc referendi sunt tituli 29. & 30. libr. 1.

SUpremam in universas Ecclesias per amplissimum orbem longe, lateque diffusas jurisdictionem non semper per se commoda, expeditaque ratione exercere potest Pontifex Maximus, qui propterea legationibus constitutis modo causarum, modo locorum gratia, ecclesiasticam curat impensius utilitatem; hoc enim est, quod ajebat Magnus Gregorius, dum Maximianum Syracusanum Episcopum in Sicilia Vicarium designaret: *mandata cælestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur*, cap. 6. de præsumption.. Jungatur canon 1. dist. 94.. Qui mandatum hoc exercendæ Pontificiæ jurisdictionis suscipiunt, apud Græcos veteres *Apocrysarii* appellati fuerunt, cap. 4. de elect., Nov. 6. cap. 2. & 3., apud recentiores, & Latinos modo *Responsales*, modo *Nuntii*, modo *Legati*; licet enim legationis nomen si latissime sumatur, pro quocumque missionis genere usurpetur, can. 3. dist. 50., unde perperam Gratianus legationem Apostolis a Christo factam a legatione Pontificia secernere nescivit, can. 2. dist. 94., obtinuit tamen, ut proprie Legati dicerentur, qui a Pontifice Maximo ad utilitatem Ecclesiarum per provincias mitterentur, toto titulo de officio Legati. Quamobrem si verum est, jure publico honorabiles esse, & veluti sacros haberi Legatos Principum ad quascumque gentes directos, eo etiam venerabiliores fuisse Legatos in provincias sibi subjectas a Romano populo missos, quo major erat in exercenda nomine ejusdem populi in designatis provinciis jurisdictione potestas, unde etiam communi cum Proconsulibus apparitione gaudebant, l. 2. cod. de apparitor. Procons. & leg., Spartianus in Alexandro Severo; nemo inficias ire poterit, maxime honorabiles esse provide designatos Legatos Pontificios, quando utraque in iis causa concurrit, argumento capituli 1. de præscription.. Ipsi etiam Pontifices Maximi consueverunt certis Legatos suos insignibus exornare, ut in iis clarius adpareret Pontificia quædam species, & imago. Hinc aliquando pallium insigne Romani Pontificis concessum, antequam concederetur Archiepiscopis, can. 6. & 10. dist. 100., aliquando purpureæ vestes, & fere omnes Pontificiorum indumentorum characteres, & notæ, cap. 23. de privileg., illud quandoque, ut crucem ante se gestari juberent, aliæque similes Pontificis Maximi prærogativæ.

Plura olim erant genera Legatorum; alii enim, qui, ut diximus, Apocrysarii dicebantur, apud Imperatores, & Principes merebant, non ecclesiasticam Papæ jurisdictionem certa in provincia explicantes, sed negotia tractantes ad ecclesiasticam pacem, unitatemque firmandam, ex quo etiam Responsales, ut diximus, ab aliquibus appellati fuerunt, quod & Papæ responsa Principi, & Principalia responsa Papæ patefacerent, cui muneri ut plurimum Diaconi, aliquando Subdiaconi addicebantur, ut notat Gratianus in dist. 94.: Alii ut plurimum Episcopi sub nomine Vicariorum Pontificiorum certas Provincias ecclesiasticas regebant, vel contracto intra certum tempus, vel perpetuo, sed cum persona interituro, vel reali, seu dignitati imposito; ita ut in successores

etiam seros transiret, officio: Alii ad certum tantummodo grave negotium & officium, & jurisdictionem suscipiebant, ex. gr. ut Concilio, aut generali, aut provinciali, ubi opus esset, nomine Papæ præessent: Alii ut certas diœceses nomine Pontificis visitarent, abusus corrigerent, reos coercerent, qualis fuit undecimo sæculo Petrus Damiani apud Mediolanenses: Alii ut recens ad fidem conversas nationes regerent, erudirent, qualis fuit apud Anglos sub finem sexti sæculi Agustinus, & sæculo octavo Bonifacius apud Germanos. Ut paucis dicam, tot fere erant Legatorum species, quot causæ Legatorum mittendorum Ecclesiæ utiles videri Pontificibus potuissent. Hodie vero tria designari solent Legatorum Pontificiorum genera, quorum alii Nati appellantur, alii Missi, alii a Latere, cap. 9. de offic. Leg., cap. 1. eod. tit. in 6., eorumque omnium facultates ex vi potissimum literarum, quibus constituti sunt, pendent, ita ut sub generali mandato graviora non veniant, quæ speciali clausula demandari necesse est; nisi in jure quid singulare expresse cautum reperiatur, aut consuetudo æquissima mandatorum interpres induxerit, ac probaverit.

Antiquissima est origo Legatorum, qui Nati dicuntur, seu illorum, quorum dignitas, non persona delegata censetur, quorumque propterea delegatio transit perpetuo in successores. Erant enim olim dignitates quædam Episcopales, aut Episcopalibus majores constitutæ in Civitatibus spectabilibus, in quibus maxime expediebat, ad graviora negotia ecclesiastica, & quæ integram Provinciam, aut Nationem spectarent, peragenda, Vicarios Apostolicos designari. Is fuit in Illyrico Thessalonicensis Episcopus, de quo in can. 5. caus. 25. quæst. 2., & in epistola Leonis Magni 12. in editione Quesnelliana; item Primæ Justinianeæ Antistes in sex Illyrici Provinciis, de quo in can. 10. distinct. 100. Is fuit in Achaja, & Hellade Corinthius Episcopus, in Gallia antiquissimis temporibus Episcopus Arelatensis, de quo in can. 3. & 9. caus. 25. quæst. 2., item Bituricensis, aut Burdegalensis, de quibus in cap. ult. de majorit. & obedient., itidem Rhemensis, de quo in cap. 13. qui fil. sint legit., Senonensis quoque, quod legamus, Joannem VIII. Ansegisum Senonensem Episcopum suum Vicarium & in Gallia, & in Germania constituisset. Is fuit in Anglia primum Eboracensis Episcopus, de quo mentio fit in cap. 1. de appellat. & in cap. 1. ut lite pendente; deinde etiam Episcopus Cantuariensis, de quo in cap. 1. de offic. Legat.. His omnibus nonnulli adjiciunt Episcopum Salonitanum, de quo in cap. 6. de præsumption., Hierosolymitanum, de quo in cap. 8. de offic. Leg., & aliquos Hispaniarum Episcopos, quod Vicarios Apostolicæ Sedis aliquando fuisse noverint Joannem Tarraconensem, & Sallustium in Provincia Bætica. Verum adhuc deliberandum esset illi, qui curiosius de his Vicariatibus universis investigandum sibi proponeret; forte enim in nonnullis deprehenderet personalem, non sedi adnexam Vicarii dignitatem fuisse concessam. Quicumque autem essent isti Vicarii nati (neque enim mei instituti est de singulis variarum Ecclesiarum & Episcopatuum privilegiis disputationem inire) eorum sane jurisdictio arctis finibus circumscribebatur; neque enim in Provincia sibi adsignata majorem exercere poterant jurisdictionem, nisi aliud expresso mandato accepissent, quam Metropolitanus quisque in suos suffraganeos exercuisset; nisi forte Metropolitæ plures Vicario subessent; si quidem tunc Metropolitæ illi quasi suffraganei in conspectu Vicarii habebantur, ad Synodum accedere a Vicario indictam compellebantur, a Vicario ordinabantur, nihilque grave in Provincia adgredi poterant Vicario inconsulto: at si quid grave in Vicariatu ipse emersisset, statim inerat Vicario onus, de re, quæ inciderat, reddendi Ponti-

ficem Maximum certiorem, ab eo exspectata sententia, exequenda, argumento canonis 5. caus. 25. quæst. 2., & canonis 8. caus. 3. quæst. 6.. Forte quisquam in contrarium proferet Alexandri III. epistolam ad universos suffraganeos Cantuariensis Ecclesiæ, in cap. 1. de officio Legati, ubi proponitur diversa ratio & juris Metropolitici, & juris legationis, quæ jura erant penes Episcopum Cantuariensem; quasi jure Metropolitico Cantuariensis Antistes tantum posset definire causas per appellationem ad se devolutas; jure autem Legationis posset de omnibus judicare, quæ per querimoniam ad se adducta forent, etiam sine appellatione. Verum observandum est, agi ibidem de S. Thoma Cantuariensi Episcopo, qui ab Alexandro III. singulares obtinuit, & extraordinarias facultates singularibus mandatis expressas, qui propterea non tantum jure suæ dignitatis legatione Pontificia fungebatur, sed etiam specialibus prærogativis cumulatus fuerat, ita postulantibus difficillimis adjunctis, in quibus Angliæ Regnum tunc temporis versabatur, uti refert Cardinalis Baronius ad annum 1163. 1164. scribens, multa illi singularia concessa fuisse. Inter cætera, quod spectat ad dicti capituli 1. interpretationem, liquet, id singulare concessum fuisse Thomæ Cantuariensi in Anglia vi Vicariatus Apostolici, ut non quidem appellationes, sed querelas in prima instantia reciperet, uti deduci potest ex integro rescripto in 1. Collectione Decretalium.

Legatorum missorum aliud ab initio officium erat, quod esse cœpit a sæculo Ecclesiæ undecimo, sive a temporibus Alexandri II.. Olim iidem erant, qui & Apocrysarii, seu Responsales, quos superius memorabam, missi scilicet ad Imperatores, vel Reges ad conciliandos & Pontifici Maximo, & Ecclesiis Principum animos, sine ulla jurisdictione in Ecclesiis exercenda, quamquam ea occasione referre solerent apud Pontificem Maximum, si quid forte adversus ecclesiasticas utilitates gererent, vel constituerent Episcopi, in quorum diœcesi merebant. Originem horum Legatorum referunt eruditi ad tempora Leonis Magni, qui Julianum Coensem in Cycladibus insulis Episcopum Constantinopolim primus misit ad Marcianum Augustum, de quo ita scribit Sanctus Papa in epist. 61. ad eumdem Imperatorem: *Vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter Ecclesiarum, pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi; cujus suggestiones pro concordia Catholicæ unitatis tanquam meas audire dignemini, placentes Deo, qui vobis præter Regiam coronam etiam Sacerdotalem conferat palmam.* Notanda quoque sunt, quæ iterum Leo ad Marcianum scribebat in alia epistola edita ab Holstenio inter acta Synodi Romanæ sub Bonifacio II. ibi: *Suggestiones autem Fratris, & Coepiscopi mei Juliani, quem pietati vestræ commendo, quæso, ut benignius, sicut facitis, audiatis. Hoc etiam Fratri meo Anatolio proderit, si eum, quem pro Catholico dogmate illic esse volui, dignanter habeatis.* Ex quibus duo colliguntur. Primum est, eam Legati constitutionem profuisse maxime, ut auctoritate Imperatoria facilius coercerentur Eutychiani hæretici, qui plura contra statuta Chalcedonensis Concilii moliebantur. Alterum est, Legatum illum commodius continere potuisse ambitum Anatolii Episcopi Constantinopolitani, & se, & sedem suam supra modum evehere meditantis. Nullam, inquam, jurisdictionem hujus generis Legati explicabant; huic enim pro opportunitate gerendæ satis prospiciebatur per Legatos natos, aut jam constitutos, aut, ubi expedire videbatur, constituendos. Verum sæculo undecimo partim ex eo, quod Legatorum natorum jurisdictio angustis coercita finibus videretur, partim quod Legati nati jurisdictione sua identidem reclamantibus Episcopis abuterentur, Apocrysariis ex speciali Pontificum voluntate jurisdictio accessit; immo & multo plures numero Legati mitti cœperunt extra ordinem, mo-

do minore, modo majore potestate concessa, prout adjuncta causarum, locorum & temporum postulabant; ac tum primum Legatorum natorum cœpit jurisdictio imminui pro modo adauctæ Apocrysariorum dignitatis, atque auctoritatis. Cæterum neque isti Legati missi majorem jurisdictionem explicare unquam potuerunt, quam quæ mandatis designaretur; neque enim de jurisdictione agitur, quæ primum constituto illorum muneri cohæserit, sed quæ jamdiu post illius constitutionem singularibus de causis accessit; quamobrem in hac parte certa regula statui nequit, cum nihil jure communi definitum sit, sed totum, quantumcumque est, ex singularibus delegationis literis pendeat, quemadmodum recte animadvertit Cardinalis de Luca in adnotationibus ad Concilium Tridentinum disc. 33.. Hinc nisi beneficiorum etiam Papæ reservatorum expresse obtinuerint delegationem, ea non gaudent, cap. 1. de offic. Leg. in 6., ita ut si forte ad collationem deveniant, ne possessio quidem triennalis instituto suffragetur; quia regula triennalis possessionis certum titulum supponit, vel ordinariæ, vel Apostolicæ extra ordinem factæ collationis, aut alterius actus, qui, salutem in genere, certo fundamento nitatur. Tum demum quoque visitare illi Ecclesias poterunt, quum id illis mandatum adpareat, quo causa procurationes etiam, moderatas tamen, & instar Ordinariorum, aut Metropolitanorum Provinciam visitantium accipiunt, cap. 11. de præscrip., cap. 17. & 23. de cens., Clem. 1. eod. tit., nisi tamen certa Collegia, vel personæ singulari privilegio exemptionum a procurationibus a Sede Apostolica obtinuerint, dicto cap. 11. & 17., & dicta Clem. 1.. Neque obstat dicere, procurationes, ne per lapsum quidem immemorialis temporis, præscribi non posse, cap. 16. de præscription., proindeque nec posse obtentu cujusquam privilegii denegari, quod par sit privilegii, & immemorialis consuetudinis ratio, argumento capituli 26. vers. *præterea* de verbor. signif., siquidem ubi privilegium impetratum doceatur, cognitionem utilis causæ præcessisse præsumitur, non ubi qualiscumque præscriptio objiciatur: atque hanc fuisse causam puto, quare Innocentius III. noluerit eamdem habendam esse, & præscriptionis utut longissimæ, & privilegii rationem in dicto cap. 11. de præscription.. Ex his duo generatim de horum Legatorum potestate constituere possumus. Primus est, ipsos non ea sibi vindicare posse, quæ singulari gratia Legatorum a Latere etiam in jure communi concessa deprehendantur, nisi ea fuerint aut in totum, aut in parte expresse concessa, cap. 1. de offic. Leg. in 6. cap. 36. in fine de elect. in 6.. Alterum est, in iis, quæ singulari mandato eisdem concessa probantur, non debere eos existimare sibi ampliorem competere facultatem, quam competat Legatis a Latere: quamobrem in iis, quæ & ipsis, & Legatis a Latere communia demonstrantur, sive de modo exercendæ jurisdictionis, sive de tempore, ad quod eorum jurisdictio prorogatur, sive de Provincia, intra quam eorum jurisdictio circumscribitur, eædem regulæ utrique Legatorum generi erunt sine fraude custodiendæ.

Ab eodem sæculo undecimo, quo primum, uti diximus, jurisdictionem Legati missi explicare cœperunt, visi sunt Cardinales, ubi legationis munus ipsi susciperent, ampliorem posse potestatem exercere, sive quod a Pontifice in literis suæ delegationis majoribus facultatibus instrui solerent, sive quod id quodammodo postulabat major eorum dignitas, cujus intuitu unum constituere singulare corpus cum Pontifice Maximo dicebantur, cap. 1. de off. Leg. in 6.. Hinc ipsi, ut a Legatis cæteris distinguerentur, nomen assumpserunt Legatorum a Latere, & singularia insignia Papalibus fere similia induerunt, cap. 23. de privileg., ac quoties provinciam sibi designatam ingrederentur, non solum alio-

rum Legatorum jurisdictio quiescebat cap. 8. de off. Leg., sed etiam Ordinarii ipsi cogebantur illis præsentibus ab iis, quæ majestatem ecclesiasticam exhibent, abstinere, nimirum ne populo in solemnibus benedicerent, neve, si Archiepiscopi essent, crucem ante se deferrent, dicto cap. 23. de privileg.. Præterea excommunicatos etiam a censuris Papæ reservatis absolvebant, illos quoque, qui extra Provinciam suæ delegationis degerent; quæ sane potestas, si expresse Legatis missis concessa fuisset, erat tantum intra Provinciæ terminos exercenda cap. 9. de offic. Legat., cap. 20. de sent. excomm.. Item indulgentias concedebant, regulariter centum dierum, & unius anni in dedicationibus Ecclesiarum, juxta capit. 14. de pœnit. & remiss., quasi hæc meram gratiam contineant, & facti potius, quam juris dispensationem. Insuper in eos, causasque eorum, qui ab Ordinariorum jurisdictione exempti forent, jurisdictione utebantur, iis tantummodo causis exceptis, quæ singulari jure essent Pontifice Maximo reservatæ, cap. 4. de offic. Leg., cap. 36. de elect. in 6., cap. 1. de verb. signif. in 6.. Itidem jure suo visitabant Ecclesias suæ Provinciæ, procurationesque in actu visitationis accipiebant, cap. 11. de præscript., cap. 17. & 23. de censib., ea, quæ corrigenda videbantur, corrigebant reos, præsertim contumaces, pœnis ecclesiasticis, censurisque plectebant, immo & nova statuta Provinciæ opportuna edebant, perpetuo etiam post suum discessum duratura, quamvis verum esset, jurisdictionem ab illis alteri mandatam post eorum discessum exspirare, cap. ult. de offic. Leg.. Hinc autem, licet in eorum adventu Ordinarii jurisdictionem suam adhuc libere explicarent, illi tamen cum jurisdictione ipsa Ordinariorum concurrebant, causasque ad potestatem suam præveniendo trahebant. Sic a matrimoniorum impedimentis dispensabant, in quibus omnibus casibus dispensare Episcopi potuissent; aderant matrimoniis Parochorum vice, vel alteri, ut vice Parochorum adesset, mandabant, eodem modo, quo adesse Episcopi, vel alteri mandare, ut adsit, exclusis Parochis, valent, causasque ipsas matrimoniales dirimebant, cap. 4. de conjug. servor.. Beneficia quoque ecclesiastica identidem conferebant, si in sua Provincia vacavissent, cap. 1. & 3. de offic. Leg. in 6., etiam si jurispatronatus ecclesiastici essent, cap. 6. de offic. Leg., cap. 28. de jurepatron., eodem jure, quo Summus ipse Pontifex utebatur, cap. 31. de præb. in 6., eamque ob rem beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta conferebant, cap. 37. de præbend., electionesque Episcoporum, Archiepiscoporum, atque exemptorum confirmabant, cap. 36. de elect. in 6.. Quid amplius? Quando ulterius potuerunt, etiam favore certæ personæ sibi reservare beneficii alicujus necdum vacantis collationem, quod si vacasset, conferre ipsi potuissent, cap. 28. de jurepatron., cap. 4. de offic. Leg. in 6., tamdiu tamen duratura reservatione, quamdiu Legatus suo munere fungeretur, cap. 3. eod. tit. in 6., quando beneficia Parochialia saltem per sex menses commendare valebant, juxta capitulum 15. de elect. in 6., item Ecclesias, & beneficia unire, dummodo nullum ex unione fieret Episcopalibus juribus detrimentum, cap. ult. de confirmat. util. vel inut., argumento capituli 8. de excess. Prælat., quando pensionum onera beneficiis a se collatis intra legitimum tamen modum adjiciebant, uti vulgo tradunt Pragmatici ad capitulum 8. de censibus. Neque mirum est, adeo late patuisse horum Legatorum potestatem: Videlicet agitur de jurisdictione mandata, cujus vires cum ex voluntate mandantium Pontificum modum accipiant, vagari latissime potuerunt, eousque, quo vel expresse de mandato constaret, aut tacite colligeretur ex moribus Legatorum Pontifices non contradicere. Verum sive hæc sit rerum humanarum conditio, quod feliciter cœptæ usque

ad certam mensuram augeri; deinde vero si non penitus interire, decrescere saltem soleant: sive id specialius contingere soleat in dignitatibus humanis, ut bene gesta munera primum evadant speciosissima, deinde partim ex ambitu administrantium, partim ex æmulatione, quæ humiliores tenet, in interitum adducantur; videmus, vicissitudines istas, quemadmodum & in Legatis natis, ita & in Legatis a Latere accidisse. Legatos natos olim constituti, nonnullarum Provinciarum singularis utilitas postulaverat. Legatos missos præsertim a Latere designari, videbatur pluribus in casibus suadere utilitas Ecclesiæ universæ uti universæ. At postquam Legatorum natorum ampla potestas variis contentionibus occasionem præbuit, unde non semel Legati nati objurgari a Pontificibus Maximis debuerunt, veluti Anastasius Thessalonicensis a Leone Magno, Maximus Salonitanus a Gregorio Magno, ut prætermittan simultates inter Leonem Magnum, & Hilarium Arelatensem, can. 5 caus. 25. quæst. 2., can. 12. caus. 2 quæst. 6., epist. Leonis Magni ad Episcopos Provinciæ Viennensis in Gallia; cœpit imminui potestas Legatorum natorum. Idipsum evenit in Legatis a Latere, quorum amplissimæ diu explicatæ potestati certi fines constituti deinde fuerunt, ne hinc nulla fere superesse viderentur Pontificis Maximi gratia reservata, quæ Legati a Latere non attingerent, illinc fere frustrarentur ordinaria Episcoporum, aliorumque Antistitum jura. Hinc primo semper cavendum fuit, ut Legati a Latere a collationibus abstinerent beneficiorum laici Patronatus, ignorante, vel invito Patrono, argumento Clem. 2. de præbend., item a collationibus beneficiorum litigiosorum, argumento cap. ult. ut lite pend., Ecclesiarum Regularium, seu Conventualium, seu Cathedralium, insuper a collationibus beneficiorum quorumcumque nondum vacantium, quamquam, uti dictum est, collationem eorum sibi reservare valerent, eamque ob rem etiam a collationibus beneficiorum, quorum ipsi renuntiationem faciendam curarent, cap. 4. de offic. Leg. in 6., a collationibus quoque Beneficiorum, quæ non ordinario, sed singulari jure ad Episcopos pertinerent, argumento cap. 2. de off. Leg.. Addunt Pragmatici plures, etiam abstinendum illis fuisse a collationibus beneficiorum Pontifici Maximo quomodocumque reservatorum. Mihi aliud videtur in conspectu capituli 1. de offic. Leg. in 6., ubi generaliter definitur, beneficiorum collationem Legatis a Latere competere, neque alibi ulla reservatorum exceptio facta deprehenditur; immo minus æquum videtur, Clementis IV. rescriptum ad collationes Ordinariorum coercere, ne alias Summus idem Pontifex, dum alienorum jurium liberalis existit suorum tenax in suos ipsos Legatos extitisse fingatur. Secundo cautum est, ne Legati a Latere unirent Ecclesias, vel beneficia exempta, aut Ecclesias Regulares, Collegiales, seu electivas, aut patronatas sine consensu Patroni, cap. de offic. Leg. in 6., neve uniones semel auctoritate Apostolica factas revocarent, ne forte delegatus ad rescindendum admittatur, quod delegans ratum habuit, & firmum manere decrevit; neve admitterent resignationes in favorem alterius, aut sub conditione pensionis renuntiantis gratia reservatæ, argumento capituli 4. vers. *probibemus* de offic. Leg. in 6.. Tertio recipiendum fuit, ut a dispensatione ab irregularitatibus Pontifici Maximo reservata continerent, propterea que non dispensarent cum illegitimis, ut ad ordines sacros, vel ad beneficia admitterentur, quamquam hæc facultas expresse in delegationis literis indulgeri a Pontifice soleat. Quarto indictum, ut eas causas judicio suo non dirimerent, quæ tanquam gravissimæ reservatæ fuerunt Pontifici Maximo, quales sunt Episcoporum depositiones, restitutiones depositorum Antistitum, eorumque translationes de una in aliam

Ecclesiam, dubii juris communis, præsertim decretorum Tridentinorum, declarationes per rescripta, vel constitutiones edendæ, generalis Synodi convocatio, & celebratio, exemptiones Collegiorum, aut Personarum ab Ordinariorum jurisdictione, diremptiones litium, omissa ordinaria juris formula, & sententias ita pronuntiare, vel alteri pronuntiandas mandare, ut nulla amplius exinde appellatio concedatur. Denique Tridentina Synodus in sess. 24. de ref. cap. 20., postquam generaliter definivit, ut causæ omnes ad forum ecclesiasticum pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscerentur, adjecit, ut Legati etiam de Latere, Nuntii, Gubernatores ecclesiastici, aut alii quarumcumque facultatum vigore non solum Episcopos in prædictis causis impedire, aut quocumque modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumerent; sed nec etiam contra clericos, aliasve personas ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eove negligente, procederent; alias autem eorum processus, ordinationesve nullius momenti essent, atque ad satisfactionem damni partibus illati tenerentur. Porro postquam paulatim, præsertim ex hoc Tridentino decreto, certi constituti sunt Legatis a Latere fines, minus frequens esse cœpit illorum missio, ac nonnisi magna, & urgente publica causa postulante, si eos excipias, qui mitti solent a Pontifice Maximo causa administrandæ reipublicæ, in quibusdam Civitatibus Pontificiæ temporali ditioni subjectis, veluti Ravennæ, Ferrariæ, Bononiæ. Illud adhuc in hac re superest adnotandum, Legatorum a Latere, eodem modo, quo Missorum, jurisdictionem extingui, id est, non morte solum ipsorum, sed & aut finito tempore, quod mandato designatum fuerit, aut revocatione a Pontifice Maximo facta, aut eorum discessione a Provincia, deposito animo redeundi. An vero extinguatur morte Pontificis Maximi dubitari non posse videtur post definitionem Clementis IV. in cap. 2. de offic. Legati in 6., ubi traditur, legationem non ideo exspirare. Ego tamen adhuc observo, in dicto cap. 2. non de omnibus indiscriminatim Legatis sermonem institui, sed uti verba demonstrant, de iis tantum, qui cum egregia, & extraordinaria potestate missi fuerant, atque urgentissima de causa, necessitate cujusdam Ecclesiæ, vel Provinciæ gravissima impellente. Quamobren ad hanc tantum modo speciem definitionem contrahendam puto, in qua nimirum viget singularis ratio, ne alias ob evenientem Pontificis mortem irreparabile damnum illi Ecclesiæ, vel Provinciæ emergat, cujus gratia suscepta legatio necessaria fuerat.

A Legatis Pontificiis, quos hucusque recensuimus, secernendi maxime sunt Pontificii Delegati, ii nimirum, qui in privatorum causis singularibus dirimendis certo & speciali mandato versantur. Duplex est istorum genus; vel enim iis mandatur, ut ab initio causam suscipiant, sententiam proferant, & sententiæ executionem curent, & tum proprie delegati nominantur, vel tantum eis mandatur, ut sive gratiam a Pontifice factam, sive sententiam a Pontifice inter litigantes dictam executioni demandent, & tum proprie executores passim dicuntur. Non eadem tamen est executorum omnium ratio; siquidem alii executores meri, alii mixti appellantur a Pragmaticis; meri scilicet, quorum potestati nulla inest causæ cognitio; mixti, qui antequam Pontificiam voluntatem exequantur, certam causæ cognitionem suscipiunt, in ea nimirum parte, qua apud ipsos constet, ea non esse a veritate aliena, quæ ad obtinendum Papæ rescriptum enarrata fuerunt. Qualis sibi competat potestas, executor agnoscet ex formula rescripti Pontificii; si enim ex. gr. legat, se ita delegatum, *constito &c.*, ut *si noverit &c.*, rescriptum executioni mandet, tunc non merum, sed mixtum esse designatum se

executorem intelliget; proindeque, antequam rescriptum executioni mandet, judicis partes adsumet, sententiamque feret, in qua definiat, nihil obesse executioni rescripti, vel rescriptum executioni mandari non posse.

Quæ in hac parte juris prudentia obtinet, ea fere universa derivata est ex juris Romani disciplina in delegatis aut Cæsarum, aut Proconsulum, aut etiam judicibus datis constituta; quodque observatione dignum est, ulterius contigit, ut, si quæ Interpretes juris Romani perperam sequioribus sæculis intellexerunt, atque explicarunt, ea quoque iisdem sæculis, nimirum duodecimo, & sequentibus, fuerint recepta in Pontificiis delegatis apud ecclesiastici juris auctores. Nam cum disciplina harum delegationum, infrequens esset ante tempora Alexandri III.; neque enim aut sub titulo Decretalium de rescriptis, aut sub titulo de officio, & potestate Judicis delegati rescriptum aliquod eo Pontifice antiquius exhibetur; tunc propterea primum regulæ in hac materie recepta sunt, non tam quales germana Romani juris doctrina posuerat, sed quales positas tunc fere subortæ recentiores sequiorum Jurisconsultorum scholæ crediderunt. Magnum profecto erat apud Romanos veteres discrimen inter Legatos, aut Delegatos, & Judices datos. Legati, seu delegati a Cæsare, vel Proconsule constituti plena, absolutaque pollebant jurisdictione, unde possent & litigantes in jus vocare, & vocatis diem dicere, seu citare, & de causa cognoscere, & sententiam pronuntiare, & dictam sententiam exequi, & Judicem dare. At non tanta potestas erat datorum judicum, qui propterea notionem habere dicebantur, non jurisdictionem. Eam ob rem non poterat apud ipsos in jus vocatio fieri, sed tantum secuta apud Magistratum in jus vocatione, dies dicebatur, seu citatio fiebat: item cognoscebant ipsi de causa, & sententiam pronuntiabant, debebant tamen ab executione sententiæ abstinere, facienda tantum ab eo, qui Judicem dedisset; neque poterat Judex datus auctoritate sua alium Judicem dare. Ista disciplina judiciorum cessavit paulo post tempora Justiniani, præsertim ni Occidente; in quo quicumque jurisdictione pollerent, suos delegatos designabant in urbibus & pagis, qui passim *missorum* nomine appellabantur, & per se judicia exercebant, nullis datis judicibus, quemadmodum constat passim ex legibus Longobardorum, & Caroli Magni. Restitutis deinde Romanarum legum studiis, præsertim post repertos Pandectas Florentinos, nomina illa Delegatorum, & Judicum datorum apud veteres satis discreta confundi cœperunt, quasi utrorumque idem, ac unum fuisset officium, una, eademque potestas; quod ignoscendum erat illius temporis Jureconsultis qui crassiores tenebras barbarie sæculorum obductas, tenuiores reddere potuerunt, non penitus disperdere, ac dissipare. En causam, quare indiscriminatim delegatis Pontificiis accommodari cœperunt variæ regulæ, quæ modo de delegatis, legatisve Romanorum Magistratuum, & dignitatum, modo de judicibus datis constitutæ fuerant. En perspicuum rei hujus exemplum. In eo tunc Romani juris Interpretum vulgus hallucinabatur, quod non satis distinguerent delegatos, quibus mandata jurisdictio fuerat, ab judicibus datis, & quoties legissent, delegatum posse Judicem dare, l. 5. cod. de judiciis, colligebant, & delegatum posse jurisdictionem sibi mandatam alteri mandare. Id quoque receptum fuit, moribus confirmatum, constitutionibusque probatum in Pontificiis delegatis, arg. cap. ult. de off. del., & clarius in cap. 6. & 18., quod perperam a Gonzalezio tribuitur Lucio III., quando Innocentius III, in cap. 27. cod. illud tribuit Alexandro III. Cæterum nova hæc, utut ex errore in Romano jure inducta, disciplinæ ecclesiasticæ forma non ideo erit a quoquam improbanda, cum tota hæc mandatæ jurisdictionis ratio, & vis a voluntate man-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

dantium Pontificum pendeant, qui propterea significare aliter potuerunt voluntatem suam, quam Romanæ veteres regulæ ferrent. Neque obstat capitulum 34. de offic. deleg., ubi adversus subdelegationem a delegato factam exceptionem propositam fuisse deprehenditur; si enim integra facti species expendatur, liquebit, eum, qui excipiebat, non regulam opposuisse, qua delegationes delegatorum rejicerentur, sed subdelegationem admittere noluisse, quod, qui subdelegationem obtinuerat, subreptitio, vel obreptitio rescripto uteretur. Post enim receptam disciplinam, illud præterea veluti consectarium tradi cœpit, posse delegatum vel totam jurisdictionem suam alteri subdelegando mandare, vel partem tantum; quod ita intelligendum est, ut vel principium, vel medium, vel finem causæ subdelegato committat, dicto cap. 18.. Qua in re, ubi tota definiendæ causæ potestas subdelegatur, a subdelegato sententiam dicante non subdelegans, sed Summus Pontifex appellatur, nisi forte subdelegatus tanquam suspectus recusetur; nam tum, si nihilominus in causa processerit, ad subdelegantem appellatio conceditur: ast ubi tantum subdelegato mandatum fuerit, ut initio ad causæ cognitionem procedat, vel eam usque ad definitivam sententiam prosequatur, reservata subdelegan-ti pronuntiatione sententiæ, ipse subdelegans ab interlocutoria, a qua appellari juxta juris regulas liceat, appellabitur, dicto cap. 27.. Exceptio est, si delegatus alteri condelegato vices suas subdelegavisset, aut si delegatus, subdelegatione facta, excommunicatus fuisset, aut si alteruter ex collitigantibus delegato jurisdictionem competere denegaret, proindeque subdelegato ideo parere recusaret, quod nullam esse, & irritam delegati potestatem contenderet; his enim in casibus ad Sedem Apostolicam introducenda erit appellatio, cap. 3. 10. & 14. de offic. & pot. jud. del. in 6.. Suas quoque patitur exceptiones generalis illa regula de delegato jurisdictionem subdelegante. Neque enim primo subdelegatio admissa fuit, si causa maxime gravis esset, cap. 3. de offic. jud. deleg.. Secundo, quamquam si mandatum esset delegato, ut personaliter negotium exequeretur, potest nihilominus ille, dummodo consentirent collitigantes, alterum subdelegare, non tamen id facere poterat, si personæ fidem, & industriam elegisse Summus Pontifex visus fuisset, cap. ult. eod. tit., cap. 12. eod. tit. in 6.. Tertio neque admittebatur subdelegatio, si delegatus malitiose se exonerare officio voluisset, cap. 28. de offic., & pot. jud. deleg., juncta Clement. un. eod. tit.. Quarto denique, si de mero executore ageretur, cap. ult. §. ult., de offic., & pot. jud. deleg., aut de eo, qui delegatus proponeretur ad recipiendos testes, quia, ut ait Gregorius IX. in dicto cap. ult. §. ult., *non jurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.* Fateor tamen, recentioribus sæculis aliter definitum fuisse in Concilio Viennensi juxta Clementinam unicam de offic., & pot. jud. deleg., in cujus conspectu liquet, licite posse committi vices suas ab judicibus super receptione testium in causa civili, aut ab executoribus Apostolicis ad providendum aliquibus clericis designatis, si per inquisitionem solertem eos esse vitæ laudabilis, & conversationis honestæ repererint. Interea vero vetus juris regula adhuc observabitur, ubi judices super receptione testium in causa criminali deputari fuerint, aut ubi executores ad providendum aliquibus dati non solerter inquisiverint in vitam, & mores clericorum, quibus conferri beneficia debeant; ad has enim species memorata Clementis V. constitutio minime pertinet.

Nunc ea prosequamur, quæ ex juris Romani disciplina ad Pontificios delegatos derivata sunt ex quadam similitudine officii ipsorum cum officio vel delegati a Principe, populo, aut Senatu, vel Judicis dati. Quod jure Romano

Legati nihil haberent proprium, & aliena jurisdictione uterentur, l. 1. §. 1. ff. de officio ejus, l. 17. ff. de jurisdict., merito in delegatis Pontificiis receptum fuit, ut non suo, sed Pontificis nomine agere intelligantur, unde in primis fines mandati, sive rescripti adamussim sequi debeant, cap. 13. 15. 21. 31. & 35. de offic. jud. deleg., deinde, ut respectu causæ mandatæ Ordinariis majores habeantur ita, ut Ordinarios quoque ipsos coercere censuris ecclesiasticis possint, ubi iidem delegatorum jurisdictionem aut turbaverint, aut impediverint, cap. 11. eod. tit.. Licet autem Ordinariis præcipiatur generaliter, ne adversus delegatos Apostolicos aliquid moliantur, cap. 24. in fine de rescriptis, si tamen forte nimis asperam delegati sententiam putent, vel iniquam, facultas eisdem conceditur, instandi apud delegatum, ne interea sententiam exequatur, donec & causæ, & dictæ sententiæ ratio apud Summum Pontificem dignoscatur, cap. 8. de offic. jud. deleg., immo & delegatis præceptum prudentissime fuit, ut in corrigendis, coercendisve refragantibus Ordinariis certum modum servent, quemadmodum adparet in cap. 2. eod. tit. in 6.. Insuper, quod Romano jure certum sit, semel mandata jurisdictione mixtum quoque imperium mandatum censeri, id est, eam auctoritatem, quæ consistit in plectendis iis, qui jurisdictioni resistunt, utpote sine quo imperio inanis propemodum, & vacua jurisdictio videretur; ita delegatus a Pontifice Maximo facultatem habet censuras infligendi adversus eos, qui mandatis non parent, cap. 1. & 4. §. 1., cap. 5. 7. 11. 21. §. *Sexta* in fine cap. 26. & 28. de offic. jud. deleg.. Præterea, quod juxta Romani juris principia is, cui mandata erat jurisdictio, sententiam a se dictam exequi poterat, ea quoque facultas concessa fuit Pontificiis delegatis, anno ad ejusdem sententiæ executionem concesso, cap. 26. eod. tit., qua in parte distinguntur etiam ex jure Decretalium delegati abs judicibus datis; isti enim semel pronuntiata sententia officio suo functi sunt, nec quid amplius eis superest potestatis, reservata omnino executione sententiæ iis, qui eos dederunt, cap. 4. de foro compet., juncta l. 15. ff. de re judicata. Potest autem delegatus executionem sententiæ Ordinario mandare, quo tamen non exequente, ad huc liberum est delegato ad executionem progredi, cap. 7. & 28. vers. *quia vero* de offic. jud. deleg.. Item ex eo, quod non unus tantum, sed etiam plures dirimendis litibus Judices jure Romano dari poterant, l. 76. ff. de judiciis, l. 17. §. 2. & 5., l. 18. ff. de receptis, l. 36. & sequentibus ff. de re judicata, ita plures ad certam dirimendam controvesiam constitui delegati Pontificii consueverunt, cap. 16. 17. 21. & 22. de offic. jud. deleg.; & quidem si uno tantum rescripto pluribus delegatio fiat, plana res est, omnes mandatam jurisdictionem habere. Quid tamen, si diversa ad diversos obtenta fuere rescripta? Si in posteriore non facta fuerit prioris mentio irritum posterius erit, data intra annum facultate procedendi in causa delegato in priore rescripto designato, quo tamen non procedente intra annum, posteriore rescripto delegatus ipse procedet, quemadmodum superius jam observavi, quum agerem de rescriptis Pontificum Maximorum. At si in posteriore rescripto obtinendo prioris mentio facta fuerit, jurisdictio prioris delegati irrita fiet, quoties prius rescriptum fuit per posterius abrogatum, & tum demum, cum de abrogatione non constet, uterque sive in posteriore rescripto delegatus in causa procedet, ita ut, si non conveniant, arbiter communi collitigantium voluntate jungendus sit, unde ejus delegati sententia prævaleat, quam adjunctus arbiter probaverit, cap. 14. & 16. de rescriptis, cap. 6. eod. tit. in 2. collectione. Regulariter ubi plures delegati fuerunt, debent omnes ad unum usque in causa

procedere, cap. 16. de offic. jud. deleg., l. 37. & 39. ff. de re judicata, nisi tamen qui procedere recusant, cæteris condelegatis vices suas subdelegaverint, cap. 6. de offic. jud. deleg.. Hodie vero ad faciliorem causarum expeditionem solent Pontifices Maximi tales adjicere clausulas, quibus indicant, unum tantum, vel duos ex pluribus delegatis, non vocatis cæteris, jurisdictionem explicare valere, cap. 21. 23. 30. eod. tit., ita ut, qui præveniunt, cæteros perpetuo ab officio excludant, nisi prævenientes infirmitas, aut alia justa causa, ne litis diremptionem prosequantur, impediat, cap. 8. eod. tit. in 6.. Item hodie potius ex tritura fori, quam jure scripto obtinuit, ut, qui rescriptum ad plures disjunctive delegatos impetravit, ipse Judicem eligat, ab altera parte, nisi justæ suspicionis causæ allegentur, minime recusandum; quod tamen nonnullis displicuit, quod reprobatam hanc disciplinam invenerint in jure Romano, l. 47. ff. de judiciis.

Temporibus Gregorii IX. nihil adhuc singulare constitutum fuerat de qualitatibus Judicum delegandorum. Quamobrem aut ad naturalis tantum æquitatis regulas omnia exigebantur, videlicet ut is delegaretur, qui prudentia, & non mediocri juris doctrina polleret, aut ad regulas Romani juris respiciebatur, ubi de ætate delegandi Judicis quæreretur. Nimirum quamquam Judices regulariter esse nequirent, nisi annis viginti quinque majores, quasi infirma essent minorum suffragia, l. 6. §. 1. ff. de decurion., l. 8. ff. de muner., & honor., & tantum ex consensu partium Judices dari possent decem & octo annis majores, qui deinde, si minores annis viginti essent, non compellabantur judicare, l. 41. ff. de receptis, l. 57. ff. de re judicata, tamen Princeps decem & octo annis majorem designare judicem potuit, dicta l. 57., ne denegatum Principi videretur, quod collitigantibus concedebatur; proindeque & Maximi Pontifices eamdem sibi facultatem adseruerunt, cap. 41. de offic., & pot. jud. deleg.. Primus Bonifacius VIII. specialiter cavit, ut nemo deinceps delegatus daretur, nisi dignitate, aut personatu, aut canonicatu in Cathedrali Ecclesia potiretur, cap. 11. de rescriptis in 6.. Amplius progressus est Clemens V., qui in Clement. 2. de rescript. statuit, principalem quidem Officialem Episcopi, seu Vicarium Generalem, item religiosum obtinentem Prioratum Conventualem posse delegatum dari, non tamen Officialem, seu Vicarium Foraneum, aut religiosum Prioratum claustralem habentem. Nomine Prioris claustralis intellige eum, qui vices Prioris conventualis in monasterio gerit, quasi subpriorem: dicitur autem claustralis, quod in claustris jugiter manere juxta monasticam regulam tenebatur; uti explicat Ducange ad verba: *Prior claustri, vel claustralis.* Arctius eam disciplinam contraxit Concilium Tridentinum in sess. 25. de ref. cap. 10.. Nihil addo in præsentia, cum Tridentinum istud decretum jam in prima dissertatione expenderim, quum de Judicibus Synodalibus agerem. Tantum dico, nihil seu ex Bonifacii VIII., seu ex Clementis V. rescripto, seu ex Tridentina constitutione detractum esse facultati jam olim delegatis Apostolicis factæ subdelegandi; postquam enim per novas illas constitutiones certarum personarum fidei delegatio committi cœpit, adhuc potuerunt illi vices suas aliis committere, dummodo eum subdelegarent, qui eisdem qualitatibus polleret, quales in delegatis requiruntur; siquidem ad hanc speciem nec Bonifaciana, nec Tridentina constitutio extendi posse videtur, quemadmodum colligi facile potest ex rescripto Bonifacii VIII., dicto cap. 11. vers. *in nullo* in fine de rescript. in 6., ubi tantum prohibetur delegatus, ne subdeleget causam sibi commissam illi, qui simili non sit præditus qualitate. Neque aliter sanxit Clemens V. post Bonifacianum rescriptum, dum permisit, ut sub-

delegatio certis in casibus admitteretur a delegatis facta, qui essent meri executores, aut qui constituti essent ad recipiendos testes in causa civili, quod sane non obtineret, si subdelegationes omnes abolitæ Bonifaciano rescripto fuissent. Quid his subdelegationibus obesse potest Tridentinum decretum, quando nihil aliud in animo habuerunt Tridentini Antistites, quam Bonifacianæ constitutionis sententiam pressius urgere, ejusque intimam sententiam melioribus adhuc propositis regulis confirmare? Præterea olim quidem non erant certa designata loca, in quibus delegati a Sede Apostolica jurisdictionem exercere tenerentur, argumento canonis 4. & passim can. 3. quæst. 6.. Verum cum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. celebrato nonnulli rescripta impetrantes ea disciplina abuterentur ad adversarios suos defatigandos, statutum fuit, ne ultra duas dietas (nomine singularum dietarum viginti milliariorum distantiam intelligo, l. 3. ff. de verb. signific.) prætextu Apostolicæ delegationis quisquam extra suam diœcesim traheretur, nisi consensione partium ad remotiores judices directum rescriptum impetratum fuisset, cap. 28. & 29. de rescriptis. Deinde a Bonifacio VIII. decretum fuit, ut, si actor, & reus ex eadem diœcesi fuerint, vel civitate, extra ipsas, nisi consensu litigantium, delegatus dari non possit, nisi vel Episcopus ipse, vel Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, vel civitas ipsa contra aliquem, vel aliquis contra ipsos delegationem impetrent, vel nisi civitas, aut diœcesis esset actori, aut reo minus tuta, quibus tamen in casibus non ultra dietam trahi collitigans queat. Quod si actor, & reus diversæ sint diœceseos, cautum saluberrime fuit, ut in diœcesi rei delegatus ab actore impetretur, nisi suspicio ab actore non levis respectu Judicum Diœcesanorum allegetur, qua tamen iterum in specie reus ultra unam dietam minime trahatur, cap. 11. vers. *cum vero*, & vers. *cum autem* de rescrptis in 6..

Delegatus Apostolicus rite constitutus reum citare debet, & causam prosequi in civitate, vel in diœcesi, in qua est deputatus, nisi aliter inter litigantes ipsos communi consensione conveniat, dicto cap. 11. vers. *in nullo*; & in judicium vocatis de sua delegatione fidem perspicuam facere, ut noverint litigantes, dati judicis potestatem, argumento capituli 21. & 40. de offic. jud. deleg.. Quid vero, si reus conventus datum judicem tanquam suspectum recuset? Justæ suspicionis causæ in jure probantur, si delegatus sit dominus impetrantis, cap. 17. eod. tit., si sit concanonicus, aut officialis illius, qui rescriptum impetravit, cap. 25. & 35. eod. tit.; aliæve, quæ contra ordinarios judices proponi possunt. Plane erunt istæ proponendæ ante litis contestationem, nisi forte de novo post litem contestatam emergant, dicto cap. 25., & cap. 4. de exception., iisdemque propositis non erit a delegato ulterius procedendum, ne ad faciendam quidem subdelegationem, quousque non constet, eas causas aut illegitimas esse, aut temere objectas, cap. 5. de offic. deleg. in 6.. Earum causarum probatio coram electis arbitris erit facienda, cap. 41. de appellation., concessa ab eisdem arbitris, ubi æqua id suggerat ratio, facultate Pontificem Maximum appellandi, cap. 41. vers. *Tertio*, & cap. 61. de appellation., nisi tamen plures sint condelegati; tunc enim, uno ex iis tanquam suspecto proposito, condelegatus alter de suspicionis causa cognoscet; aut nisi delegatus sit officialis Episcopi; tunc enim, Episcopus de suspicionis causa judicabit, cap. 4. de offic. deleg. in 6. quemadmodum & ubi subdelegatus tanquam suspectus recusatur, ad subdelegantem pertinebit causas perpendere suspicionis, cap. 27. vers. *Cum vero* de offic. deleg.. Illud delegatis judicibus observandum præcipiunt sacri canones, ut gratis omnia expediant, nihilque a litigantibus recipiant, ne adsessorum quidem prætextu, cap. 10. de vita,

& honest. cleric.. Exceptionem adjecit Bonifacius VIII. in cap. 11. vers. *Insuper*, & sequentibus de rescript. in 6., nisi forsan esculentum, vel potulentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi diebus possit, vel nisi cum delegatum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci; tum vero modus pro impensarum ratione servandus; immo si pauperes fuerint litigantes, ne hæc quidem exceptio locum habebit; vel nisi necessarium sit, adsessorem consentientibus collitigantibus eligendum adsumi, adsignato ipsi salario, provide ex delegati officio moderando; quod etiam servandum præcipitur pro salario notariorum, ita tamen, ut cavendum sit delegato, ne de salario sive adsessori, sive notario præstituto quoquo modo participet.

Extinguitur delegatio morte delegati, nisi dignitati potius, quam personæ facta deprehendatur; tunc enim ad successorem in dignitate causæ cognitio devolvitur, argumento cap. 7. de rescriptis & cap. 42. de offic. jud. deleg., Novella Justiniani 134. cap. 6.. Id adeo verum est, ut si plures non disjunctive, sed in solidum delegati fuerint, morte unius: etiam cæterorum jurisdictio irritetur, nisi qui mortuus est, condelegatis jam mandavisset vices suas, & condelegati jam judicium cœpissent, cap. 30. de offic. jud. deleg.. Idem fere dicendum est, si mortuus fuisset Pontifex Maximus, qui eum delegaverat. Quamquam enim certis in casibus, uti superius observandum fuit, aliud vigeat in Legatis Apostolicæ Sedis, juxta capitulum 2. de offic. Leg. in 6., idem tamen delegatis judicibus denegatur, argumento dicti cap. 20., nisi jam cœptum judicium fuisset, sive aut facta jam citatio, aut etiam secuta litis contestatio, juxta capitulum 19. & 20. de offic. jud. deleg., de quibus jam superius nonnulla adnotabam, cum de modis quærerem, quibus rescripta Pontificia irrita fiunt. Exceptio est in mero executore, cap. 9. de offic. jud. del. in 6., & fidei gratia in Inquisitoribus adversus hæreticam pravitatem constitutis, cap. 10. de hæret. in 6., quorum officia etiam post mortem Pontificis perseverant. Denique vix opus est adnotare, dicta sententia cessare jurisdictionem in delegato, tantum manente suprema jurisdictionis parte, quæ in executione sententiæ consistit, intra annum necessario explicanda, cap. 2. de offic. jud. deleg., item cessare eamdem jurisdictionem revocatione Pontificis Maximi, aut causa ex cessione delegati ejusdem ad Pontificem Maximum translata, argumento capituli 5. de officio Legati.

CAPUT V.

De Sede Pontificis Maximi vacante, & Successoris electione.

Huc referenda est pars tituli 6. libr. 1., & tituli 9. libr. 3.

QUod in universis Episcopalibus Ecclesiis, sive de jurisdictione Episcopali a clero, vel capitulo exercenda, sive de designandi successoris facultate, jamdiu ab Apostolicis temporibus usque ad recentiora sæcula viguit, illud ipsum etiam observatum esset in Ecclesia Romana, dum vacaret, sive in suprema interim explicanda potestate Pontificali, sive in designatione successoris facienda, nisi qua ob muneris gravitatem, qua ob plura identidem suborta schismata, quibus ob supremam illius Ecclesiæ dignitatem nemo erat, qui com-

mode posset occurrere, singularia nonnulla constituenda fuissent, cap. 6. in fine de electione. Ex eo factum est, ut inconstans ea disciplina fuerit, & variis vicibus obnoxia, quibus modo illorum, ad quos pertinet ea Sede vacante Ecclesiam regere, certis finibus coercenda jurisdictio fuit, modo quidam, qui ad electionem concurrere potuissent, a suffragiis excludendi fuerunt, modo etiam a religiosissimis potentissimisque Principibus imploranda præsidia, quibus legitimæ electiones confirmatæ sine contradictione turbarum ad schismata pronarum ad effectum producerentur. Quamobrem non aliam in hac re ponendam regulam puto, quam istam: Nimirum ea omnia, quæ in Cathedralibus Ecclesiis vacantibus jure communi vigent, & in vacante Ecclesia Romano vigere oportere, nisi adpareat singularibus legibus detractum illis fuisse; atque ideo, si proponatur specialis quædam disciplina in Romana Ecclesia observanda, eam non aliter recipiendam, quam si de jure speciali constet, quo eadem recepta fuit, aut confirmata. Et revera, si in Cathedralibus universis Episcopalis jurisdictio devolvitur ad clerum Cathedralis Ecclesiæ, scimus olim in Ecclesia Romana devolutam fuisse ad clerum ejusdem Ecclesiæ Romanæ, cujus rei argumentum suppeditat canon 26. dist. 50., ubi vacante Pontificia Sede deprehenditur Romanus clerus Cypriano ex Africa consulenti rescripsisse. Item si in Cathedralibus Eclesiis successoris Episcopi electio jure communi ad clerum, & populum civitatis spectat, ad clerum quoque, & populum Romanum pertinuit olim ante singulares editas constitutiones electio Romani Pontificis, quo respexisse videtur auctor canonis ultimi dist. 79., neque enim recipienda est illa fabella evulgata de Petro Apostolo, quasi ipse suffragio suo sibi successorem designaverit, uti legitur inter cætera in can. 2. caus. 8. quæst. 1., utpote quæ impostoruum monumentis innititur, non germanis, ac fidelibus testimoniis.

Itaque, ut liquet, tota disputatio eo reducitur, ut, quæ singularia pro temporum varietate inducta sunt, investigemus. Primum singulare quidquam definire cœpit temporibus Bonifacii I. circa annum 419.. Cum enim mortuo Zozimo clerus, & populus divisissent suffragia inter Bonifacium, & Eulalium, nec dirum inde subortum schisma nisi facto 250. Episcoporum Concilio, & post curam ecclesiasticæ pacis in fidem Augusti receptam, pacatæ res fuissent, declarata tandem legitima Bonifacii electione; Bonifacius idem futuræ successoris sui electionis præsidium ab Honorio Augusto imploravit, ut, quid opportunius videretur, id ille Legatis Pontificiis eam ob causam missis significaret, can. 1. dist. 97.. Hinc statutum generaliter in primis, ut nemo per ambitum Apostolicam Sedem conscendere moliretur; deinde speciatim, ut, si forte ordinati duo inter medium schisma fuissent, uterque jure caderet, & ad novam electionem deveniretur, can. 2. dist. 97., juncto can. 8. dist. 79.. Renovanda fuit prudentium Antistitum solertia sub finem quinti sæculi, quum Anastasio II. vita functo acerrimum aliud schisma emersit conatibus Laurentii electi adversus Symmachi electionem; etenim post Confirmatam electionem Symmachi in Concilio anni 499. cautum fuit, ut nemo pactionibus electionem subjiceret, & ut inter plures electos is semper præferretur, in quem major eligentium pars consensisset, can. 2. & 10. dist. 79.. Præterea jamdiu post susceptum a Christianis Imperatoribus singulare Romanæ Ecclesiæ patrocinium, obtinuerat, ut plurimum in electione Pontificis illorum voluntati deferretur, quasi jus consentiendi in electionem, quod Romanæ Populus antea explicaverat, præcipue apud Imperatorem inesse videretur, præsertim postquam tradi cœpit, potestatem omnem a Populo Romano in Principem suum fuisse traslatam, l. 1. ff. de

constitut. Princip.. Hinc, ut puto, profectum est, ut quinto, & sexto Ecclesiæ sæculo ii ut plurimum eligerentur Pontifices, qui Imperatoribus, aut Regibus in Italia dominantibus accepti essent, cujus rei exemplum esse potest, aut in Leone Magno legatione functo apud Alaricum Regem, qui Romanam urbem potestati suæ subjecerat, aut in Hilaro legatione functo apud orientales Imperatores, aut in Hormisda, qui Regi Theodorico Italiam occupanti acceptus erat, patrocinio quoque Justiniani Imperatoris, & potissimum Theodoræ Augustæ, obtinuit Vigilius Pontificatum maximum etiam contra Sylverium. Scimus insuper, Pelagium Vigilii successorem Apocrysarii munere functum apud Imperatorem olim fuisse, quod officium etiam gessit Gregorius Magnus; ex quo facile colligitur, Imperatoris gratiam legationis bene gestæ tempore conciliatam non parum ipsis valere potuisse, ut eorumdem electio rite a clero Romano facta sine contradictione reciperetur.

Magnum illud Romanorum Imperium, quod soliditate sua æternum civibus videbatur, armorum vi, ac potestate finitimos deterrebat, remotos quoscumque pene ad invidiam concitabat, fama denique sui fere omnium ætatum regna facile superavit, adeo post Justiniani ætatem, sive sub finem sexti sæculi, in frustula divisum fuit, ut non amplius Imperium dici, sed Imperii reliquiæ potuisset. Hinc autem evenit, ut quemadmodum in interitum fere adducta sunt, quæ publicam civium politiam olim stabiliverant, ita in ea parte etiam politia ecclesiastica formam mutaret, in qua Romani Imperatores quidquam agere ex consuetudine valerent. Itaque easdem cum Imperio vices patiebatur potestas adsentiendi electionibus Pontificum Maximorum, &, prout Imperium modo a Græcis abibat, modo Græcis restituebatur, ita modo Imperatores Græci a quocumque jure abstinebant, modo jure quæsito juxta formam veterem experibantur. Quod ut percipiatur, notandum est, Longobardos Italiam, & Romam occupavisse circa annum 577., & tempore Pelagii II.. Redit ad Græcorum Imperium urbs circa annum 630, penes quos permansit usque ad annum fere 780.. Itaque videamus in primis, quid viguerit sub Longobardis per annos quinquaginta & amplius, seu ab anno 577. usque ad annum 630., deinde quid viguerit iterum sub Græcis per annos 250. seu ab anno 630. usque ad annum 780.. Plane anno 577. incidimus in tempora Pelagii II., ad cujus electionem nulla Imperatoris jussio accessit, ex eo quod Longobardi tunc obsiderent urbem Romanam, uti adnotat auctor Pontificalis in vita ejusdem Pelagii. Quamobrem quousque pristinam libertatem non recepit Roma, nullæ omnino fuerunt Imperatoris in electione Pontificum partes. Tantum Romanus populus, aut qui erant in populo Optimates & Proceres, qui suo præsidio vices quodammodo Imperatorias gerere posse ad tuendam Ecclesiam videbantur, ad electionem a clero faciendam admittebantur, can. 6. dist. 79., immo, ut quoad fieri posset, Imperatori certus honos deferretur, is elegi consueverat ex prudentia Romani cleri, cujus bonam apud Imperatores gratiam agnovissent. Sic post mortem Pelagii II. electus fuit Gregorius Magnus bene olim functus legatione Constantinopolitana, & simili de causa electus est post obitum Gregorii Bonifacius III., uti adnotavit Baronius ad annum 606. num. 1.. In his ipsis temporum adjunctis idem Bonifacius, ad evitandas præproperas electiones, & studia quorumdam insigni ambitu notandorum, statuisse fertur, ut nonnisi post tertium diem a tumulato defuncto Pontifice de Successore eligendo tractare quisquam præsumeret; tum vero convocarentur ad eamdem & clerus, & filii Ecclesiæ, quorum sane nomine ego intelligo Optimates, & Proceres vetera populi jura quasi vice Principis explicaturos, can. 7.

dist. 79.. Quænam fuerit hujus decreti causa, si quæratur, ego conjicio, eam extitisse, quod Bonifacius certum tempus præterlabi voluisset ab obitu Pontificis ad electionem Successoris, ut desiderium Imperatoris exquireretur, aut saltem Exarchi Imperatorii, qui Ravennæ consistere solebat juxta illud, quod notat Platina in vita Severini ad annum 638. his verbis: *Vana tunc habebatur Cleri, & populi electio, nisi eam Imperatores, aut eorum Exarchi confirmassent.* Interea tamen Gothis urbem occupantibus, & vexantibus, sustinendum fuit, ut electionis factæ confirmatio a Regibus Longobardis postularetur, quæcumque tandem illius confirmationis vis haberetur; quæ nec concedebatur, nisi soluto certo eidem Regi tributo, uti colligitur ex Cassiodoro in libris variarum, & Gregorio Magno in commentario quarti Psalmi Pœnitentialis. Evasit tandem jugum Longobardorum Romana Civitas post initium sæculi septimi; tum vero iterum exhibitura vetus in Constantinopolitanos Imperatores obsequium; post electionem a Clero consentiente populo factam, consuetudine recepit, ut electus confirmationem peteret ab Imperatore, Aprocrysariis, seu Responsalibus eam ob causam ad eumdem missis, uti refert Platina in vita Severini, & laudatus auctor Pontificalis in Vitaliano; quo tempore Imperatores iidem impositum a Longobardis tributum exigere non dubitarunt, allegantes, non dedecere, munera illa catholico Principi persolvi, quæ antea soluta Principi Ecclesiæ infenso deprehenderentur. Res ita sese habuit usque ad Agathonis tempora circa annum 679.. Nimirum Agatho a Constantino Pogonato obtinuit, ut, reservata gratia Augusti confirmationis consuetudine, tributum omne remitteretur, uti iterum notat auctor Pontificalis in Agathone, can. 21. dist. 63. immo neque heic constituit Pogonati pietas & in Romanam Ecclesiam benevolentia, ac religio; nam non multo postea, sive circa annum 685., Benedicto II. Papæ concessit, ut quicumque in posterum a clero, populoque in Pontificem Maximum electus fuisset, is statim, & irrequisito Imperatore, pro legitimo Antistite haberetur. Rursum id testatur auctor Pontificalis in Benedicto II.. Nemo non intelligit, actum deinceps omnino fuisse de confirmationibus Principum Constantinopolitanorum, præsertim quod paulo post translatum ab ipsis imperium deprehendatur ad Francos, Pippinum, & Carolum Magnum, urbe Roma libertate potita, & temporali etiam suorum Antistitum potestati subjecta. Ad ea fere tempora pertinent canones 3. 4. & 5. dist. 79., qui auctorem habent Stephanum IV., ab aliis tertium nominatum. Electus ipse fuerat anno 768., non tamen sine contradictione multorum, qui duos alios, Phlippum quemdam, & Constantinum adhuc laicum designaverant. Contra hos celebratum fuit sub Stephano Concilium, ex quo laudati canones deprompti fuerunt; unde intelligimus, qua ratione ibidem statutum adpareat, ne quis Sedem Pontificiam obtinere posset, nisi vel Presbyter, vel Diaconus esset Cardinalis, nimirum ut retunderetur Constantini adhuc laici insolens ambitus, cæterisque laicis aditus ad similia molienda in posterum præcluderetur.

Incidit in hæc tempora disciplina Pontificiæ electionis, quæ exhibetur in libro Diurno Romanorum Pontificum, in quo norma erat agendorum, a sexto circiter sæculo usque fere ad decimum. Multa ibidem continentur in cap. 2. *de ordinatione Summi Pontificis*, quæ opportunum est hoc in loco commemorare, ut sexti, septimi, & octavi sæculi disciplina clarius illustretur. In titulo 1. ejusdem capitis exemplar habetur epistolæ ad Exarchum Italiæ scribendæ ab Archipresbytero, Archidiacono, & Primicerio notariorum, qui dicuntur *servantes locum sanctæ Sedis Apostolicæ*. Per hanc epistolam conscius reddebatur Exarchus de morte

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Pontificis, atque his verbis concludebatur: *Post divinum auxilium ad vestram Excellentiam, Domine Excellentissime, & a Deo nobis multis temporibus concedende, omnes habemus fiduciam. Ecce eventum lugubrem indicavimus, quia ad nostram consolationem humanum alibi non habemus confugium.* Succedit in tit. 2. *decretum de electione Pontificis*, in quo post enarratum Papæ obitum, & electionis alterius necessitatem, dicitur, *in unum convenientibus, ut moris erat, cunctis Sacerdotibus, ac Proceribus Ecclesiæ & universo clero, atque optimatibus, & universa militari præsentia, seu civibus honestis, & cuncta generalitate populi Romanæ urbis, a parvo usque ad magnum*, suffragia in certam personam fuisse collata, cujus subinde merita enarrantur. Post hæc in titulo 3. subjicitur *Relatio de electione Pontificis ad Principem*, qua consensus Imperatoris postulatur, & in titulo 4. similis propemodum relatio fit *de electione Pontificis ad Exarchum*, sicut & in tit. 5. conscius etiam redditur Archiepiscopus Ravennæ ejusdem electionis, & in tit. 6. ac 7. conscii pariter redduntur Ravennæ judices, atque Apocrysarius. Subsequitur in tit. 8. *Ritus ordinandi Pontificis*. Concluduntur hæc omnia tribus editis fidei professionibus, quarum unam debebat electus Pontifex facere.

Translato Imperio a Græcis ad Francos non defuerunt, qui scriberent, ab Hadriano Papa circa annum 780. factam fuisse Imperatori potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem, cujus traditionis monumentum extat in can. 22. dist. 63.. Ego apocryphum hanc enarrationem puto, cujus primus auctor fuit Sigibertus scriptor undecimi sæculi, vir suspectæ fidei, quod Henrici Imperatoris Pontificales investituras sibi adserentis gratiam captare studebat. Neque enim antiquior historicus, ne ex iis quidem, qui Caroli Magni gesta accurate descripserunt, de ea mentionem fecisse deprehenditur; immo hæc ipsa falsitatis redarguuntur in conspectu & canonis 34. dist. 63., &, si vera Gratianus narrat, canonis 29. ejusdem distinctionis, ubi proponitur, Legatos Ludovici Imperatoris, quod, cum Romæ præsentes essent, dum electio Pontificis celebraretur, ad electionem invitati minime fuissent, inde tamen adquievisse, cum intellexissent, id factum non in contemptum eorum, sed ne in exemplum traheretur, in futuris electionibus Legatos Principum exspectari. Quæ si vera sunt, apocryphum etiam dicemus canonem 28. dist. 63., qui tribui solet Stephano IV., alias V., ac proinde referri ad annum 816. quemadmodum apocryphum judicaverunt Baronius, Severinus Binius, Papebrochius, Natalis Alexander, & alii bene multi. Clarissimus Muratorius in tomo 2. parte 2. rerum Italicarum post editos plures canones Romani Concilii anni 863., & postquam deprehendisset, inter illos canone 11. memorari statutum Papæ Stephani, arbitratus est, nomine ejus statuti intelligi laudatum canonem 28. dist. 63.. Mihi non videtur Muratorio adhærendum, quasi ex actis Romani illius Concilii confirmata videatur canonis illius 28. auctoritas, quando sub nomine statuti Stephani Papæ commode intelligere possunt statutum Stephani III., alias IV., quod refertur in can. 3. 4. & 5. dist. 79.. Mortuo Stephano V. successit in Romana Sede Paschalis anno 817., tum vero cum Ludovico Imperatore publicæ pactionis initæ, quibus inter cætera confirmata fuit libera penes Romanos sui Pontificis eligendi potestas, hac tantum adjectione facta, ut consecratus Romanus Antistes Legatos ad Imperatorem mitteret, causa mutuæ sociandæ amiciriæ, & pacis, idque ex vetere consuetudine jamdiu cum Pippino, & Carolo Magno observata, can. 30. dist. 63.. Quid vero est, quod sub nomine Gregorii IV. de electione Hadriani II. retulit Gratianus in can. 29. dist. 63., quando Gregorius IV. Hadrianum II. ætate præcessit? Pertinet illud ad Pontificale Romanum, quod cum laudaretur apud Scriptores his brevitatis notis *G. R. P.*,

quæ significabant *Gesta Romanorum Pontificum*, Canonum Collectores, aut eorum amanuenses minus periti incaute legerunt *Gregorius Papa*, vel *Gregorius Romanus Pontifex.* Nihil autem ex eo monumento deducitur, quam electionem Hadriani II. anno 867. a solo Romano Clero, & populo celebratam fuisse. Nomine Leonis IV. refertur apud Gratianum canon 6. dist. 79. quasi editus circa annum 850., ubi cautum, ut electioni Romani Pontificis nemo ex Sacerdotibus, nemo ex Primatibus nobilibus, nemo ex universo Clero contradiceret. Sed verius tribuendus est Nicolao I. ad annum 863., uti tradidit Muratorius loco supra laudato; cujus rei argumentum gravissimum est, quod in Romano Concilio Nicolai canone 11. eadem fere verba leguntur. Potius Leoni IV. tribuendus est canon 31. dist. 63., quamquam apud Collectores ea Leonis ad Lotharium, & Ludovicum Augustos epistola desideretur. Opportunum quipe fuerat tunc temporis stabilire, electionem Pontificis Maximi faciendam esse juste, & canonice, quando scimus ex auctore Pontificalis in Leone IV., Romanos maxime timuisse, ne quidquam in ejus disciplina immutaretur. Sæculo decimo circa annum 960. diro schismati obnoxia fuit Ecclesia Romana, ejecto Joanne XII., & in ejus locum suffecto Leone VIII., & deinde vita functo Joanne contra Leonem electo Benedicto V.. Ab eodem Leone VIII. edictum ferunt in Romana Synodo anni 664. canonem 23. dist. 63.. Verum canon ille, in quo & memoratur facultas ab Hadriano facta Carolo Imperatori eligendi Pontificem, jam superius tanquam apochrypha rejecta, a viris eruditis omnino rejicitur, tanquam recentioribus temporibus obscuri cujusdam auctoris manu consarcinatus. Addi præterea potest, canonem eumdem viribus destitutum esse, propterea quod, etsi genuinus esset, eum auctorem ostenderet; qui illegitima electione fretus potissimum Ottonis Imperatoris auctoritate Sedem Pontificiam occupaverat. Immo Otto ipse Imperator aliter de jure eligendi Pontificem Maximum scripsisse videtur, si verum est, quod sub ejus nomine (nomen Henrici Imperatoris ex inscriptione Gratianei Canonis omnino delendum est) traditur in can. 32. dist. 63., necnon in subjecto canone 33. ubi Imperator profitetur, nullas se partes in electione Romani Antistitis habiturum. Anno 1059. in electionibus Romanorum Antistitum, sicut & plurimorum Episcoporum, plura irrepserunt vitia, simoniam fovente avaritia, & ambitu seditiones concitante. Quamobrem Nicolaus II. plura salubria constituisse fertur, inter quæ extant canon 1. dist. 23., can. 1., & 9. dist. 79., ex quibus liquet, Cardinales jam tum cœpisse præcipuo suffragiorum jure gaudere, licet una cum ipsis Romanus adhuc clerus, & populus admitteretur. Fatendum tamen est cum viris eruditis, ea monumenta fuisse recentiore ætate in parte corrupta, ac depravata. Ibidem legitur, a Cardinalibus Episcopis electum Pontificem esse consecrandum, quasi illi in ea parte Metropolitani vice fungantur, item eligendum esse de Romanæ Ecclesiæ gremio, vel ex alia Ecclesia, si in Romana idoneus non reperiatur, idque salvo honore Henrici Regis, qui futurus Imperator sperabatur. Denique facta fuit potestas Cardinalibus Episcopis cum religiosis clericis, & laicis etiam extra urbem Pontificem eligendi, quoties id expedire gravi de causa judicarent. Paucis huc usque disciplinam indicavi, quæ viguit usque ad duodecimum sæculum quo tempore Gratianus suum Codicem adornavit, cujus ego brevibus verbis monumenta indicavi, non latius persecutus sum, quod eadem jam expenderint in meis animadversionibus, & notis in Gratianum.

Progredior nunc ad recentiorum temporum disciplinam, & quæ in primis adparet ex Codice Gregorii IX.. Novum subortum schisma temporibus Alexan-

dri III. novæ edendæ constitutioni in Concilio Lateranensi anni 1178. dedit occasionem, cap. 6. de elect.. Nimirum contra Alexandrum a paucis numero Cardinalibus electus fuerat primum Octavianus, deinde Guido, postremo Joannes, qui favore, & gratia Friderici Imperatoris elati per octodecim annos Romanam Ecclesiam turbaverunt. Ad illud schisma, illosque schismaticos referuntur capitulum 5. de electione, & capitulum 1. de schismaticis. In dicto autem capitulo 6. plura singularia deprehenduntur definita; primo, ut soli Cardinales ad electionem Papæ admitterentur, quod tamen jam ab Innocentii II. temporibus moribus obtinuerat; secundo, ut is electus rite haberetur, in quem duæ ex tribus Cardinalium partes consensissent; tertio, ut a tertia tantum parte electus una cum eligentibus excommunicationi subjacerent, si aut ille Pontificatum gereret, aut isti Pontificatum gerenti faverent; quarto, ut simili pœnæ subjaceret, qui a paucioribus, quam a duabus partibus electus a Pontificatu non humiliter abstineret, nisi major concordia intercesserit: id est, nisi statim qui consentirent, duas ex tribus partibus, accedente aliquarum ratihabitione, conficerent. In collectione Bonifacii VIII. alia adjiciuntur singularia deprompta ex Concilio Lugdunensi anni 1273. sub Gregorio X., in cap. 3. de elect. in 6.. Exorditur Gregorius, & ait, duo potissimum gravia pericula Ecclesiæ imminere, ubi Sedes Romana vacat, quorum primum est, si vacatio Sedis ejusdem in diuturnius tempus protrahatur: alterum, si discordia in electione Pontificis animos eligentium distrahat; propterea opportunum esse, ut nonnulla veterum decretis adjiciantur, supplendo potius, quam abrogando Alexandri III., aliorumque Pontificum sanctiones. Ita præfatus pergit, & disciplinam conclavis primus instituit, definiens, ut, cum Pontifex moriatur in civitate, in qua cum sua curia residebat, Cardinales, qui fuerint in civitate ipsa præsentes, teneantur exspectare absentes spatio tantummodo decem dierum; quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes conveniant in palatium, in quo defunctus Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus clericis, vel laicis, prout duxerint eligendum, nisi patens necessitas postulet, duos ad famulatum adsciscere. Sic congregatis Cardinalibus præcipitur, ut in eodem palatio in uno conclavi, nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes inhabitent in communi, quod, reservato libero ad secretam cameram aditu, ita claudatur undique, ut nullus illud intrare valeat, vel ex eo exire; item ut nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, nec facultas secrete loquendi cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium ibi præsentium pro iis tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur; insuper, ut nulli fas sit ad ipsos Cardinales, vel eorum aliquos nuntium mittere, vel scripturam, indicta ipso facto adversus eos, qui colloquia habuerint, vel nuntium, literasve miserint, sententia excommunicationis. Immo ut cautius hæc fierent, statutum est, ut quæ Cardinalibus ad victum necessaria forent, per fenestram ad id apertam inferrentur. Quod si intra tres dies electio Pontificis secuta non fuerit, statutum est, ut Cardinales per quinque subsequentes dies uno ferculo contenti essent, tam prandii, quam cœnæ causa; elapsis autem etiam quinque diebus tantum panem, vinum, & aquam accipiant. Insuper adjectum est, ut vacante Sede Cardinales nihil de camera Papæ recipiant, nec de aliis eidem Ecclesiæ tempore vacationis obvenientibus undecumque; sed ea omnia, ipsa vacatione durante, sub ejus, cujus fidei, & diligentiæ camera eadem est commissa, custodia maneant, per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda; qui autem ali-

quid receperint, teneantur ex tunc a receptione quorumlibet reddituum ad eos spectantium abstinere, donec de receptis plenariam satisfactionem impendant. Præterea mandatur Cardinalibus, ut quantotius in electionem incumbant, eamque ob rem ab aliis negotiis vacent, nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, ob quam oporteret, eos de terra ipsius Ecclesiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere; vel nisi aliquod tam grande, & tam evidens periculum immineret, cui omnibus, & singulis Cardinalibus præsentibus concorditer videretur, celeriter occurrendum. Quod si aliquis ex Cardinalibus conclave non intraverit, aut intrans absque manifesta causa infirmitatis exierit, facultas facta est cæteris Cardinalibus, eo minime requisito, ad electionem libere procedendi. Si vero ob infirmitatem idem conclave ex eis aliquem exire contingat; ipsa etiam infirmitate durante, potest, ejus suffragio non requisito, electio fieri. Sed si reparata salute, vel etiam adhuc infirmitate detentus redire voluerit, vel etiam si alii absentes post decem superius designatos dies supervenerint, re integra, id est, ante factam electionem, admitti in conclave poterint, easdem regulas servaturi. Porro si quando contingat Romanum Pontificem extra civitatem, in qua cum curia residebat, obire, obligantur Cardinales in civitate, in cujus territorio, seu districtu, idem Pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat, qua causa in alia vicinore conveniant, quæ nec interdicta sit, nec Ecclesiæ Romanæ rebellis; eodem ritu observando in cæteris in hac urbe, quod Romæ observaretur, si Romæ Pontifex obivisset. In §. *Præterea* ejusdem capituli executio hujus constitutionis mandatur Dominis, aliisque Rectoribus, & Officialibus Civitatis illius, in qua electio fuerit celebranda, certis ibidem indictis pœnis adversus eos, qui Concilii formam non servarent, in §. *Cæterum* monentur Cardinales, ut sincere, religioseque ad optimi Pontificis electionem deveniant, pactionibus omnibus penitus improbatis. Denique in §. ult. suadetur universo populo Christiano, ut pro optimi Pontificis electione preces in Deum enixas fundat, quod ut commodius fiat, Episcoporum omnium sollicitudo excitatur. Hæc ipsa constitutio confirmata deinde fuit a Clemente V. in Clement. 2. de elect., ubi tamen nonnulla adjecta fuerunt. Nimirum primo cautum est, ut officia Camerariorum, ac Pœnitentiariorum morte Pontificis non exspirent; secundo, si vacante Pontificia Sede Camerarium, aut Pœnitentiarium quemdam mori contigerit, ut valeat Cardinalium cœtus ad tempus vacationis alios Camerarios pro numero deficientium, item alios Pœnitentiarios etiam in ulteriore numero, si videatur concorditer expedire, subrogare; tertio, ut nomine territorii civitatis, in qua Pontifex obierit, extra urbem designati in laudato Concilio Lugdunensi, intelligatur diœcesis; eo etiam adjecto, ut, si in certo loco causarum, & literarum Apostolicarum audientia remanente, Pontificem alibi mori contingat, non ibi, sed ubi prædicta fuerit audientia, electio celebretur, etiam si audientia tempore mortis hujus vacare noscatur; nis forsan ante mortem Pontificis, Papa mandasset curiam transferri; quarto, si, Romano non electo Pontifice, Cardinales omnes vel simul, vel successive contingeret exire conclave, ut ii, ad quos pertinet executio juxta constitutionem laudatam Gregorii X., Cardinales legitime non impeditos iterum, & quam cito poterint, ingredi conclave compellant, ad electionem processuros secundum statum, in quo erant in conclavi, unde exiverunt; postremo, ut nullus Cardinalium cujuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti prætextu, a dicta valeat electione repelli. Confirmari visæ fuerunt hæ constitutiones multis etiam adjectis a Clemente VI. in consti-

tutione *Licet* anni 1351. octavo idus Decembris, ab Julio II. in constitutione *Cum tam divino* anni 1503. 19. calend. Februarii, a Clemente VII. in constitutione *Cum carissimus* anni 1529. pridie nonas Octobris, & in constitutione *Licet variæ* anni 1533. tertio nonas Septembris. Novam edidit constitutionem anno 1558. 17. cal. Januar. Paulus IV. adversus eos, qui ambitu curarent, ut ad Sedem Pontificiam promoverentur, &, vivente adhuc Pontifice, de Successoris electione tractarent. Incipit *Cum secundum Apostolum.* Clarius etiam explicavit laudatas constitutiones, quibus & nonnihil adjecit anno 1562. 7. idus Octobris, Pius IV. in sua constitutione, quæ incipit: *In eligendis*, & supremam manum admoverunt, Gregorius XV. in sua constitutione, quæ incipit: *Æterni* anni 1621. 17. cal. Decembris, Urbanus VIII. in sua constitutione, quæ incipit: *Ad Romani* anni 1625. 5. calend. Februar., Alexander VII. in sua constitutione *Inter cæteras* anni 1669. 9. calend. Novembris, & Innocentius XII. in sua constitutione *Romanum decet* anni 1692. 10. calend. Julii. Prolixa res esset recensere singula his constitutionibus definita. Late singula capita intelliget, quicumque ad illarum lectionem se contulerit in Bullario Romano; aut apud Camardam Episcopum Reatinum, qui synopsim edidit earumdem constitutionum.

DISSERTATIO TERTIA.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ET ARCHIEPISCOPIS.

CAPUT I.

De Origine, & Ratione harum dignitatum.

SUnt Episcopi omnes ordine pares, can. 6. caus. 7. quæst. 1., fuissent etiam omnes, uno dempto Pontifice Maximo, qui jure divino Primatum in Ecclesia tenet, pares jurisdictione, si nihil jure positivo ecclesiastico constitutum aliquando fuisset. Quoniam vero ad juris gentium regulas potestatem jurisdictionis exigi, nihil tale prohibente, immo fere suadente divino jure, ob publicam, quæ exinde manat, utilitatem, expedire visum est, ut sicut media per suprema, ita inferiora per media dirigerentur; placuit, ut non solum Romanus Antistes Episcopis omnibus præsideret, sed constituerentur Archiepiscopi supra Episcopos, supra Archiepiscopos Primates, supra Primates Patriarchæ, supra quos denique Pontifex Maximus emineret; unde, sicut in ordine varii erant Clericorum omnium gradus, ita & in difformi jurisdictione ecclesiasticæ Hierarchiæ dignitas, & majestas elegantior, & illustrior redderetur. Non poterat sane hæc disciplina obtinere, nisi quidquam suæ jurisdictionis concederet Summus Pontifex aliquod Episcopis in Episcopos alios exercendæ, quando nemo ex Episcopis in Coepiscopos vi sui Episcopatus ingenita ullam habeat prærogativam; eamque ob rem non injuria colligo, præstantiam, quæ Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis constitutis accessit, cuidam veluti delegationi a Pontifice Maximo factæ tribuendam fore, quæ quidem ab initio speciale jus dici potuisset, deinde, quod ea in perpetuum facta fuerit, in jus ordinarium evasit; hoc enim est, meo judicio, quod ajebat

Isidorus in can. 1., dist. 21., *Archiepiscopos vicem Apostolicam tenere.* Utilis est generalis ista observatio; ex ipsa enim statim deducitur, qua ratione facilius ecclesiastico jure, atque ex Pontificia voluntate, derogatum fuerit recentiore ætate potestati Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum, quam Episcoporum inferiorum; item deducitur, non mirum videri debere, quod superius diximus, si, advenientibus in Provinciam Pontificis Legatis a Latere, ab Archiepiscopis abstinendum sit ab usu quorumdam suæ dignitatis insignium; insuper deducitur, Archiepiscopalium, & superiorum illarum dignitatum constitutiones uni Romano Antistiti reservari; cum ex eo uno fluat illarum universarum potestas, ac jurisdictio, argumento extravag. 5. de præbendis inter communes.

Archiepiscopi dicti sunt, quasi Principes *Episcoporum*; quamquam enim recentiore ætate aliquot ex ipsis deprehendantur nullos habere Saffraganeos, quibus præsint, sive quod Episcopi, qui olim illis suberant, nulli supersint, vel alio translatis, vel prorsus extinctis Cathedralibus Ecclesiis minoribus, sive quod Archiepiscopi nomen, insignia, dignitatemque sine jurisdictione Archiepiscopali ex privilegio obtinuerint; regulariter tamen in plures Episcopos certam jurisdictionem exercent; quamobrem aliquando nomine Diœcesanorum appellati fuerunt, quia diœcesis provinciam significabat, l. un. cod. ut omnes Judices; alicubi, præsertim apud Græcos, Metropolitarum, seu Metropolitanorum, quod ut plurimum in metropolibus urbibus constituerentur, Novella 11. in principio, cap. 11. de offic. judic. ordinar., alicubi nomine Senum, vel Seniorum, uti apud Afros, quibus nulla fere certa Archiepiscopalis Ecclesia erat designata, sed tota Archiepiscopalis potestas in seniore Episcopo residebat, vix uno excepto Carthaginensi Primate, qui potius Primatialia in universa Africa, quam Metropolitica respectu certæ designatæ provinciæ, jura explicabat. Ecquidem scio, apud Isidorum Hispalensem sub nomine Archiepiscoporum designatos fuisse Primates, propterea que Archiepiscopos a Metropolitanis distinctos, quasi a minoribus majores, can. 1. dist. 21.. Verum ibidem Isidorus de etymologia potius nominis, quam de re sollicitus erat; nec qui vocabulorum etymologiam expendebat, alios Archiepiscopos nominare poterat, quam qui vere Principes essent Episcoporum, sive Primates; præcipue quum satis constare nequeat, an tum apud Hispanos Primatum nomen in usu esset, quemadmodum neque erat in usu apud Constantinopolitanos, qui Primates, seu eos, qui Metropolitanis præerant Archiepiscopos nominabant, dicta Novella 11. in principio. De numero Episcoporum, qui subesse Metropolitano debeant, nihil in sacris canonibus definitum adparet, nisi pro canonum monumentis velimus excipere inanes nugas Isidori Mercatoris, fingentis, decem, vel undecim esse debere uniuscujusque Metropolitani suffraganeos, in can. 2. caus. 6. quæst. 3.. Quamobrem Suffraganeorum numerum concludemus pendere ab arbitrio ejus, qui certis de causis ad novæ Metropoleos constitutionem deveniendum esse pro sua auctoritate decernat, juxta vulgarem, & probatam regulam, quæ suadet, a prudenti arbitrio Judicis ea pendere, quæ expresse a legibus non definiuntur, dummodo non sit numerus infra ternarium, argumento, l. 85., juncta l. 40. §. ult. ff. de verb. significat..

Quemadmodum Archiepiscopi hodie nominantur, qui pluribus Episcopis præsunt, unamque provinciam regunt, ita Primates, qui supra Archiepiscopos constituti sunt, & Patriarchæ, qui etiam primatibus præsident, unusquisque pro modo divisionum constitutæ Primatiæ, vel Patriarchatus, can. 1. & 2. dist. 99., cap. 9. de offic. judic. ordinar., dicto can. 1. dist. 21.. Qui hodie Patriarcharum nomine gaudent, non omnes eodem jure censentur. Sunt enim quidam, qui-

bus certa generalis ratio, & antiquæ constitutiones in generalibus Conciliis confirmatæ Patriarcharum nomen, & dignitatem, jura denique singula concesserunt. Hujusmodi sunt Episcopus Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, præter Romanum, cujus est maxima semper præ cæteris prerogativa, ob maximum adhærentem Pontificatum, can. 6. & 7. dist. 65., can. 3. & sequentibus dist. 22., cap. 8. de major., & obed.. Alii sunt, qui singularibus quibusdam consuetudinibus, & privilegiis Patriarcharum nomen, & insignia sibi vindicaverunt, jurisdictione tamen non facile cum memoratis quatuor Orientalibus Patriarchis comparandi; tantum eam potestatem in suis provinciis explicantes, quæ Archiepiscopis, ac Primatibus competit. Hujusmodi est Bituricensis Episcopus a Nicolao I. in Epistola 19., cujus fragmentum est in can. 8. caus. 9. quæst. 3., Patriarchæ nomine donatus. Hujusmodi est Toletanus post speciale indultum Martini V. anni 1442. apud Garziam in collectione Conciliorum Hispaniæ. Hujusmodi etiam olim fuerunt apud Gothos, & Vandalos universi propemodum Occidentales Episcopi, qui se Patriarchas nominabant, uti refert Victor Vitensis in historia persecutionis Africanæ, sive Vandalicæ libr. 2.

Ut hæc magis perspicue explicentur, observandum est, in vetere civili distributione Romani Imperii quasdam designatas fuisse civitates Imperiali auctoritate, quæ metropoles nominabantur, sive matres urbes certam supra cæteras nactæ dignitatem, qualis fuit Berytus, qualis fuit Tyro, l. un. cod. de metropoli Beryto. Hanc Imperii Metropoliticam formam secuti sunt veteres Ecclesiæ Patres ita, ut in quacumque urbe metropoleos nomine insignita Archiepiscopos constituerent, Primates etiam, si Metropolis illa majore quodam, ac potiore honore frueretur. Argumenta sunt non solum apud Isidorum Mercatorem in can. 2. dist. 80, & in can. 1. dist. 99., verum etiam in antiquissimis germanis monumentis. Laudo canonem 9. Concilii Antiocheni ita conceptum ex interpretatione Gentiani Herveti: *Episcopos, qui sunt in unaquaque provincia, scire oportet, Episcopum, qui præest Metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ, eo quod in Metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia, unde visum est, eum quoque honore præcedere; reliquos autem Episcopos nihil magni momenti adgredi sine ipso, ut vult, qui ab initio obtinuit, Patrum canon &c.* Laudo insuper canonem 17. Concilii Chalcedonensis ita conceptum: *Si qua civitas potestate Imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones, & publicas ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordines subsequantur.* Addi potest Concilium Taurinense temporibus Siricii celebratum, in quo ita lego can. 3. *Illud deinde inter Episcopos urbium Arelatensis, & Viennensis, qui de Primatus apud nos honore certabant, a sancta Synodo definitum est, ut, qui ex eis adprobaverit, suam Civitatem esse Metropolim, is totius provinciæ honorem Primatus obtineat, & ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem.* Forte diutius, aut perpetuo perduravisset sic stabilita disciplina, nisi duo exinde gravia emersissent incommoda. Primum suboriebatur ex frequenti mutatione regiminum ex scissione imperiorum profecta; unde fiebat, ut huc illuc annuis fere vicibus Metropoles transferrentur. Alterum ex ambitu quorumdam Episcoporum, qui importunis precibus apud Principes instabant, ut civitas, cui præerant, in Metropolim erigeretur, eaque ratione a suo Metropolitano eximerentur ipsi, & metropoliticam dignitatem induerent. En rationem, quare Innocentius I. in Epistola 18. ad Alexandrum Episcopum Antiochenum, qui Patriarchico jure de divisione metropoleon decretusus erat, ita scripserit: *Quod sciscitaris, utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari, non vere visum est, ad nobilitatem ne-*

cessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator. Referuntur hæc nomine Nicolai I. in can. 1. dist. 10.. En insuper causam, quare Concilium Chalcedonense in can. 1. dist. 101. aliud statuerit occasione controversiæ concitatæ inter Photium Tyri, & Eustathium Beryti Episcopos; quando Eustathius ex ambitu impetraverat ab Imperatoribus, ut æquo jure Metropolis Berytus esset, ac erat Tyrus, dicta l. un. cod. de metropoli Beryto, unde se faceret Photio parem. En denique causam, quare Gelasius semel constitutas diœceses, seu metropolitica jura perpetuo immutabilia esse dixerit in can. 5. caus. 16. quæst. 3..

Diversa sane ratio fuit constituendarum Patriarchalium Ecclesiarum, quarum forma primam originem habuit ex singulari reverentia in Petrum Apostolorum Principem, & ejus successores in Episcopatu semel, & quandocumque suscepto; quo spectat, quod scribebat Innocentius I. in Epistola modo laudata ad Alexandrum Antiochenum de honore Antiochenæ Sedis, ibi: *Advertimus, non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apostoli Sedes esse monstretur, ubi & nomen accepit religio christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gaudet.* Antequam enim Petrus Apostolorum Princeps Romam venisset, Pontificatum maximum in eadem urbe constituturus, & Antiochenam per se Ecclesiam rexerat, & Alexandrinum per Marcum discipulum. Eam ob rem Sedes illæ singulari honore insignitæ Patriarchales dici cœperunt, visæque sunt dignæ, quibus majora quædam jura, quam cæteris, concederentur. Summo igitur jure duæ dici possunt Patriarchales Ecclesiæ præter Romanam, nimirum Alexandrina, & Antiochena, quamquam & in hoc Petrus visus fuerit secutus publici regiminis formam, dum tanquam Princeps Episcoporum omnium clarissimas urbes selegit, in quibus gereret Episcopatum, Alexandriam totius Ægypti Principem, Antiochiam Reginam Orientis, in qua primos Christianos fuisse testatur S. Lucas in actis cap. 11. vers. 27., & Romam toti Imperio dominantem. Multo postea numerum Patriarchalium Ecclesiarum auxerunt, quasi privilegiario jure Ecclesia Hierosolymitana, & Constantinopolitana; illi enim singularis honor accessit, quod Hierosolymis omnia fere Redemptionis nostræ mysteria cœpta, absolutaque fuerint a Christo Domino; isti, quod, translato ab urbe Roma Constantinopolim Imperio, tanquam nova Roma haberi cœpit, concessumque, ut quoniam Pontificatus maximus, idemque unus, & individuus penes unum Romanum Episcopum perpetuo adhærebat, saltem simile jus Patriarchatus Constantinopolitano Antistiti tribueretur. Cæterum proprie istæ Sedes Patriarchales dici non poterant, quod neutram Sedem tenuerit Petrus; non Constantinopolitanam, uti nemo dubitat, non Hierosolymitanam, quam tenebat Apostolus Jacobus, quemadmodum legimus in can. 2. dist. 66.. Quamobrem Nicolaus I. ad Bulgaros ita scribebat cap. 92. *Desideratis nosse, quot sint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui Sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent; id est, qui illis præsunt Ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, & Alexandrinam, & Antiochenam.* Sunt, qui putant, Hierosolymitanum Patriarchatum jam in Nicæno I. Concilio constitutum fuisse, in conspectu canonis 7. dist. 65. Ego vero his adsentire non possum, quando ex eodem canone constat, certum quidem honorem Hierosolymitano Episcopo fuisse delatum, adjecta tamen clausula: *manente Metropolitanæ Civitati propria dignitate.* Immo ex Epistola Hieronymi ad Pammachium liquet, temporibus sancti ejusdem viri adhuc Hierosolimytanum Episco

pum, qui tunc erat Joannes de Origenistarum, & Arrianorum erroribus valde suspectus, revera obnoxium fuisse, tanquam Metropolitæ, Episcopo Cæsariensi, &, tanquam Patriarchæ, Episcopo Alexandrino. Non tamen inficias iverim, quominus singularis ille honor delatus Episcopo Hierosolymitano in Concilio Nicæno, occasionem dederit, ut paulatim dignior fieret, & tandem recentioribus sæculis Patriarchalia jura obtineret. Quod si quæratur, in quo singularis ille delatus honor consisteret, dixero, eo referendum esse, ut Episcopus in urbe Ælia post Hierusalem funditus eversam prope Hierusalem ædificata constitutus, eodem jure censeretur, quo olim Hierosolymitanus ipse Episcopus habebatur, quasi idem esset & Æliensis, & Hierosolymitanus Episcopatus. Paulo fusius hæc adnotavi in meis animadversionibus in Gratianum ad dictum canonem 7. dist. 65.. Constantinopolitanus Patriarchatus non statim constitutus fuit, ac Constantinus Imperialem in eam urbem transtulit Sedem. Revera in canone 6. Nicænæ Synodi temporibus Constantini celebratæ duorum tantum Patriarcharum jura firmantur, can. 6. dist. 65.. Aliquid novi constitutum primo videtur in Concilio Constantinopolitano I. can. 3. dist. 22.. Verum & canon iste nonnullis viris eruditissimis tanquam apocryphus censetur, ex eo præsertim, quod recentiores Constantinopolitani Antistites, qui nullum non lapidem moverunt, ut potestatem suam amplificarent, eo nunquam usi fuisse deprehendantur: item qui canonem illum genuinum crediderunt, tradidere, canonem eumdem non fuisse in Ecclesia receptum, quasi editum, jam dissoluto Concilio, a paucis Episcopis, qui plus æquo Episcopo Constantinopolitano favebant. Denique nonnulli existimaverunt, in eo canone concessum quidem fuisse singularem Constantinopolitano Episcopo honorem causa Imperialis urbis, in qua Episcopatum gerebat, non ipsa, & generalia jura Patriarchatus. Primus, meo judicio, Patriarchalem dignitatem, & jura sibi asseruit Anatolius tempore Concilii Chalcedonensis, qui inter canones furtim eidem Concilio adjectos & illud adponi curavit, ut Constantinopolitana Ecclesia jure Patriarchalis haberetur, can. 46. caus. 11. quæst. 1., & clarius in canone 28. inter Chalcedonenses. Interea Constantinopolitani Antistites & nomen, & dignitatem Patriarchicam sibi vindicabant, qualiscumque tandem esset Chalcedonensis canonis auctoritas; Imperatores autem de honore solliciti urbis Imperialis, & id Constantinopolitanis Episcopis facile indulgebant, unde Leo, & Anthemius Acacium, l. 16. cod. de sacros. Eccles., & Justinianus Epiphanium Patriarcham appellavit in inscriptione legis 7. cod. de summa Trinitate, l. 43. cod. de Episc., & cler., l. 34. cod. de Episcop. audient., qui etiam curavit, ut Constantinopolitana Ecclesia supra cæteras, una excepta Romana, efferretur, l. 24. cod. de sacros. Eccles. ibi: *Constantinopolitana Ecclesia omnium aliarum est caput*, & Nov. 131. cap. 2. ibi: *Sancimus, secundum earum definitiones Sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum; beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum post Sanctam Apostolicam senioris Romæ Sedem; aliis autem omnibus Sedibus præponatur.* Accessit his Græcorum omnium consensio in Concilio Trullano, cujus monumentum extat in canone 6. dist. 22., paulatim vero & id generaliter receptum est, uti liquet ex can. 7. dist. 22., ex quibus etiam canonibus constat, quisnam demum receptus fuerit eorumdem Patriarcharum ordo: Nimirum post Romanum locus statim concessus Constantinopolitano, deinde Alexandrino, tertio Antiocheno, ac postremo Hierosolymitano. Has omnes Patriarchales Sedes tandem professus est se amplecti Innocentius III. in cap. 8. de majorit. & obedientia.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT II.

De potestate Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum in subjectos Antistites.

Huc referendi sunt titulus 10. libr. 1., & titulus 31. libr. 5. Decretalium.

QUid interesset, investigavisse altissimam Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum originem, nisi viam exinde stratam agnosceremus ad inquirendam illorum auctoritatem, atque jurisdictionem? Qua in re de Archiepiscopis tantum loquar; etenim quod de istis dicitur respectu suffraganeorum, idem fere intelligendum velim de Prælatis Archiepiscopo majoribus respectu Antistitum, sive Metropolitanorum sub illorum Primatu, vel Patriarchatu constitutorum. Itaque generaliter in primis ajo, Archiepiscopis, uti Archiepiscopis, illud tantum competere, quod vel sacris canonibus fuerit expresse concessum, vel longa consuetudo moribus concessum fuisse demonstret, vel privilegium singulare tribuerit, adeo ut de certa juris specie contendens Archiepiscopus adversus Episcopum actoris quodammodo personam sustinere debeat, in se susceptо onere probationis. Hujus regulæ ratio in eo posita est, quod, ut in capite præcedente demonstratum est, Episcopi omnes infra Pontificem Maximum constituti vi suæ dignitatis pares sint, nec alteri detur singularis prærogativa in alterum, nisi hæc veluti decisa quodammodo a dignitate Pontificis Maximi accesserit, instar vel tacite, vel expresse mandatæ jurisdictionis. Juxta hanc regulam controversias definivit inter Bituricensem, & Narbonensem Episcopos Nicolaus I. in can. 8. caus. 9. quæst. 3., & Nicolai vestigia secutus Innocentius III. inter Episcopos Tyrensem, & Hierosolymitanum in cap. 9. de offic. jud. ordinar., ubi traditur, esse *in sacris canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas nihil juris præ cæteris habere, nisi quantum sacri canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo... præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel Rectorem ipsius quolibet speciali privilegio decreverit honorare.* Idem Innocentius III. hoc argumento usus est in cap. 2. vers. *nec quod de cessione* de translat. Episc.. Similiter Honorius III. in cap. 15. de temporibus ordinationum solvit Episcopum a mandato Archiepiscopi exequendo, propterea quod *ejusmodi dispensatio a canone minime esset permissa* Archiepiscopo. Denique & Innocentius IV. in cap. 1. de suppl. neglig. Prælat. in 6. coercuit intra limites Archiepiscopalis jurisdictionis Rhemensem Antistitem, qui nova quædam molitus fuerat in provincia, hac ratione proposita: *Cum id non inveniatur a jure concessum.* Ad tria summa capita redigitur Archispiscopalis jurisdictio: vel enim respicit personas subjectorum Antistitum, qui & Suffraganei appellantur, ex eo, ut puto, quod in Concilio Provinciali Metropolitano proponenti suffragium ferre solent; vel respicit Ecclesias totius provinciæ; vel denique respicit personas illorum, qui Suffraganeis obnoxii sunt, seu qui Suffraganeorum diœcesani appellantur. De prima jurisdictionis specie in hoc capite agendum est, reservata tractatione aliarum in subsequente.

Itaque si vetus jus respiciamus, potestatem suam Metropolitani in Suffraganeorum personas vix exercebant extra Concilia Provincialia, quorum eam potissimum ob causam frequens erat conventus. Quamobrem vix Metropolitanorum jurisdictio ab jurisdictione eorumdem Conciliorum secernebatur, nisi in iis, in quibus & de Metropolitano ipso Concilia judicabant, Metropolitanum

ipsum Concilia ordinabant, ordinatumque consilio adjuvabant, can. 1. 2. 4., & passim caus. 9. quæst. 3., cap. 9. de clericis non resident.. Quippe saluberrime cautum erat, ut, quemadmodum nihil grave agere poterant Episcopi Suffraganei in diœcesi sine Metropolitani consilio, ita nihil grave agere posset Metropolitanus *in provincia sine consilio* Suffraganeorum, quod aperte legimus in canone 9. Concilii Antiocheni; quasi idem generalis ordo servaretur respectu provinciæ ab Archiepiscopo, quod ab Episcopo servandum esset respectu diœcesis; unde fieret, ut sicut Episcopo cœtus clericorum consilium præbebat in Diœcesanis, *ita* Archiepiscopo cœtus Episcoporum præberet consilium in Provincialibus negotiis. Veteris hujus disciplinæ vestigia quædam adhuc servanda voluit Concilium Tridentinum in sess. 23. de Ref. cap. 1., ubi certa reservatur jurisdictio aut Metropolitano, aut Synodo Provinciali, quum in causam Episcopalis absentiæ *sit inquirendum*. Postquam vero perraro celebrari cœperunt Provincialia Concilia, ab uno Metropolitano exerceri consuevit in Suffraganeos jurisdictio, & in certis causis, si quæ de Metropolitano judicanda fuissent, senior ex Suffraganeis quamdam exercuit potestatem, uti in specie residentiæ a Metropolitano non negligendæ sanxit Concilium Tridentinum in dicto cap. 1..

Prima potestas Archiepiscoporum in Suffraganeos ea erat, ut electum Suffraganeum confirmarent, ac consecrarent, & quidem olim in Provinciali Concilio, deinde vero etiam extra Concilium postquam scilicet raro Provinciales Synodi celebrari cœperunt; quamquam etiam tum caveri saluberrime debuit, ut in ordinatione Suffraganei cum Archiepiscopo præsente interveniret duo Comprovinciales Episcopi, quasi in eo ternario Antistitum numero quædam veluti Synodi figura agnosceretur, juxta generalem jureconsultorum traditionem, qui nonnisi tribus saltem personis collegium constare docuerunt, l. 85. ff. de verb. signif.. Viguit hæc disciplina integra etiam temporibus Gregorii IX., quamquam enim Episcoporum electio a clero, vel capitulo Cathedralis vacantis Ecclesiæ consentiente populo esset celebranda, confirmatio tamen electionis, & consecratio electi potissimum a Metropolitano pendebat, can. 5. dist. 51., can. 1. 2. 4. & sequentibus dist. 65., cap. 11. 20. 32. de elect., cap. 1. & 2. de translatione Episc., cap. 10. de offic. jud. ordin., cap. 6. de tempor. ordinat., cap. 35. de appellation.. Difficultas in hanc rem emergit ex Novellæ Justiniani 137. cap. 4., ubi duplicis generis Provinciales faciendæ annuæ Synodi memorantur; una apud Patriarcham, ad quam convenire deberent Episcopi a Patriarcha ordinati, *& qui non habent jus alios Episcopos ordinandi*; altera apud Metropolitanum uniuscujusque provinciæ, ad quam convenire deberent Episcopi a Metropolitano ordinati. Petrus de Marca in libr. 1. de concord. Sacerdot., & Imper. cap. 7. num. 3. observat, verba illa Justinianei textus esse emendanda, legendumque; omissa particula negativa, *& qui habent jus alios Episcopos ordinandi*; ait enim, nullum futurum verborum sensum, si negativa particula retineatur. Nota tamen Baluzius, in editionibus Haloandri, & Scrimgeri haberi negationem, eamdem autem extare etiam in vetustissimo, & optimo codice Græco Bibliothecæ Colbertinæ. Photius in Nomocanone tit. 8. cap. 8. ad hanc Novellam respiciens, contentus fuit eam ita in epitomen reddere, ut traderet, Metropolitanos apud Patriarcham, & Episcopos apud Metropolitanum causa Synodi singulis annis convenire oportere. Aptius Balsamon in notis ad canonem 8. Concilii Trullani adnotavit, abs Justiniano decretum fuisse, ut ad Synodum Patriarchalem convenirent omnes Metropolitani, qui sane habebant jus Episcopos ordinandi, sed & præter illos Metropolitani aliquot, quibus nulli Episcopi suberant, quique

propterea facultatem Episcopos ordinandi non habebant, quales ait fuisse inter cæteros Archiepiscopum Derci, Messanæ, Parii, & Apri. Ego vero adhuc dubitaverim, an ea, quæ Balsamon sub finem sæculi duodecimi tradebat, congruerent temporibus Justinianeis, quasi jam Justiniani temporibus essent Metropolitani Episcopi sine Suffraganeis constituti. Quamobrem Petri de Marca emendatio vim codicibus inferre mihi videtur, Photii explicatio non eludere difficultatem, & Balsamonis interpretatio minus congruere; atque ego potius censeo, retinendum esse textum Justinianeæ Novellæ, vitiumque agnoscendum interpretis, qui eam ex Græco in latinum idioma tradidit; etenim particula illa græca μὴ, quam Latinus Interpres voluit significare *non* in illis verbis *& qui non habent jus alios Episcopos ordinandi*, potius significabat *quinimmo*, quemadmodum id quandoque significare monent Græcæ linguæ peritissimi viri; quem sensum si faciat, clara erit, & nullam amplius difficultatem ingeret Justinianea Novella, in qua ita legetur: *qui ab ipsis ordinati sunt, & qui quinimmo habent jus alios Episcopos ordinandi.* Ad idem etiam propositum pertinet inter cæteros canon 6. dist. 65. editus adversus Meletium, qui contempto Alexandrino, cui suberat Patriarcha, Episcopos solus in Alexandrino Patriarchatu ordinare non dubitabat; quamobrem statuendum opportune fuit, ut eadem ratione, qua Romanus Episcopus tanquam Metropolitanus Romanæ Provinciæ Suffraganeos suos, ita & suos Alexandrinus ordinaret; quæ est germana Nicæni canonis interpretatio, quidquid nonnulli ex Catholicis minus accurate, quidquid hæretici universi maligno animo, & insigni perfidia ex eo tradiderint; quemadmodum ego jam observavi in meis animadversionibus in Gratianum. Hæc vero hodie fere exoleverunt, postquam translatio primum in cap. 2. de translat. Episc., deinde confirmatio, ac consecratio Episcoporum fuit Sedi Apostolicæ reservata, adeo ut cum olim tempore suæ consecrationis Episcopi jurare solerent apud Metropolitanos ordinantes, se munus suum juxta canonum regulas executuros, hodie jusjurandum idem nonnullis adjectis præstare soleant Pontifici Maximo, a quo, vel cujus mandato ordinantur, cap. 4. de jurejurando, cap. 8. de reb. eccles. non alienandis.

Præterea illud Archiepiscoporum auctoritate tribuitur, ut Suffraganeos, vel officium suum contra jus excedentes, vel juris præcepta minime exequentes coerceant, immo & aliquando ad sui potestatem aliqua trahant, executuri ipsi, quod Suffraganei aut generalibus canonibus, aut superiorum mandato inobedientes minime impleverint. Qua tamen in re causæ a causis distinguendæ sunt. Vel enim talia sunt negotia, quæ si Suffraganeus egerit, excedendo officium suum, ex generali juris præscripto retractare non potest, qualis est pronuntiatio sententiæ, qua dicta omnis in judice notio cessat, l. 4. & 55. ff. de re judicata, aut quæ si Suffraganeus negligendo omiserit, abs jure suo cadit ob certa tempora legibus definita, intra quæ Ordinarius agat, qualis est beneficiorum collatio intra sex menses facienda. In his sane speciebus ad Metropolitanum fit devolutio, ut ipse modo negotium perperam ab Ordinario gestum retractet, modo rem gerat ab Ordinario prætermissam. Hinc pronuntiata ab Ordinario iniqua sententia, omnis causæ cognitio appellatione interposita, item non collato intra legitimum tempus ab Ordinario beneficio, collatio beneficii ad Metropolitanum devolvitur, can. 7. 15. 35. & 37. caus. 2. quæst. 6., cap. 3. & 5. de suppl. neglig. Prælat.. Hanc causam puto, quare in can. 3. caus. 9. quæst. 3. statutum fuerit, Œconomum ab Episcopo non designatum juxta veteres canonicas sanctiones a Metropolitano designari debuisse; quare item, mortuo Suffraganeo, nullis existentibus administris,

qui curam rerum Episcopalium in diœcesi gerant, administratio Metropolitano competat, can. 48. caus. 12. quæst. 2., quare insuper Visitator Sedi suffraganeæ vacanti, negligente capitulo, per Archiepiscopum detur, cap. ult. de suppl. neglig. Prælat. in 6.; quare denique in Concilio Tridentino cautum fuerit, ut non constituto Vicario a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, Sede vacante, ejus constitutio ab Archiepiscopo fiat, sess. 24. de ref. cap. 16.. Vel ejusmodi negotia sunt, in quibus explendis aut nullum certum tempus designatum fuit Episcopo, aut in quibus utut perperam gestis non videtur Episcopus sua omnino functus jurisdictione, manente adhuc integra penes illum retractandi facultate: tum vero Metropolitani potestas in eo versabitur, sive ex officio, cum de re publica agitur, sive proposita querela ab iis, quorum interest, in causis privatorum, quæ sane querelæ propositio nonnihil differt ab appellatione a sententiis interponenda, juxta capitulum 1. de officio Legati, cap. 5. de offic. ordin. in 6., & Clement. 4. de electione, ut Episcopum reprehendat, corrigat, & suum munus rite exequendum, adhibitis juris remediis, adigat, can. 3. caus. 9. quæst. 2., can. 3. caus. 10. quæst. 3., cap. 11. de suppl. neglig. Prælat., cap. 1. eod. tit. in 6.. Concil. Trident. sess. 28. de ref. cap. 18., neque Archiepiscopus ipse alias proprio officio vices Suffraganei supplebit, quam si sublata spes videatur futurum, ut Suffraganeum monitis adquiescat, ac morem gerat, cap. 8. de offic. judic. ordinar.. Juris remedia sunt paterna primum admonitio, atque correctio, deinde indictio censurarum, cap. 29. de præbend., cap. 52. de sentent. excomm., cap. 1. §. ult. de offic. ordin. in 6., quamquam in censuris indicendis servandus sit modus, & qualis præstitutus etiam fuit Apostolicis Delegatis in cap. 2. de offic. deleg. in 6., videtur enim Archiepiscopus, uti dictum superius est, in hac re delegatum Pontificis Maximi agere. Non tamen potest eo progredi Metropolitanus, ut Episcopum extrema pœna anathematis damnet, aut deponat; id enim licet olim concederetur Synodis Provincialibus, quo tempore maxima erat istarum auctoritas, jamdiu tamen obtinuit, ut Romano Pontifici reservetur, cap. 2. de translat. Episc.. Hinc est, quod hodie in criminalibus Episcoporum causis, in quibus ad depositionem ex censura canonum deveniendum esset, nulla supersit Metropolitanis jurisdictio, Concilio Tridentino sess. 13. cap. 8., & sess. 24. cap. 5. de reform..

Dixi, procedere posse Metropolitanos ad coercendos excessus, supplendosve defectus Suffraganeorum vel interposita appellatione, vel querela, præterea non nihil differre inter appellationem, & querelam. Id, ut paucis explicem, dico, exitu inspecto, nihil differre inter appellationem, & qurelam; quia per utramque illud agitur, ut Suffraganeus in officio contineatur. Duo tantum sunt discriminis capita, quorum primum est ex parte illius, qui vel querelam, vel appellationem proponit, alterum ex parte causarum, in quibus vel querela proponitur, vel appellatio. Quoad primum spectat, observo, eum, qui querelam proponit, non fungi vice actoris apud Metropolitanum, sed tantun certam causam deferendo ad Metropolitanum, excitare officium ejusdem Metropolitani, ut ipse quasi sponte, & re secum mature pensata, adversus Suffraganeum agat, ab eo rationes gestorum exigat, atque, ubi opus esse videatur, emendet; eodem modo, quo in criminalibus causis sese res habet, ubi crimina non per accusationem, sed per denuntiationem vindicantur; tunc enim denuntiator non ipse judicium instituit, nec actoris personam sustinet, sed tantum occasionem judici præbet, ut ipse ex offic. inquirat. Secus contingit in appellatione; qui enim appellat, actor est, ipse judicium instituit, atque in judicio contendere debet eousque, quo sententia pronun-

tietur. Quod ad secundum attinet, observo, eas causas per appellationem abs judicio Suffraganei ad Metropolitanum deferri, quæ in utilitate privatorum versantur, in quibus servanda est forma judicii; in quibus denique ii, quorum interest, possunt hinc actoris, illinc rei personam sustinere. Si autem tales sint causæ, in quibus versatur bonum publicum, aut in quibus judicii forma ex canonum præcepto servari non debet, aut denique in quibus ii, quorum interest, nequeunt actoris vicem sustinere, nec reum habent, contra quem actionem instituant, tum non appellatio, sed querela proponitur. Exemplum est in eo, qui conqueratur apud Metropolitanum de Episcopo, propterea quod Episcopus, non obstantibus causarum adjunctis, quibus ex Tridentino Concilio dispensandum esset a matrimonialibus denuntiationibus, nihilominus dispensare renuerit; quia scilicet causæ istæ extra figuram judicii cognoscuntur, uti liquet ex cap. 1. sess. 24. de ref. matrim.. Neque his opponatur capitulum 1. de offic. Legati, ubi Alexander III. duplicem agnoscens in Cantuariensi Antistite dignitatem, id est, Metropolitani, & Legati Apostolici, ait, non aliter uti Metropolitanum posse judicare, quam si causæ ad ipsum per appellationem referantur, ast uti Apostolicum Legatum etiam eas causas definire posse, quæ ad eum per querimoniam deferrentur. Siquidem observo ibidem nomine causarum per querimoniam referendarum intelligi non eas, quæ in forma judicii proponi non possunt, has enim etiam jure Metropolitico licuisset definire Episcopo Cantuariensi; sed eas, quæ in forma judicii erant proponendæ, quæ sane in prima, ut ajunt, instantia, ne sub prætextu quidem querelæ, proponi non potuissent coram Metropolitano, idque, ut judiciorum ordo servaretur, qui postulat, primum apud Episcopum judicium institui; tum demum autem proponi etiam potuissent ex sententia Alexandri III. coram illo Archiepiscopo tanquam Legato Apostolicæ Sedis, quasi querela proposita, Legatus ad se posset avocare causas apud Episcopos cœptas, necdum ad finem perductas, quemadmodum liquet ex toto rescripti contextu, præsertim in cap. un. de offic. Legati in collectione 1. Decretalium. Has causarum avocationes olim receptas fuisse, nos dubitare non sinit Concilium Tridentinum in cap. 20. sess. 24. de ref., ubi ad tuendam Episcopalem jurisdictionem certus fuit impositus modus. Itaque ut hæc invicem concinant, concludo, ad Archiepiscopum tum demum per modum querelæ confugi posse, cum non agitur de causis in figura judicii expediendis, & in quibus frustra appellandi facultas speraretur. Neque enim in istis adeo libera relinquenda erat Episcopis inferioribus voluntas, ut nulli superiorum judicio subjacerent, concedendaque saltem querela ad Archiepiscopum deferenda, ubi deficeret penitus appellatio.

Alia Metropolitanorum in Suffraganeos exercenda potestas est, ut illos possint ad Provinciale Concilium convocare, atque adigere, quemadmodum superius dictum est, ubi de Provincialibus Conciliis ageretur. Eo spectat antiquus ille ritus, quo Episcopi jurejurando sese obstringebant Metropolitano, quum consecrarentur, ut quotannis ad Sedem Metropolitanam accederent, cap. 4. in fine de jurejurando, propterea quod nimirum quotannis Provincialis Synodus celebraretur; quemadmodum qui ordinabantur a Pontifice Romano, spondebant, se quotannis Apostolica limina visitaturos, vel per se, si diœcesis non procul ab urbe distaret, vel per procuratorem, si in remotis agerent, nisi chirographo misso se ab ea obligatione certis ex causis liberari postulavissent, can. 4. dist. 93.. Póstquam vero consecratio Episcoporum fieri cœpit apud Sedem Apostolicam, & idem jusjurandum, quod olim Metropolitanis consecrantibus præstabatur, præstari cœpit Pon-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

fici Maximo, Episcopi spondere cœperunt, se quotannis Apostolica limina visituros, seu ad Sedem Apostolicam ituros, nisi ab ea obligatione Pontificio rescripto absolverentur, dicto cap. 4. de jurejurando, quamquam Sixtus V. in sua constitutione, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, huic obligationi certum modum adjecerit, inter cætera contentus, ut singulis trienniis Episcopi eadem limina visitent, aliis etiam, pro ratione remotarum provinciarum, visitatione ad quadriennium, vel ad quinquennium, vel etiam ad decennium prorogata. Post hæc observata intelligimus, quare Tridentinum Concilium in sess. 24. cap. 2. de reform. vers. *Nec Episcopi* declaraverit, Episcopos adstringi non posse, ut quotannis ad Sedem Metropolitanam accedant, quod intellige extra causam Concilii Provincialis. Neque enim Episcopi Suffraganei idem jusjurandum, quod olim præstabant, hodie amplius præstant Metropolitanis suis, utpote a quibus amplius non consecrantur.

Denique ea potestas in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reformat. reservata fuit Metropolitanis, ut, si Suffraganeus velit abesse a Diœcesi, causas illi discutiant, & in scriptis probent; quamquam, ubi recepta est constitutio Urbani VIII. anni 1634. die 7. Decembris, earum causarum discussio, ac probatio hodie Pontifici Maximo reservetur.

CAPUT III.

De potestate Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum in Ecclesias, & Subditos Suffraganeorum.

Huc referendus est iterum titulus 10. libr. 1., & titulus 23. libr. 2.

QUod Archiepiscopi, iisque superiores Prælati suppleant defectus, corrigantve excessus suorum Suffraganeorum, colligere facile possumus, valere ipsos, & utilitati Ecclesiarum Cathedralium in sua Provincia existentium certis in casibus jus dicendo prospicere, & privatorum in eadem Provincia consistentium commodis, ubi opus videatur, consulere, can. 1. dist. 21., can. 2. caus. 9. quæst. 3.. Non tamen id Prælatis eisdem, quandocumque eis libuerit, est concedendum, ne alias suffraganeorum potestas turbetur. Quod primum attinet ad Ecclesias Cathedrales suffraganeas, deputabunt quidem Archiepiscopi Œconomos, Sede suffraganea vacante, si Capitulum Sedis suffraganeæ id facere negligat, Concil. Trident. sess. 24. de ref. cap. 16., juncto can. 48. caus. 12. quæst. 2., & cap. ult. de suppl. neglig. Prælat. in 6., vacantia beneficia a negligentibus Ordinariis non collata ipsi conferrent, cap. 3. & 5. de suppl. neglig. Prælat., & alia his similia, in quibus, uti in capite præcedente dictum est, jus devolutionis explicatur; sed ubi nullus sit cohibendus Prælatorum inferiorum excessus, aut nullus supplendus defectus, certis limitibus Archiepiscoporum jurisdictio coercetur, quos minime transgrediantur. En paucis descriptam, & ad quatuor summa capita redactam in hac parte metropoliticam jurisdictionem; nimirum primum est respectu honoris, quem Ecclesiæ inferiores debent Ecclesiæ Metropolitanæ: alterum est respectu conformitatis in tota Provincia in omnibus Ecclesiis, duce Metropolitano, observandæ: tertium est respectu illorum locorum, quæ licet in Provincia Suffraganei sita sint, abs jurisdictione tamen ejus proponuntur exempta: quartum denique in visitatione consistit. Singula breviter percurramus.

Igitur in primis poterit Archiepiscopus quædam curare in Ecclesiis Suffraganeorum, quibus certus honor a Suffraganeis Ecclesiis erga Metropolitanam deferatur: atque huc refertur facultas mittendi Quæstores in totam Provinciam causa erigendæ, vel reparandæ Ecclesiæ Metropolitanæ, non quidem jubendo, ut eleemosynæ a Provincialibus tribuantur, sed rogando, monendo, cap. 1. de pœnitent. & remission. in 6.. Neque enim Episcopi suffraganei eos impedire possunt, quamquam facultatem habeant investigandi, nunc revera ii fuerint ab Archiepiscopo missi. Neque in contrarium dicas, in Concilio Tridentino abolita fuisse Quæstorum officia, sess. 5. cap. 2. in fine, & sess. 21. cap. 9. de reform., id enim tantummodo pertinet ad pravos illos Quæstores, qui eo tempore falsas indulgentias venditabant, quorum abusus jampridem damnaverat in Lateranensi Concilio Innocentius III. in cap. 14. de pœnit. & remission., Clemens IV. in cap. 11. vers. *Compescendi* de hæreticis in 6., & Clemens V. in Clementina 2. de pœnit. & remiss..

Secundo poterit Metropolitanus ea in tota Provincia statuere, ex quibus unitas disciplinæ in eadem emergat. Quamquam enim verissimum sit, unitatem Ecclesiæ in fide consistere potissimum, nec repugnare unitati varietatem disciplinæ, immo & hanc plurimum conferre ad elegans quoddam Ecclesiæ ejusdem decus, & ornamentum; quia tamen ideo varietas disciplinarum ex eo est opportuna, quod quæ uni Regioni conveniunt, non satis apta esse alteri possunt, facile sequitur, maxime enitendum esse, ut in una Provincia una, eademque disciplina servetur; quum inverosimile non sit, populum in una Provincia consistentem facile eisdem moribus regi, & uno veluti agendi principio commoveri. Hæc ratio est, quare Toletani Patres in can. 13. dist. 12. constituerint, ut omnes Provinciales unum, eumdemque in psallendo tenerent modum; quem in Metropolitana Sede novissent institutum, nec aliqua diversitate cujuscumque ordinis, vel officii a Metropolitana se paterentur Sede disjungi. Hæc ratio est, quare in can. 31. de cons. dist. 1. cautum legamus, ad celebranda divina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, comprovinciales observare debere, quemadmodum etiam legitur in can. 31. de consecr. dist. 2.. Hæc ratio est, quare Innocentius III. nonnullas exhibens Cantauriensi Episcopo regulas ad simoniacos coercendos in cap. 30. de simonia, cum monuit in fine, ut Episcopis suis injungeret, ut eam formam per suas diœceses observare studerent. Quæ tamen ita intelligenda sunt, ut nihil detrahatur illis, quæ aut probabili consuetudine, aut singulari privilegio in aliqua diœcesi recepta deprehendantur; quum evenire quandoque possit, ut uni diœcesi conveniant, quæ in aliis forte diœcesibus minus opportuna, aut congrua forent. Hinc fluit, ut ad jurisdictionem Archiepiscopi pertineat, pravos in Provincia subortos mores damnare, damnandosve Suffraganeis Episcopis præscribere, cap. 3. de institution., cap. 11. & 18. de filiis presbyter., etiam publicato in singulis totius Provinciæ Ecclesiis edicto, argumento cap. 1. de suppl. negligent. Prælat. in 6.. Hinc etiam fluit, ut Archiepiscopi certis personis interdicere possint, ne in aliqua diœcesi Provinciæ prædicationem evangelicam obeant, quando nimirum prævident, ex aliquorum dolo vel mores, vel disciplinam posse corrumpi, cap. 11. de privilegiis. His proximum est, quod statutum fuit in Tridentino Concilio sess. 23. de ref. cap. 18. in fine, nimirum ut quando in Provincia aliquot sunt diœceses adeo inopes, ut in iis ex Ecclesiarum redditibus clericorum Seminarium erigi commode nequat, Archiepiscopus cum duobus Suffraganeis Episcopis Cathedralem seligat, in qua Seminarium ipse erigat, atque instituat ad clericalem totius Provinciæ utilitatem.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Tertio etiam enitere potest Metropolitanorum jurisdictio in locis exemptis, quæ sita sunt in Provincia: quo pertinent duo Concilii Tridentini decreta. Primum extat in sess. 5. cap. 2. de reform., ubi Metropolitanis conceditur, ut ipsi tanquam Sedis Apostolicæ delegati compellant Abbates, & regulares Prælatos, qui præsunt monasteriis in nullius diœcesi existentibus, & quibus unitæ sunt Parochiales Ecclesiæ, ut divini verbi prædicatio fiat, & populus sacris in mysteriis erudiatur. Alterum extat in sess. 25. de regularibus cap. 8., ubi conceditur facultas Metropolitanis, ut ipsi tanquam Sedis Apostolicæ delegati convocare possint Monachos existentes in monasteriis, qui nec Episcopis subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, ut se in Congregationes erigant, vel erectis Congregationibus aggregentur, ita ut, si Monachi, Metropolitano instante, id exequi minime curent, monasteria illorum subdantur Episcopis, in quorum diœcesibus sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis.

Postremo, & maxime quidem præ cæteris, enitet potestas Archiepiscopi in Ecclesias Suffraganeorum in eo, quod istæ Archiepiscopi visitationi non semel tantum, sed iterum, iterumque subjaceant, ita ut dum Archiepiscopus eas visitat, possit ea, quæ reformatione, correctioneve indigent, reformare, aut corrigere, confessiones illorum, qui subditi Suffraganeis sunt, audire, pœnitentes absolvere, pœnitentias injungere salutares, ad emendationem cleri, & populi salubribus monitis intendere, si quos delinquentes invenerit, mandando Suffraganeis, ut juxta disciplinam canonum puniantur, nisi de reis, quorum notoria crimina sunt, agatur; hos enim Archiepiscopus ipse punire poterit, quasi respectu eorumdem de negligentia Suffraganeus redarguatur; item ut possit Archiepiscopus visitans procurationem accipere, & ab iis Ecclesiis, locis, vel personis, a quibus acciperet occasione visitationis Ordinarius, & juxta modum a sacris canonibus præstitutum, cap. 16. de præscription., cap. 6. 14. 22. de censibus, cap. 1. & ult. cod. tit. in 6., juncto capite 3. Tridentinæ sessionis 24., de reform.. Quod de visitandi facultate dicimus, extenditur etiam ad monasteria Suffraganeorum potestati subjecta, sive virorum sint, sive feminarum, item ad pia sive opera, sive loca, quæ ipsorum Suffraganeorum visitationi subjiciuntur, dicto cap. 1. de censibus in 6., quod verum est, etiam si Suffraganei negligentes minime fuerint, etiam si Metropolitani non fuerint a Suffraganeis requisiti, dicto cap. ult. de censibus in 6.. Quando vero visitatio illa Ecclesiarum, quam Sancti Patres veluti maxime opportunam perpetuo crediderunt, ut fidelium utilitatibus consuleretur, non solum ubi de Episcopali, sed etiam ubi Archiepiscopali officio ageretur, aliquando tamen visa potius fuit perniciosa, propterea quod aliqui identidem prodierint Metropolitani visitationem potius in sui, quam in provinciæ utilitatem peragere moliti, unde quandoque visæ sunt ex his visitationibus & Suffraganeorum jura, & res Ecclesiarum suffraganearum bene pacatæ turbari; non quidem visitationes easdem aboleri decuit, sed potius visitationibus illis certum modum imponi. Primo igitur cautum est, ne Metropolitani bis in anno suffraganeas Ecclesias visitent, argumento canonis 11. caus. 10. quæst. 1, cap. 6. de offic. Archidiac., cap. 16. de offic. Jud. ordinar.. Secundo statutum, ut procurationes, quæ olim præter victualia ante Tridentium Concilium præstabantur, tum demum deberentur, quando Archiepiscopi in propria persona visitarent, non per substitutos, seu delegatos, cap. 23. de censibus. Tertio vetitum fuit Metropolitanis, ne Provincias visitarent, antequam primum diœcesim suam universam visitavissent, dicto cap. 1., princ. de censib. in 6., ne majorem sollicitudinem habere viderentur de Suffraganeorum Ecclesiis, quibus

cæteroqui præsumitur suos Pastores prospicere, quam de propriis. Quarto decretum, ut cum Archiepiscopus aliquam de diœcesibus suffraganeis visitare cœpit, numquam deinceps, sive totam, sive partem ejus visitaverit, possit causa visitationis reverti ad illam, nisi iterum suam diœcesim visitaverit, & jam visitationem aliarum suffraganearum diœceseon absolverit, nisi eadem diœcesis nova visitatione gravi emergente de causa indiguerit, tum vero vel visitationem Suffraganeus requisiverit, vel major pars Suffraganeorum probaverit, vel Romanus Pontifex, causa cognita, permiserit, dicto cap. 1. vers. *Ex quo.* Denique Concilium Tridentinum, cujus disciplina hodie servanda est, decrevit in cap. 3. sess. 24. de ref., ut a Metropolitanis etiam post plene visitatam propriam diœcesim non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque diœceses Suffraganeorum, nisi causa cognita, & probata in Concilio Provinciali. Ex quo nemo non videt causam, quare hodie minus frequentes sint Metropolitanorum in provinciis visitationes, quia nimirum perraro admodum Provincialia Concilia celebrentur.

Spectant hæc omnia ad curam, quam exhibent in Suffraganeorum Ecclesias Archiepiscopi, eisve majores Prælati. Quod si sermo sit de jurisdictione exercenda in subditos Suffraganeorum, duo distinguenda sunt tempora: illud primum, quo Archiepiscopi, eisve majores Prælati suffraganeas Ecclesias visitant; alterum deinde, quo non actu visitationem peragunt. Quando Prælati illi majores actu suffraganeas Ecclesias visitant, illa omnia libere peragere possunt in subditos Suffraganeorum, quæ visitandi juri, & offic. cohærent.; quo pertinent in primis, quod dictum est, Archiepiscopos visitantes posse pœnitentes absolvere, pœnitentiis exspiare, aut recreare indulgentiis, cap. 15. de pœn. & rem., cap. 1. eod. tit. in 6., cap. ult. de cens. in 6., eademque ratione dispensare ab iis juris impedimentis in foro interno, a quibus in eodem foro dispensare cuique Episcopo licet; item divinum Evangelium prædicare, reformare mores; quasi in his leniora quædam, & fere paterna officia contineantur, ei non deneganda, qui ex benevolentia in fidelem populum, providentiaque vere Episcopali ad visitandum accedit. Ab iis vero, quæ vel ordinariam exhibent fori externi disciplinam, vel publicam Ecclesiæ politiam constituunt, quæ uno verbo visitandi officio minime cohærent, Metropolitani non consentientibus Suffraganeis abstinebunt, nisi ubi aut supplendus defectus Saffraganeorum sit, aut cohibendus excessus; unde non alios reos, quam notorios, ipsi punire poterunt, cæteros corrigendos Episcopo Suffraganeo mandare, cap. ult. de censib. in 6.. Hinc si quæretur, an regulariter Archiepiscopus visitans possit adese celebrationi conjugiorum, tanquam Parochi, vel Episcopi vices supplens juxta formam præstitutam in Tridentino Concilio sess. 24 cap. 1. de ref. matr., an possit Sacramentum Ordinis, Confirmationisve conferre, beneficia, vel Ecclesias erigere, unire, dividere, & his similia, negative respondebimus; quod hæc, & similia inter visitationis causas, & adjuncta minime recenseantur, alias autem verum est, hujusmodi facultates in jure concessas Archiepiscopis nullibi deprehendi.

Quando vero non in actu visitationis Archiepiscopi sunt, regula generalis est, nullam illos jurisdictionem, aut potestatem posse in Suffraganeorum subditos exercere, can. 7. 8. caus 9. quæst. 3. cap. 59. de appellation., cap. 8. de excess. Prælat., quod adeo verum est, ut si ad Archiepiscopum fuerit causa a Suffraganeo post appellationem interpositam devoluta; & velit Archiepiscopus Suffraganei sui subditum ad eam dirimendam delegare, subditus idem delegatus parere mandato delegati Archiepiscopi non teneatur, cap. 11. de offic. judic. ordinar.. Hæc tamen generalis regula

plures habet in jure probatas exceptiones. Nonnulli scripserunt, posse Archiepiscopum etiam extra visitationis actum indulgentias in tota Provincia concedere, ex eo quod in cap. 15. de pœnitent., & remiss. rescriptum fuit, Archiepiscopum *libere* per totam Provinciam ea facultate uti posse. Ego tantum vereor, ne id ad tempus visitationis contrahi debeat: neque enim illa particula *libere* supervacua dici posset, quando ad illud tempus ea potestas coerceatur; siquidem qui Honorium III. in proposito consulebat (quis fuerit, minime constat), dubitare adhuc poterat, an præsente, & non negligente Suffraganeo, ea facultas Archiepiscopo visitanti competeret, præsertim quod Honorius III. admodum sollicitus fuerit, ne Archiepiscopi, & Episcopi liberius, ampliusve jurisdictionem suam extenderent, uti liquet in conspectu capituli 26. de privilegiis: neque novum est in jure Pontificio, particulam *libere* referri ad Archiepiscopum visitantem, & certam explicantem facultatem, etiam si nihil sit Ordinariorum negligentiæ imputandum, cap. ult. de censibus in 6.. Juri magis consonat illa regulæ generalis exceptio, qua traditur, Metropolitanos tum in subditos Suffraganeorum posse exercere jurisdictionem, cum eam consuetudine adquisiverint, cap. 13. de foro competente, cap. 1. vers. *Nec etiam* eod. tit. in 6., cap. 1. de pœnis in 6.. Egregium consuetudinis exemplar indicatur apud Orientales, non Metropolitas, sed Patriarchas; vetus enim illis mos fuit, non schismatica usurpatione invectus, sed rite, & sine ulla contradictione probatus, ut, cum Monachorum cœnobia in diœcesibus sui Patriarchatus erigerentur, eadem eximerent abs jurisdictione Ordinariorum, suæque jurisdictioni immediate subjicerent, quod jus *Stauropegii* appellant, de quo videsis Thomassinum de vetere, & nova disciplina, tom. 1. libr. 1. cap. 9. & Christianum Lupum in scholiis, & notis ad Canones Conciliorum tomo 3. editionis Bruxellensis pag. 953.. Adde huic consuetudinem aliquot majorum Episcoporum, qui poterant ex diœcesi Suffraganeorum quosdam clericos seligere, quos ipsi, inconsultis etiam Suffraganeis, ordinarent. Hujusmodi fuit Episcopus Carthaginensis respectu Ecclesiarum Africæ, uti constat ex Concilio Carthaginensi III. cap. 45.. Hujusmodi fuit Constantinopolitanus Patriarcha in Ecclesiis Orientalibus, uti colligitur ex Novella 3. Justiniani cap. 1.. Altera juri conformis exceptio est, si agatur de Vicario generali Suffraganei in suo Vicariatus officio delinquente; eodem enim modo in his causis in Vicarium jurisdictionem exercet Archiepiscopus, quo in delinquentem Episcopum exerceret, cap. 1. de offic. vicar. in 6.. Præterea ex cap. 13. vers. *Cæterum* de offic. judic. ordinar. intelligimus, si Canonici sine causa cessaverint a divinis, proposita contra eos ab Episcopo apud Metropolitanum querela, posse Metropolitanum in eosdem animadvertere. Non est tamen, meo judicio, singularis hæc causa; neque enim puto, si de aliis improbis Canonicorum factis, aut si de aliarum personarum criminibus ageretur, in quibus mallet Ordinarius rem totam in arbitrium Metropolitani conferre, ullam proponi posse adversus Archiepiscopum exceptionem, argumento cap. 1. de foro compet. in 6. in illis verbis: *absque diœcesanorum suorum voluntate*. Latissime autem patet exceptio regulæ, quæ postulat, ut in causis appellationum maxima sit in subditos Suffraganeorum Archiepiscopi jurisdictio. Quamquam enim olim appellationes ad Provinciale Concilium deducerentur, can. 2. 4. 5. caus. 11. quæst. 3., deinde tamen obtinuit, præsertim quum infrequens esse cœpit earumdem Synodorum usus, ut Metropolitanus judicio suo aut justas confirmaret, aut iniquas emendaret Suffraganeorum sententias, cap. 11. & 13. de offic. jud. ordinar., cap. 1. eod. tit. in 6., cap. 1. de foro compet. in 6., cap. 3. de appellation. in 6., cap. 7. de

sentent. excomm. in 6.. Id & in civilibus, & in criminalibus causis admissum est: sed in criminalibus major in Tridentino Concilio visa fuit Archiepiscopalis potestatis ratio; quamquam enim civiles causæ ex Concilii disciplina, ubi appellatione proposita ad Sedem Apostolicam deductæ fuerint, minoribus dignitatibus delegari valeant, seu judicibus Synodalibus, quemadmodum superius suo loco observandum fuit; criminales tamen causæ non aliis delegari debent, quam Metropolitanis, vel Metropolitanorum Vicariis Generalibus, vel uni ex vicinioribus Episcopis, eorumve Vicariis, quoties aut Metropolitanus, ejusve Vicarius suspectus fuerit, aut ab iis jam fuerit appellatum, aut distent ultra duas legales dietas, sess. 13. de reform. cap. 2..

Frequens hodie est in foro appellationum ab Episcopis ad Archiepiscopos inducendarum disciplina, in qua ea fere omnia admittuntur, quæ in eadem apellationum materia Romanum jus definiverat. Quædam tantum generalia, & quidem paucis in præsentia attingam, quæ Pontificio jure aut probata fuerunt specialiter, aut adjecta, aut in aliam judicii figuram, quod tamen perraro contigit, immutata. Ista omnia vel ad formam appellandi pertinent, vel ad judicis personam, ad quem fit appellatio, vel ad causam appellationis, vel denique ad ejusdem appellationis effectus.

Quod spectat appellandi formam, debet in primis appellatio fieri intra decem dies a prolata, agnitaque sententia, can. 28. caus. 2. quæst. 6., cap. 32. in fine de electione, cap. 15. de sentent. & re judic., cap. 8. de appellat. in 6., & quidem in scriptis, cap. 1. eod. tit. in 6., quamquam opus non sit, ut appellationis libellus coram eo, a quo appellatur, recitetur, cap. 9. eod. tit. in 6., immo neque ut in curia Ordinarii libellus exaretur, quoties justus metus gravatum appellantem deterreat, cap. ult. de appellation.. Item in eo libello generaliter saltem exprimendæ sunt causæ, quare interponatur appellatio, ut facile Metropolitano constet, an ea excipienda sit, an rejicienda, argumento capituli 38. eod. tit.. Exarato libello apostoli, sive literæ dimissoriæ, petendi sunt intra triginta dies, quos Ordinarius concedere intra idem tempus tenetur, ita ut iis instanter peritis, nec concessis, valeat Metropolitanus nihilominus appellationem admittere, cap. 1. & 6. eod. tit. in 6., Clement. 2. eod.. Distinguunt Pragmatici varias Apostolorum species, alios enim dicunt *conventionales*, quoties collitigantes communi consensione appellationem instituunt; alios *testimoniales*, quorum nomine venit scriptura, ex qua probatur, appellationis interpositæ certos esse testes sive publicos, sive privatos, honestos, & quibus nonnisi temere fides denegaretur; alios *dimissorios*, ita nimirum compositos, ut inde liqueat, Ordinarium litigantes æquo animo a se, id est, a foro suo, dimisisse, & appellationi adhæsisse; alios *refutatorios*, ita compositos, ut inde liqueat, Ordinarium nihil deferre appellationi; alios denique *reverentiales*, ex quibus constat, Suffraganeum non alias, quam ob reverentiam erga Metropolitanum, appellantes ad Metropolitanum dimittere, propterea que appellationi vix consentire, propterea quod ex intima animi sententia putet, appellationi locum minime existere. Parum autem interest, cujus generis apostoli sint, ut rite appellatio introducatur. Tantum in eo discrimen est, quod, si Ordinarius apostolos concedat, quibus liqueat, eum appellationem, & causas appellandi probasse, & non ægre litigantes ad Metropolitanum dimisisse, tunc ad Metropolitanum totius dirimendæ causæ potestas devolvatur usque ad sententiam definitivam, etiam si tantum ab interlocutoria appellatio interposita fuisset; at vero, si tales apostoli sint, quos Ordinarius ægre concedere, se fateatur, appellationi repugnando, ex. gr. profitendo, se illos concedere ob unam reverentiam, qua suum Archiepiscopum

colit, tunc suscepta appellatione apud Metropolitanum ab interlocutoria, ea reformata, aut confirmata, litigantes ad Ordinarium remittantur, ut causam ipse persequatur, & absolvat, cap. 5. de appellation. in 6. quasi post refutatorios, vel reverentiales apostolos non omnino abdicavisse jurisdictionem suam Ordinarius videatur, in cæteris autem apostolorum generibus causam universam in fidem, & prudentiam Archiepiscopi retulisse. Obtentis apostolis, tempus, quo introducenda est appellatio, in jure Pontificio non est definitum, quod propterea definire pro arbitrio, & prudentia sua poterit Ordinarius, a quo fuerit appellatum, cap. 4. de appellation.; quamquam verum sit, ad totam dirimendam causam præstitutum fuisse appellanti regulariter annum, &, si causa quædam evidens, & necessaria prorogandi sit, biennium, cap. 12. de rescriptis, cap. 5. de appellation., Clement. 3. eod. tit., nisi appellans coram Judice, ad quem appellatum est, gravissimas alleget causas, ex quibus adhuc prorogandum sit tempus per restitutionem in integrum, cap. 8. eod. tit.. Appellanti quoque imminet obligatio, acta in priore judicio propriis impendiis apud Archiepiscopum exhibendi, etiam si contra ipsum appellantem gesta sint, Concilio Tridentino sess. 24. de reform. cap. 20., sine ullo discrimine, an qui appellat, actor in primo judicio fuerit, an reus, propterea quod appellans, etiam si reus in primo judicio fuerit, atque conventus, semper tamen in judicio appellationis actoris personam sustinet. Quæ omnia si non impleantur intra legitimum tempus, tanquam deserta appellatio habebitur, poteritque Ordinarius vel ad ulteriora in causa procedere, si ab interlocutoria, vel sententiam executioni mandare, si a definitiva sententia fuerit appellatum.

Persona illius, ad quem appellatio est faciendæ, proximus superior est, ex. gr. Archiepiscopus, si Episcopus, Primas, si Archiepiscopus sententiam dixerit: quod verum est, nisi Ordinarius, tanquam Delegatus Apostolicus sententiam pronuntiaverit; tunc enim erit ad delegantem Pontificem Maximum appellandum. Quid vero, si Episcopus utraque polleat potestate & ordinaria, & delegata? Id evenit hodie in nonnullis causis, in quibus in Concilio Tridentino cautum est, ut Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati procedant. Summi iidem Pontifices in hac jurisdictione Ordinariis adjicienda non eo fuisse videntur animo, ut ordinariæ judiciorum formæ detraherent, sed potius ut major quidam honos a subditis Ordinario, ejusque sententiæ deferretur, nisi dicere malis, clausulas illas cumulatæ potestatis ad cautelam adjectas fuisse, cum ageretur de quibusdam causis, de quibus non satis aperte constaret, an reservatæ essent, necne, Pontifici Maximo. Quamobrem concludemus, fere in illis rite adhuc Metropolitanum appellari, cap. 12. de offic. judic. ordin.. Dixi *fere*, ut exciperent quosdam casus, a quibus hoc in loco recensendis abstineo; propterea quod non absimilis disputatio erit inferius instituenda, cum agetur de jurisdictione Capituli Cathedralis Ecclesiæ, Sede Cathedrali vacante. Nimirum in hac quæri solet, num jurisdictio Episcopo competens in vim Pontificiarum delegationum transeat, Sede vacante, in Capitulum, eodem modo, quo transit jurisdictio ordinaria. Profecto utraque disputatio ex eisdem principiis pendet; quamobrem in præsentia dicere sufficiat, iis omnibus in casibus posse a sententia Episcopi appellari ad Metropolitanum, in quibus, si Sedes Episcopalis vacaret, Capitulum jurisdictionem Episcopalem exerceret; e contrario non posse ad Metropolitanum appellari, quibus in causis nulla esset penes Capitulum, vacante Sede, jurisdictio. Potest autem Archiepiscopus vel per se in causa appellationis procedere, vel alteri causam dirimendam mandare, etiam

subdito sui Suffraganei, cap. 11. de offic. jud. ordin., cap. 1. eod. tit. in 6., quod verum est, quoties jam causa ad ipsum fuerit introducta, appellatione devoluta. Cæterum regulariter nequit, nisi aliud postulet consuetudo, vel certa singularis ratio provinciæ, Vicarium constituere in diœcesi Suffraganei instructum generali mandato, ut, quo iescumque sese offerat occasio, causa appellationum excipiat; immo ubi singularis hæc viget consuetudo, vel urget ratio, non poterit Vicarius ita constitutus ad inhibitiones progredi adversus Ordinarium, nisi ad Metropolitanum appellationis interpositæ causa pervenerit, dicto cap. 1. de offic. ordin. in 6.. Opportunum quoque fuit definire, ne Archiepiscopi causas ad se per appellationem devolutas alibi dirimant, quam in civitate, aut diœcesi sua, aut in diœcesi illa, in qua appellatum extiterit, vel causæ ipsæ consistere dignoscuntur, cap. 5. de offic. ordin. in 6..

Omnis appellandi causa est vel defectus, vel excessus Ordinarii: defectus, si nolit de causa cognoscere, vel in ea procedere, quod vulgo appellant denegationem justitiæ, argumento capituli 1. de suppl. neglig. Prælat., excessus, si sententiam iniquam proferat. Quamquam enim in judicio appellationis litigantes inter se controversiam movere videantur; tota tamen quæstio versatur contra judicem, a quo appellatum fuit, ejusdem sententiam, aut factum. Multum autem refert, an definitiva, an interlocutoria sententia sit; siquidem a definitiva semper appellatio conceditur, sive de gravi, sive de minima re lata fuerit, cap. 11. de appellation., quidquid olim ex singularibus causis sanciendum voluerit Justinianus in civilibus rebus ad subditos late patentis Imperii pertinentibus, can. 28. prope medium caus. 2. quæst. 6., seu Novella 23., ubi vetuit, ne ex remotissimis provinciis minimarum rerum quæstiones ad Imperialem urbem referentur, data certis Magistratibus Provincialibus auctoritate, ut eas supremo judicio in provincia definirent; quæ sane supremi judicii auctoritas nullibi in jure Episcopis concessa videtur, ut propterea ab eorumdem judicio appellari semper possit. Ab interlocutoria vero sententia tum demum conceditur appellatio, quando vel definitivæ vim habet, vel litiganti detrimentum infert irreparabile, cap. 1. de appellation., cap. 1. eod. tit. in 6., Concilio Tridentino sess. 24. de reform. cap. 20.. A futuro gravamine, quod nondum gravamen dici potest, sed potius gravaminis metus, appellatio non conceditur; quamobrem ex sola allegatione suspicionis adversus judicem non appellatur, nisi primum coram eodem judice suspicionis causæ probentur, & nihilominus judex iis insuper habitis causam persequatur, cap. 43., & 61. de appellation.. Neque his contrarium est, quod vulgo dici solet, juxta sacros canones quandocumque posse appellari, sive ante litis contestationem, sive post litem contestatam, sive in prolatione sententiæ, sive post sententiam pronuntiatam, juxta capitulum 12. de appellation.. Etenim quod in eo capite traditur, pertinet ad eum, qui suspectum delegatum judicem dicit, cui propterea etiam ante litem contestatam appellandi facultas conceditur, quoties idem delegatus nihilominus velit in causa procedere; quia in primis vel iste processus in causa certum gravamen infert; deinde singulare est in judicibus delegatis, non apud ipsos suspicionis causas esse probandas, uti superius dictum est, cap. 41. & 61. de appellation., cap. 27. vers. *Cum vero* de offic. jud. deleg. cap. 4. eod. tit. in 6.. Addere etiam possum, forte singulare quidpiam recipiendum esse adversus delegatos, qui ab uno dumtaxat ex collitigantibus peti solent, altero ignorante, aut invito, contra quos propterea facilius recusatio admittebatur, præsertim temporibus Alexandri III., quibus certus non erat speciali lege præstitutus ha-

bendus delegandorum judicum delectus, qualem deinde habendum esse voluit Bonifacius VIII. in cap. 11. de rescriptis in 6., & pressius definivit Concilium Tridentinum in sess. 25. de ref. cap. 10., immo & olim hujusmodi appellationes quandocumque faciendæ non proprie appellationes dicebantur, sed singulari nomine *provocationes ad causam*, cap. 5. de appellat.. Præterea ut æqua dicatur appellandi causa, duo concurrere necesse est; primum, ut Ordinarius ita inique judicaverit, ut judicium suum retractare nolit, aut nequeat. Hinc si per interlocutoriam damnum ingerat uni ex collitigantibus, cui alias appellatio concederetur, appellatio denegatur, immo & interposita, nondum tamen ad superiorem introducta, cessat, quoties Ordinarius damnum reparet, & nulla possit adversus Ordinarium obesse suspicio fraudis, cap. 60. de appellat.. Alterum est, ut nec dolus, nec culpa appellanti imputetur. Sane imputaretur culpa, quoties legitimum tempus præterlabi sineret; dolus, si confessus, aut in flagranti deprehensus in causa criminali, aut in causa civili evidentibus, seu notoriis probationibus damnatus appellaret, cap. 13. 14. 61. §. *Porro* de appellat., cap. 3. vers. *Si autem* eod. tit. in 6., nisi tamen in istis adhuc certa nec improbabilis ratio admittendam esse appellationem suaderet, puta, quia confessus allegaret confessionem suam metu extortam fuisse, vel judicem modum legitimum in pœna inferenda excessisse, vel similia.

Interpositæ, & legitimo tempore introductæ appellationis effectus is est, ut, quemadmodum Ordinarius, a quo fuit appellatum, aut supersedere ab ulteriore processu, si inter locutoriam, aut executione sententiæ; si difinitivam sententiam protulerit, abstinere debet, adeo ut ipsi inhiberi possit a Metropolitano, ne quidquam interea gerat sub gravibus pœnis, quales designantur in Concilio Tridentino sess. 25. de ref. cap. 3., ita tota causæ discussio ad superiorem, ad quem appellatum est, devolvatur. Et quidem superioris officium in eo versabitur, non solum ut de causa judicet, qualis in primo judicio erat adstructa, sed etiam de iis, quæ causam ipsam sequuntur, seu veluti adnexa causæ cohærent, utut in priore judicio omissa. Hinc si tertius quidam aut accedere velit, aut vocandus sit ad causam; & accedere, & vocari poterit coram Metropolitano. Quid vero, si desertam fuisse appellationem conventus proponat, proindeque nullam amplius esse posse Metropolitani jurisdictionem, & is, qui appellaverit, inficietur? Hoc judicium pendebit a Metropolitano, quoties jam coram illo introducta appellatio fuerit, & ipse inhibuerit Suffraganeo, ne quidquam amplius de controversia attingat. At si interposita appellatio necdum introducta fuisset, aut introducta quidem, sed sine inhibitione a Metropolitano recepta, arbitror, seu Suffraganeum, seu Metropolitanum posse de ea litis parte cognoscere, & fieri præventioni locum, sunt tamen causæ quædam, in quibus, appellatione ne obstante, sententia Ordinarii suam habet executionem, & appellatio illum tantum effectum nanciscitur, ut Metropolitanus in causa cognoscat, &, si iniquam judicaverit sententiam ab Ordinario prolatam, illam revocet, omniaque in integrum restituendo gesta rescindat. Unde vulgo traditur, in hoc causarum genere appellationem devolutivum tantum, non suspensivum effectum habere. Hujusmodi causæ ad tria summa capita reducuntur. Primum est, quando sententia ipsa nullam ulteriorem executionem exspectat, sed secum repente trahit, uti contingit in sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, cap. 27. 53. vers. *verum* de appellation., cap. 40. de sentent. excomm., & cap. 20. eod. tit. in 6., sunt enim causæ istæ ejus generis, ut sola sententia omnia proficiantur, quin ulterior sententiæ executio post factam pro-

nuntiationem exspectanda sit; quamobrem nec repugnet, censuris notatos appellantes interpositis cautionibus absolvi, cap. 25. de appellation., quæ sane absolutio inutilis omnino esset, si censura ipsa abs judice in primo judicio illata in suspenso maneret. Alterum est, quando utilitas Ecclesiæ gravis non patitur sententiam diu in suspenso manere, argumento legis unicæ cod. si de momentaria possessione, uti evenit in eo casu, quo Episcopus, Parocho inidoneo remoto, Vicarium causa gerendi Parochialis officii substituat, Concilio Tridentino sess. 21. de ref. cap. 6., aut quo Episcopus quemquam residentiæ legibus non parentem, & contumacem a beneficiis præsertim Parochialibus removeat, aliumque sufficiat, cap. 6. de cleric. non resid., Concilio Tridentino sess. 23. de ref. cap. 1. in fine, aut quo Episcopus occasione publicarum solemnitatum inter clericos, religiososve, definiat, quis cui præcedat, ne interea sacra turbentur, Concilio Tridentino sess. 25. de regularibus, cap. 13.. Postremum est, quando Episcopus non in figura judicii sententiam profert, sed extra ordinem ex officio corrigit notorios quosdam excessus ad publica avertenda scandala, uti contingit in specie capitis 14. sess. 25. de ref. in Concilio Tridentino, ubi eo ipso, quo mandatur Episcopis, ut procedant adversus clericos concubinarios sine strepitu, & figura judicii, mandatur etiam, ne quævis appellatio sententiæ executionem impediat, aut suspendat. Id etiam generaliter contingit, cum Episcopus visitans diœcesim cleri mores in ipso visitationis actu pastorali potius affectione, quam judiciali censura reformat, cap. 13. de offic. jud. ordinar., Concilio Tridentino sess. 24. de reform. cap. 10..

CAPUT IV.

De Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum insignibus.

Huc referendus est titulus de auctoritate & usu pallii, libr. 1. tit. 8.

SI quis a me percunctaretur, an Archiepiscoporum, cæterorumque superiorum Antistitum munus in onere potius, an in honore consistat, vererer ego cum Augustino in can. 11. caus. 8. quæst. 1., ne æque gravissimum onus, ac præclarum decus in eo officio agnoscerem. Id potissimum veluti symbolis demonstrant Archiepiscopalia insignia. Ut enim omittam insignia illa recensere singularia Patriarcharum Græcorum, qualis erat fax ante ipsos præferenda, singulari etiam privilegio concessa Archiepiscopis Bulgariæ, & Cypri, quemadmodum Balsamon in Melete testatur, duo sunt hodie communia Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis universis, pallium, & crux ante illos incedentes erigenda, quamquam aliquando ex singulari Pontificis Maximi privilegio etiam inferioribus quibusdam Episcopis, licet perraro, concessa deprehendantur, toto tit. de auctorit. & usu pallii, cap. 23. de privileg., Clement. 2. eod. tit.. Nimirum pallium Regale est insigne, in quo honor Archiepiscopalis ostenditur; Crux vero christianæ patientiæ argumentum, quo onus Archiepiscopi designatur.

Sive de cruce, sive de pallio Archiepiscopali sermo sit, hoc initio statui potest generale principium: scilicet fuisse olim utrumque insigne Pontificis Maximi, quod deinde majoribus Episcopis, qui propius ad Pontificem eumdem ac-

cederent, & in Episcopos saltem nonnullos jurisdictionem exercerent, ex speciali liberalitate concessum est. Multa sane inde derivant consectaria. Primum est, jus & pallii, & crucis privilegiarium esse, eamdemque de eo capi semper interpretationem debere, quæ capitur in juribus privilegiariis universis, cap. 23. de privilegiis, Clement. 3. eod. tit.. Secundum est, concedi solere Legatis Apostolicis insigni quadam legatione una cum maxima jurisdictione fungentibus. Tertium est, concedi solere Vicariis Apostolicæ Sedis, cap. 1. ut lite pendente. Quartum est, exinde intelligi commodissime, quare Archiepiscopis universis concedatur; quia nimirum in Episcopos Provinciales vices quodammodo gerunt Apostolicæ Sedis, dicta Clement. 2. de privilegiis. Quintum est, Archiepiscopos jure crucis ante se deferendæ, palliique gestandi tantum gaudere in provincia, non extra provinciam, quod tantum intra provinciam vice Sedis Apostolicæ fungantur. Sextum est, Archiepiscopos, præsente Pontifice Maximo, vel ejus Legato, nec pallio, neque elata cruce uti posse, quasi cesset Vicaria illa Archiepiscopalis persona, ubi per se, vel per Legatum suum extra ordinem missum Pontifex Maximus præsens adest. Septimum est, translato Archiepiscopo ad alium Episcopatum jus competens ex vi Archiepiscopalis depositæ dignitatis exspirare, nec propterea pallii pristino jure potiri, aut pristino jure efferendæ crucis, nisi Ecclesia, ad quam translatus fuerit, simili metropolitica dignitate polleat. Octavum, & postremum est, jus pallii, & crucis non fieri commune Coadjutori Archiepiscopi, etiam si datus fuerit cum jure futuræ successionis, ita postulante privilegii natura, quæ non patitur, jura singularia de persona in personam facile extendi.

Jam vero ut specialiter nunc & de cruce, & de pallio disseram, ajo in primis, delationem erectæ crucis insigne olim fuisse Pontificum Maximorum, quod primum ab ipsis concessum fuisse Legatis conspicua quadam legatione fungentibus, sine Patriarchis, ac Primatibus demonstrat Thomassinus in parte 4. disciplinæ ecclesiasticæ libr. 4. cap. 39., cap. 23. de privileg.. Visum paulatim fuit, ut simili prærogativa donarentur ii, qui vi sui Episcopatus Vicarii Apostolici dicebantur. Hinc Archiepiscopus Eboracensis in tota Anglia incedens ex singulari privilegio crucem ante se deferebat, cap. 1. ut lite pendente. Tandem id universis Archiepiscopis commune factum est, Clement. 2. de privileg., ex qua etiam constat, delationem crucis in tota provincia Archiepiscopo permitti, etiam si de locis agatur abs jurisdictione ejus exemptis; in istis enim in vestigium saltem veteris potestatis Metropolitano honor, & reverentia debetur. Illud Archiepiscopis, iisve majoribus Prælatis observandum est, ut extra suam provinciam eo jure nunquam utantur, argumento cap. 5. de auctorit., & usu pall., proindeque qui Archiepiscopi, vel Primates, vel Patriarchæ in partibus nominantur, ab eisdem insignibus abstinere debeant, quod extra provinciam constituti perpetuo sint; immo etiam si ad aliam provinciam, aut diœcesim invitentur, non poterunt facultatem a Diœcesano invitante iis insignibus utendi obtinere; siquidem usus insignium extra provinciam non tam prohibetur, ne fraus fiat jurisdictioni Diœcesanorum, quam ne privilegia singularia a Pontifice Maximo concessa latius extendantur. Præterea observandum est, ne in provincia quidem eo jure Archiepiscopos, iisve majores Prælatos uti posse, quoties, uti superius dictum est, vel adsit Pontifex Maximus, vel Legatus a Latere, vel alius Pontificius Legatus, qui tamen utatur insignibus Apostolicæ dignitatis, dicto cap. 23. de privilegiis. Denegantur item insignia deferendæ crucis coadjutoribus illorum Prælatorum, etiam si jus habeant futuræ

successionis; quod necdum ii proprie dignitatem adepti esse intelliguntur. Quod si contingat, Archiepiscopum, Primatem, vel Patriarcham juri suæ Ecclesiæ cedere, & alio transferri in Ecclesiam mere Episcopalem, licet translato nomen Archiepiscopi, Primatis, vel Patriarchæ retinere liceat, non tamen licebit crucem ante se deferri mandare, cum crucis delatio non tam dignitatis sit, quam jurisdictionis Archiepiscopalis argumentum. Paucis hæc attigisse sufficiat; jam enim sub capitis hujus initium demonstratum est, quo ex principio hæc omnia veluti consectaria pendeant; mihi autem satis est, certas præstituisse causas, quas cum prudens quisque contempletur, tum statim vim consectariorum agnoscat.

De pallio, quod hodie alterum est majorum Antistitum insigne, multa tradi a nostris solent, sed adeo involuta, ut vix patere possit, qualis fuerit illius origo, qualis forma, vel ratio. Ut plurimum enim hodiernum Episcopale pallium cum antiquo confundunt, nec in ipsis palliis veterum satis distinguunt Pontificale pallium a vulgari. Ego observo, olim quidem Christianos pallio juxta usum Philosophorum amictos incessisse, atque a Romana toga, velut a cultiore, & elegantiore habitu, humilitatis causa abstinuisse, uti tradit Quintus Septimius Florens in libro de pallio, & B. Rhenanus in librum Tertulliani de pallio. Hoc pallii genus laneum erat, ut plurimum pulli, id est, subobscuri coloris, & quadrangulare; cujus scilicet duo anguli ante pectus juncti integrum pallium a tergo pendens substinebant, uti demonstravit Joannes Lami in libello de eruditione Apostolorum cap. 4. digressione 1.. Verum hoc erat vulgare pallium, quod nihil habet commune cum eo, de quo in præsentia quærimus. Fuit aliud Regale pallium, quo primum Imperatores usi fuerunt ad certum dignitatis, ac majestatis ornamentum. Erat & istud figura vulgaribus palliis valde simile, quod scilicet a collo circumpenderet, & ad talos usque profluëret; at contextum ex bysso candente, necnon quibusdam loris, sive virgulis sub collo super humeros, & pectus pendentibus ornatum. Hoc vestimenti genus Imperatores deinde elargiti sunt etiam illis, qui in præcelsa Ecclesiæ dignitate constituti essent. Sic Hieronymus Rubeus in historia Ravennatum edidit quoddam rescriptum sub nomine Theodosii Imperatoris, (quidquid sit de hujus rescripti fide, atque auctoritate) ex quo anno 432.. Ravennatensi Episcopo plures subjiciuntur civitates, & pallii gestandi jus conceditur. Præsertim vero concessum ab Imperatoribus fuisse pallium Romanis Antistitibus, tanquam singulare supremæ in Ecclesia dignitatis ornamentum, liquet ex can. 14. dist. 96., qui licet apocryphus videatur, aliquo tamen momento in re facti valere potest, cum sit antiquus. Porro inter cætera inducitur ibidem Constantinus Imperator ita scribens gratia Romanorum Pontificum: *Contradimus palatium Imperii nostri Lateranense, deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, necnon & superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum, verum etiam & clamydem purpuream &c.* Quis non agnoscat in postremis his verbis pallium demonstratum? Clamydis enim nomine pallium intelligo, cui lorum, seu superhumerale adsutum erat; dixeris fasciam quamdam, sive lineam, quæ pallii ipsius superiorem partem collo adhærentem ornabat. Itaque interea pallium Pontificium ita elaboratum erat, ut ad talos usque demitteretur, ac flueret, quemadmodum universa veterum monumenta probant, in quibus, ubi de pallio agitur, de eo sermo fit, tanquam de vestimenti genere splendidissimo. Fuit etiam variis crucibus in tota sui latitudine depictum; at quod potissimum in pallio considerabatur, erat fascia illa superbumeralis, sive lorum, in qua situm esse quoddam

UAB Biblioteca de Ciències Socials

insigne Regium credebatur. Interea Pontifices Maximi Legatis suis concesserunt jus pallii, quoties graviorem quamdam legationem susciperent, & generaliter Archiepiscopis illis, qui Vicarii Sedis Apostolicæ certis in provinciis designabantur, ut etiam ex exterioribus ornamentis adsumptis viderentur pressius personam Pontificis Maximi sustinere: & quidem in hac pallii concessione consueverunt veniam ab Imperatore petere, ne quod sibi liberalitate Imperatoria concessum erat insigne Imperiale, ad alios liberalitate propria extenderent. Sic Vigilius Papa in Epistola 1. ad Auxanium Arelatensem non primum pallium ipsi Vicariatum Apostolicum gerenti se concessurum scripsit, quam Justiniani Imperatoris concessum postulavisset; & Gregorius magnus in Epistola ad Brunichildem 11. libr. 11. in editione Maurinorum missurus pallium ad Syagrium Augustodunensem testatur, se hanc facultatem ab Imperatore obtinuisse. Id adeo verum est, ut Episcopi pallio ornati crederent tunc se ex beneficentia potius Imperatoris illud obtinuisse; quo pertinet, quod scribit Liberatus Diaconus in cap. 21. sui Breviarii, videlicet Anthimum Constantinopolitanum Patriarcham a Sede sua dejectum *pallium, quod habuit Imperatoribus reddidisse.* Postquam Romanum Imperium a Græcis traslatum fuit ad Francos, Romanus Antistes, qui civilem etiam obtinuit in Urbe Romana Principatum, ad Vicarios suos in provinciis constitutos libere cœpit pallium mittere, tandemque cum Archiepiscopi omnes vices gerere Pontificias viderentur, eumdem pallii usum obtinuere; quo tempore duplex invaluit disciplina; primum enim pallium inter sacra, & vere ecclesiastica ornamenta haberi cœpit; deinde nova forma pallio indita fuit. Siquidem cum vetustum idem pallium constaret ex prolixa clamyde variis crucibus depicta, item ex superhumerali, sive loro, quod erat potissimum in pallio ornamentum; pallium novum in solo superhumerali, sive loro consistere cœpit, ut commodius ad Archiepiscopos variis in provinciis constitutos mitteretur a Romano Pontifice, & cruces in eodem superhumerali adsui cœperunt, quæ olim in tota clamyde pingebantur, quasi in sola fascia antiquum adhuc pallium exhibeatur, utpote quæ olim tanquam præcipua in pallio considerabatur. Quicumque hæc bene, accurateque perpendat, facile interpretabitur canonem 1. & sequentes dist. 100., multa enim ibidem sunt, quæ formam quidem recentiori disciplinæ; aut saltem occasionem dederunt; sunt tamen singula ad sua tempora redigenda, quando aut diximus, pallii jura variis vicissitudinibus fuisse constat obnoxia.

Recentioribus sæculis, nimirum ab edito Gratiani Codice, editisque Decretalibus in Gregoriano Codice insertis, plures regulæ de usu pallii, & potestate illorum, qui pallio utuntur, statutæ fuerunt, vel quæ ad pallium ipsum, ejusdemque petitionem, concessionemque referuntur, vel ad eos, qui pallium concedunt, vel ad eos, qui pallium suscipiunt, vel denique seu ad tempora, seu ad loca, in quibus pallii usus permittitur.

Quod ad ipsum pallium attinet, invaluit, ut textatur ex candida lana, ea forma, ut habeat circulum humeros constringentem, & duas lineas, sive fasciolas ab utraque parte dependentes, ut aliquot intextas habeat purpuras cruces, ut duplex a sinistris sit, simplex a dextris, ut denique in tres partes concisum tribus infictis acubus jungatur, seu consuatur. Illud, quod in Latina Ecclesia petitur a Romano Pontifice, ab eodem Pontifice benedicitur ad monumentum S. Petri, ex quo deinde adsportatur, unde illud sumi dicitur de Sancti Petri corpore, cap. 4. vers. *Cum igitur* de electione. Formula petendi pallii vehementibus precibus concipi solet, ut ex. gr. impetraturus dicat, se *instanter*, *instantius*, *instantissime* petere; quod inductum fuit ex can. 2 dist. 100., ubi

cautum adparet, pallium concedendum non esse, nisi *fortiter postulanti*; quamquam hæc verba, meo judicio, referenda potius fuissent ad adjuncta ætatis Grægorii Magni ejus canonis auctoris, quando ad impetrationem pallii intervenire solebat Imperialis consensio, & quando pallium insigne erat Imperatorium, quod propterea sine discrimine cuicumque petenti Archiepiscopo concedebatur, eove minus ulla imminebat Archiepiscopis pallii petendi obligatio. Nihil autem refert, an ab Archiepiscopo in propria persona petatur, an per procuratorem, dummodo hic mandatum habeat speciale. Illud quoque obtinuit, ut quo tempore pallium peteretur, & fieret fidei professio, & consuetum jusjurandum, quo inter cætera spondeat, qui pallium suscipit, se Pontifici Maximo & obedientiam, & reverentiam exhibiturum, cap. 4. de elect. argumento canonis 9. dist. 100.. Cum enim liqueat ex dicto can. 9., Pontificem Maximum pallium concedentem consuevisse Antistitibus nonnulla singularia privilegia, & munera elargiri, congruum profecto erat, ut iidem Antistites caverent, se rite, recteque muneribus eisdem singularibus functuros. Eam ob rem cum olim & fidei professio, & jusjurandum tempore consecrationis elicerentur, obtinuit, ut eadem tempora trium mensium, quæ conceduntur electis confirmatis, ut consecrationem petant, concedantur quoque pallium suscepturis, quæ nunquam, nisi legitima subsit causa, excedantur, can. 1. dist. 100., cujus sententia perperam tributa Pelagio Papæ tribui rectius debuisset Concilio Ravennatensi anni 877., quemadmodum observavi in meis animadversionibus in Gratianum. Hæc enim disciplina primum in laudato Ravennatensi Concilio constituta est, confirmataque a Gregorio VII. in epistola I. libr. 9. Regesti, quibus addi potest Concilium Tridentinum in sess. 7. de reform. cap. 9.. Cum vero tradi cœperit, per pallium Pontificalis officii plenitudinem Archiepiscopalis nomi-

nis appellatione conferri, cap. 3. de auctorit., & usu pallii, recepta disciplina fuit, qua Archiepiscopus utut consecratus ante receptum pallium a certis sui muneris functionibus abstineret. Jam id, fateor, a nonnullis relatum est ad tempora Pelagii Papæ, sive primus fuerit, sive secundus, ille profecto, cui tribuitur canon 1. dist. 100. sed, uti modo adnotabam, monumentum illud apocryphum est, quamquam occasionem dare potuerit novæ statuendæ disciplinæ, quæ scripta lege, confirmare cœpit in Concilio Ravennatensi anni 877., can. 1. & 2. ibi: *Quisquis Metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ab Apostolica Sede, nulla inevitabili necessitate imminente, non miserit, commissa sibi careat dignitate; ita ut tamdiu Episcopali illi Sedi cedat, omnique consecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide, & in expetendo pallio priscum morem contempserit &c.* Dixi, necdum recepto pallio a certis muneris functionibus esse abstinendum.. Qualia hæc sint, exprimuntur in cap. 28. vers. *Super eo* in fine de elect., nimirum convocare Concilium, conficere Chrisma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare. In conspectu hujus capituli ego arbitror, hæc, quæ ibidem exprimuntur, non tanquam generalis regulæ exempla proponi, sed potius tanquam certa munera, a quibus Archiepiscopi necdum pallium consecuti abstineant, integra manente in aliis minime expressis & Episcopali, & Archiepiscopali jurisdictione. Neque vero aberrare me ita sentientem sinit Alexander III. in cap. 11. eod. tit., dum rescripsit, Metropolitanum ante susceptionem pallii adhuc potuisse mandare suffraganei Episcopi consecrationem ab alio Episcopo faciendam, licet ipse consecrare suffraganeum electum minime potuisset. Quid vero est, quod subjicitur in dicto cap. 28. *Multum profecto præsumit, qui, antequam impetret pallium, clericos ordinare festinat, cum id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Ar-*

chiepiscopus facere videatur? Num forte vel a vero aberravit Innocentius III., cum facultatem clericorum ordinandorum non Episcopali, sed Archiepiscopali potestate adscripsit, quando alias vulgaris res est, unumquemque Episcopum posse clericos suæ diœcesis ordinare; vel generalem regulam statuit, nihil Archiepiscopum posse facere ante acceptum pallium, in quo non Episcopalis, sed Metropolitica jurisdictio exerceatur, quod tamen esset contra doctrinam Alexandri III. in dicto cap. 11. statuentis, Archiepiscopum ante susceptum pallium mandare posse, ut Suffraganeus consecretur, qua in re non Episcopalis, sed Metropolitica jurisdictio exercetur; vel denique sibimet contradicet idem Innocentius, quando videtur distinguere inter Episcopalem, & Archiepiscopalem jurisdictionem, & tradere, ante susceptum pallium exerceri posse Episcopalem tantum, non etiam Archiepiscopalem jurisdictionem, deinde quasi mutata sententia tradere, non licere Archiepiscopo, ante susceptum pallium conficere Chrisma, & dedicare Basilicas, in quibus officiis non Archiepiscopalis, sed Episcopalis jurisdictio explicatur? Ad diluendas, quæ super Innocentianum rescriptum offundi possent, tenebras, præstituenda erit in primis generalis regula; deinde & recta fluet ejusdem rescripti interpretatio, & utilia ad rem nostram consectaria deducentur. Regula erat moribus confirmata sive Alexandri III., sive Innocentii III. temporibus, ut ea Episcopalia officia, quæ fierent a Metropolitanis Pontificalia insignia in sua diœcesi, vel provincia gestantibus, exerceri non possent ante susceptionem pallii, quin ulla esset distinctio inter ea, quæ ab Archiepiscopo gererentur in diœcesi tanquam Episcopo, & ea, quæ gererentur ab Archiepiscopo, tanquam Archiepiscopo; etenim non duæ habebantur dignitates Episcopi, & Archiepiscopi, sed una tantum Archiepiscopalis, quæ Episcopalem sub se continebat; quo pertinent laudata illa rescripti verba, *tanquam Archiepiscopus facere videtur*, in quibus notanda est formula per verbum *videtur* expressa; quasi dixerit Innocentius, Archiepiscopum ordinantem clericos revera quidem Episcopum gerere, sed interea Archiepiscopum videri, propterea quod sacris insignibus indutus Archiepiscopus ordinationem facere debuisset, pallium autem inter sacra insignia recensetur. En causam, quare ab Archiepiscopo ante pallii susceptionem non essent clerici ordinandi ex Innocentii III. sententia; ex qua insuper intelligimus, quare Innocentius rescribendo adjecerit, Archiepiscopum non posse ante susceptum pallium Chrisma conficere, dedicare Ecclesias, consecrare Episcopos, & Synodum celebrare; in his enim omnibus Archiepiscopus, aut Archiepiscopum, non Episcopum agit; aut si Episcopum agit, ob sacra, quæ suscipit, indumenta non Episcopum, sed Archiepiscopum agere videtur. In iis vero, quæ sine usu Pontificalium geri ab Archiepiscopo possent, admittebatur Archiepiscopum etiam tanquam Archiepiscopum agere posse ante pallii susceptionem, quo spectat laudata Alexandri III. doctrina in dicto cap. 11.. Hinc ego colligo, Archiepiscopum ab Episcopo rogatum, ut in alia diœcesi non sibi suffraganea Pontificalia exerceat, aut Ordines conferat, aut Chrisma conficiat, aut Basilica dedicet, posse adhuc hæc omnia peragere, etiam si necdum pallium susceperit: quia tunc nec Archiepiscopum revera gerit, nec Archiepiscopum gerere ullo modo videtur; proinde huc pertinere non potest allata Innocentii III. ratio.

Pallium in occidentali Ecclesia sive Archiepiscopis, sive Primatibus unus concedit Romanus Antistes. Non ita receptum fuit in Ecclesia orientali; siquidem in eadem etiam Patriarchæ, qualis est Alexandrius, Antiochenus, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, unusquisque in suo Patriarchatu pallium con-

cedunt sive Archiepiscopis, sive Primatibus, can. 17. Synodi VIII., cap. 23. de privilegiis. Et quidem olim id libere a Patriarchis illis fiebat, ita ut ne ipsi quidem a Romano Pontifice pallium obtinere solerent, sed manu sua in Patriarchali Ecclesia caperent, & induerent, uti testatur Liberatus in Breviario cap. 20.. Deinde vero, ut clarius obedientia, & reverentia in Romanam Sedem exhiberetur, cautum fuit, ut non primum ad concessionem pallii iidem Patriarchæ devenirent, quam ab Apostolica Sede ipsi pallium suscepissent, dicto cap. 23..

Non unicuique petenti conceditur pallium, sed tantum illis, quos & Sedis dignitas singularis, & merita personæ commendant. Dignum Sedem habere olim is dicebatur, qui Episcopatum teneret, cui esset adnexus Vicariatus Apostolicæ Sedis, can. 10. dist. 100.. Hodie vero datur petentibus Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis universis, non minoribus Episcopis, nisi quædam sit Civitatensis Ecclesia, seu Sedes Episcopalis, quæ hoc privilegium a Sede Apostolica obtinuisse probetur, cap. 15. de præsumptionibus. Merita olim ad obtinendum pallium insignia esse debebant, can. 2. dist. 100.. Hodie autem statim ac quis dignus Archiepiscopatu deprehenditur, pallio quoque dignus esse intelligitur. Quamobrem statim ac quis est in Archiepiscopum consecratus, non debet in suspenso manere pallii concessio, ex eo forte, quod nonnulli adversus eumdem Archiepiscopum quidquam objiciant, quamquam post concessionem pallii judicium de ea re minime denegetur, extravag. un. de auctorit., & usu pallii. Nemo exinde non colligit, pallii jus partim reale, partim personale esse; reale ex dignitate Sedis, personale ex meritis personæ. Quando vero diversi sunt effectus jurium personalium ab effectibus jurium realium, definiendæ erant species, in quibus pallium modo tanquam jus personale adpareat, modo tanquam reale. Quod reale sit, receptum fuit, ut successor in dignitate pari pallii petendi jure gaudeat; item ut translatus Archiepiscopus ad aliam Metropolitanam Ecclesiam non possit priore pallio uti, sed aliud impetrare debeat, cap. 4. de postulat. Prælat. Quod personale sit, receptum fuit, ut Archiepiscopus nequeat alteri pallium suum utendum concedere, idemque vita functus cum eodem pallio sepeliatur, cap. 2. de auctorit., & usu pallii.

Si de loco quæratur, intra quem palii usus permittitur, Summus quidem Pontifex ubique illud defert; sed Metropolitani illud tantum in diœcesi sua, vel provincia deferunt, cap. 1. de auctorit., & usu pall., ex quo explicandum est capitulum 6. eod. tit.; quod enim ibidem dicitur *ubicumque* licere, intelligi oportet de universa provincia, non etiam extra eamdem, ut hæc monumenta invicem consonent. Excipe tamen casum singularis privilegii, quod quis a Romano Pontifice obtinuisse demonstret, cap. 5. eod. tit.. Id verum est, etiam si de locis exemptis agatur, dummodo intra provinciam sitis, Clem. 2. de privilegiis. Hinc colligitur, Patriarchas, Primates, & Archiepiscopos, qui dicuntur in partibus constituti, quod extra provincias sui Episcopatus degere cogantur, pallio uti non posse, uti superius jam traditum est. Adversus hæc vulgo opponi solet lex. ff. de offic. Procons., ex qua liquet, insignia a Proconsule deferri posse etiam extra provinciam sibi designatam. Vulgo etiam responderi solet, insignia Proconsularia jurisdictionem Proconsulis designare, non exercitionem jurisdictionis; e contrario insignia Metropolitanorum non tam ad jurisdictionem, quam ad ejusdem exercitionem designandam referri, unde utriusque disciplinæ discriminen eruatur. Ego vero cum intuear, totam hanc rem ab arbitrio illius pendere, qui insignia concessit, verius dixero, gratia Proconsulum aliquid amplius voluisse Romanos, quam

UAB Biblioteca de Ciències Socials

voluerint Pontifices Maximi gratia Metropolitarum. Quid enim, si Romanus Antistes etiam, non concessa jurisdictionis exercitione, in aliena provincia pallii usum alicui concesserit? Nonne is etiam extra provinciam pallio utetur? argumentum est in dicto cap. 5. de auctorit., & usu pallii.

Denique observandum est, certos sacris canonibus designatos fuisse dies, immo & certa solemnitatum adjuncta, quibus Archiepiscopus pallio uti possit, non ex. gr. extra solemnia Missarum, seu in officiis privatis, can. 6. & 8. distinct. 100., non extra Ecclesiam, sive sacras ædes, cap. 1. de auctorit. & usu pallii, non in Missis pro defunctis, cap. ult. eod. tit., non quibuscumque diebus, sed solemnioribus, cap 4. & 6. eod. tit.. Non est sane omittendum, Archiepiscopum pallio uti posse, quibus in casibus quamquam Episcopum agat, Archiepiscopum tamen agere videtur, quemadmodum liquet ex iis, quæ superius dicta sunt ad interpretationem capituli 28. de electione. Hujusmodi est ordinatio Clericorum, celebratio Concilii, consecratio Basilicarum, consecratio Episcoporum, & confectio Chrismatis. Statim ac enim cautum est, ne Archiepiscopus hæc peragat ante susceptum pallium, tacite insinuatum videtur, ut non istis officiis deceat, Archiepiscopum pallio ornatum procedere.

DISSERTATIO QUARTA

DE EPISCOPIS.

CAPUT I.

De Ordine Episcopali.

Huc referendus est titulus 15. libr. 1.

A Vetustis civilibus Romanorum officiis multa ad significandas Ecclesiasticas dignitates derivata sunt nomina. Qui pani præerant, & cæteris venalibus rebus, quæ Civitatum populis ad quotidianum victum usui erant, Episcopos nominatos fuisse testatur Charisius in leg. 18. §. 10. ff. de muner. & honor.. Eodem nomine Ecclesia appellavit Apostolorum in ordine successores, vulgato vocabulo quasi speculatores, can. 1. dist. 21., seu quasi qui in populi vitam, & mores intendant, uti interpretatur Augustinus in can. 11. caus. 8. quæst. 1., quamquam aliis nominibus sæpe donaverit, nimirum summorum Sacerdotum, can. 6. caus. 3. quæst. 1., can. 16. caus. 12. quæst. 1. cap. un. vers. *Per frontis* de sacra unctione Pontificum, can. 4. caus. 7. quæst. 1., cap. 4. de sent. excomm. in 6., Pastorum, cap. 56. de elect., Præsulum, cap. 11. de tempor. ordin., & Antistitum, ut alia omittam similia numero plurima. Porro isti sunt, quibus divino jure Ecclesiarum fuit cura commissa, quos adloquens Paulus ajebat in cap. 20. Actuum Apostolicorum: *Attendite, vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; quæ ad verba respexit Concilium Tridentinum in sess. 6. de refor. cap. 1.. Id adeo verum est, ut Augustinus muneris sui

gravissimi æque ac præclari maxime conscius merito dubitaret, an Episcopale officium magis in opere, quam in honore consisteret, can. 11. caus. 8. quæst. 1. & Patres Concilii Tridentini in cap. 1. sess. 25. de ref. optarent, ut *qui Episcopale ministerium susciperent, ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria se vocatos esse intelligerent.* Et magnum honorem, & grave ministerium, utrumque plane apostolicum, nemo melius expressit, meo judicio, quam Augustinus, cum ita scriberet in Psalmum 44. *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es: de prole tua tibi crevit paternitas: pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii*, can. 6. dist. 68.. Quando vero in Episcopis utraque potestas constituta est, ordinis nimirum, & jurisdictionis, illa æqualis in omnibus, can. 16. caus. 24. quæst. 1., ista vel a divina institutione, quæ unum præesse cæteris voluit, nimirum Apostolis Petrum, & Apostolorum successoribus Episcopis universis successorem Petri Romanum Antistitem, vel ab ecclesiastica regendi forma, quæ & Archiepiscopos, & Primates, & Patriarchas designandos ob utilitatem fidelium postulavit, modum excipiens: quid deest eximiæ dignitati, in qua situs exinde dicitur Sacerdotii principatus? de quo propterea, ait Epiphanius in epistola ad Trallesios, honorandum esse Episcopum, ut Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem, Dei propter Principatum, Christi vero propter Sacerdotium.

Ut de Sacerdotio verba in primis faciamus, inhærentes Patrum vestigiis, ac præsertim Tridentinorum, qui in cap. 4. item in can. 6. & 7. sess. 23. definiverunt, esse in Ecclesia Hierarchiam divina ordinatione institutam, constantem ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; item Episcopos esse Presbyteris superiores, potestatemque seu ordinandi, seu confirmandi Episcopis cum Presbyteris non esse communem; concludimus, gradum Episcopatus a gradu Presbyteratus esse distinctum. Qui contra senserunt, etiam a vetustissimis Patribus tanquam hæretici damnati fuerunt. Primus ex his fuit Aerius, de quo ita scribebat Epiphanius hæresi 75. *Est autem illius dogma supra homines captum furiosum, & immane: In primis enim, quanam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par & idem honor, ac dignitas. Manus imponit Episcopus, imponit & Presbyter. Divinum omnem cultum administrat Episcopus, non minus id facit & Presbyter. Episcopus in throno sedet, sedet & Presbyter. His in vulgus jactatis, plerosque in errorem abduxit.* Deinde hanc hæresim secuti sunt recentioribus sæculis Valdenses, & Albigenses, post quos etiam Wiccleffus, ac postremo Lutherus, & Calvinus. Verum non dissimulo, viros Catholicos in hoc dogmate explicando varia comminisci, omnia tamen incerta, probabilibus tantum argumentis innixa, quæ contrariis partium studiis, etiam probabilibus refelluntur. Fatentur omnes diversam in Episcopo, & in Presbytero potestatem, ubi autem de charactere disputant, alii diversum adfirmant, alii inficiantur. Sunt enim, qui putant, in ordinatione Episcopali non novum ordinato characterem imprimi, sed Presbyteralem intime augeri; quidam vero nec augeri characterem intime, sed exterius novos effectus characteri Presbiterali adjici; atque ex eo novo respectu diversitatem ordinis satis confici. Nolo ego his nimis acutis quæstionibus intricari, sive quod quamcumque tuearis opinionem, nihil novæ utilitatis ad rem adjicias, sive quod in re obscura a sanctis Patribus veteribus non satis explicata opportunius est non ulterius progredi, donec judicio Ecclesiæ hæc definiantur, quam periculose procedere; contentus generali observa-

tione, qua firmetur, divino jure eos gradus omnino distinctos esse. Quod ut gravissimo demonstretur argumento, sufficit ad ea respicere, quæ superius in prima dissertatione explicata fuerunt, cum depotestate ordinis, prout abs jurisdictionis potestate distinguitur, ageretur. Si enim potestas ordinis est divino jure constituta Sacramentum ordinis Episcopalis, & Presbyteralis, aut etiam Sacramentum Confirmationis administrare, aut dicendum est, singularem ordinem fore Episcopatum, quando ab ipso ex jure divino eorum Sacramentorum collatio pendet; aut dicendum esset, etiam collationem illorum Sacramentorum a Presbyteris fieri ordinaria potestate, & vi sui gradus valere, quod tamen foret inauditum, & ecclesiasticæ perenni traditioni adversaretur. Adde his, Ecclesiam alio ritu consecrare consuevisse Episcopos, alio presbyteros, quod sane perspicue indicat illorum ordinum distinctionem, quum adparet in eo diversa verborum formula, diversa etiam res sensibilis, quam materiæ, & formæ diversitatem recentiores Scholastici appellant.

Acta res esset, & nulli obnoxia difficultati, nisi in contrarium objicerentur aliquot monumenta S. Hieronymi, qui visus est sensisse, olim, id est, Apostolicis temporibus, eumdem fuisse Episcoporum, & Presbyterorum gradum; humana autem consuetudine Episcopos supra Presbyteros elatos fuisse, non ex Christi auctoritate, atque institutione majores, can. 24. dist. 93., & can. 5. dist. 95.. Scio multos conatos fuisse, ut sanam interpretationem Hieronymo affingerent; modo tradendo, non de ordine sanctum virum locutum fuisse, sed de administratione Ecclesiarum, quæ Apostolico sæculo in commune & ab Episcopis, & a Presbyteris gerebatur; modo tradendo, sanctum virum disputatione acri ferventem paulo excessisse, dum Diaconos exagitaret, sese supra Presbyteros inferendo ambitu evehentes, eousque ut scriberet, nihil Presbyteros, Episcoposque differre. Verum hæc etsi vero similia videantur, & Hieronymianæ convenientia ætati, qua maximus erat Diaconorum ambitus, non tamen adeo æque accommodantur laudatis Hieronymi locis, ut ex eis locorum eorumdem commoda fluat interpretatio. Itaque ut singula belle explicentur, juvabit initio nonnulla ponere adjuncta illius temporis, ad quæ Hieronymus scribendo respiciebat, exagitans varios abusus, qui tunc adversus Ecclesiarum utilitates irrepserant. Primus abusus erat Diaconorum, qui sese supra Presbyteros evehebant; uti enim ad ipsos temporalium Ecclesiæ rerum cura ex officio spectabat, unde quotquot impendenda erant ad alimenta Clericorum, immo & ipsorum Episcoporum, a Diaconis suppeditabantur, ita quum patrimonia Ecclesiarum ampla esse cœperant, majorem in dies dignitatem sibi illi adrogabant, eo animo erga Presbyteros se exhibentes, quo se exhibere solent, qui menstruas, annuasve pensitationes luunt ex publico ærario erga eos, quibus pensitationes debentur, videlicet gratiosiores erga eos, a quibus certis officiis colerentur, duriusculos erga eos, qui de sua dignitate nihil imminui paterentur. Id apertissime liquet ex observatione canonis 13. 14. 15. 23. & 24. dist. 93.. Alter abusus erat nonnullorum Episcoporum, qui quidquid fere erat gravioris in Ecclesia officii, sibi solis vindicabant, immo & sibi addicebant amplissimos Ecclesiarum redditus, vix pauca quædam Presbyteris relinquentes, aut ex iis, quæ dignitatem, & officia Presbyterorum spectarent, aut iis, quæ necessaria forent ad sustentationem vitæ. Id dolebat Hieronymus, aut quisquis auctor est Canonis 23. dist. 93., & canonis 6. dist. 95.. Neque inverosimile est, Episcopos istos Diaconis ambientibus morem gessisse, immo & a Diaconis multa ministrantibus vicissim fuisse adjutos, ut sic communibus fere studiis Presbyteri iner-

tes & abjecti vilescerent. Hinc autem tertius emergebat abusus Presbyterorum, quorum aliqui conabantur jugum Episcoporum excutere, quasi ad injurias avertendas, unde Hieronymus in can. 7. dist. 95., quasi Episcopos, & Presbyteros conciliaturus, ita utrosque monere visus est, inquiens: *Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos, honorent Clericos quasi Clericos, ut & ipsis a Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitii: Cur ego te, inquit, habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem?* Ex his denique omnibus quartus emergebat abusus nonnullorum Episcoporum, qui sine delectu Presbyteros ordinabant, rudes quoscumque, & imperitos, inertesque ad Ecclesiastica graviora ministeria, ex eo forte, quod si tales Presbyteros in Ecclesia habuissent, tutius in operam, dignitatemque suam universa conferrent. Id iterum testatur Hieronymus in suis Commentariis in epistolam Pauli Apostoli ad Titum. Istos omnes abusus veluti in conspectu habebat Hieronymus & ipse, in Presbyteratus ordine constitutus, quos exinde dolebat vehementer, modo de Diaconis se supra Presbyteros evehentibus, modo de Episcopis Presbyteros contemnentibus gravissime conquerens, modo hunc, modo illum abusum exagitans elato stylo, & forte plus æquo provecta disputatione, cujus ardor eo sanctum virum efferebat, quo progredi pacato animo noluisset.

Post hæc ita posita, ad laudatorum Hieronymi monumentorum interpretationem accedo. Utque exordiar a dicto can. 5. dist. 95., ajo, minus commode ab iis interpretibus canonem explicari, qui aut tradiderunt, Hieronymum ibidem contra Diaconorum ambitum disputantem paulo excessisse, aut Hieronymum ibidem locutum esse non de ordine, sed de dispensatione rerum ecclesiasticarum; etenim integer Sancti viri contextus longe alienus est ab his interpretationibus. Eo in loco commentarium scribebat Hieronymus in epistolam Pauli ad Titum; verba autem canonis pertinent ad expositionem illorum verborum Apostoli cap. 1. *Constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir &c.* Hinc occasionem arripuit conquerendi de Episcopis illis, qui Presbyteros ordinaturi mandatum Apostoli negligebant, nimirum eos initiabant Presbyteratu, qui qualitatibus a Paulo præstitutis destituebantur. Inde etiam ulterius progressus fuit adjiciens, easdem esse qualitates ordinandorum Presbyterorum oportere, quæ sunt Episcoporum; quod commodum erat demonstrare ex contextu Apostoli, præsertim in subsequentibus verbis: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse &c.*, item ex epistola ejusdem Pauli ad Timotheum I. cap. 3., qua collata cum capite 1. epistolæ ad Titum urgere videtur Paulus æque Titi sollicitudinem in Presbyterorum, ac sollicitudinem Timothei in Episcoporum ordinatione. Itaque quod in dicto canone dicitur, idem olim fuisse Presbyterum, qui erat Episcopus, non ad ordinem, sed ad qualitates pertinet ordinandorum; quo si adjicitur, ex schismatibus factum fuisse, ut Episcopus superponeretur Presbyteris; sententia hæc deplorantis est, Presbyteros ordinari postea cœpisse minus idoneos, quasi rerum ecclesiasticarum administratio a solo Episcopo penderet, non etiam a consilio Presbyterorum. Huc pertinet quod ibidem dicitur, fuisse Ecclesias olim communi Presbyterorum consilio gubernatas; ex quo Sacerdotali officio rite concluderetur, non alios esse ad Presbyterale officium advocandos, quam quos Episcopalis & honor, & opus admitteret. Neque enim ferre poterat Sanctissimus vir & ipse Presbyteratu initiatus, quod sibi objici non infrequenter audiebat; non adeo elaborandum esse in celebrandis ordinationibus Sacerdotum, quod recentiore ætate obtinuerit, Ecclesiarum regimen, moderationemque solis Episcopis reserva-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ri, Presbyteros autem vel in Sacræ Psalmodiæ recitatione, vel in muneribus ad unum Corpus Christi verum, neutiquam ad mysticum referendis detinendos esse. Hæc est mea de Hieronymi doctrina sententia, in quam eo libentius eumdem putavi, quo clarius agnovi, Gregorium VII. ita sanctum Doctorem intellexisse in suo Concilio Romano I. anni 1704. in can. 14. & 15.. Hujus Concilii verba, quemadmodum & integrum Hieronymi contextum jam exhibui in meis animadversionibus in Gratianum. Si quis modo hanc ipsam interpretationem accommodare etiam velit canoni 24. dist. 93., non repugnabo; quamquam tamen verius judicarem aliam affingendam interpretationem, nimirum eam, quæ propius ad Hieronymi scopum propositum in epistola ad Evagrium, ex qua canon depromptus fuit, accedat. Invehebatur ibidem Hieronymus adversus illos, qui Diaconos Presbyteris exæquabant, atque ita de Presbyteris disputando loquebatur, ut indicaret, Apostolica ætate nihil pene inter Presbyteros, & Episcopos discriminis intercessisse. Cæterum neque adeo disputationis ardore percitus ibidem videtur, ut omnino Presbyteros Episcopis æquipararet, sed tantummodo in officio regendæ Ecclesiæ in gravissimis spiritualibus negotiis, unde constaret, Præsbyterorum officium officio Diaconorum longe esse majus. Immo si verba illa considéremus: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* liquido concludemus, Hieronymum distinctionem ordinis admisisse, quando sacros ordines, qui conferendi ab Episcopo sunt, inficiatus est a Presbyteris posse conferri. Insuper gravissimum argumentum eruitur ex postremis canonis verbis, ubi Hieronymus ita contra Diaconos sese supra Presbyteros evehentes argumentabatur. Ut Presbyter fiat, ajebat ipse, ex Diaconis quis assumitur; numquam ex ordine Presbyterorum assumitur, qui in Diaconum sit ordinandus; ergo, colligebat Hieronymus, ex divina institutione Diacono major est Presbyter. Quis modo dicat, non venisse in mentem Hieronymi viri sane acutissimi simile argumentum ad demonstrandam præstantiam Episcoporum supra Presbyteros, quando eadem ratione dici potuisset, ex Episcopis neminem in Presbyterum ordinari, e contrario ordinandum Episcopum e Presbyterorum numero advocari, proindeque Episcopum Presbytero esse majorem? Quod si non admisisse Hieronymus, inextricabili sane se difficultate obvolvisset. Quod si in præcedentibus paulo ulterius Hieronymus excessisse deprehendatur, dandum quidquam est viro acerrime disputanti adversus ambitum Diaconorum, quando alias certa specimina præbuit, quibus indicaret, se Episcoporum supra Presbyteros præstantiam admittere.

CAPUT II.

De Episcoporum auctoritate generaliter.

Huc referendus est titulus 31. libr. 1.

IN conspectu eorum, quæ initio præcedentis dicta sunt, ubi de Episcoporum jurisdictione ageretur, quis cum Cabassutio in Theoria, & praxi juris Canonici cap. 1. in fine non redarguet Gratianum principio suæ distinctionis 18. tradentem, totum Episcoporum officium in exhortando, & corrigendo consistere, nihil autem eorum auctoritate constitui posse, vel definiri? Vel Glossographus idem Gratianei Decreti notam adjecit, ne quis facile Collectoris fama

ad idem sentiendum traheretur, ita scribens: *Illud non est verum, quia Episcopi bene possunt condere canones Episcopales, & Archiepiscopus Provinciales, quia quilibet populus, & quælibet Ecclesia sibi potest statuere aliquod jus.* Ab hac potestate canonum ferendorum, quæ Episcopali muneri cohæret, quæque maxima est, & eminens jurisdictionis facultas, unde sicut Episcopi dignitatis causa sublimem obtinent in Ecclesia Sedem can. 10. dist. 95., ita causa egregiæ illius jurisdictionis opportunum visum fuit, ut a vinculo patriæ potestatis eximerentur, quemadmodum eximebantur in dignitate Consulari, vel Præfectura Prætoriorum constituti, Novel. 81. cap. 3., unde sumpta authentica *Sed Episcopalis* Cod. de Episc. & Cler., can. 20. dist. 54., cap. 13. qui filii sint legitimi, immo & a vinculo servitutis, si forte contingat, servum Episcopum consecrari, Nov. 123. cap. 5., unde sumpta authentica *Episcopalis ordo*, Cod. de Epic. & Cler. dicto can. 20. dist. 54., facile deducitur, de Episcopali jurisdictione eam constituendam esse regulam, qua traditur, omnia geri in commissa Diœcesi ab Episcopo posse, quæ ad utilitatem, & rationem Ecclesiæ pertinent, nisi de iis agatur, quæ Ecclesiam universam respiciunt, vel de iis, quæ jam superiori vel Conciliorum, vel Antistitum auctoritate definita fuerunt, contra quæ nihil Episcopis moliri licet, ne forte inde res ecclesiasticæ susquedeque vertantur, aut turbentur, neve unitas certa Ecclesiæ nostræ nota disrumpatur, vel denique de iis, quæ ab illius potestate detracta, aut exempta, aut majori potestati reservata probantur: seu, quod idem est, uti Pragmatici loquuntur, Episcopum habere intentionem in jure communi fundatam, cap. 7. de privileg. in 6., eamque ob rem, si quis adversus Episcopum agat, sibique certam adserat jurisdictionis speciem, quam Episcopo deneget, eum de jure singulari, puta legitima consuetudine, præscriptione, privilegio, aut similibus fidem facere perspicuam oportere cap. 16. de offic. jud. ordin., cap. 13. de foro compet.. Sunt Episcopi Apostolorum successores, eademque, quæ apud Apostolos fuit, in Episcopo jurisdictio derivavit, libere semper exercenda, quousque coercita non appareat lege publica, cui & ipsos Episcopos parere necesse est, quorum auctoritas non est in Ecclesia suprema omnium, sed suos pati debet Prælatos, a quibus certos modos accipiat, ita suadente Ecclesiæ utilitate, ita etiam postulante divina institutione.

Operosa res esset latissime pervagari per varia exempla, quæ sane si heic congererentur, universas propemodum Ecclesiasticas causas huc referri oporteret. Generaliter tamen dicam, in id omne graviter incumbere Episcopum & posse, & debere, quod ad doctrinam fidei, morumque tuendam, servandamque, atque disciplinam dirigendam pertinet Ecclesiarum omnium unitas, quam numquam discerpere potuit divisio diœceseon, aut partitio Episcopalium potestatum, sita est præprimis in uniformi professione fidei, in administratione eorumdem Sacramentorum, atque in concordi voluntate exequendi etiam positiva Dei præcepta. Quando hæc unitas character, & nota est veræ Ecclesiæ, inde proficiscitur, ubicumque Ecclesia sit, ibi existere, adparere eorumdem dogmatum professionem, eorumdem Sacramentorum administrationem, eamdem denique voluntatem servandi divina præcepta, quin ulla aut varietas, aut mutatio induci ab Episcopis valeat. Non ita pendet Ecclesiæ unitas ex capitibus disciplinæ, quam constat obnoxiam esse variis vicibus, modo temporum, modo locorum, modo similium adjunctorum, qua in parte nonnihil Episcoporum auctoritati tribuitur.

Sunt quædam disciplinæ capita, quæ licet non sint suapte natura unitatis ecclesiasticæ fundamenta, nihilominus aut perpetuo agnita, aut certis temporibus definita fuerunt tanquam ejusdem uni-

tatis argumenta, ut hæc ipsa unitas notis adhuc uberioribus accedentibus demonstraretur, & magis, magisque palam conspiceretur. Ad devinciendas arctius christianas provincias, fuerunt in hac re selecta quædam disciplinæ capita, quæ aut opportuniora essent ratione causarum, aut essent natura sui illustriora, in quibus concordia indiceretur, relictis inde cæteris liberæ voluntati singularium Antistitum, qui populi sibi commissi indolem, rationes, sicut & adjuncta & temporum, & locorum penitissime cognoscentes, prudenti arbitrio suo singula moderarentur. Quum memoro illa disciplinæ capita, quæ opportuniora sunt ratione causarum, illa intelligo, in quibus optimum erat, christianos catholicos ab extraneæ religionis hominibus distingui; proptereaquod non inde melius eruitur unius societatis unitas, quam unde distinctio ab aliis societatibus eruatur. Hanc ob causam jam a prima sua ætate Ecclesia definivit, ut per singulas hebdomadas non dies Sabbathi, sed dies solis, quem propter eam Dominicum dicimus, sanctus, & festus haberetur, atque ut per singulos annos celebratio Paschatis differretur in Dominicum diem, qui lunæ Martiæ decimæquartæ succederet, ne cum Synagoga Judaica ritus communes haberet. Immo & recentioribus sæculis statuit Ecclesia, ut laici, cum ad Eucharistiam accederent, sub una panis specie communicarent, ne alias Boæmis, sive Calixtinis utramque speciem divino jure postulantibus adhærere quis videretur. Quum memoro illa disciplinæ capita, quæ sunt natura sui illustriora, illa intelligo, in quibus consistit externa exercitio alicujus cultus, & quidem proximi præcipuorum fidei nostræ mysteriorum, quasi tacita quædam ex facto elicita eorumdem mysteriorum professio, certis statis temporibus, certisque statis ritibus renovata. Si enim una, eademque dogmatum fides, seu professio, unitas ipsa est fidelium universorum, decuit plane, ut alterum adhuc vinculum necteretur ad unitatem ritus, saltem ratione habita publici, ac solemnis testimonii, quod reddimus in cultu disciplinæ præcipuis fidei nostræ dogmatibus, proptereaquod unitas hujus ritus plurimum valet ad custodiendam tutius ipsam dogmatum unitatem. Notandum tamen est, hujus generis ritum sæpe, ac sæpius coalescere ex pluribus actibus, seu partibus; creditumque propterea, identidem sufficere ad argumentum illius unitatis, convenire universos in unam ritus partem, quin opus esset pariter, ut in cæteris adamussim partibus ubicumque, & quandocumque conveniretur.

Ecquidem ardua res esset, forte etiam periculi plena, definire singillatim omnia capita, quæ credamus usurpata fuisse ab Ecclesia tanquam certa hujus ita conceptæ firmioris unitatis argumenta. Duæ, meo judicio, statui regulæ possent. Prima est, cum certum disciplinæ caput constitutum est ad secernendam Christianorum societatem a cæteris societatibus a vera fide deviis, tum caput illud tanquam argumentum unitatis existimari oportere, proptereaque locorum, seu provinciarum varietatibus obnoxium non facile fieri posse. Immo etsi duæ sint in Ecclesia gentes, quæ olim de certis ritibus dimicaverint, deinde conciliatis animis ita controversiam definiverint, ut unaquæque gens suum ritum sequeretur, publica in hanc rem finita conventione, adeo unusquisque populus ritu semel sibi constituto tenebitur, ut illum non facile liceat in una, vel altera diœcesi immutare. Hujusmodi est disciplina azymorum in Ecclesia Latina, uti fermentati in Ecclesia Græca. Altera regula est, si disciplinæ capita sint maxime conspicua natura sui, & singulari ratione dignissima, tum haberi veluti constituta unitatis argumenta, cum appareant observata & ubique, & perpetuo in Ecclesia fuisse, in ea saltem parte, in qua concors ritus adpareat. Hinc non facile mutationibus subjacerent

ea disciplinæ capita quæ ab antiquissimis temporibus, atque in omnibus liturgiis recepta deprehenduntur in celebratione Eucharistici Sacrificii.

Post hæc ita generaliter tradita, concludere possum, neminem ex Episcopis valere in diœcesi sua mutare ea disciplinæ capita, easque ejusdem disciplinæ partes, in quibus similitudo in omnibus Ecclesiis recepta est, ad argumentum unitatis. Quando enim unitas nihil aliud est, quam vinculum omnium diœceseon, excederet profecto Episcopus diœcesanæ administrationis fines, si hujus generis mutationes induceret; proptereaquod, inducta mutatione, non solum in ipsius diœcesi, sed in cæteris, & quidem omnibus, illud disciplinæ caput esse desineret propositæ servandæ unitatis argumentum.

Quod si agatur de aliis disciplinæ capitibus, quæ sunt constituta extra causam unitatis ecclesiasticæ magis, magisque firmandæ, nulla in primis dubitatio est, quin Episcopus valeat eadem immutare, quoties ipsa nonnisi Episcopali, ceu sua, vel decessorum suorum auctoritate definita fuerint, juxta vulgarem juris regulam, unumquodque dissolvitur eo modo, quo colligatum est, cap. 1. de regul. jur.. Quoties vero Superioris auctoritas, immo & universæ Ecclesiæ in Conciliis intercesserit, opportunum erit secernere leges a legibus. Quædam sunt leges, quæ generaliter, & sine discrimine ad fidelium omniun universitatem diriguntur, aut etiam ad certum fidelium cœtum, non ad ipsas Episcoporum personas. Quædam e converso sunt editæ instar præcepti Episcopis propositi, quo quidquam Episcopis gerendum aut præcipitur, aut prohibetur, & quamquam istæ adhuc leges dici proprie possint, atque eatenus, quatenus generale Ecclesiæ bonum continent, adhuc tamen præceptorum vim retinent, quando ad solos Episcopos recta diriguntur, solosque propterea Episcopos obstringunt. Prioris generis leges obnoxiæ sunt, ubi gravis & legitima causa subest, derogationi æque ac dispensationi Antistitum pro modo diœcesanæ jurisdictionis unicuique competentis, nisi alias leges ipsæ dispensationem, derogationemve Superiori reservaverint, juxta regulam Innocentii III. in cap. 29. de sent. excomm. ibi: *Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*; quod & probare visi sunt Tridentini Patres, quum in cap. 18. sess. 25. de ref. scripserunt, *a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit*, dispensationem indulgeri posse a generalis disciplinæ regulis, ubi gravis dispensandi causa emergat. Revera, quis ignorat, multas esse in variis diœcesibus inductas, probatasque consuetudines, quæ generalibus ejus generis legibus derogaverunt? At enim certum est, consuetudinem tanti non esse ponderis, ut legem vincant, nisi saltem tacitus consensus accesserit ejus, qui præest. Porro tacitus iste consensus nonnisi Episcopalis præsumendus est, quando vel ipse Pontifex Maximus juxta phrasim Bonifacii VIII. in cap. 1. de constit. in 6. *locorum specialium consuetudines potest probabiliter ignorare.* Neque vero Episcopo expresse suam sententiam aperienti denegari potest, quod tacite consentienti, atque ex præsumptione tribuitur, ne alias contra juris regulas major vis, & ratio taciti, quam expressi habeatur. Hac facultate usi identidem Episcopi sunt, qua præsertim tempestate non tanta erat reservationum frequentia, uti liquet in conspectu canonis 8. dist. 28., can. 17. caus. 1. quæst. 7., cap. 6. de institution., cap. 4. §. 1. de judic., cap. 4. & 7. de immunit. Ecclesiar., cap. 59. vers. *quamvis* de electione, cap. 5. de ætate, & qualit. præficiend., juncto cap. 34. de elect. in 6., ut alia omittam numero plurima. Et quidem longe recederet ab attingenda germana Episcopatus indole, quicumque in hac re distinguendum putaret inter facultatem dispensandi in certis casibus, & facul-

atem derogandi in tota diœcesi. Quid enim aliud est dispensandi facultas, quam officium Interpretis, qui in certis causarum adjunctis mentem legislatoris intimam rimatus declarat, ad illa legem minime extendi? At Episcopalis auctoritatis intra simplicis Interpretis officii fines non continetur; quando regimen Diœceseos, & provincia generalis, qua rebus diœcesanis undique etiam legum novarum propositione consulatur, Episcopis singulis commissa est; proindeque ad Episcopos semper pertinuit investigare, num lex communis diœcesi apta sit, atque opportuna, & cum talis non videatur, tum hanc executioni non demandare, aut executioni mandatam circumscribere, juxta principia posita in cap. 6. de præbendis. Habet ista facultas modos suos, utpote quæ nonnisi gravissimis de causis necessitatis, vel utilitatis maximæ Diœcesanæ excitetur, certisque solemnitatibus, cleri præsertim accedente consilio explicetur: cæterum in jure communi fundamentum habet, tque ordinaria est, quam qui excludere velit, ostendere debet, certa singulari lege exclusam fuisse, aut arctioribus finibus circumclusam.

Aliud dicendum est de legibus secundi generis, quæ scilicet editæ sunt instar præcepti Episcopis propositi, quo quidquam gerendum Episcopis aut præcipitur, aut prohibetur. Quid enim aliud ageret Episcopus, cum derogaret huic legi, vel ab hac lege dispensaret, quam semetipsum a superioris præcepto eximere, & onus sibi specialiter impositum declinare? Hinc nequit Episcopus dispensare a generali lege, qua præcipitur, ut certis temporibus Ecclesiam visitet, ac Synodum celebret, aut prohibetur, ne extra legitimas ferias sacros ordines conferat. Hinc plane intelligitur sententia Pontificis Maximi in cap. 2. & 15. de tempor. ordinat.. Nimirum in cap. 2. decernitur, nullam esse vim consuetudinis diœcesanæ, qua contra generalem Ecclesiæ disciplinam extra legitimas ferias Episcopus sacros Ordines conferet. Quæcumque consuetudinum diuturnarum ratio habenda sit, consuetudo illa parum Episcopo proderat, propterea quod tacitus Episcopi consensus, qualis alias consuetudinem legitimam faceret, id operari in proposita specie minime poterat, quod ne expresso quidem Episcopi consensu induceretur. Similiter in cap. 15. statuitur, Episcopum in eo legum genere dispensare non posse, propterea quod expresse non acceperit ex decreto canonum dispensandi facultatem.

Duo adhuc in hac re discutienda supersunt. Quid enim in primis, si dubitetur, an lex generalis in bonum publicum edita reservaverit superiori Prælato dispensandi, derogandive potestatem? Facile est dicere, reservationem non præsumi, eamque ob rem nunquam esse ordinariæ auctoritati detractum, quousque non constet, expresse hanc coercitam, circumscriptamque fuisse. Quid deinde si dubitetur, an inter veteres diœceseon consuetudines talis disciplina sit, quæ dudum fuerit generali totius Ecclesiæ constitutione inducta, an potius talis, quæ origine inspecta singulares Episcopos auctores habuerit? Id in dubitationem ut plurimum venit, quando nullum superest legis olim editæ monumentum, adeo tamen disciplina generalis est, ut in suspicionem legis generalis olim editæ inducat. Ego puto, legem generalem præsumi non facile posse, illamque disciplinam tribui potius debere legi cuidam diœcesanæ utut antiquissimæ; siquidem monumenta legum diœcesanorum obnoxia fuerunt admodum injuriis temporum ad interitum usque; quod non contigit in monumentis generalium canonum, quæ fuere in Ecclesiis omnibus majore sollicitudine custodita, atque servata, adeo ut, qui generalium canonum codices in una, vel altera diœcesi perierunt temporum fato, in aliis sane diœcesibus a quocumque fato immunes evaserint. Quod si

legis illius executio in pluribus diœcesibus, forte etiam ubique conspicitur, non est hoc perspicuum generalis legis olim editæ argumentum. Leges veteres primum edi in certa diœcesi consueverunt, ut plurimum in particularibus Conciliis, ab una diœcesi in alteram facile traducebantur, immo & de provincia in provinciam, probantibus sensim Episcopis singularibus; unde fiebat paulatim, ut quæ olim singularis erat disciplina, in generalem abiret, non quidem generali lege, sed constitutione singulorum Antistitum succedente. Quemadmodum igitur initio pendebat a singulorum Episcoporum arbitrio legem illam traducere, ita arbitrium erit legem eamdem abolere semel traductam, quotiescumque, quæ olim utilis extitisset, deinde minus opportuna dignoscatur, forte etiam perniciosa. Quod dici solet, nihil interesse inter definitiones Ecclesiæ in unum, id est, in Concilium, convenientis, & definitiones Ecclesiæ late diffusæ per provincias, locum habet in doctrina fidei, & morum, in qua traditio perpetua est, atque immutabilis; non vero in disciplina, quam vicissitudinibus esse obnoxiam nemo ignorat.

Itaque amplissima est Episcopalis jurisdictio, cui tamen duo constituti sunt fines, ab Episcopis universis minime excedendi. Primus hinc positus est in conspectu majorem dignitatum, qualis est divino jure Pontificatus Maximus, & jure Ecclesiastico Archiepiscopatus, Primatia, Patriarchatus; illinc alter in conspectu aliorum Antistitum & ordine parium, & jurisdictione. Non opus est amplius in præsentia explicare, quid postulent fines Episcopis positi in conspectu majorum dignitatum, postquam superius de potestate istarum in Episcopos fusam orationem habuimus. Tantum superest, ut attingamus, quid postulent fines Episcopis positi in concursu parium Antistitum, quorum nimirum gratia mutuo obtinuit, ut certa diœcesis unicuique adsignaretur, intra quam quisque, extra quam nemo jurisdictionem explicaret, can. 1., & passim caus. 9. quæst. 2.. Ecquidem divino jure nulli Episcoporum sollicitudini positi erant locorum limites; missi enim erant in Apostolorum persona in universum mundum, Evangelium prædicaturi omni creaturæ. Opportunum tamen fuit, salva unitate & Ecclesiæ, & Episcopatus, loca dividere, ne invicem sese Episcopi turbarent in gerendo officio, neque certa loca a pluribus Episcopis regerentur, dum alia interea cura Episcopali carerent. Divisione facta locorum, unusquisque Episcopus intra certos tantum fines jurisdictionem exercere potuit. Hinc autem profluxit, ut si Episcopus in personas alienæ diœceseos sententiam proferat, Diœcesano ignorante, aut invito, irrita eadem penitus habeatur, quasi dicta a privato homine, Concilio Tridentino sess. 14. de Ref. cap. 8., cap. 14. & 20. de foro compet., nisi tamen clericus in aliena diœcesi deliquisset; nihil enim repugnat, quin puniri ab Episcopo possit, in cujus diœcesi deliquit, dicto cap. 14., quod & ipsum dicendum est de clerico in aliena diœcesi contrahente, cap. vers. *Contrahentes* eod. tit. in 6.. Paucis dicam, eas omnes regulas in foro Episcopali receptas esse in proposito, quæ traditæ, receptæque fuerunt in jure civili Romanorum, ubi, & qua in parte constituti fuere limites Magistratuum, & judicum universorum.

Neque vero hujusmodi limites locorum positi sunt tantum in explicanda jurisdictionis potestate; verum etiam in exercenda potestate ordinis. Hinc genetaliter cautum fuit, Episcopum in aliena diœcesi consistentem, non consentiente Diœcesano loci, Ponificalia exercere non posse, sive ista habeantur tanquam jurisdictionis Episcopalis, sive tanquam singularia Ordinis Episcopalis insignia, indicta adversus exercentem pœna a Concilio Tridentino, primum in sess. 6. cap. 4. de reform., ut is ab exercitione Pontificalium sit ipso jure suspen-

sus, quemadmodum & ipso jure suspensi sint illi, quos Episcopus in aliena diœcesi ordinavisset; deinde paulo immutata sententia, ut ordinans per annum ab exercitione Pontificalium; ordinati, donec suo Episcopo videbitur, ab executione ordinum ab alieno Episcopo susceptorum sint ipso jure suspensi, sess. 14. cap. 2. de reform., sess. 23. cap. 8. de ref., adjecta exceptione in eo casu, quo Episcopus alienum subditum sibi familiarem (nomine familiaris eum intelligimus, qui sine fraude, & fictione qualibet in Episcopi domo ejusdem Episcopi expensis alitur, cap. ult. de verb. sign. in 6.) & per triennium saltem secum commorantem ordinare, cui tamen beneficium, omni fraude cessante statim, & re ipsa conferret, dicta sess. 23. cap. 9.. Diri, non consentiente Diœcesano loci, cujus nomine intelligitur Episcopus, in cujus territorio Pontificalia exerceantur, aut etiam Prælatus alter proprium territorium habens. Quid autem, si agatur de loco exempto ab Episcopi jurisdictione, sed in territorio Episcopi sito? Non poterit sane loci ejusdem exempti Prælatus facultatem extraneo Episcopo facere Pontificalia exercendi, quæ semper erit ab ipso Ordinario loci petenda, juxta verba laudati Tridentini decreti in sess. 6. cap. 4..

Memoratæ canonum leges duplicem habent partem. Prima est, extra territorium, sive extra diœcesim non posse Episcopum Pontificalia exercere. Id autem sine discrimine verissimum est, & ad id refertur doctrina hucusque exposita. Altera pars est, non posse Episcopum in propria diœcesi Pontificalia ita exercere, ut eorumdem exercitione extraneis, id est, aliorum Episcoporum subditis, non consentientibus illorum Diœcesanis, sacram ordinationem administret. Hæc sane pars pluribus illustranda est observationibus, propterea quod evenire potest, ut quis pluribus Episcopis subsit, habita ratione vel domicilii, vel originis, vel beneficii, de quibus passim Pragmatici disputant, atque inter istos Barbosa de offic., & auctorit. Episc. alleg. 4., ubi rem hanc universam absolvit. Originis Episcopum alium dixere veteres, alium recentiores. Veteres appellabant eum, in cujus diœcesi, sive Ecclesia quis esset baptizatus, uti expresse legitur in can. 44. Concilii III. Carthaginensis, quin referret, alio in loco nativitatem eum fuisse sortitum. Id opportunum erat vetustis temporibus, quibus adultis Baptisma conferri solebat, tum vero primum nativitas illorum attendebatur, cum essent Sacramento regenerati. Sed recentioribus sæculis, postquam infantibus Baptisma conferri cœpit, statim ac nati sunt, sicut vix tempora Baptismatis, & tempora nativitatis, ita & locus Baptismi, & locus nativitatis vix distingui cœperunt, unde passim receptum est, ut Episcopus originis is intelligatur, in cujus diœcesi quis natus est. Hæc recens disciplina majores vires accepit, quum Bonifacius VIII. visus est illam confirmare, tradens in cap. 3. de tempor. ordin. in 6., eum dici originis Episcopum, *de cujus diœcesis est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus.* Majores etiam vires accepit ex eo, quod sacrorum canonum studium jungi cœpit studio juris Romani, juxta quod locus nativitatis ad originis causam referebatur, leg. 1. ff. ad municip., leg. 228. ff. de verb. signif.. Qua tamen in re, ut adhuc certus honos antiquis canonibus, priscæque disciplinæ deferatur, ego censeo, utrumque Episcopum originis dici posse, sive in cujus diœcesi quis natus, sive in cujus diœcesi quis baptizatus sit; nimirum Episcopum loci nativitatis, quia ita sanxisse visus est Bonifacius VIII. in dicto cap. 3., & quia ita obtinuit ex usu recepto; Episcopum Baptismi, quia non constat, veterem disciplinam fuisse abrogatam. Episcopum domicilii apellamus eum, in cujus diœcesi quisquam domicilium sibi constituit, quia in re non receditur a generalibus regulis jure Ro-

mano præstitutis, quibus domiciliorum jura constituuntur. Episcopum beneficii dicimus eum, qui clericum certum beneficium contulit, & beneficii ejusdem causa certæ Ecclesiæ in sua diœcesi constitutæ adcripsit. His generaliter positis, dico receptum esse, ut rite facta habeatur ordinatio ab Episcopo, sive agatur de eo, qui Diœcesanus sit ratione originis, sive ratione domicilii, sive ratione beneficii, cap. 1. 2. & 3. de tempor. ordinat. in 6., juncto cap. 2. & 3. sess. 14. de reform., & cap. 8., ac 9. sess. 23. de ref. in Concilio Tridentino.

Itaque in primis ab Episcopo originis quis rite ordinatur, sive origo proprie spectetur pro loco nativitatis, sive improprie pro loco suscepti Baptismatis, uti modo tradebam. Utilis in hanc rem est, & maxime notanda superius facta observatio, qua traditum est, Baptismi potius Episcopum, quam loci nativatis olim fuisse legitimum ordinationis administrum; neque aliter Episcopum loci nativitatis cœpisse esse legitimum, quam usu recepto, ex eo quod ut plurimum unusquisque hodie baptizetur in eo loco, in quo natus est. Inde enim in primis concludere possumus, nullam habendam esse rationem paternæ originis, sive nativitatis, quidquid jure Romano tradi videatur in leg. 6. §. 1. ff. ad municip., & in leg. 3. cod. de municipibus, & originariis, cum jus Romanum in hac re diversis omnino principiis innitatur. Revera ideo, ut diximus, nativitatis Episcopus proprius dici potest ex eo, quod ut plurimum ibi quis baptizatur, ubi natus est; quasi locus nativitatis, & locus Baptismi æque subjiciat quemquam Diœcesano; atque ut Episcopus nativitatis legitimus ordinationis minister diceretur, opus fuit in primis hac fictione, deinde constitutione eam fictionem confirmante, dicto cap. 3. de tempor. ordin. in 6.. Nimis autem late hæc extenderentur, si paternæ nativitatis locus etiam attendi posset ad designandum locum originis, quando neque eadem ratio subest, & lege scripta destituimur. Inde etiam mihi non inverosimile videtur, quidquid Pragmatici dicant, eum, qui ex accidenti certo in loco natus est, & ibidem baptizatus, ab eo rite ordinarii, in cujus diœcesi & natus est, & baptizatus, non autem ab eo Episcopo, in cujus diœcesi Pater domicilium habet, propterea quod, suscepto Baptismate, infans agnoscit Diœcesanum, in cujus diœcesi baptizatus est, veluti Episcopum suum, seseque eidem subjicit, excluso Episcopo paterni domicilii, quem neque nativitas, neque Baptismus proprium fecit. Aliud sane esset, si quis ex accidenti, puta in transitu matris, certo in loco nasceretur, & in loco domicilii paterni baptizaretur; tunc enim Episcopus Baptismi tanquam Ordinarius haberetur, excluso Episcopo nativitatis; quoniam, ut diximus, recens est disciplina, qua Episcopo nativitatis ea concessa fuit jurisdictio; & fictione quadam inducta; nec propterea eo erit facile extendenda, ut locum habeat etiam, ubi ex accidenti nativitas accidit.

Secundo, ubi de Episcopo domicilii quæritur, nulla unquam dubitatio fuit, quin iste rite clericos in sua diœcesi domicilium habentes valeat ordinare. Si facta veterum quærimus, plurima sunt, atque inter cætera scimus, Hieronymum, dum Antiochiæ habitaret, ordinatum fuisse a Paulino Episcopo Antiocheno, & Paulinum Nolanum degentem in Hispania a Lampio Barcinonensi. Si canones investigamus, ex antiquissimis demonstro canones 8. & 9. Concilii Arausicani I., & ex recentibus capitulum 3. de tempor. ordin. in 6.. Cum vero identidem fraus juri facta fuerit, & nonnulli prætexerent domicilia, ut propriorum Episcoporum jurisdictionem evaderent, atque ab alienis ordinari curarent, nemo non videt, in his speciebus perperam omnia gestum iri. Sacri canones inter cætera nonnihil cavendum voluerunt in ea specie, qua quis familiaris

UAB Biblioteca de Ciències Socials

extranei Episcopi fieret, id est, in familiam extranei Episcopi deferretur: nimirum ad evitandas fraudes, quæ eo prætextu admitti possent, statuerunt primo, ut, si ageretur de Episcopis titularibus, qui nimirum nullam diœcesim habent, in qua consistant, ii neminem prætextu suæ familiaritatis ordinare valeant, etiam si in aliquo loco sedem posuerint, & Pontificalia exerceant de consensu Diœcesani, Concilio Tridentino sess. 14. de ref. cap. 2.; deinde, ut si agatur de aliis Episcopis & titulum, & liberam diœcesim habentibus, non aliter possint eos ordinare suos familiares alias minime subditos, nisi isti per triennium secum fuerint commorati, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa conferant, Concilio Tridentino sess. 23. de ref. cap. 9.. Et quidem hæc generaliter vera sunt, & sine ullo discrimine recipienda, ubi aliquis Episcopus alienum Diœcesanum necdum in clero adscriptum Ordinibus Ecclesiasticis initiare, & clero primum adscribere vellet; ubi autem de clerico agatur jam ab uno Episcopo ordinato, rigidior adhuc recipienda est disciplina, uti liquebit ex mox dicendis.

Tertio, quod spectat ad Episcopum beneficii, ponendum est generale principium jactum jam a vetustissimis Ecclesiæ sæculis, quo fit, ut clericus semel ordinatus, quocumque in gradu, & certæ Ecclesiæ semel ab Episcopo adscriptus, ab alio Episcopo advocari non possit ad aliam Ecclesiam, invito, aut ignorante primo ordinante, can. 6. dist. 71., can. 1. caus. 9. quæst. 2.. Eam ob rem ita sanxit Concilium Arausicanum I. in can. 8. *Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putaverit, prius definiat, an eum ipso habitet, nec eum sine consultatione ejus Episcopi, cum quo ante habitavit, ordinare præsumat, quia non sine causa diu ab alio non ordinatus permansit.* Similia constituta fuerunt in can. 16. Concilii Nicæni, in can. 15. Concilii Sardicensis, in can. 6. Concilii Taurinensis, in can. 5. Concilii Carthaginensis I., in can. 21. Concilii Carthaginensis III., apud Innocentium I. in Epist. ad Victricium cap. 7., & apud Honorium III. in cap. ult. de cleric. peregrinis. Si enim Episcopus quemquam Diœcesanum suum velut Ecclesiæ utilem ordinavit perenne officium præstitutum, injuria ordinatori fiebat, si vel extraneus Episcopus in suam Ecclesiam ad majores Ordines promovendum sine consensu primi ordinatoris clericum transferret, vel clericus idem sponte in aliam Ecclesiam ordinandus transiret, can. 3. dist. 72.. Si enim monachi semel sub Abbatis obbedientia constuti sine Abbatis conscientia non potuerunt ab Episcopo ordinari, can. 5. vers. *nullus* caus. 18. quæst. 2., potiore ratione sine conscientia ordinatoris Episcopi non poterant ordinari clerici ab extraneo. Exceptio tantum erat respectu eorum clericorum, qui injuria temporum dirutis forte Ecclesiis, quibus adscripti erant, in eisdem Ecclesiis amplius ministrare non poterant, proindeque facile in alias Ecclesias transibant, ab extraneis Episcopis ordinandi, can. 4. & 5. dist. 71.. En, quid significaret apud veteres, quod dicebatur, rite quem clericum ordinari ab Episcopo beneficii, quod & confirmavit Bonifacius VIII. in dicto cap. 3. de tempor. ordinat. in 6.. Videlicet, si quis etiam ordinatus in una Ecclesia dimissoriis acceptis literis ab Episcopo suo transisset in aliam Ecclesiam, eidem Ecclesiæ ministraturus, quod ministerium idem erat, ac beneficium, idem clericus sine alia petita venia poterat ab Episcopo, ad quem transisset, ordinari. Atque hæc integra permanserunt, donec clerici arctissimis residentiæ regulis tenebantur. Postquam vero media Ecclesiæ ætate clerici cœperunt huc illuc migrare, aliquando etiam sine titulo ordinari sese recipere consueverunt in familias extraneorum Episcoporum, ignorante Episcopo proprio; tum vero qui eos receperant, Episcopi ex benevolentia, vel probata vitæ consuetudine ad ulte-

riores ordines promovebant suis Ecclesiis adscribentes, quasi proprius Episcopus a se abdicasse omnem potestatem vissus esset, qui diu sine querela passus foret, clericum suum apud extraneum permanere. Modum his adjecit Tridentinum Concilium in dicto cap. 9. sess. 23. de reform., ubi cautum est, ne Episcopus ordinet familiarem suum non subditum, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium illi conferat statim, reipsa, & quacumque fraude cessante. Ex his duo sequuntur consectaria. Primum est, in concursu omnium Episcoporum, potiorem esse Episcopi beneficii rationem; statim ac enim quis beneficium in certa Ecclesia obtinuit, in qua debet necessario, & ex officio ministrare, ab alio Episcopo etiam originis, vel domicilii ordinari non poterit, quasi episcopus beneficii cæteros Episcopos vel originis, vel domicilii ordinando prævenerit. Alterum est, summo jure inspecto, Episcopum beneficii illum apppellari, qui beneficium quodcumque contulerit, etiam simplex; propterea quod etiam in hoc beneficiorum genere summo jure clericus residentiæ lege tenetur, quemadmodum in tractatione de beneficiis Ecclesiasticis ostendam. Dixi summo jure; nam cum hodie, qui beneficium simplex obtinent, pœnis legitimis adversus non residentes constitutis non teneantur, propterea que putent, qui ea possident, se esse a residentia immunes, cavendum est, ne, si quis hæc beneficia obtinens curet ab Episcopo beneficii ordinari, fraudem adversus Diœcesanum suum admittat. Eam ob rem distinguendum censeo inter eum casum, quo clericus paratus sit ad residendum penes Ecclesiam beneficii; tum vero generali regulæ adhærendum, & clericus rite ab Episcopo beneficii ordinabitur, & eum casum, quo clericus beneficium simplex impetret, ab Ecclesia beneficii abfuturus, & alia in diœcesi commoraturus; tum vero Episcopus beneficii non rite eumdem clericum ordinabit, ne ob fraudem, & dolum Episcopales in clericos diœcesanos jurisdictiones turbentur, atque evertantur. Potiore ratione censendum est, non posse clericum ordinari titulo patrimonii ab eo Episcopo, in cujus diœcesi sita sunt patrimonii bona, nisi quo in casu Ecclesiæ ejusdem loci clericus adscribatur, ibidemque sit commoraturus, & in eadem Ecclesia ministraturus.

Hæc observanda censui, sive in conspectu veterum canonum, sive etiam in conspectu decretorum Tridentini Concilii. Cæterum hodie eadem disciplina certum modum accepit ex constitutione *Speculatores* Innocentii XII. pridie nonas Novembris anni 1694.. Statuit Innocentius in primis, nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario licere, exterum quempiam, sive non subditum ratione originis, aut domicilii, ad clericalem tonsuram promovere, cujusvis Ecclesiastici beneficii ei statim, ac tonsura insignitus fuerit, conferendi, ad quod etiam a Patronis jam præsentatus fuerat, prætextu. Deinde adjecit, clericum, qui jam legitime a proprio Episcopo ad clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo, ordinanti in actis illius curiæ conservandas exhibuerit. Insuper declaravit, licet clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjci dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi beneficium situm est, eam esse servandam regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines adquirere censeatur, nisi prædictum beneficium ad congruam vitæ sustentationem juxta taxam synodalem, sive hac deficiente, juxta morem regionis pro-

promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate, quod deest, supplendi; atque Episcopum sic ordinantem tam de prædictis testimonialibus literis, quam de redditu beneficii expressam in consuetis collatorum ordinum testimoniis mentionem facere debere. At enim subditum ratione originis tantum illum esse decrevit, qui naturaliter ortus sit in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, nimirum occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuslibet alterius temporalis moræ ejus Patris in illo loco, ita ut non fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis Patris origo sit attendenda; nisi Pater vere domicilium, & de jure ibi contraxerit, quo in casu non origo Patris, sed domicilium attendatur. Subditum ratione domicilii, ad effectum suscipiendi ordines, eum esse definivit, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem post instructas ædes in eum locum transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulterius utroque casu, se vere animum hujusmodi habere jurejurando adfirmet. Ad hæc cavit, ut nullus Episcopus alienæ diœceseos subditum familiarem suum, ne ad primam quidem tonsuram promovere præsumat, absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii Prælati testimonialibus literis, & nisi juxta Tridentinum decretum cap. 9. sess. 23. de Ref. familiarem per intregum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, & beneficium ad vitam sustentandam sufficiens statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, reipsa illi conferat. Nemo hinc non intelligit, Innocentium XII. voluisse prospicere, ac mederi variis abusibus identidem in hac parte emergentibus, unde fiebat, ut quidam clerici nonnisi dolo, ac fraude ordinationes non tam susciperent, quam surripere viderentur.

Pœna ordinantium, & ordinatorum adversus hujusmodi regulas olim ita sanciebatur, ut diceretur irrita ordinatio, can. 1. & 3. dist. 71., Concilio Taurinensi can. 2., quod ita intelligebatur, ut clericus ita ordinatus suspensus ab officio & ab ordine esset, donec ad suum Episcopum reverteretur, simili etiam pœna affecto ordinatore, can. 4. dist. 71. reversis autem clericis in arbitrio erat Diœcesanorum indulgere, ut in suscepto ordine ministrarent, cap. ult. de cleric. peregrin.. Clemens IV. specialem edidit constitutionem adversus Episcopos Italiæ, qui ultramontanum clericum ordinarent, nisi a Pontifice Maximo specialem licentiam habuissent, vel ab Episcopo, de cujus diœcesi clericus idem traxit originem, vel in cujus diœcesi beneficiarius existit, per ejus patentes literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare. Eos vero, quos contra præmissa contigerit ordinari, manere voluit absque spe dispensationis super hoc a Sede Apostolica obtinendæ suspensos, ac ordinantes pœnitentia condigna puniri; inhibens suis Pœnitentiariis, ne al sque sua licentia speciali cum talibus ordinatis dispensent, vel suas eis tradant literas, per quas cum ipsis debeat dispensari, cap. 1. de tempor. ordinat. in 6.. Generaliter Gregorius X. statuit, clericos ab Episcopis non suis ordinatos pœnis veterum canonum obstringi, in ordinatores vero pœnam indixit, qua per annum sint ab ordinum collatione suspensi, data interim facultate clericis in diœcesi constitutis adeundi vicinos alios Episcopos, a quibus libere, dummodo canonicum nullum obsit impedimentum, valeant ordinari, cap. 2.

de tempor. ordin. in 6.. Istæ constitutiones de ordinibus conceptæ erant, nihil autem expresse edixerant contra Episcopum, qui alienum subditum prima tonsura initiaret; quamobrem Bonifacius VIII. mentem veterum canonum secutus voluit, Episcopum prima tonsura initiantem per annum a collatione dumtaxat clericalis tonsuræ esse suspensum, cap. ult. eod. tit. in 6.. Pœnæ eædem renovatæ fuerunt in Concilio Tridentino sess. 14. de Ref. cap. 2. & sess. 23. de Ref. cap. 8.. Præter hæc Pius II. in sua Bulla 2. adjecit, ita ut ordinati non solum sint ipso jure suspensi, sed etiam incurrant irregularitatem, immo & possint beneficiis, quæ possident, spoliari, si nihilominus ordinum non rite susceptorum munera obiverint. Addidit Sixtus V. in sua Bulla, quæ incipit: *Sanctum, & salutare*, ejus suspensionis absolutionem Sedi Apostolicæ reservari. Verum Clemens VIII. hujus constitutionis severitatem temperavit in sua Bulla, quæ incipit: *Romanum Pontificem decet*, omnia revocans ad sanctiones Tridentinas. Denique Innocentius XII. in dicta constitutione *Speculatores* sanxit, ut si statuta negligerentur, ordinans quidem a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit; aliisque gravioribus pœnis pro modo culpæ Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat.

Nondum ab hoc argumento discedo, cum adhuc ad istam rem interpretandus supersit canon 10. caus. 9. quæstion. 2., utpote qui solet apud viros etiam eximios gravissimam facessere difficultatem. Monumentum istud eo præcipue spectat, ut quandoque patienter indulgeatur Episcopis ultra suam diœcesim potestatem extendentibus. Id enim in primis suadet Urbanus II. Lugdunensi Antistiti; deinde exemplum profert S. Episcopi Epiphanii, qui non injuria in diœcesi S. Joannis Chrisostomi quosdam Clericos ordinavisse ferebatur. Ex hoc potissimum canone non defuerunt, qui scriberent, divisionem diœceseon inter Episcopos factam nihil obesse, quominus in certis causarum, temporum, locorumque adjunctis Episcopi iidem in aliena diœcesi, ignorante, aut invito Ordinario, aliquid agere possint, quum nimirum gravis Ecclesiarum utilitas id exposcat. Ita Vanespen in parte 1. juris ecclesiast. univ. tit. 16. cap. 3.. Hæc opinio mihi placere non potest: siquidem quoties ecclesiastica utilitas postulare videatur, ut aut Ordinarii excessus cohibeatur, aut suppleatur defectus, jam parata est saluberrima providentia, qua Ordinariorum superiores Ecclesiarum commodis consulant; & tantum consciis finitimis Episcopis concedi poterit, ut debeant aut negligentis, aut excedentis Superiorem certiorem facere, non ut ipsi jurisdictionem suam ultra positos fines extendant: secus ruere facile posset tantis vigiliis elaborata administrationum divisio, quod nonnulli ex Episcopis ejusmodi causas prætexerent ad latius explicandam auctoritatem; neque extraordinariis remediis locus aperiri debet, ubi suppetunt ordinaria. Itaque si ad laudatum canonem 10. disputatio exigatur, dixero in primis, singularem fuisse causam propositam Urbano II., quæque nihil habet cum proposita quæstione commune. Quamquam enim ex rescripto ipso, quale apud Ivonem refertur integrum in parte 6. Decreti cap. 412., perspicue non constet, quo pertineret scopus Urbani, ex adjunctis tamen & temporum, & locorum, & personarum nonnihil colligere possumus. In primis scimus, circa annum 1079. in Gallicanis Provinciis constitutum fuisse Pontificia auctoritate Lugdunensem Primatem, & Episcopum Lugdunensem vices Apostolicas gessisse in Ecclesias Rothomagensem, Turonensem, ac Senonensem. Item scimus, eadem ætate in varias Provincias, atque etiam in Gallias, missos fuisse extra ordinem Apos-

tolicæ Sedis Legatos, qualis fuit inter cæteros in Galia Amatus Oloronensis Episcopus, in Hispania Geraldus Episcopus Ostiensis, in Germania Bonifacius. Verosimile autem est, Episcopos istos Legatos ordinationes in Lugdunensi Parochia celebravisse, non vi sui Episcopatus, sed vi extraordinariæ legationis suæ. Quod si nomine Lagdunensis Parochiæ intelligamus Provinciam Lugdunensi Primatui subjectam, verosimilis est, Hugonem Lugdunensem conquestum fuisse, quod se irrequisito Legati iidem extra ordinem missi Clericos ordinarent in Suffraganeorum utut consentientium diœcesibus, quasi Legati illi recenti sui Vicariatus Apostolici dignitati quidquam detrahere viderentur. Aliam adjicere possum singularem causam. Nimirum cœperunt tunc temporis Monasteria quædam exemptionum privilegia producere, quibus episcopalem jurisdictionem evaderent; quamobrem quoties ordinari Clericos in Monasteriis hujusmodi decebat, Monachi ordinationes non a diœcesano, sed ab extraneo Episcopo postulabant, veriti, ne si diœcesanum adivissent causa ordinationis, renuntiasse tacite suo privilegio viderentur. Id manifeste liquet ex Concilio apud urbem Ansam celebrato in diœcesi Lugdunensi anni 1025. Conquestus fuit in eo Concilio coram Burchardo Lugdunensi Archiepiscopo Gauslenus Episcopus Maticensis de Burchardo Archiepiscopo Viennensi, quod sine suo adsensu ordinationes Monachorum fecisset in sua diœcesi, in Cœnobio Cluniacensi. Cum autem præsens esset Odilo Cluniacensis Abbas, privilegia exemptionis opposuit, quibus liquebat, potuisse Monachos Cluniacenses quemcumque Episcopum accire causa sacrarum ordinationum; licet tamen deinde res Synodali judicio eo devenerit, ut Burchardus veniam peteret, & Gausleno satisfaceret. Igitur suspicari possumus, Hugonem Lugdunensem simili de causa conquestum fuisse apud Urbanum; ipsum autem Urbanum, qui auctor monasticorum quorumdam privilegiorum esse poterat, aut saltem intellexerat, propositas exemptiones fuisse, velut obtentas ab Apostolica Sede, voluisse illos Episcopos, quod fieri posset, excusare, qui privilegiis fidentes ad ordinationes in aliena diœcesi celebrandas accesserant. Quod spectat Epiphanii exemplum, qui ordinavisse indicto canone dicitur in diœcesi Joannis Chrisostomi, agnoscendus est error facti; nam non in diœcesi Joannis Chrisostomi, sed in diœcesi Joannis Hierosolymitani fertur Epiphanius ordinavisse; error quidem excusatione dignus: quippe cum tempore Epiphanii Salaminæ in Cypro Episcopi Episcopus Constantinopoleos esset Joannes Crisostomus, Hierosolymitanum vero Episcopatum gereret Joannes II. facile erat decipi, ita ut pro Joanne Hierosolymitano Joannes Constantinopolitanus, sive Chrisostomus diceretur. Laudo Auctorem Hieronymum Epiphanio ipsi contemporaneum, tum in epistola ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani, cum in epistola ad Theophilum adversus eumdem Joannem. Laudo præterea Epiphanium ipsum in epistola ad Joannem Hierosolymitanum, ex quibus monumentis hæc facti series colligitur. Joannes Hierosolymitanus Origenis erroribus obvolvebatur. Prope ejus Provinciam in loco eremo ab hominum consortio dissito Monachi quidam morabantur sacri alicujus administri officio destituti, nemine ex ipsis patiente, pro ea, qua unusquisque de se demisse sentiebat, animi humilitate, se sacris ordinibus initiari. Epiphanius ut monasterii illius, & Monachorum utilitati consuleret, arbitratus, se alienam provinciam minime ingredi, ibidem invitatum quemdam Monachum Diaconum primum, deinde Sacerdotem ordinavit. Cæterum Monasterium illud tantum erat Hierosolymitanæ diœcesi conterminum, non intra Diœcesim constitutum, nimirum in Eleuteropolitano territorio, ut scribit

Hieronymus in dicta epistola ad Theophilum. Hinc Joannes Hierosolymitanus, qui probe noverat, Epiphanium Origenis doctrinam, quam ipse excolebat, detestari, cœpit ea oblata occasione eumdem Episcopum tanquam alienæ diœceseos invasorem, aut turbatorem prædicare, ut sic facilius, & veluti digressus, Epiphanium premeret, unumque ex præcipuis Origenis hostibus deterreret, atque in eum, si fieri posset, multorum odia concitaret. Id ubi novit Epiphanius, statim epistolam ad Joannem scripsit, candide facti seriem enarrans; de jure edocens, uno verbo certiorem reddens de re legitime gesta, immo exinde occasionem sumens acrius erga ipsum tanquam Origenianæ doctrinæ adhærentem disserere: qua in re duplex fuit Epiphanio propositum: primum, ut traderet, non in aliena diœcesi se clericum ordinavisse; quasi conveniret in eo, quod nemo Episcopus debeat in ordinationibus fines suos excedere, & tantum disputaret, an ipse excessisse dicendus esset, dum in Eleuteropolitano territorio clericum ordinaverat; alterum, ut traderet, servandam esse inter Episcopos unitatem, potissimum vero, ne in sana doctrina quidquam iidem discrepent, & ne privatarum contentionum causa prætexant de violatis diœceseon finibus excusationes.

CAPUT III.

De auctoritate Episcoporum in Ecclesias.

Huc referendus est titulus libr. 3.

ECclesiæ nomen proprie quidem significat aut generaliter fidelium omnium cœtum, in una fidei, & Sacramentorum communione consistentium sub legitimis Pastoribus, aut specialiter cœtum Clericorum, quasi præcipuam, seu nobiliorem gregis Dominici partem, immo eam, quæ in grege universo regendo Pastores adjuvat; minus proprie tamen significat sacras ædes, aliquando etiam religiosas, quarum respectu bona quædam, & jura esse dicuntur Ecclesiarum, vel ad cultum sacrarum earumdem ædium, vel ad alimenta administrorum, vel ad pios usus destinata. Quocumque modo Ecclesia dicatur, certum est, penes Episcopos esse ordinariam in eam auctoritatem, curam, jurisdictionem, cujus respectu vulgata est traditio, divino jure ad residendum in diœcesi Episcopos obligari, can. 11. caus. 8. quæst. 1., cap. 1. & 9. de cleric. non resid. Concilio Tridentino sess. 6. cap. 1., & sess. 23. cap. 1. de Reform., Hinc nulla Basilica, aut Ecclesia, aut officium, seu beneficium erigi potest sine Episcopi auctoritate, can. 9. de consecr. dist. 1., cap. 8. de excess. Prælat., & semel erectæ Ecclesiæ officia, ac beneficia sub ejusdem regimine consistunt, can. 10. & 11. caus. 16. quæst. 7., & bona, & jura Ecclesiarum, beneficiorumve, utut administrorum meorum curæ commissa, ab Episcopo tamen plurimum pendent. can. 23. & 24. caus. 12. quæst. 1.. Non diu moror in hac parte Episcopalis sollicitudinis explicanda; etenim de ea commodius, & latius agendum mihi erit in tractatione de Beneficiis Ecclesiasticis. Potius nonnulla dicenda sunt de regimine generali, quod Episcopis competit in iis, quæ pertinent ad hoc, ut fidelis populus in fide erudiatur, vel confirmetur, morum doctrinam servet & sequatur, atque a disciplina minime recedat; item ad hoc, ut Clerus universus suis muneribus satisfaciat.

Itaque ad officium Episcoporum pri-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

num pertinet, ut ipsi divinum Evange-
ium prædicent per se, quoad fieri pos-
it, nisi legitime impediantur, quo ca-
u teneantur viris dictis maturo consilio
electis id munus demandare, can. 6.
dist. 88., cap. 15. de offic. jud. ordin.,
Concilio Tridentino sess. 5. de Ref. cap. 2..
Et quidem in singulis Parochiis Paro-
chos ipsos adjutores habent ordinarios;
extra ordinem autem alios vel ipsi de-
signant, vel ab aliis elegi sinunt, qui id
honoris mereantur propter certas adsig-
natas contionatoribus eligendis præsta-
tiones, ab Episcopis tamen ipsis qua-
cumque causa probandos; exemplo ju-
rispatronatus in beneficiis adquisiti, vi
cujus Patronus Clericum præsentat ab
Episcopo probandum, atque instituen-
dum, Concilio Tridentino sess. 24. de
Ref. cap. 24.. Præterea ad Episcoporum
munus pertinet orare pro populo sibi
commisso dicto can. 6. dist. 88., quod
vel ex ipsis Apostolorum institutionibus
manifeste liquet, utpote qui ministerium
mensarum ordinatis Diaconis concesse-
runt, ut ipsi *orationi*, *& ministerio verbi*
instantes essent, Actorum cap. 6.. Adde
epistolam Pauli ad Colossenses cap. 1.
vers. 9.. Idque est, quod dici solet, so-
lemnem populi benedictionem ad Epis-
copum pertinere, seu in populum bona
a Deo precari, Clement. 2. de privile-
giis: cumque præcipua Christianæ Reli-
gionis oratio apud Deum sit oblatio Sa-
crificii, non est dubitandum, quin Epis-
copi, quam frequentissime possunt, of-
ferre pro populo debeant; ad eum enim
potissimum finem respicit Episcopale il-
lud privilegium, de quo in cap. ult. de
privileg. in 6., ut altare viaticum habe-
re ubicumque, & quandocumque etiam
interdicti tempore possint, quo commo-
dius tanto muneri satisfaciant. Sacramen-
torum quoque collatio, divinorum offi-
ciorum celebratio, & ritus, morum cor-
rectio, & reformatio Episcopali curæ
committuntur, cap. 1. & passim de offic.
jud. ordin., sive hæc omnia fiant editis
constitutionibus in tota diœcesi obser-
vandis, sive singularibus mandatis pro
opportunitate factis, sive extra Synodos,
sive in Synodis, superius dictum est.

Operosa, uti videtur, est tanta Ec-
clesiarum sollicitudo, quæ cum per unum
Episcopum impleri undecumque non pos-
sit, necessarium semper fuit, ut seligе-
rentur administri Episcoporum adjuto-
res, quales sunt Canonici seu Cathedralis,
seu Collegiatarum Ecclesiarum, item Pa-
rochi universi, etiam Clerici, pro mo-
do singulorum, sive ordinem spectes,
sive potestatem qualitati beneficiorum
accommodatam. Cæterum & in hac sa-
cræ Hierarchiæ sub Episcopo constitutæ
distributione summa semper potestas,
sicut & summum Sacerdotium penes
Episcopos remansit, quorum vigilantiæ
committitur, ut investigent, an per ad-
jutores illos cuncta Ecclesiastica munera
impleantur. Hinc vero orta obligatio,
qua Episcopus ad visitandas universas
diœceseos Ecclesias teneatur, can. 4.
caus. 10. quæst. 1., Concilio Tridentino
sess. 24. de Ref. cap. 2., quod officium
Antistites vel per se, vel per suos dele-
gatos, ut plurimum Archidiaconos, sin-
gulis annis obibant olim, quando singulis
annis diœcesana Synodus habebatur, ut
in Synodo consulerent necessitatibus,
vel utilitatibus Ecclesiarum, quibus con-
sulendum visitando intellexerant, cap. 16.
de Offic. jud, ordin., eamque ipsam ob
rem cum in Tridentino Concilio sess. 24.
de Reform. cap. 2. definiendum fuisset,
ut vetus disciplina de celebrandis quo-
tannis diœcesanis Synodis renovarentur,
renovanda quoque fuit disciplina de an-
nua visitatione, sess. 7. cap. 8. de Re-
form.. Sed quemadmodum ante Concili-
lium Tridentinum cum disciplina annua-
rum Synodorum negligi cœpit, ab an-
nua quoque visitatione cessatum est, ita
& post Tridentinum Concilium cum non
semper, & ubique commodum fuerit
annuam diœcesanam Synodum celebrare,
neque annuæ visitationi satisfactum est,
præsertim ubi amplæ diœceses essent;
neque enim id visum est repugnare men-

ti Patrum Tridentinorum, qui in cap. 3. sess. 24. de Reform., ubi æqua subesset causa, ad biennium visitationis tempora prorogaverunt. Ex frequentibus delegationibus Episcoporum visitationis mandandæ causa in Archidiaconos factis, obtinuit quibusdam in Diœcesibus, ut Archidiaconi etiam jus visitandi sibi jure ordinario vindicarent, cap. 6. de censibus, non quidem ita, ut Episcopi excluderentur, sed ut par fere cum Episcopo jus explicarent. Cæterum inter Archidiaconos, vel alios inferiores Prælatos simile jus explicantes, atque inter Episcopum illud discriminis intercedit, ut in primis libera sit Episcopis facultas visitandi, ubi expedire judicetur, etiam pluries in anno, quod tamen Prælatis illis inferioribus minime conceditur, ne forte isti ob frequentes visitationes molesti visitatis Parochis videantur, cap. 6. de offic. Archidiac., præterea, ut Archidiaconi aliis nequeant visitationem demandare, sive quod regula sit, delegatum subdelegare non posse, sive quod Archidiaconis legitime impeditis Episcopus aliis visitationem demandare facile possit, immo & in Tridentino Concilio illud salubriter adjectum fuit, ut quoties ad Archidiaconos, aliosve hujus generis Prælatos inferiores visitandi jus fuerit adquisitum, non aliter isti visitationem peragant, quam Episcopi consensus accesserit, sess. 24. cap. 3. de Reform..

Subsunt visitationibus & Ecclesiæ, & personæ Ecclesiis adscriptæ: sicut enim curandum est a visitatore, ut illæ sartæ, tectæque sint, & ad res sacras obeundas undecumque idoneæ, ita satagendum, ut istæ rite, recteque munere suo fungantur. Quomobrem in primis visitabit Episcopus Ecclesiam Cathedralem, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, etiam si forte istud ab Episcopali jurisdictione exemptum proponatur, Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4., sess. 14. cap. 4. de Reform., quo casu id facere poterit Episcopus vel per se solum, vel iis adjunctis prudentibus viris, quos ipse judicaverit; quamquam enim extra causam visitationis in personas Capituli exempti nequeat procedere Episcopus, nisi servata forma Tridentinæ sessionis 25. cap. 6. de Reform., non idem tamen recipiendum est in ipso visitationis actu, dicto cap. 4. sess. 6.. Neque forte in contrarium dicas, Concilium Tridentinum in dicto cap. 4. voluisse, ut visitaretur Capitulum Cathedralis Ecclesiæ *juxta Canonicas sanctiones*; alias autem Canonicis sanctionibus præstitutum fuisse, ut Episcopus Cathedralem Ecclesiam visitans duos, vel tres Canonicos de eadem Ecclesia sibi socios adjungat, cap. 17. de offic. jud. ordin., extravag. 1. eod. tit. int. comm., etenim verba illa *juxta Canonicas sanctiones* referenda potius sunt ad verba subsequentia Tridentini capitis *toties, quoties opus fuerit* &c., quam ad præcedentia, ne contingat, sibimetipsis adversatos fuisse Tridentinos Antistites, qui in præcedentibus dixerat, *etiam per se ipsos solos* posse Episcopos Capitula quomodocumque exempta visitare. Quamobrem concludere possumus, disciplinam veterem dicti capituli 7., & dictæ extravagantis 1. in ea parte fuisse a Tridentinis Patribus abrogatam. Causa vero, ob quam Tridentinum Concilium ea verba adjecerit *juxta Canonicas sanctiones... toties, quoties opus fuerit*, illa erat, quia Episcopi in eo officio videri potuissent extra ordinem agere & veluti Pontificii delegati, alias autem iis, qui extra ordinem, & legationis jure visitant, non nisi annua visitatio permittitur, argumento cap. 6. de offic. Archid.. Ne igitur ita coercita videretur visitandi potestas ratione Episcoporum, additum est, ut toties, quoties opus fuerit, Capitula utut exempta visitare valerent juxta Canonicas generales sanctiones, quæ nulla tempora visitaturis Episcopis definiverunt. Quod dictum est de Cathedralibus Ecclesiis, earumque Capitulis, idipsum dicendum est de Ecclesiis Collegiatis, & de Canonicis eisdem adscriptis, Concilio Tridentino sess. 22. cap. 8. de

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Reform.. Si de cæteris Ecclesiis, aut beneficiis, item de aliis Clericis sacra officia in illis obeuntibus sermo sit, certum est, omnibus visitatione sua Episcopum, prout expedire intellexerit, posse consulere, ubi nulla obsit singularis exemptio, cap. 13. de offic. judic. ordin.. Quid tamen, si certa loca aut personæ exemptæ proponantur? Distinguendæ sunt Ecclesiæ, aut beneficia regularia, seu adnexa Monasteriis, in quibus viget regularis observantia, ab Ecclesiis sæcularibus. Sæculares Ecclesiæ, quæcumque illæ sint, subjacent Episcopi visitationi, Concilio Tridentino sess. 7. cap. 7. de Ref., quod verum est, etiam si agatur de Ecclesiis commendatis, Concilio Tridentino sess. 21. cap. 8. de Reform., aut etiam de Ecclesiis, quæ in nullius diœcesi esse dicuntur, quæ regulariter ejus Episcopi, cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, visitationi subjacent, Concilio Tridentino sess. 24. cap. 9. de Reform., quod tamen decretum de iis Ecclesiis intelligitur, quæ tantum ab Episcoporum jurisdictione exemptæ sint, non etiam subsint Prælato cuiquam jurisdictionem quasi Episcopalem, & diœcesim separatam habenti. Si enim eum habent Prælatum, ab isto, non a proximioris Ecclesiæ Cathedralis Episcopo visitabuntur. At si agatur de Ecclesiis adnexis Monasteriis, in quibus viget regularis observantia, has non visitat Episcopus; quamquam enim in cap. 8. sess. 7. de Reform. Concilium Tridentinum facultatem fecerit Episcopis universas Ecclesias exemptas visitandi, id tamen de sæcularibus tantum Ecclesiis intelligendum esse, declaravisse visi sunt iidem Tridentini Antistites in cap. 9. sess. 24. de Reform.. Exceptio est in Ecclesiis Regularium, quibus cura animarum adnexa sit in personas etiam extra claustra monasterii consistentes exercenda; siquidem & istas, & Regulares ipsos animarum Rectores visitavit Episcopus, tantummodo tamen iis, quæ ad curam pertinent animarum, Concilio Tridentino sess. 7. cap. 7. & 8. de Reform., sess. 25. cap. 11. de Regularibus. Eadem ratione receptum est, ut si forte in Regularium Ecclesiis erectæ sint Confraternitates, ut vocant, laicorum, istæ æque visitationibus Episcoporum subsint, ac si in alia quacumque Ecclesia erectæ fuissent. An monasteria seu virorum, seu mulierum, an præterea loca religiosa visitationibus Episcoporum subjaceant, inferius observabimus, quum de jurisdictione Episcoporum in illa agendum erit.

Visitationis Episcopalis finis est reformatio morum, præsertim in clero, & Ecclesiasticæ disciplinæ custodia; non ita quidem, ut visitans judiciario more procedat, sed potius more vigilantissimi æque, ac prudentissimi Pastoris, ac Patris; unde primo deducitur, maxima opus esse rerum agendarum moderatione, cap. 17. de offic. judic. ordin., & pœnas adversus reos inferendas pœnitentiæ potius salutaris rationem habere debere, quam pœnæ; immo & quoties pœna inferenda esset ob graviorum quorumdam criminum atrocitatem, vel ob pertinaciorem reorum contumaciam, illam esse lenitate quadam attemperandam, nec summum juris rigorem esse sequendum, cap. 13. de offic. judic. ordin., cap. 1. vers. *Sane* de censibus in 6., juncto cap. 21. de accusation.; secundo a correctione subditorum tempore visitationis facta appellationem non dari, quod pertinet ad effectum executivum, quamquam effectus appellationis, ut inquiunt, devolutivus minime denegetur, dicto cap. 13. de offic. judic. ordin., Concilio Tridentino sess. 24. de Reform. cap. 10.; tertio ita faciendam, ut non omittatur quidem debita sollicitudo, omnia tamen quam celerrime expediantur, ne forte Ordinarius visitans cuiquam molestus, aut gravis videatur, can. 7. 8. caus. 17. quæst. 3., Concil. Trident. sess. 24. de Ref. cap. 3. illud inter cætera cavendum est, ne in procurationibus accipiendis aut veteribus, aut Tridentinis canonibus fraus fiat. Ec-

quidem verum est, vel ipsis Apostolorum temporibus Ecclesiarum Antistites ab iis, quos lustrando doctrinis Evangelicis imbuebant, alimenta percepisse ex Christi mandato, Lucæ cap. 10. vers. 7. & 8., quod sine discrimine obtinuit, quousque Ecclesiæ seu Cathedrales, seu Cathedralibus inferiores certos, ac sufficientes redditus ad ministros sacros exhibendos non haberent. Ubi vero Ecclesiæ redditibus abundare cœperunt, varia disciplina cœpit induci pro veritate Ecclesiarum, aut personarum, seu quæ visitarent, seu quæ visitarentur. Illud regulariter cavendum fuit, ut ea tantum visitantes Episcopi ab Ecclesiis procurationum titulo exigerent, quæ necessaria ipsis essent ad victum, & commeatum, ne alias visitans aut gravaretur ipse majoribus sumptibus, aut negotiis aliis in visitando distraheretur, dummodo tamen sive in victualibus, sive in commeatu modus servaretur, cap. 16. de offic. jud. ordin., cap. 16. de præscription., cap. 6. & 17. de censibus. Observandum autem est, in dictum capitulum 6. grave mendum irrepsisse; ubi enim Codicibus vulgatis legitur 40. *vel* 50. *evictionum numerum*, *Episcopi autem* 20. *vel* 30. *&c.*, in ipsis Lateranensis Concilii editionibus habetur, 4. *vel* 5. *evictionum numerum*, *Episcopi autem* 2. *vel* 3. *&c.* Quis enim dixerit, Patres Lateranenses ibidem maxime sollicitos, ut impensas minuerent visitationum, tot vel Archiepiscopis, vel Episcopis indulsisse, ut traditur, evictiones, sive stratos equos, ut Regio quodam fastu ad Ecclesias visitandas accederent? Cœperunt hinc nonnulli Episcopi pacisci, ut vice victualium, & commeatuum quidquam a visitatis præstaretur in numerata pecunia, quod tamen displicuit Lugdunensi Concilio, propterea que damnatum, cap. 2. de censibus in 6.. Verum cum deinde plurimi etiam ex visitatis conquererentur, quod ipsorum interesset potius in numerata pecunia procurationem luere, Bonifacius VIII. in cap. 4. eod. tit. iterum permisit de pecunia numerata pacisci, dummodo in ea pactione honestas, & modus servaretur. Hodie ex Concilii Tridentini constitutione in cap. 8. sess. 24., juncto cap. 1. sess. 25. de Ref. viget, ut Episcopi visitantes paterna charitate, christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modesto equitatu contenti, famulatuque studeant visitationem absolvere, interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onorosive sint; neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili; exceptis tantum victualibus, quæ sibi, aut suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda; sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint, solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero prædicta victualia ministrare, salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve piis locis, aut Eccleiis non Parochialibus initio; in iis vero locis, seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quamobrem hodie frustra quæreretur, an ab Ecclesia Cathedrali procuratio Episcopo debeatur; neque enim visitans Episcopus extra ordinem gravatur in ea visitanda; quamquam si illæ sint Ecclesiæ prope Cathedralem sitæ, & visitationi obnoxiæ, procurationem luere debeant, quoties adeo distent a Cathedrali, ut Episcopus commode ad eas ire, & brevi temporis spatio domum redire non possit; quam ad speciem referri commode potest capitulum 24. de censibus, ubi Episcopus jure procurationem petebat ab Abbate, & conventu de Cultura, utut in villa Cenomanensi situs conventus esset. At enim vero ad-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

huc observari potest, diversis olim principiis innixa jura Episcopalium procurationum ab iis, quibus hodie, præsertim post Tridentinum Concilium, innituntur. Olim procuratio debebatur Episcopis in vestigium prisci juris Episcopalis, quo Episcopi ad se derivabant universarum Ecclesiarum, & bonorum ad diœcesanas Ecclesias pertinentium administrationem, quemadmodum ostendam in tractatione de beneficiis Ecclesiasticis, & quando clericis inferioribus certa bona Ecclesiastica ad usum concesserunt, reservarunt sibi jura quædam, quæ modo in Cathedratico, modo in procuratione, modo in similibus præstationibus consistebant, cap. 16. de offic. judic. ordin., cap. 16. de præscription.. Ast hodie alia ex causa debetur procuratio; ideo nimirum, ut Episcopus visitans non de alia re sollicitus esse possit, quam de visitatione Ecclesiæ, neque ab hac distrahatur, si de victu extra domum suam quærendo sollicitudinem habere deberet; unde profluxit, nullam procurationem deberi ab iis Ecclesiis, quæ ante sunt in Cathedrali urbe, seu quod idem est, non procul ab habitatione Episcopali. Quæ cum ita sint, intelligitur sententia dicti capituli 24. de censibus ad nostra tempora minime accommodandi; siquidem temporibus Honorii III. adhuc ob vestigium disciplinæ veteris, seu generalis administrationis Episcopalis, procuratio debebatur, eamdemque ob causam contentus in villa Cenomanensi situs Episcopo Cenomanensi visitanti procurationem debebat. De aliis Ecclesiis, aut locis extra Urbem Episcopalem sitis, nulla esse dubitatio potest, quin procurationem generaliter debeant; ex quibus tamen, si plures uno die visitentur, unica tantum pro virili parte procuratio luetur, cap. 3. de censibus in 6.. Excipiuntur a procurationibus præstandis Ecclesiæ pauperes, can. 1. caus. 1. quæst. 2., can. 6. caus. 10. quæst. 3., cap. 6. de censib., cap. 11. vers. *Insuper* de rescript. in 6., item loca pia, ac religiosa, quorum redditus pauperum usibus serviunt, & sanctimonialium Monasteria; quod tamen, sive in locis religiosis, sive in Monasteriis sanctimonalium verum est, nisi in illis quædam erecta sint beneficia certis redditibus adsignatis; tunc enim clericus beneficiarius ex redditibus beneficii procurationem præstabit, sive bona illa rectori clerico in titulum concessa sint, sive in commendam, uti in specie Clementinæ 2. de religios. domib.. Quod si visitatores procurationis titulo quidquam amplius accipiant, ex censura canonum maledictionis sententiæ subjiciuntur, sive id a visitantibus fiat, sive a visitantium familiaribus, quousque duplum restituant, cap. 3. vers. *Procurationes* de censibus in 6.. Clarius Gregorius X. in cap. 2. eod tit. in 6. sanctionem expressit, obligari statuens visitatores, aut eorum comites, ut, cum quid amplius exegerint, duplum intra mensem Ecclesiæ visitatæ restituerent, qua restitutione non facta interdicti ipso jure ab ingressu Ecclesiæ intelligerentur; & quamquam hæc constitutio in parte mutata sit a Bonifacio VIII. in cap. subsequente, uti modo observabam, in sanctione tamen pœnali confirmata dignoscitur. Addidit Concilium Tridentinum, præter memoratas pœnas, eos omnes, qui visitando quid amplius, quam quod lege permittitur, acceperint, in Synodo provinciali arbitrio Synodi absque ulla spe veniæ esse mulctandos, dicto cap. 3. sess. 23. de Reform..

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT IV.

De auctoritate Episcoporum in Clericos Diœcesanos.

Huc referendus est titulus 1. & 2. libr. 2.

QUid aliud est, Episcopos clericorum universorum in diœcesi consistentium Principes dici, quam, sicut clerici iidem obedientiam & reverentiam suo Episcopo debent, ita Episcopos in eos potestatem ordinariam explicare? Et quidem in negotiis Ecclesiasticis ingenita est Episcopalis hujusmodi jurisdictio, cap. 2. 4. & 8. de judiciis, cap. 10. de constitution., ad Episcopos enim & pertinet, & semper pertinuit, clericos monere primum, deinde, si monita non sufficiant, terrere censuris, ac tandem pugnaces pœna depositionis, aliquando etiam anathematis, plectere, si forte in officio aut ordinis, aut beneficii causa mandato delinquant, cap. 10. de judiciis, eo tamen in puniendo servato modo, quem Sancti Patres præstituerunt, can. 1. 2. 3. 4. 6. 8. & passim dist. 45.. Id adeo verum est, ut, etiam si forte in aliqua diœcesi ad quosdam Prælatos inferiores, aut ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, corrigendi facultas singulari jure pertineat, eisdem quidem integra manere, & sine fraude, jurisdictio debeat, cap. 13. de foro compet., ipsis tamen negligentibus Episcopus & corrigere possit, & punire, cap. 13. de offic. judic. ordinar..

Sunt tamen causæ quædam singulares, in quibus ordinaria Episcopi jurisdictio cessat, quod potissimum evenit, vel cum clericus exemptionis legitimo privilegio gaudeat, vel cum alter Prælatus adversus Episcopum speciali titulo eam jurisdictionem ad se traxerit. Ecquidem si quisquam clericus specialis exemptionis privilegium a Sede Apostolica obtinuerit, saltem post Concilium Lugdunense, & Tridentinum, cujus jure utimur, obtinuit, ut Episcopus tanquam in hac specie Apostolicus Delegatus in eum animadvertere possit, si adversus disciplinam Ecclesiasticam delinquat, etiam extra casum visitationis, cap. 1. de privileg. in 6., Concilio Tridentino sess. 6. cap. 3., sess. 14. cap. 4. 5. 6., & sess. 24. cap. 11. de Reform., sed hæc tum demum vera sunt, cum clericus ab Episcopo exemptus alteri Prælato subjectus minime fuerit. Id ut clarius explicetur, observandum est, triplicem esse exemptorum speciem, alii enim singulari Apostolico privilegio exempti dicuntur, quod honoraria quædam officia in Romana Curia obtinuerint, veluti Protonotariorum, Acolytorum, Comitum Palatinorum, & similia. Isti sane ex Concilii Tridentini constitutionibus modo laudatis in criminali causa Episcopo tanquam delegato Sedis Apostolicæ subjiciuntur. Alii exempti sunt abs jurisdictione Ordinarii, quod Regum Cappellis addicti sint, eisque deserviant. Quoad istos Concilium Tridentinum in dicto cap. 11. sess. 24. servandum voluit Innocentii III. rescriptum, quod extra in cap. 16. de privilegiis, quo fit, ut tantum Episcopo subjiciantur ratione Parochialium Ecclesiarum, aut beneficiorum, quas, vel quæ ab Episcopis ipsis obtinuerint, non in aliis causis. Alii exempti sunt ab Episcopali jurisdictione, quod monasteriis, aliisve locis exemptis addicti sint, qualia esse possunt hospitalia, militiæ, collegia. Hi autem Episcopo minime subjiciuntur, quoties actu serviant, & intra monasteriorum, militiarum, & hospitalium septa, ac domos residеant, & sub obedientia vivant, dicto cap. 11. sessionis Tridentinæ 24..

Perspicua hæc sunt, si sermo sit de Ecclesiasticis causis. Intricatam vero

quæstionem adgrederemur, quoties de non Ecclesiasticis causis agendum esset, quod sane potius ex variis provinciarum concordatis, vel receptis usibus definiri consuevit, unde non prudentior regula constituatur jureconsulto consilium clientibus allaturo, quam servandam esse illam in unaquaque diœcesi disciplinam, quæ moribus confirmata deprehendatur. Sane veteres canones usque ad Gratiani collectionem editi non omnes in primis eadem pollent auctoritate, quod Germanis multi inter mixti aprocryphi sint; deinde non invicem universi undecumque consonant; denique variis obnoxii interpretationibus fiunt. Imperatoriæ leges, non dixerim Æthnicorum, sed religiosorum Principum, qui multa Ecclesiarum, & clericorum gratia definiverunt, modo contractam, modo latius extensam Episcoporum in clericos jurisdictionem designant; eædemque Constantinianis temporibus editæ reformatæ fuerunt Theodosianis, aut Justinianeis, aut Carolinis, inqua reformatione non statim ob divisiones, quibus subjacuit Imperium, recipi ubicumque potuerunt. Gratianus in suo Decreto, ubi ad eam disputationem devenit in causa 11. quæst. 1., ita scripsit, ut multa sine discrimine aut temporum, aut causarum, aut monumentorum cogereret quidem, sed vix definiret; nam post canonem 30. concludebat ex iis, quos antea recensuerat, canonibus, clericum in civili causa ante civilem judicem conveniendum esse, propterea quod sicut Ecclesiasticarum legum Ecclesiasticus judex est administrator, ita civilium nonnisi civilis debeat esse executor; & sicut ille solus habet jus interpretandi canones, qui habet potestatem condendi eos, ita ille solus civilium legum debeat esse interpres, qui eis jus, & auctoritatem impertit; in criminali vero causa nonnisi ante Episcopum esse clericum examinandum, nisi forte Episcopus consentiat, clericum ad publicos Magistratus trahi, veluti quando incorrigibilis est, & detracto officio tradendus est Curiæ sæculari; deinde nescio, an mutata sententia, an alia edita opinione, quam probabilem judicaret, aut quam suos, sicut præcedentem, habere patronos intelligeret, non destitutam gravibus monumentis, conclusit, post canonem 47., clericum ad publica judicia nec in civili, nec in criminali causa producendum esse, nisi forte civilem causam decidere Episcopus noluerit, vel in criminali sui honoris cingulo eum nudaverit, id est, a clericali officio deposuerit, seu a foro suo abjecerit; quodque mirum est, in subsequentibus canonibus 48. 49. & 50. nihil singulare adjecit de foro Ecclesiastico, vel sæculari, contentus tradere generaliter, & clericos, & laicos in foro suo esse audiendos. Si pandantur aut Gregorii IX., aut sequentium Pontificum Decretales, late explicatam jurisdictionem Episcopalem agnoscemus. Si enim causæ utut per se non spirituales, sive Ecclesiasticæ, dummodo cum re spirituali quamdam connexionem haberent, subjici Episcopali judicio visæ sunt; uti liquet in jurepatronatus, cap. 3. de judiciis, quamquam Florentini illud non admiserint, ubi non de ipso jure, sed de jurispatronatus possessione quæstio fieret, cap. ult. eod. tit.; uti contingit in controversiis conjugiorum, quod conjugii contractus inter Christi fideles Sacramento perficitur, & quidem non solum, ubi agendum de matrimonii vinculo esset, can. 10. caus. 35. quæst. 6., cap. 3. de divortiis, sed etiam, ubi de vinculo sponsalium tractaretur, cap. 10. & passim de sponsal., aliquando etiam ubi dotium, successionum, donationum propter nuptias, ac legitimæ nativitatis controversia fieret, quasi hæc omnia matrimonii consectaria forent, cap. 1. & passim qui filii sint legit., cap. 3. & 7. de donation. int. vir. & uxor.; uti contingit in causis miserabilium personarum, cap. 15. de foro compet., ubi præsertim conquererentur istæ de laicis Magistratibus, cap. 10. & 11. eod. tit.,

uti contingit in causis universorum pactorum, quibus jurisjurandi religio accessisse, cap. 13. de jud., cap. 3. de foro compet. in 6., unde fere universæ causæ contractuum, quibus ut plurimum jusjurandum accedebat, ad tribunal ecclesiasticum trahi solebant; simili ratione id receperunt in causis clericorum utut minime Ecclesiasticis, sive criminales essent, sive civiles, quod personam ipsam clerici Episcopali judicio subjectam causæ ipsæ sequerentur, adeo ut rigorem juris aliquando dixerint disciplinam illam, qua clericus laicum coram Magistratu publico convenirent, cui in plerisque partibus recepta consuetudo derogaverat, cap. 5. de foro competente; adeo insuper, ut traditum fuerit, clericum ne eo quidem casu ad Magistratus publicos posse confugere, quo justam haberet denegatæ in foro suo justitiæ querelam, cap. 17. de judiciis, licet eam exemptionem Gratianus olim probavisset post canonem 47. dicta caus. 11. quæst. 1., adeo denique, ut traditum fuerit, non posse clericos illi privilegio fori pro se introducto renuntiare, etiam si renuntiatio sit jurejurando firmata, cap. 12. de foro compet., quamquam aliter placuerit olim Justiniano Imperatori in leg. penult. cod. de pactis, & leg. 51. cod. de Episcopis, & Clericis.

Historici potius, quam Interpretis in hac re officium gessi, ut unusquisque statim exinde intelligeret, laudata Gregorii IX. capitula non ubique obtinuisse, proptereaque eadem non ubique tuto in foro posse laudari: pauca tantum in aliquibus provinciis obtinuerunt, in aliquibus plura, in aliquibus fere universa, immo & ea, quæ quandoque alicubi diu observata fuerunt, in parte ab usu recesserunt, aut in aliam immutata formam deprehenduntur. Ut plurimum obtinuit, ut in criminali causa clericus coram Episcopo conveniatur sententiam pronuntiaturo, & quo casu atrocissimum crimen sit, Episcopus ad depositionem procedat, ita ut post istam reus omni privilegio privatus sæculari Curiæ tradatur juxta leges puniendus; in civili autem causa distinguatur inter reales, & personales actiones in judicio edendas. Ubi de reali actione agitur, ea præsertim, quæ ad possessionem aut retinendam, aut recuperandam tendit, plerumque obtinuit, ut etiam si clericus rei, seu possessionis causa conveniatur, nihilominus laico Magistratui subjaceat. Si vero personalis actio sit, actor forum rei sequatur, nimirum conveniatur clericus apud Episcopum, & laicus a clerico apud laicum Magistratum, quo casu, ne judicia distrahantur, & reconventionibus locus ex tribunalium disciplina conceditur. Quoad nostrates provincias attinet, observamus recentia utriusque potestatis concordata.

Non debeo tamen quædam omittere, quæ de foro Episcopali in Concilio Tridentino constituta fuerunt, non quidem in concursu fori Episcopalis, & fori publici Magistratus, sed in concursu fori Episcopalis, & ulterius cujuscumque Ecclesiasticæ personæ, quæ singulari jure facultatem judicandi obtinuerit. Primum est, quod habetur in cap. 20. sess. 24. de Ref., ubi statuitur, ut causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, exceptis quibusdam causis ex sanctionibus canonum ad Romanam Curiam referendis, aut in quibus ex urgenti, & rationabili causa judicaverit Summus Pontifex judicium ad se advocare, aut alicui committere; item ut causæ matrimoniales, non Decani, aut Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, sed Episcoporum tantum examini, & jurisdictioni relinquantur. Quod decretum Interpretes ita intelligunt, non quidem ut has causas alicui inferiori demandare Episcopus nequeat, argumento capituli 1. de frigid., & malefic. & capituli ult. de cognat. spirituali; sed ut Prælati illi inferiores alias jurisdictionem

pene dixerim ordinarium nacti, non consentiente Episcopo, a tractandis ejus generis causis abstineant. Alterum est, quod legitur in cap. 5. sess. 14. de Reform., ubi definitum deprehendimus, ut, si forte a Sede Apostolica quorumdam clericorum gratia dati sint Judices rerum, ac jurium Conservatores, nihilominus in causis criminalibus, aut mixtis iidem clerici convenire coram Episcopo possint; in causis autem civilibus conveniantur quidem ipsi coram Conservatoribus suis; sed ubi actores ipsi sint, alios coram Episcopo, non coram Conservatore conveniant; præterea ut obtentæ conservatoriæ literæ non ultra quinquennium obtinentibus prosint; item ut dati Conservatores nullum tribunal erectum habere possint. Insuper innovaverunt Tridentini Patres decretum aliud, quod habetur in sess. 7. cap. 14. de Reform., ubi cautum est, ut clerici quicumque, etiam exempti, etiam illi, qui singulares Conservatores a Sede Apostolica obtinuerint, libere coram Episcopo conveniri possint in causis civilibus, si istæ sint causæ mercedum, vel miserabilium personarum. Denique adjecerunt Tridentini Antistites, a disciplina dicti capitis 5. sess. 14. de Ref. se excipere universitates generales, & collegia doctorum, seu scholarium, & regularia loca, necnon hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac universitatum, collegiorum, locorum, & hospitalium hujusmodi personas, quas exemptas omnino esse voluerunt.

Post hæc nemo sciscitetur, quid dicendum sit de clericis in judicium accedentibus non tamquam actoribus, aut tanquam reis, sed tanquam testibus, præsertim in iis casibus, in quibus qui testificari possint, abs judice compelluntur, toto titulo de testibus cogendis. Postquam enim recessum est in tribunalibus Ecclesiasticis a disciplina Isidori Mercatoris, qui in causis laicorum clericos, in causis clericorum laicos testes admitti noluit, can. 51. caus. 2. quæst. 7., can. 9. caus. 11. quæst. 1., & in causis laicorum civilibus admissi fuere clerici ad testificandum; simili ratione non ubique eadem recepta fuit disciplina, sive de testibus conveniendis agatur, sive de jurejurando a testibus exigendo; jamdiu enim traditum est, testes omnes etiam religiosos, quod testificantur, jurejurando confirmare oportere, cap. 51. de testibus.. In jure pauca sunt monumenta, ex quibus definiri hujus generis quæstiones possint. Apud Theodosium Magnum definitum fuerat, ne Episcopus ad dicendum testimonium flagitaretur, leg. 7. cod. de Episcop. & Cler.. De Presbyteris autem sanxit, ut ipsi quidem admitterentur, sed citra injuriam quæstionis; in inferioribus clericis eadem, quæ in cæteris testibus, disciplina servata, leg. 8. cod. eod. tit.. Clarius rem explicavit Justinianus in Nov. 123. cap. 7. & 20., unde sumpta authentica *Sed judex*, & authentica *Presbyteri* cod. eod. tit., statuens, nulli judicum licere Episcopos cogere ad judicium venire pro exhibendo testimonio, sed judicem mittere ad eos quosdam ex personis ministrantium sibi, ut propositis sanctis Evangeliis, secundum quod decet Sacerdotes, dicant, quæ noverint; deinde subjiciens, Presbyteros, aut Diaconos falsum testimonium in pecuniaria causa ferentes a sacris officiis triennio separari, & Monasteriis tradi; in criminali autem causa a clero dejici, & dejectos pœnis legitimis subjici; denique reliquos clericos Diaconis inferiores falsum testimonium in qualibet causa seu civili, seu criminali ferentes statim ab Ecclesiastico officio repellendos esse, atque repulsos pœnis corporalibus esse affligendos. Notandum est, quod dicitur in dicto cap. 7., nimirum Episcopos jurejurando testatos fuisse *propositis Evangeliis*, non quidem tactis, quod ab aliis jurantibus fieri solebat, leg. 14. §. 1. cod. de judiciis. Hæc omnia referuntur apud Gratianum post canonem 9. caus. 11. quæst. 1.. Sæculo Ecclesiæ undecimo disputari cœpit inter

Scholasticos de jurejurando, an scilicet homini christiano jurare liceret, ob illa verba Christi Domini apud Mattheum cap. 5. *Sit sermo vester, est, est, non, non; quod autem amplius est, a malo est*, & similia verba Jacobi Apostoli in cap. 5. epistolæ. Videsis Gratianum in quæstione 1. causæ 22.. Præ cæteris vero videbantur clerici esse debere alieni abs jurejurando, utpote quorum simplicior deberet esse sermo, ac fides. Hinc Honorius Papa, sive II. sit, sive III., in cap. 1. de juramento calumniæ cum respexisset ad Marciani constitutionem (perperam in dicto cap. 1. pro nomine Marciani legitur nomen Marci), quæ habetur in leg. 25. eod. tit. de Episc., & Cler., ubi legitur, clericos prohiberi, ne jurent, ita eam interpretatus est, ne scilicet Episcopus, inconsulto Romano Pontifice, vel quisque clericus, inconsulto Prælato suo, jurare audeant. Denique Gregorius IX. in cap. ult. eod. tit. cavit, ut, quoties ab Episcopo jurandum esset, jusjurandum non tactis, sed propositis Evangeliis fieret, quod consonat laudatæ Justinianæ Novellæ cap. 7.. Qui hæc omnia cum receptis tribunalium usibus, & quidem valde difformibus comparare voluerit, vix tradere generalem regulam poterit ubique custodiendam; quamobrem & in hac re provinciarum usus unusquisque data occasione sequetur.

Cæterum universa, quæ obtinent, fori Episcopalis privilegia sicut statim adquiruntur, ac quis vere clericus dici potest, id est, quidquid olim vigeret, cum prima tonsura initiatur, cap. 11. de æt. & qualit. præfic., dummodo clericalem habitum, & tonsuram deferens aut beneficium habeat, aut alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, aut in seminario clericorum, vel in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur, Concilio Tridentino sess. 23. cap. 6. de Reform., ita amittuntur a clericis universis, si fuerint a gradu suo sententia Episcopi dejecti, seu degradati, non quidem verbali, sed reali degradatione, cap. 2. de pœnis in 6.. Præterea amittuntur a clericis in minoribus ordinibus constitutis, quoties isti, utut tertio commoniti ab Episcopo suo, in habitu clericali minime incedunt, cap. 25. & 45. de sent. excomm., aut quoties ita isti habitum clericalem dimittunt, ut perpetuo abjecisse, seu animum dimittendi Ecclesiasticam conditionem habere credantur, argumento capituli 12. de sent. excomm. in 6., cap. ult. de vita, & honest. cleric., ita tamen ut hac in specie iterum fori privilegio gaudeant, si & habitum clericalem iterum adsumant, & vitam clericalem iterum ineant, dummodo fraus absit, qualis præsumeretur in eo, qui clericalem vitam inire se potius iterum simulat, ut publicorum Magistratuum jurisdictionem evadat, argumento capituli unici de obligatis ad ratiocinia. Ex jure quoque communi clerici conjugium contrahentes a privilegio fori cadebant, etiam si habitum & tonsuram clericalem retinuissent, cap. 7. & 9. de clericis conjugatis. Aliud visum fuit Bonifacio VIII. in cap. un. eod. tit. in 6. statuenti, ut in personalibus judiciis sive civilibus, sive criminalibus adhuc gaudeant privilegio fori, dummodo & unicam, & virgenem uxorem duxissent, dummodo etiam in habitu & in tonsura clericali incederent; atque hanc constitutionem confirmaverunt Tridentini Patres in dicto cap. 6. sess. 23. de Ref., eo tamen adjecto, ut non aliter conjugati iidem clerici eo privilegio uterentur, quam si ab Episcopo deputati alicujus Ecclesiæ servitio, ministeriove fuissent.

Ad rei hujus universæ coronidem nonnulla subjicere juvat in intimo Ecclesiæ spiritu, cui morem gesserunt religiosi Principes in causis, quibus clericos decuit hoc Episcopalis fori privilegio gaudere. Distinguenda sunt criminalia a civilibus judiciis. In judiciis criminalibus non visum est decere, ut clerici pœnis publicis coercerentur; vel quod;

si non atrocissima delicta essent, satis Episcopi consuluissent ecclesiasticæ utilitati, modo censuris coercendo reos clericos, modo etiam ab officiis deponendo; vel quod, si delicta essent gravissima, ita a clericali ordine dejecissent Episcopi clericos suos, ut puniendos Magistratui publico traderent, l. 12. Cod. Theodos. de Episc. & Cler., l. 8. 14. cod. de Episc. & Cler., l. 29. cod. de Episcop. audient., Nov. 83. principio §. 2., Nov. 123. cap. 8. 20. 21. §. 1., cap. 22. & 23., can. 5. 6. 21. 23. 43. & 44. caus. 11. quæst. 1., cap. 7. de crimine falsi, & alibi passim. In judiciis civilibus a foro publico abstinere clerici jussi sunt, quod non deceret, aut occasione litium clericos ab Ecclesia abesse, propterea que a divinis officiis vacare; quod item non deceret, passim, & sine justissima causa controversiis obvolvi clericos, & jurgiis sæcularis fori implicari, quorum animus esse mitissimus debet, & fidelibus laicis quasi mansuetudinis & æquabilitatis exemplar. Ubi autem apud Episcopum dirimendæ essent clericorum causæ, nihil oberat, quominus ecclesiasticis officiis perpetuo deservirent, & in Ecclesia una cum Episcopo suo consisterent; item si causa inter clericos, & clericos esset dirimenda, facile Episcopus prudenti arbitrio suo conciliabat animos, & controversias sine strepitu dirimebat: si laicus convenire clericum vellet, aditus Episcopus, cognita causæ æquitate, clericum commodius obstringebat; si versa vice a clerico conveniendus esset laicus, non primum permittebatur clerico laicum in foro publico convenire, quam Episcopus de bona clerici causa a clerico ipso certior factus esset, ne alias clericus temere litigaret cum injuria clericalis nominis, atque existimationis. Huc pene universa collimabant vetera jura, quibus episcopale forum adstruitur. Obtinuerat ex constitutione Zenonis, ut Silentiarii non coram ordinariis Magistratibus, sed coram Magistris Officiorum causas agerent, ne a Sacro Palatio, cui quotidiano officio inserviebant, abstraherentur, l. 4. cod. de Silentiariis. Cur non idipsum recipi decuit inter clericos, ut in Ecclesia ipsa judicem haberent constitutum, ne ab Ecclesia abscedere tenerentur? Id insinuare visus est Marcianus in l. 25. cod. de Episc. & cleric., item Leo, & Anthemius in l. 33. cod. eod. tit., necnon Justinianus in Nov. 79. 83. 86., & 123. cap. 24., adde canonem 45. & 46. caus. 11. quæst. 1.. Item arbitrio suo æquissimo facilem occasionem præbebant Episcopi, ut quam citissime finirentur lites inter clericos, & clericos, & quam citissime clericus apud se a laico actore conventus satisfaceret, ut nunquam temere clericus ad laicum conveniendum in foro publico accederet. Erant istæ Apostolicæ Pauli institutiones, qui ad Corinthios scribens in epist. 1. cap. 6. ægre patiebatur, etiam laicos fideles apud Æthnicos Magistratus in foro jurgari; optabat autem potius, ut controversiæ omnes quiete, & sine strepitu apud sanctos viros veluti electos arbitros finirentur, utut electi arbitri humiliores essent, & propemodum contemptibiles, atque hoc ipsum exemplum est, quod Carthaginenses Patres Africanis clericis proponebant in can. 43. caus. 11. quæst. 1.. Marcianus Imperator in dicta l. 25. cod. de Episc. & cler. statuit, Præfectum prætorio adeundum esse a laico clericum conveniente tum demum, cum eidem actori Episcopalis audientia non placuisset; quod ipsum voluit observandum Justinianus, cum pactum aliquod in negotio adjectum fuisset, l. 51. cod. eod., & l. penult. cod. de pactis. Arcadius, Honorius, & Theodosius in l. 7. & 8. cod. de Episcop. audient. eadem ratione universis facultatem fecerunt Episcopos quasi dirimendarum controversiarum arbitros eligendi, & Marcianus iterum in l. 13. cod. eod. tit. volentibus actoribus definivit, patere posse judicium Episcopi geminas acturi partes & Sacerdotis, & Judicis.

Rursus Justinianus in civilibus causis pati se professus est, si volentes coram Episcopo actor, & reus controversiam dirimendam exponant, l. 29. §. 4. cod. eod. tit.. Similes constitutiones referuntur apud Innocentium III. in cap. 13. de judiciis, & apud Gregorium Magnum in can. 38. caus. 11. quæst. 1.. Item Justinianus in Nov. 83. protraxit ad clericos, quod de Monachis, & Sanctimonialibus sanxerat in Nov. 79., eo adjecto, ut *ex non scripto* judicium fieret, immo & acciperet *formam forsan etiam scriptam, & si hoc quoque partes voluerint, & poposcerint*; tum demum vero coram civili judice negotium terminaretur, quoties decidi ab Episcopo, aut propter causæ naturam, aut propter gravem difficultatem minime potuisset. De *amicabili conventu* Episcoporum, & Judicum mentio etiam fit in Nov. 86. cap. 2.. Denique Justinianus idem in cap. 21. Novellæ 123. non primum conveniendos voluit clericos, quemadmodum & Monachos, & Sanctimoniales apud civilem Judicem, quam si Episcopus adiretur, quo judicante, loci Judex sententiam exequeretur, si utraque pars judicatis adquieverit; alias, non adquiescente alterutra parte, ordinaria fieret penes judicem publicum judicii forma.

Neque vero canonum auctores aliter suam sententiam olim explicaverunt. Uti enim publicis pœnitentibus, qui in templo merebant, suadebatur, ut quæ litigia habuissent, Episcoporum arbitrio dirimenda proponerent, ne forte alias devotionem animi jurgiorum forensium occasione labefactarent, can. 34. caus. 11. quæst. 1., ita clericis universis idipsum facile proponebant, propterea quod clericorum vita mitis esse deberet, & ab omni contentione aliena. Non memoro canones 1. 3. 7. 8. 9. 10. 14. 18. 29. 30. 31. 32. 33. caus. 11. quæst. 1., sunt enim universi ex Mercatoris penu deprompti: neque memoro canonem 4. eadem causa, & quæstione, utpote qui falso tributus fuerit Nicæno Concilio, & potius referendus sit ad epistolam Julio Papæ adscriptam a Mercatore. Neque ad hanc rem pertinet canon 26. ibidem, in quo cum laudatur canon Nicæni Concilii, species eadem ponenda est, quam tractabat Nicænum Concilium in can. 73. caus. 11. quæst. 3., nimirum ut intelligatur, reservari judicio Episcoporum causas illas, in quibus de excommunicatione ageretur. Memorabo potius Africana Concilia, quorum extant monumenta in dicta quæst. 1. can. 42., 43. & 44.. Canon 42. sive Milevitani Concilii sit, sive verius Toletani, graviter monet Clericos, ne Conclericos suos ad judices publicos trahant, sed coram Episcopo curent finiri litem. Idipsum canones 43. & 44. Carthaginensis Concilii statuerunt. Memorabo itidem canonem 46. ibidem, sive capitulum 1. de foro compet., quod est Concilii Chalcedonensis, & quod adhuc clarius, aut Beveregius in suis canonum Pandectis, aut Josephus Ægyptiacus in sua Paraphrasi Arabica expressit, ut ex eo eruatur, sublatam fuisse clericis quamcumque inter se jurgandi occasionem. Memorabo insuper canonem 17. & 47. ibidem, qui est Concilii Agathensis, dummodo in eo agnoscatur gravissimum Gratiani mendum, qui aliter canonem descripsit, quam in Concilio legeretur; uti liquet ex collatione Gratianei monumenti cum canone ipso Concilii. Ita scripserat Gratianus: *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non permittente, pulsare: sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat; nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere.* Ita vero edixerant Agathenses Antistites: *Clericus ne quemquam præsumat apud sæcularem Judicem, Episcopo non permittente, pulsare: sed si pulsatus fuerit, respondeat, non proponat, nec audeat criminale negotium in judicio sæculari proponere &c.* Perspicue item idipsum deducitur ex can. 6. ejusdem quæstionis Concilii Matisconensis, & ex can. 2., seu ex cap. 2. de foro compet., quod est Concilii Parisiensis anni 615., confirmatum deinde

a Carolo Magno in Capitulari anni 769., siquidem & Carolus Magnus veterem Theodosii Imperatoris laudatam legem innovavit, can. 37., juncto can. 35. dicta caus. 11. quæst. 1.. Ex Pontificibus Maximis laudare possum Gregorium Magnum in can. 39. 40. & 31. maxime sollicitum, ut Clerici, vel Clericos convenientes honorem Episcopo deferant. Consulto omitto canones 12. & 13. propterea quod canones isti, licet Gelasii nomen inscriptum præseferant, ab eruditis tamen a Gelasio abjudicentur. Possent tamen adduci canones 15. & 16. dummodo Pelagio non primo, sed secundo adscribantur, qui vixit post editas Justiniani Novellas, & eo tempore, quo defensores bonorum Ecclesiasticorum Imperiali accedente auctoritate constituti fuerant ad tutanda bona Ecclesiarum, quorum officium jampridem postulaverant Carthaginenses Antistites, can. 10. caus. 23. quæst. 3.. Addere his omnibus possum, electo ab omnibus ex consensu Episcopali arbitrio, atque huic acquiescentibus collitigantibus, sublatas fuisse omnes litium ambages, quibus appellationis longæ occasionem præbebant, l. 35. ff. de appellation., cap. 14. de sentent., & re judic., & hoc est, quod ajebat Justinianus in Nov. 123. cap. 21., sententiam Episcopi abs judice confirmatam, nulli amplius appellationi subesse.

CAPUT V.

De auctoritate Episcoporum in Monachos, aliosve Regulares.

Huc referendi sunt tit. 32. 35. & 36. libr. 3.

Sive ad ea tempora respiciamus, quibus Monachi nullis Ecclesiasticis ordinibus plerumque initiabantur, quo pertinent canones 1. 2. 4. 5. 6. 8. 11. 19. caus. 16. quæst. 1., sive ad ea, quibus Monachi etiam Sacerdotio insigniri cœperunt, quo pertinent canones 3. 9. 21. 22. 23. 24. 26. 27. 28. 29. 30. & 31. ead. caus. & quæst., certum est, per plura sæcula eosdem Episcoporum, in quorum Diœcesibus degebant, jurisdictioni fuisse subjectos, can. 12. caus. 16. quæst. 1. can. 1. 2. 8. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 19. 28. 29. caus. 18. quæst. 2., l. 40. Cod. de Episc. & Cler., l. 6. cod. de Episc. audient., Nov. 123. cap. 34. & 36.. Et quidem ubi ad ecclesiasticos ordines, seu ad sacra ministeria promoti fuere Monachi, uti per Episcopos diœcesanos ordinabantur, ita in sacris ministeriis exequendis ab eisdem Diœcesanis pendebant, eodem jure, quo omnis sacrorum cura ad Episcopum unumquemque spectabat, can. 10. caus. 16. quæst. 7. can. 6. & 7. caus. 16. quæst. 2.. Ubi vero Monachi ecclesiasticis ordinibus non initiarentur, eodem jure Episcopis & ipsi, & Monasteria suberant, quo piorum quorumcumque operum, & religiosarum personarum moderatio Episcoporum vigilantiæ commissa etiam ab antiquissimis sæculis deprehenditur, argumento legis 28. 35. 46. Cod. de Episc. & Cleric., Nov. 123. cap. 23., cap. 3. de religios. domib.. Quamquam enim singulis Monasteriis præfecti Abbates essent, quorum officio commendaretur & Monachorum vita, & regimen Monasteriorum, ipsi tamen Episcopis obtemperabant, & rationem administrationis reddebant, dicta l. 40. cod. de Episc. & Cleric., eadem fere ratione, qua in Cathedralibus Ecclesiis quum vita communis inter clericos institui cœpit, constituti fue-

runt Canonicorum Præpositi, quibus sine diminutione Episcopalium jurium omnes clerici suberant; quæ similitudo non solum rem propositam illustrat, verum etiam probat, quando scimus, Clericos in communi viventes imitari consuevisse mores, institutionesque Monachorum. Primus Gregorius Magnus, qui in adolescentia monasticam vitam professus est, Episcoporum jurisdictionem in Monasteria amplissimam aliquantisper coercere cœpit, non quidem illa ab eadem eximens, sed tantum cavens, ne Episcopi potestatem suam ita exercerent, ut solitariam Monachorum vitam turbarent. Siquidem cum nonnulli Episcopi frequens ad Monasteria ut plurimum extra urbes, & in sylvis sita accederent, sacra ibidem celebraturi non sine magno cleri, & populi conventu, unde Monachi a quieta oratione distrahebantur, salubriter constituit, ne sacra solemnia per Episcopos apud Monachos celebrarentur, can. 3. 5. 6. caus. 18. quæst. 2.. Id usque ad sæculum nonum sine discrimine observatum scimus; recentiore tamen ætate factum est, ut Monachi a potestate Episcoporum eximerentur, & immediate subjicerentur Apostolicæ Sedi, non quidem jure communi, sed primum singularibus fundationum tabulis, aut peculiaribus privilegiis obtentis, aut etiam iis deficientibus non omittebant Monachi, vel præscriptione, vel consuetudine adversus Ecclesiarum Antistites se tueri, sive ut in totum sibi libertatem adserrent, sive ut a quibusdam Episcopalibus juribus se exemptos clamarent, unde distinctio illa processit legis diœcesanæ, & legis jurisdictionis, veteribus canonibus prorsus ignota, de qua superius actum est in prima Dissertatione, cap. 16. 17. 18. de offic. judic. ordinar. cap. 15. 16. 18. de præscription. cap. 6. 7. 8. de religios. domib., cap. 3. de privilegiis; utinam nunquam privilegia ementiti fuissent falsis scripturis, & de industria confectis, aut corruptis, quemadmodum ita ementitos deprehendit Innocentius III. in cap. 6. de fide instrumentorum, & plures alias ementitos adnotat Juretus in observationibus in epistolas Ivonis Carnotensis. Cæterum temporibus Gregorii IX. nondum generalis fuerat exemptio Monachorum, & Monasteriorum ab Episcopali potestate, cap. 7. 17. de offic. jud. ordin., cap. 9. de major. & obed., cap. 15. 16. 18. de præscription., cap. 7. 8. de statu Monach., cap. 6. 7. 8. de relig. domib., cap. 4. de Cappellis Monach., cap. 43. de simonia, cap. 16. de excess. Prælat., cap. 19. de privileg., cap. 1. de suppl. neglig. Prælat. & alibi passim, immo & duodecimo, & decimotercio sæculo nonnulli sancti Monachi, & Monachorum Institutores has exemptiones sensim gliscentes, & conatus Monachorum ad easdem obtinendas minime probaverunt; inter cæteros S. Bernardus in libris de consideratione ad Eugenium Papam. Paulatim eo res devenit, ut generalia privilegia exemptionum obtinerentur, ex quibus vix quædam potestatis species in Episcopis hodie superesse videtur, qui vel ordinaria, vel delegata jurisdictione utuntur, præsertim post plures Tridentini Concilii constitutiones, quibus curatum est, ut, quoad fieri posset, Episcopis sua restitueretur auctoritas in iis saltem casibus, in quibus optima Ecclesiarum administratio, & Monasteriorum, ipsorum etiam Monachorum utilitas postulabat. Regula generalis in hac re constitui potest, etiam hodie nec Monasteria, nec Monachos exemptos dici ab Episcoporum jurisdictione, nisi in quibus jus singulare, scilicet privilegia, consuetudines, præscriptiones, ac legitimas fundationum tabulas allegent, ac probent; ita ut eadem singularia jura strictam interpretationem patiantur; quæ ratio fuit, cur Innocentius III. in cap. 17. de privileg., etiam post probatam Monasterii exemptionem definiverit, adhuc Cappellas a Monasterio pendentes non ideo exemptas intelligi. Deinde altera regula subjicitur, in iis, quæ contra privilegia Monachorum, aut Monasteriorum

recentioribus constitutionibus edita sunt, præsertim in Concilio Tridentino, eam capiendam esse interpretationem, quæ facile Episcopis faveat, ob facilem uniuscujusque rei ad sua principia regressum.

Ut hæc rite, & ordinate expendamus, quinque distinguenda sunt. Primum est generalis Regularum Monasticarum institutio. Secundum Monasteriorum erectio, & Monachorum in erecta Monasteria inductio. Tertium bonorum Monasterii administratio. Quartum cura Monachorum vitæ, ac morum. Postremum sacra officia vel in privatis Monachorum Oratoriis, vel in publicis Monasteriorum Ecclesiis, ad quæ etiam populi conventus admittitur, obeunda.

Quod ad primum attinet, olim nullæ erant Regulæ generales aut Monasteriis, aut Monachis præstitutæ, sed universa in Præpositi, sive Abbatis arbitrium conferebantur; uti enim scribit Augustinus in libr. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31., vita Monastica instituebatur magna in jubendo auctoritate eorum, qui Monasteriis præerant, & magna Monachorum subjectorum in obtemperando voluntate. Quamobrem Lucas Holstenius, ubi codicem veterum Regularum Monasticarum edidit, in cap. 3. præparationis recte adnotavit, illas proprie generales Regulas dici non posse, sed singularia quædam præcepta singulis Monachis data, ad quæ iidem vitæ suæ rationem exigerent, quamquam ea ipsa præcepta Monachi deinde scriptis servarent, mutuoque inter se conversando, confabulandoque communicarent, quasi sequendæ Regulæ loco; eamdemque ob rem eruditorum nemo miratur, cum legit apud Gregorium Turonensem lib. 10. historiæ cap. 29. in uno, eodemque Monasterio modo unam, modo alteram Regulam fuisse pro Monachorum lubitu servatam, modo plures una, & semel propositas, quas pro arbitrio Monachi sequerentur. Primus in Occidente S. Benedictus regulam composuit adamussim servandam ab iis, qui in Cassinensi, cui ipse præerat, cœnobio consistebant, paulatim ad alia cœnobia post Cassinense fundata, traductam. His institutis vixerunt Monachi usque ad sæculum Ecclesiæ undecimum, ut plurimum S. Benedicti Regulæ adhærentes. Quum vero sæculo undecimo prodierint diversi Monachorum Ordines, quorum alii solitariam vitam procul ab urbibus agere pergerent, alii ad Clericorum adjutorium & monasticam & ecclesiasticam vitam degentes in urbibus, aut pagis junxerint, variæque Regulæ editæ pro arbitrio Fundatorum fuerint, quorum aliquæ probari nullo modo potuerunt, propterea quod sub prætextu religiosæ vitæ schismata, & hæreses in Ecclesiam emergerent, quales illæ fuerunt, quas Fratres ediderant dicti *Pauperes de Lugduno* tamquam hæreteci damnati a Lucio III. in cap. 9. de hæreticis, salubriter cavendum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. celebrato, ut nulla amplius nova Religio institueretur, nisi cujus Regula auctoritate Sedis Apostolicæ probaretur, cap. ult. de religios. domib., quod & confirmavit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in cap. unico eod. tit. in 6., & Bonifacius VIII. in cap. un. de voto in 6.. Itaque in hac re & Abbates, & Religionum Fundatores omni carent potestate, & Episcopis universis dempta facultas novas Regulas adprobandi, quidquid olim vigeret, argumento can. 1. junctis Romanorum Correctorum notis caus. 10. quæst. 1., hac facultate uni Sedi Apostolicæ reservata; quod tamen locum non habet in Regulis ante Innocentium III. constitutis, quod tum necdum hæc reservatio prodiisset, uti notat Gregorius X. in dicto cap. un. de relig. domib. in 6., dummodo talis Religio fuerit, cujus damnatæ institutiones non deprehendantur, dicto cap. 9. de hæreticis.

Quoties de Monasteriis erigendis agatur, & de Monachis in erecta Monasteria inducendis, certissimum est, id fieri neutiquam posse, nisi Diœcesanorum consensus accedat, sive veterem disci-

plinam respiciamus in Concilio Chalcedonensi constitutam, can. 10. caus. 18. quæst. 2. sive recentem in Tridentino Concilio confirmatam, sess. 25. cap. 3. in fine de Regular.. Sed præterea ubi receptæ sunt constitutiones Bonifacii VIII. in cap. un. §. *confirmatos* de religios. domib., & cap. unico de excess. Prælat. in 6., item recentiores Constitutiones, *Quoniam institutum* Clementis VIII., *Cum alias* Gregorii XV., *Romanus Pontifex* Urbani VIII., ab Innocentio X. confirmatæ in ejus Bulla 27., obtinet, ut præterea Apostolicæ Sedis consensus interveniat, item ut Parochi, Clerus, ac populus minime contradicant; immo etiam consentiant Regulares alii jam in certam urbem, vel oppidum recepti, pro qualitate eorum, qui admitti postulant; nimirum si isti vere mendicantes sint, &, quoties admittantur, jam erectis Monasteriis ingerere detrimentum quodpiam possint, argumento canonis 44. caus. 16. quæst. 1.. Præ cæteris autem requiritur beneplacitum Principis, quod jam constitutum fuisse puto in Concilio Chalcedonensi in canone 1. ex illis tribus, qui subjecti sunt actioni 6. ibi. *Quoniam vero quidam sub prætextu solitariæ vitæ & Ecclesias, & communes perturbant causas, placuit, nullum quidem ædificare Monasterium præter voluntatem Domini possessionis.* Quod vero dictum est de necessitate consensus Apostolicæ Sedis, etiam ubi ea disciplina recepta est, minime locum habet, quoties non proprie Monasterium erigatur, sed tantum hospitium quoddam erigendum ad commodum Regularium iter habentium, quemadmodum testatur Benedictus XIV. in libr. 9. de Synodo diœcesana cap. 1. in fine.

In bona Monasteriorum olim ab Episcopis eadem fere exercebatur potestas, qualis in bona Ecclesiarum beneficiariis clericis concessa: Nimirum Abbatibus, aliisque Monasteriorum officialibus, seu curatoribus administratio competebat, ita tamen ut Diœcesanus Antistes & rationes petere ab illis posset, eaque de causa Monasteria, ac Monachos visitare, & procurationes, quartamque oblationum Monasteriis factarum juxta morem in unaquaque diœcesi receptum exigere, can. 12. caus. 16. quæst. 1., can. 15. 16. 17. 19. 28. 29. caus. 18. quæst. 2., cap. 16. & 17. de offic. jud. ordin.. Hodie vero ad excludendos ab his juribus Ordinarios recentes tetendisse noscuntur exemptiones, quibus factum est, ut Episcopi abstinere debeant a quacumque petenda a Monachis administrationis ratione, & a memoratis juribus seu visitationis, seu procurationis, seu quartæ oblationum. Nihil adjicio de facultate alienandi bona Monasteriorum; licet enim olim justa postulante causa Monasteriis Præfecti ad alienationem devenire possent, obtenta ab Episcopo, qui de eadem causa cognovisset, facultate, tamen postquam obtinuit, ut bona Ecclesiarum non aliter alienari a quoquam possent, quam interveniente Apostolicæ Sedis auctoritate, eodem jure censeri debuerunt bona Monasteriorum, extravag. unic. de rebus Eccles. non alien. int. comm., cujus interpretationem tradam in tractatione de beneficiis ecclesiasticis. In Concilio Tridentino cautum Episcoporum gratia fuit in cap. 16. sess. 25. de Regular., ut novitii nec ullam renuntiationem bonorum facerent, nec ullam obligationem inirent etiam jurejurando firmandam, etiam in pias causas conferendam, sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, secus autem irrita esset, & prorsus inanis; quod decretum tamen minime obtinet, aut in quibuscumque ultimæ voluntatis dispositionibus, quæ professione demum secuta vires obtineant, juxta Novellam 5. cap. 5., aut in renuntiationibus inter vivos conditionalibus, seu sub conditione futuræ professionis ante ingressum in monasteria factis. Non dubito autem, quin per hoc decretum derogatum sit capitulo 4. de Regularibus in 6., in quo per susceptionem monastici habitus eum, qui beneficium ecclesiasticum possidebat, beneficio ipso jure cessisse definiebatur.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Præterea postquam Monachi in bonis Monasteriorum Privilegiarias exemptiones obtinuerunt, cavendum fuit, ut quandoque a Sede Apostolica constituerentur jurium monasticorum Conservatores, de quibus mentio fit in cap. 1. & 15. de ofic. jud. deleg. in 6., & in Concilio Tridentino sess. 7. de Reform. cap. 14.. Isti sane ex dicto cap. 15. eligi non possunt a Monachis, nisi Episcopi, qui olim jure ordinario munus illud gerebant, cap. 7. de statu Monach. vel Episcoporum Superiores, vel Abbates, vel dignitates in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis obtinentes: neque ii possunt illorum Conservatores esse, quos vicissim iidem Conservatores suos elegissent, vel quorum alias sunt jurisdictioni subjecti. Conservatorum potestas in eo sita est, ut valeant Monachos, a quibus ad Conservatoris gerendum officium electi sunt, a manifestis injuriis Apostolica auctoritate tueri, ita ut non prius Conservator jurisdictionem explicare valeat, quam de illata in Monasteria, vel Monachos manifesta injuria constet; non autem valeat causas discutere, quæ judicialem postulant indagationem; immo nec illa potestas ad aliam diœcesim, aut civitatem, quam in qua sita Monasteria sunt, neque ad alias personas, quam eorum, quorum gratia designati sunt Conservatores, extenditur; nec regulariter Conservatores alteri vices suas delegare possunt, exceptis tantummodo citationibus, & denuntiationibus sententiarum. Nonnulla ad hanc rem statuit, & innovavit Gregorius XV. in sua constitutione, quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater*; decernens in posterum, neminem posse in Conservatorem a Regularibus eligi, nisi qui Judex Synodalis, aut in Provincialibus, aut in Diœcesanis Conciliis fuerit designatus; item nomina Judicum Conservatorum a Regularibus electorum intra sex menses a die electionis computandos penes acta curiæ Ordinariorum una cum documento electionis referenda esse, ac recensenda, adeo ut hodie si diœcesi nulli sint forte Judices Synodales constituti, Regulares eligendi quemquam facultate destituantur. Hinc hodie non amplius permittitur, Episcopos non diœcesanos, etiam si sint diœcesanis majores, in Conservatores eligere, præsertim quod Gregorius XV. in dicta constitutione adjecerit, Conservatorem electum non posse Conservatoris officio fungi, quam in ea diœcesi, in qua fuerit deputatus. Nihil adjicio de Monasteriis commendatis, de quibus concepta sunt Concilii Tridentini decreta in cap. 8. sess. 21. de Reform., & in cap. 20. sess. 25. de Regularibus; de istis enim alibi opportunius sermo instituetur.

Cura Monachorum vitæ, & morum, sive regularem disciplinam, sive universas rerum agendarum rationes spectaret, ad Monasteriorum quidem Præfectos olim maxima in parte pertinebat, ita tamen, ut Episcopus, in cujus diœcesi siti Monachi essent, jurisdictionem exerceret eodem modo, quo in clericos diœcesanos, diviso quodammodo inter Præfectos Monasteriis, & Episcopos officio, quasi Præfectus Monasteriis paternam quamdam sollicitudinem gereret veluti in familiam sub se constitutam, Episcopus veram jurisdictionem explicaret. At post invectas exemptiones, auctoritas ista Episcopalis propemodum interiisse visa est, certis negotiis Romano Antistiti reservatis, certis vero ad Monasteriorum Prælatos Regulares devolutis, donec recentioribus sæculis Episcopi iterum certam jurisdictionem in Monachos, & regulares exercendam sumpserint, aut ex sanctionibus Concilii Tridentini, aut ex constitutionibus Pontificum Maximorum, qua in specie ut plurimum Episcopi vices Apostolicæ Sedis potius gerere, quam ordinariam explicare potestatem intelliguntur. Ita postulavit diœceseon utilitas, quam turbabant nimis provectæ ejus generis exemptiones: quamquam enim potuerint Apostolica privilegia eximere Monachorum Collegia, & Monachos ab Episcoporum jurisdictione, quod in ju-

re consistit; non potuerunt tamen fingi Monasteria esse extra diœcesim, quod consistit in facto. Isthæc iterum adtributa Episcoporum potestas ad summa tria capita redigitur. Primo enim efficere potest non tam singulares ipsas Monachorum personas, quam Monachorum in communi viventium Universitatem, seu Collegium: secundo singulares Monachorum personas, cum tantummodo extra claustra degentes Prælati jurisdictionem excitare possunt: tertio singulares Monachorum personas etiam cum intra claustra manent, & in Regularis Præpositi obsequio. Ad primum refertur, quod definitum est in Concilio Tridentino cap. 13. sess. 25. de Regular., ut possint Episcopi Monachos ad publicas processiones vocare, atque compellere, eodemque tempore controversias, quæ de præcedentia inter Monachorum ordines suboriantur, dirimere. Qua in re duæ exceptiones receptæ sunt, una ex æquitate, ex qua admittitur, Monachos extra urbes, vel oppida ultra dimidium milliaris constitutos minime compelli; altera ex constitutione Pii V. anni 1565. 17. Cal. Junii, quæ incipit: *Etsi mendicantium*, juxta quam nonnulli Ordines singulari privilegio obtinuerunt, ut ad id compelli non possint. Quod vero ad processiones attinet a Regularibus faciendas, receptum est, ut eas facere nequeant per Parochiæ vicos, nisi de Episcoporum, vel Parochorum consensu, aut legitimo accedente privilegio, vel consuetudine vim privilegii obtinente, quamquam regulariter eas facere possint per claustra, si quæ sint, suarum Ecclesiarum; sin minus, circa muros earumdem. Itidem refertur, ut Episcopi cogere possint Monasteriorum Præfectos, ut curent in Monasteriis, in quibus commode id fieri potest, Sacram Scripturam legi juxta Concilii Tridentini decretum in sess. 5. de Ref. cap. 1. vers. *in Monasteriis*. Præterea, ut teneantur Regulares dies festos ab Episcopo indictos, argumento canonis 1. de consecr. dist. 3, & capituli 5. de feriis, etiam in suis Monasteriis observare, dicto Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 12. insuper ut irrequisito Episcopo non plures campanas habeant ad populi convocationem, quam quæ statutis, aut moribus permittuntur, cap. 10. de privilegiis, juncta extravag. un. de officio Custodis inter communes, easdemque, quas habent, in die Sabbathi sancti pulsare nequeant ante signum a Matrice Ecclesia datum, juxta constitutionem 17. Leonis X.. Itidem, ut irrequisito Episcopo Apostolicas indulgentias minime possint promulgare, juxta decreta Concilii Tridentini in sess. 6. de Ref. cap. 3., & sess. 24. de Ref. cap. 11.. Additur his, Universitates, seu Collegia Monachorum subjici Episcopis, in quorum diœcesi Monasteria sunt, in iis, quæ sunt ordinis Episcopalis, nec singulari privilegio Regularibus Prælatis competunt, qualis est petitio Chrismatis, consecratio Ecclesiarum, susceptio sacrorum ordinum, argumento canonis 18. caus. 18. quæst. 2. cap. 19. de præscription., cujus rei etiam argumento est, quod Episcopi ordinis potestatem explicare in Monasteriis, & Monasteriorum Ecclesiis possint, petentibus Regularibus Prælatis, quasi in loco suæ diœceseos id muneris obeant argumento Clementinæ 2. de privileg.. Denique, ut Monachi, qui instantibus Metropolitanis non curaverunt se in Congregationes redigere quolibet triennio convocandas, subjaceant omnino Episcoporum potestati, juxta caput 8. sess. 25. de Regular. in Tridentino Concilio, quemadmodum & subjaceant ex recentioribus Pontificum Maximorum Urbani VIII. & Innocentii X. constitutionibus, qui in Monasteriis non legitime erectis habitant, aut qui non in eo numero sunt, qui eisdem constitutionibus definitus est causa observantiæ regularis. Ad alterum caput, videlicet ad jurisdictionem Episcopi exercendam in singulares personas Monachorum extra claustra degentium, tria referuntur Concilii Tridentini decreta. Primum est in

cap. 3. sess. 6. de Ref., ubi statutum est, ut Regulares extra monasterium degentes etiam sui ordinis privilegii prætextu tuti non censeantur, quominus, si deliquerint, ab Ordinario secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeant; quod adeo verum est, ut locum habeat etiam in ea specie, qua justa de causa Monachus extra Monasterium, obtenta a suo Superiore facultate, degat; puta causa novi Monasterii erigendi, nisi jam in novum erectum Monasterium invecta observantia regularis fuerit, constitutusque Regularis Prælatus, aut nisi agatur de Monacho degente in membro Monasterii utut separato a Monasterio; qualia sunt, aut rustica prædia (*Grangiae* appellant), aut hospitia a Monasteriis pendentia; hoc enim in casu Regularis adhuc sub sui Superioris regimine constitutus esse videtur. Secundum extat in cap. 4. sess. 25. de Regular., ubi postquam cautum fuit, ut nemo ex Regularibus a suis conventibus recedat, nisi a Superioribus missus, aut vocatus fuerit subjicitur, contra facientem ab Ordinario tanquam desertorem suis ordinis posse puniri; item eos, qui ad Universitates studiorum causa mittuntur, si in conventibus non habitent, jurisdictioni Ordinariorum subjacere. Tertium extat in cap. 14. sess. 25. de Regularibus, ubi legimus, Regularem non subditum Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, sed extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante a Prælato Regulari intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniri, ac de punitione Episcopum certiorem fieri oportere; sin minus, Prælatum Regularem non punientem officio a Superiore esse privandum, & Regularem delinquentem ab Episcopo posse puniri. Ad postremum caput, videlicet ad jurisdictionem ab Episcopo exercendam in singulares Monachorum personas in claustris degentium, plures sunt casus, quibus Monachorum exemptio locum non habet, & ordinarii in eos explicant potestatem. Hos casus ego ad duo summa capita exigo, quorum primum proficiscitur ex generali quadam ratione legibus confirmata, alterum ex singularibus facultatibus, quæ Ordinariis, sive Episcopis fuere concessæ. Rationem generalem a legibus confirmatam in primis dico, quoties Monachus in Monasterio degens Episcopalia sibi, vel Parochialia jura vindicet. Quid enim magis juri, & rationi consentaneum videtur, quam injuriam in potestatem certam publicam illatam vindicare, inferentesque compescere? Si enim jure Romano quamquam non liceret Magistratibus in causa propia judicare, id tamen licebat, quoties ageretur de vindicanda injuria in Magistratus ipsos illata; eadem ratione quamquam generaliter cautum sit, Episcopos non habere jurisdictionem in Monachos, in eo tamen casu jurisdictionem Episcopi explicabunt. Id confirmatum est in cap. 3. §. ult. in fine de privileg., ubi Episcopis facultas conceditur coercendi Regulares jura Episcopalia sibi usurpantes, & in clement. 1. eod. tit., ubi Religiosi jura parochialia præter suorum privilegiorum formam sibi vindicantes nullo exemptionis privilegio suffragante denuntiari ab Episcopo possunt, tamquam ii, qui in indictas eo canone censuras inciderunt. Secundo generalem rationem a legibus confirmatam dico, quoties Monachus in eo casu versatur, in quo Prælati Regularis nulla est jurisdictio, alias autem non agatur de re Pontifici Maximo reservata. Cum enim exemptio Regularium prodierit gratia Prælati Regularis, quod obest, quominus Episcopus, cum deest Prælati Regularis potestas, tum jurisdictionem exerceat? Huc pertinet, quod passim receptum est, juxta cap. 8. & 10. sess. 23. de Ref. in Concilio Tridentino, ordinationem clericalem Monachorum, & Regularium petendam esse ab Episcopo, in cujus dicœsi situm est Monasterium, in quo Regularis, aut Monachus degit, si facultate ordinandi Prælatus Regularis non polleat, aut si iste facultate polleat

minores ordines conferendi, petendam esse ab eodem Episcopo ordinationem Sacrorum. Et quamquam Pius V. Mendicantibus privilegium indulsisset petendi ordines a quocumque Episcopo in sua Bulla 37., quæ incipit: *Et si mendicantium ordo*, tamen Gregorius XIII. in sua Bulla 38., quæ incipit: *Id tanta rerum*, omnia redegit ad formam juris communis, & Tridentini. Quamobrem sub Clemente VIII. definivit Congregatio Concilii Tridentini, licere Prælatis Regularibus dimissorias literas concedere Regularibus sibi subditis ordinandis, ad Episcopum tamen Ordinarium tantum, nisi Diœcesanus absit, aut ordinationem non faciat, dummodo de industria Prælati Regulares id non distulerint in tempus absentiæ, vel non habitæ ordinationis. Ad eamdem regulam pertinet, quod tradi solet, in iis, quæ spectant externam Ecclesiæ politiam, seu fidelis populi Episcopis, Parochisve subjectis utilitatem & commodum, qua in parte certa in eumdem populum ecclesiastica potestas, & jurisdictio versaretur, Monachos, & Regulares ea attingere non posse, nisi obtenta ab Episcopo facultate; similem enim potestatem a Prælatis suis obtinere non possent. Sic Regulares quemquam nequeunt ex sæcularibus in Sacramento Pœnitentiæ absolvere, nisi ab Ordinario eam obtinuerint facultatem, Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. de Reform.. Sic etiam nequeunt prædicare publice Evangelium in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, non petita primum ab Episcopo facultate, immo neque in Ecclesiis suorum Ordinum non petita primum ab Episcopo benedictione, Concilio Tridentino sess. 5 de Ref. cap. 2. vers. *Regulares vero*. Additum fuit in sess. 24. de Ref. cap. 4. vers. *Nullus autem*, neminem ex regularibus etiam in Ecclessiis suorum Ordinum prædicare posse, Episcopo contradicente. Præterea ad eam regulam pertinet, quod legimus in cap. 21. de sentent. excomm. in 6., ubi conceditur Episcopo, ut quo casu absolvere posset a sententia excommunicationis sæcularem clericum conclericum suum percutientem, eodem possit absolvere Regularem, si clericum sæcularem percussisset; insuper quod dicitur in cap. 9. in fine de hæreticis, juncto cap. 11. vers. *denique* eod. tit. in 6., ubi facultas fit Episcopis, aut Inquisitoribus adversus hæreticos constitutis in causa hæreseos, etiam contra Monachos procedendi: atque idipsum voluit constitutione sua Gregorius XV. observandum in gravissimo crimine sollicitationis occasione Sacramenti Pœnitentiæ factæ; neque enim in his omnibus speciebus aliqua inest penes Prælatos Regulares in suos subditos jurisdictio. Quod attinet ad secundum caput, sive ad singulares facultates Ordinariis jure concessas, adferre possem in primis capitulum 1. de privilegiis in 6., ubi caverat Innocentius IV., ut quomodocumque exempti, sive ratione contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, possent coram Ordinariis conveniri. Verum licet hæc constitutio confirmata fuerit in Concilio Tridentino sess. 7. cap. 14. de Ref. generaliter respectu clericorum sæcularium; in Regularibus tamen declaratum est, eam locum non habere, nisi extra Monasterium degant. Ast nihilominus observant Pragmatici numero plures, Episcopos posse vi dicti capituli 1. jurisdictionem suam in civilibus negotiis, seu controversiis, quæ ex Monachorum contractibus, vel quasi contractibus orientur, explicare ex defectu, ut ajunt, justitiæ, scilicet quoties non facile potest haberi recursus ad Apostolicam Sedem, aut ad designatos eorumdem Regularium Superiores; propterea quod hæ, & similes species videantur esse omnino extra mentem Patrum Tridentinorum in dicto cap. 14.. Præterea ad idem secundum caput refertur Clementina unica de testamentis, ubi cautum est, Regulares utut exemptos ad executiones ultimarum voluntatum deputatos circa ipsum executionis officium (quod utique nonnisi petita, & obtenta a suo Superiore licentia suscipere nequeunt), rationem reddere locorum Ordinariis debere; immo

& si dolum, fraudem, aut negligentiam admiserint, ab eisdem posse puniri. Denique ad idem caput refertur decretum Concilii Tridentini in cap. 19. sess. 25. de Regular., ex quo obtinet, ut si forte quisquam ex Regularibus irritam esse alleget professionem suam, causas proponat coram Ordinario, una & coram suo Superiore.

Dicendum adhuc superest vel de Oratoriis, vel de Ecclesiis publicis Monasteriorum, ad quas etiam populi conventus admittitur. Non amplius hoc in loco sermonem instituo de Ecclesiis Parochialibus Monasterio adnexis; de his enim jam superius actum est in cap. 3.. De cæteris tantum loquor, quæ ad tria genera reduci possunt. Vel enim agitur de templis publicis, ad quæ fidelis populi conventus admittitur, vel de privatis Monasteriorum Cappellis, seu Oratoriis intra claustra constitutis, & tantum gratia Regularium erectis, vel denique de Cappellis, seu Oratoriis, quæ sitæ sunt in prædiis rusticis Monasteriorum, vulgo *Grangiis*. In primis generaliter certum est, sine consensu Episcopi sæcularis, ut ajunt, Ecclessias jam erectas Monachos, seu Monasteria adquirere non posse sive a clericis, sive a laicis, utut earumdem Ecclesiarum Patronis; ne exinde fraus Episcopalibus juribus fiat, can. 39. caus. 16. quæst. 7., cap. 5. 8. 11. 17. de jurepatron., cap. 3. princ. vers. *Ecclesias* de privilegiis, quamquam laicis Patronis liceat irrequisito Episcopo juspatronatus sibi competens in Monasteria transferre, dicto cap. 8. de jurepatron., cap. 1. eod. tit. in 6.. Secundo deveniendo ad singula Ecclesiarum genera modo designata, certum olim erat ante inductas monasticas exemptiones, Ecclesias ipsas Monasteriorum in potestate Episcoporum constitise, canon. 10. caus. 16. quæst. 7.. At post receptas Monasteriorum exemptiones, exemptæ quoque fuerunt Monasteriorum Ecclesiæ, etiam illæ, ad quas fidelis populi conventus admittitur, etiam si in iis clericales functiones a Monachis obeantur; ex quo sequitur, Episcopos non posse illas visitare, ne quod attinet quidem ad sacræ Eucharistiæ custodiam, aut loca excipiendis fidelium confessionibus apta, ac destinata. Tantum quædam Episcopis reservata sunt, præsertim post Concilium Tridentinum, in quo passim certus modus monasticis exemptionibus fuit impositus. Huc pertinet, quod Pragmatici tradunt, Regulares puniri arbitrio Episcoporum posse, quoties in eisdem Ecclesiis contra disciplinam ecclesiasticam in Sacramentorum collatione, vel confectione delinquunt; item neminem ex Regularibus prædicare in iis Evangelium posse, nisi primum benedictionem Episcopalem petierint nec posse publice Eucharistiam populo adorandam exponere, nisi ex causa publica, eaque ab Episcopo adprobata; præterea neminem ex Regularibus posse fidelibus convenientibus sæculatibus Sacramentum Pœnitentiæ administrare, nisi ab Episcopo ad id adprobati fuerint, & administrandi facultatem acceperint; insuper non posse quemquam ab Episcopo excommunicatum, aut nominatim interdictum in Ecclesias suas admittere, aut defuncti excommunicati, vel interdicti cadaver sepultura donare, cap. 3. vers. *excommunicatos* de privileg., cap. 8. eodem tit. in 6., denique teneri Regulares in eisdem Ecclesiis ad observandos dies festos ab Episcopo præstitutos, atque ad morem gerendum locali interdicto ab Episcopo imposito, Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 12.; unde liquet, per Concilium Tridentinum derogatum fuisse veteribus privilegiis hac in re specialiter concessis gratia Regularium, cap. 22. ejusdem sessionis 25., neque alias suffragari posse Regularibus privilegia, nisi post Tridentinum Concilium obtenta fuerint, adjecta derogatione Tridentinarum constitutionum. Tertio quod attinet ad privata Oratoria in claustris Monachorum constituta ad usum tantum Religiosorum, eorumve, qui in claustris sub obedientia degunt, ista duplicis generis sunt; vel enim sunt tantum loca reli-

giosa claustralium orationibus, & piis exercitationibus destinata, qualia hoc nomine apud veteres appellabantur, canon. 6. & 7. dist. 42., hæc autem semper ad curam Prælatorum regularium pertinuerunt: nec major in illa ante invectas exemptiones Episcopis tributa fuit potestas, quam in Monasteria ipsa traderetur. Ut enim ipsa dici non poterant loca sacra, neque auctoritate Sacerdotali consecrabantur, ita nec singulari jure Episcopis suberant: tantum in silentio, & in oratione ibidem Monachi versabantur, Prælato monastico satagente, ne in alium usum eorumdem institutio flecteretur. Vel sunt loca sacra, in quibus Eucharistia conficitur. Ista autem ante invectas exemptiones ita Episcoporum jurisdictioni suberant, sicut cæteræ Ecclesiæ diœcesanæ, can. 10. caus. 16. q. 7., propterea quod & Episcopali auctoritate aut benedicerentur, aut consecrarentur. Ast hodie post receptas exemptiones, sicuti cura animarum eorum, qui in claustris degunt, Prælatis regularibus generaliter inest; etiam ratione habita sacri ministerii in ea parte, quæ Episcopali ordini non reservatur, ita & Ecclesiolæ, seu Cappellæ ad spirituales, & sacros Regularium usus destinatæ penitus exemptæ censentur; dummodo Regulares semper caveant, ne quoquo modo forma quædam publici conventus in eisdem Cappellis constituatur; cujus rei argumento est, quod ad indicendum ad Cappellas illas conventum nullam possint campanam adponere, cap. 10. de privilegiis. Quarto quod attinet ad Cappellas, seu Oratoria sita in prædiis rusticis Monachorum, sive Grangiis, distinguenda sunt duo genera locorum, sive Grangiarum; distinguenda itidem tempora, quibus variæ in hac parte constitutiones, & placita prodierunt. Olim Grangiæ proprie appellabantur prædia rustica Monasteriorum a Monasteriis separata cum ædificiis, in quibus unus, alterve Monachus, quasi bonorum curator, aut perpetuo, aut certis temporibus moraretur, vel ad quæ oblectationis causa identidem quidam ex Monachis convenirent. Istæ sane Grangiæ, si nullas haberent sacras Ecclesiolas vel publicas, vel privatas, sed tantum privata Oratoria, id est, diversoria quædam orationi, ac silentio destinata, post invectas monasticas exemptiones non subjiciebantur jurisdictioni Episcoporum; ex quo enim concessa fuit Monasteriis, & Monachis exemptio, exempta quoque a potestate Episcopi fuerunt bona Monasteriorum, & Monachorum. Sed quoties in illis essent constitutæ Ecclesiolæ sive publicæ, sive privatæ, quoad istas jurisdictioni Episcopali suberant; neque enim exemptis Ecclesiis Monasteriis seu publicis, seu privatis, eo ipso censebantur exemptæ Ecclesiæ Grangiarum, cap. ult. de censibus, cap. 17. de privileg., cap. 4. de verb. signif. in 6.. Recentioribus sæculis Monachi, & Regulares plurimi curaverunt, ut harum quoque Cappellarum exemptionem singulari privilegio a Sede Apostolica impetrarent, qua impetrata alii plures eodem se jure gaudere censuerunt, ex eo quod generaliter impetraverunt, ut sibi communia fierent privilegia eorum, qui uberioribus privilegis distinguerentur. Sed de privilegiis istis actum esse videtur post decretum Tridentinum de observandis in celebratione Missæ sess. 22., ubi statutum est, ne Episcopi permittant privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Episcopis designanda, & visitanda, sanctum Sacrificium a sæcularibus, *aut Regularibus quibuscumque* peragi. Post Concilium Tridentinum nonnulli Religiosorum Ordines similia privilegia iterum obtinuerunt vel specialiter, vel generaliter, minorum impetrantes omnia privilegia certo Ordini etiam post Tridentinum Concilium concessa, quasi & sibi communia. Quamobrem hodie regula recepta est, non aliter Ecclesiolas in Grangiis illis erigi sola Prælatorum Regularium auctoritate posse, & erectas abs jurisdictione Ordinarii exemptas esse, quam si vel de sin-

gulari, vel de generali, & quidem alterutro post Tridentinum Concilium obtento privilegio constet. Hinc si quisquam Regularis Ordo post Tridentinum Concilium obtinuerit, ut suis Prælatis liceat eas Ecclesiolas erigere, & habere a Diœcesani jurisdictione exemptas; alter autem Ordo ante Concilium Tridentinum obtinuisset, ut sibi essent communia illius Ordinis privilegia, hæc privilegiorum communio alteri Ordini non sufficeret, ut hodie posset Ecclesiolas erigere, exemptasve habere. Altera est Grangiarum minus propria species a temporibus potissimum Urbani VII. institutarum. Cum enim tunc temporis, seu anno 1625. die 21. Junii in Romana Congregatione Interpretum Concilii Tridentini statutum fuisset, ut Monasteria, in quibus duodecim Religiosi viri ali minime possent, subderentur Episcoporum jurisdictioni, plura Monasteriola cum Monachorum numerum non habentia Grangiarum nomine donari cœperunt, in quibus pauciores numero Monachi non tanquam in Monasteriis consistere viderentur, sed tanquam in quibusdam membris Monasterii majoris, a quo Monasteriola, sive Gangriæ penderent; quod Monachi plurimi curaverunt, ut laudatum decretum eluderent, & nihilominus in Monasteriolis habitantes mutato Monasteriorum nomine Episcoporum jurisdictionem evaderent. In istis sane Grangiis Monasteriorum adhuc formam habentibus Ecclesiolas Monachi auctoritate sua erigebant, aut erectas regebant, quousque Innocentius X. ea omnia Monasteriola suppressit. Porro anno 1625. Idibus Octobris prodiit Constitutio Innocentii, quæ incipit: *Instauran-dæ*, qua suppressis ejusmodi Grangiis in Italia, Insulisque adjacentibus, cautum fuit, ut si iterum ejus generis Monasteriola erigerentur, ea quoad omnia Episcoporum jurisdictioni subjacerent. Plurimum, vehementerque turbavit Monachos Innocentiana Constitutio, qui biennio post, seu anno 1654. nullum non lapidem moverunt, ut & illa Monasteriola adhuc substinerent, & Episcoporum auctoritati minime subessent. Ajebant aliqui, in iis quidem Monasteriolis non consistere duodecim Monachos, id vero ex injuria temporum proficisci, quibus redditus Monasterii erant imminuti, nec pares ad tot Monachos sustentandos, cæterum spem sibi maximam fore, ut brevi redditus augerentur, ad duodecim alendos sufficientes. Ajebant alii, se in eo Monasterio habitare, in quo temporibus Urbani VIII. duodecim Monachi vivebant, & in quo duodenarius numerus esse desiit nonnisi post constitutionem Urbani, proinde se facile non contineri in constitutione Innocentii utpote quæ sequela erat constitutionis Urbani. His, similibusve de causis postulabant apud Innocentium, ne ea Monasteriola supprimerentur, & non suppressa adhuc exemptionibus suis potirentur. Annuit in parte Innocentius, in parte autem respuit Monachorum preces. Videlicet concessit, ut Monasteriola illa adhuc incolumia consisterent, & in iis Monachi habitarent, dummodo in iis manerent sex saltem Religiosi provectæ ætatis, probatæque vitæ, quorum quatuor saltem Sacerdotes essent; adjicens tamen, ut ista Monasteriola minime suppressa Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato subjicerentur, quo factum est, ut specie tenus Monasteria viderentur exempta ab Ordinarii jurisdictione, concessa Episcopis auctoritate delegata, ex qua integra manerent privilegia; revera autem Monasteria subjecta essent Episcopis, qui jure delegato suscepto eamdem potestatem explicabant, quam secluso privilegio jure ordinario explicavissent. Concludemus igitur, in istis hodie sine Ordinarii facultate tanquam Sedis Apostolicæ delegati vel Ecclesias, vel altaria erigi minime posse, nisi forte Innocentianæ constitutioni singulari aliquorum monasteriorum gratia, & privilegio derogatum deprehendatur.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT VI.

De auctoritate Episcoporum in Sanctimoniales.

Huc iterum referendi sunt tituli 31. 35. & 36. libr. 3.

MUlta quidem sunt Monasteriis sacrarum Virginum, & Monasteriis Virorum, item multa sunt Sanctimonialium, & Monachorum vitæ, atque institutionibus æque communia, quasi plerumque, seu tantum exceptis iis, quæ singularem personarum conditionem spectant, saluberrimæ leges pro Monachis, eorumque Cœnobiis editæ ad Sanctimoniales, & ipsarum Monasteria protrahantur, cap. 8. in fine de statu Monachor., unde S. Basilius de institutione Monachorum ita scribebat: *Quoniam non virorum modo conventus sunt, sed etiam Virginum, cætera quidem omnia, quæ hactenus præcepta tradidimus, æque utrisque communia sint.* Id evenit ex eo potissimum, quod eodem fere tempore sive in viris, sive in feminis prodiit monasticarum institutionum origo, immo & iisdem fere Regularum auctoribus utraque Monasteria dirigi cœperunt; & virgines profitentes non novum amplecti statum, sed statum virorum imitari visæ fuerunt. Hinc quæ de proponenda certa Regula Pontificia auctoritate probata, de erigendis Monasteriis auctoritate Episcoporum, vel Pontificum Maximorum, atque in ea semel erecta inducendis professis, aut professuris, de ætate profitentium, annove tyrocinii, seu novitiatus, de Prælatis, sive Abbatibus eligendis confirmandis, instituendis, eorumve officiis in inferiores, ac Monasteria exercendis, de tribus votis, quæ ad substantiam status monastici pertinent, aliisve similibus respectu Monachorum obtinent, etiam respectu Sanctimonialium obtinere deprehenduntur, cap. ult. de religios. domib., cap. eod. tit. in 6., cap. 43. vers. *supradicta* de elect. in 6., can. 25. caus. 18. quæstion. 2., Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 3.. Cæterum quædam sunt Sanctimonialibus, earumque Cœnobiis singularia, quæ certas sanciri leges Monachis non communes postulaverunt; sive quod non æque Sanctimonialibus concedi potuit jurisdictio rerum spiritualium & sacrarum, quæ concedi potuit Monachis, ac præsertim Monachorum Prælatis; sive quod administrationis bonorum monasticorum munus non æque opportune visum fuit feminis committendum; sive quod sexus debilioris infirmitas rigidiorem clausuræ legem postulavit; sive denique quod a Sanctimonialibus perraro curatum est, ut privilegia exemptionum ab Episcopali jurisdictione obtinerent; quamobrem hodie, paucis Monasteriis exceptis, adhuc illæ obnoxiæ sunt Ordinariorum potestati juxta veterum canonum disciplinam; neque enim privilegia viris, eorumque Monasteriis concessa; ad Sanctimoniales, earumque Monasteria vi sua extenduntur, argumento canonis 8. dist. 100.

Itaque in primis singulare est in Sanctimonialibus, ut rerum sacrarum, & jurium spiritualium potestas in Episcopo resideat, ad cujus officium spectet, jurisdictionem sive in interno, sive in externo foro explicare. Ut rite, ordinateque omnia observentur, triplex in hoc proposito est jurium, seu potestatum genus. Alia enim jura pertinent ad functiones ecclesiasticas Hierarchicas, sed clericali ordini adnexas. Alia spectant ad functiones quidem Hierarchicas sed clericali ordini minime adnexas. Alia denique pertinent ad monita quædam, ac consilia in levioribus præsertim negotiis præstanda. Sane si de rebus omnino sa-

cris, & quæ ab ordine clericali pendent, loquamur, sive Sacramenta illa sint, sive Sacramentalia, ea administranda sunt a Sacerdote ab Episcopo designato, can. 11. caus. 18. quæst. 2., cap. 10. de Pœnitent. & remission., & quidem specialiter; jamdiu enim obtinuit, ut Sacerdotes ab Episcopo designati causa administrandorum Sacramentorum in diœcesi nequeant vi generalis designationis potestatem sibi factam in Moniales, & in earum Ecclesiis exercere; immo ut, si quis ad certum tempus, vel ad certam causam specialiter designatus fuerit, nova indigeat speciali designatione, ut elapso tempore, vel absoluta causa exercere officium pergat. Hac in parte observanda ab Episcopo erunt Tridentina decreta, nimirum curandum, ut Monialibus minime concedatur in Ecclesia interiore, seu intra clausuram Monasterii sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrari, sacramve Eucharistiam custodiri, sess. 25. de Regular. cap. 10., eamque ob causam minime concedatur Sanctimonialibus sacri tabernaculi clavim servare, a Sacerdoribus, ad quos Sacramenti administratio pertinet, detinendam; item ut moneantur Sanctimoniales, quo saltem semel singulis mensibus ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta accedant, Clement. 1. §. *sane* de statu monachor., denique ut præter ordinarium Confessarium alius extraordinarius bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat, dicto cap. 10. Tridentino. Addunt nonnulli argumento canonis 19. & 25. caus. 18. quæst. 2., cavendum esse Episcopis, ne laicorum Confraternitates in Ecclesiis Sanctimonialium erigant, quo tutius sacrarum virginum solitudini consulatur; insuper cavendum esse, et singulis diebus in Sanctimonialium Ecclesiis Missæ Sacrificium celebretur de more Conventualium Ecclesiarum, argumento capituli 11. de celebrat. Missar., eademque ratione, ut a Monialibus opera detur psalmodiæ quotidianæ juxta receptum in unaquaque Ecclesia ritum, cap. 9., juncta Clementina 1. eod. tit.. In aliis, quæ proprie sacra, ac spiritualia munera, ordinibus adnexa dici non possunt, sed fere sacra, aut sacris cohærentia, modo receptum est, ut per Abbatissam, sive Præfectam Monasterio exerceantur, modo etiam per totum Sanctimonialium collegium, modo per Episcopum, modo etiam ita, ut Abbatissa gerente munus, vel collegio suffragia ferente, auctoritas, aut præsentia Episcopi accedat, habet autem Abbatissa regulariter quasi matrisfamilias potestatem, qua prædita Moniales corrigere, atque ad observandam Monasterii disciplinam salubribus præceptis urgere possit, præsertim ubi leviora negotia sint, & quotidiana consueta ministeria; immo & aliquando aut ex consuetudine, aut ex privilegio jus adquirere potuit instituendi in beneficiis a Monasterio pendentibus, vel leviores quasdam censuras, dixerim potius censurarum imagines, inferendi, cap. 12. de major. & obed., cap. 14. de excess. Prælat., juncto cap. 33. de sentent. excomm., quod potissimum, uti ex citatis capitibus liquet, in Gallia obtinuit, in qua feminæ nobiliores aliquando jurisdictionem saltem per modum arbitrii exercere potuerunt, cap. 4. de arbitriis, cui jungi potest capitulum 13. de foro compet.. Scimus etiam Abbatissæ aliquando permissum, ut decimas semel Monasterio quæsitas alicui concedat, cap. 2. de his, quæ fiunt a Prælatis; item ut pro curatoris vices pro Monasterio peragat, cap. 4. de confirmat. utili, vel inut.. Collegium quoque Monialium certa potest exercere jura spiritualibus adnexa, veluti juspatronatus, jus electionis Prælatæ, vel admissionis sororum, aut his similia. Verum ubi negotium aut gravius videtur, aut fere ad res sacras, & religiosas accedit, tunc plerumque Episcopale judicium postulat. Hinc primo ad Episcopi jurisdictionem pertinebit, certum Sanctimonialium numerum præs-

tituere, ultra quem nulla recipiatur, cap. un. vers. *Sane* de statu Regular. in 6., Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 3., juncto argumento capituli 9. de constitut.; secundo curare, ut nulla puella ante annum duodecimum ætatis suæ ad suscipiendum monasticum habitum admittatur, quemadmodum neque ad professionem ante annum decimumsextum, & quidem nonnisi post absolutum tyrocinii annum, Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 15. & 17., abrogatis vetustis canonibus, quibus aut pullæ adhuc intra infantiam admittebantur, can. 2. caus. 20. quæst. 1., aut anno tyrocinii renuntiari a profitentibus poterat, cap. 16. de Regularibus. Sunt, non ignoro, qui senserunt, attenta Concilii Tridentini constitutione adhuc permitti posse, ut puella minor duodecim annis habitum monachalem suscipiat, protereaquod in dicto cap. 17. legatur, nec majorem duodecim annis, neque *aliam* dimittendam esse, priusquam &c. Verum tum Tridentini Antistites *aliam* designaverunt, non minorem annis duodecim, sed aliam quamcumque etiam multo majorem designare voluerunt, quemadmodum recepta docet Tridentini capitis interpretatio, & quidem juxta mentem Concilii, quod nullam ætatem etiam provectiorem exemptam voluit ab examinatione Episcopali, uti in eo capite traditur. Tertio ex dicto cap. 17. nulla puella vel ad susceptionem habitus, vel ad professionem admittenda est, nisi primum sincera ejus profitendi voluntas ab Episcopo explorata fuerit, ac comprobata; unde liquet, bis ab Episcopo explorandam esse puellæ voluntatem; scilicet primum ante susceptionem habitus, deinde ante professionem. Quarto licet verum sit, nullam puellam admitti posse seu ad suscipiendum habitum, seu ad professionem, nisi Sanctimoniales consenserint capitulariter, & post edita, perspectaque majoris partis suffragia, præcedere tamen Episcopo consensum oportet; immo & dum puella habitum suscipit, vel professionem emittit, Episcopi erit & habitum donare, & professionem excipere, can. 3. caus. 20. quæst. 22., nisi forte potestatem hanc vel consuetudine, vel privilegio Abbatissa sibi fecerit singularem, argumento capituli 4. qui clerici vel voventes. Idipsum de Abbatissæ electione dicendum est. Quamquam enim illa jure a Monialibus suffragium secretum ferentibus facienda sit, cap. 43. de elect. in 6., Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 6. & 7., ad Episcopum tamen pertinet electioni præesse, dicto cap. 7. in fine, & electionem confirmare, quam confirmationem intra annum petere electa tenetur, Clement. 2. de statu Monachor.. In his autem rebus in eo versabitur Episcopi officium, ut investiget, ac curet, ne quidquam contra canonum statuta geratur, ex. gr. ne ante professionem puellæ quidquam a Monasterio exigatur, præter ea, quæ ad victum, & vestitum necessaria sunt, Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 16., ne minor annis quadraginta regulariter, & ante annos octo ab expressa professione numerandos, aut extra ordinem ne minor annis tringinta, & ante annos quinque a professione eadem numerandos Abbatissa eligatur, dicta sess. 25. cap. 7. ne, regulariter ab alio Monasterio advocetur præficienda, nunquam autem duobus Monasteriis quæquam præficiatur, dicto cap. 7.. Omittere non debeo, olim multiplex fuisse velum, quod ab Episcopis erat feminis concedendum, nimirum receptionis, professionis, consecrationis, continentiæ, ordinationis, prælationis, addi potest & pœnitentiæ. Hodie superfuerunt priora duo; receptionis, quod habitum induentibus; professionis, quod profitentibus, & voventibus imponitur. Alicubi etiam conceditur pœnitentiæ velum, quod feminis datur, quæ *Convertitæ* appellantur, & quarum mentio fit in Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 18.. Ve-

lum consecrationis olim concedebatur puellis jamdiu professis, & quidem post annum vigesimumquintum, si virgines essent, can. 11. & 14. caus. 20. quæstion. 1., quemadmodum si essent viduæ de solitaria amplectenda vita sollicitæ, velum, quod imponendum erat, velum continentiæ dicebatur, canon. 34. caus. 27. quæst. 1.. Velum ordinationis simile erat velo diaconissarum, quo feminæ ordinationem quamdam instar diaconalis suscipiebant post annum ætatis suæ quadragesimum, can. 23. caus. 27. quæst. 1., ad quam speciem referendum puto canonem 13. caus. 20. quæst. 1.. Officium autem hoc velo indutarum erat, ut homilias publice in Ecclesia Monasterii legerent. Denique velum prælationis Abbatissis concedebatur post annum ætatis sexagesimum, can. 12. caus. 20. quæst. 1.. In conspectu istorum omnium facile concluditur, ad Prælatas Monasteriorum pertinere jure ordinario Sanctimoniales corrigere, monitis ad Regulæ observationem, & monasticæ vitæ cultum hortari instar matrisfamilias, non veram & propiam jurisdictionem in easdem exercere; deinde abstinere omnino illas oportere ab iis, quæ hierarchiæ clericalis sunt, utpote quorum feminæ sunt penitus incapaces; in iis denique, quæ, ita dixerim, medio loco sunt posita, & hinc proxime ad hierarchicas functiones accedere videntur, illinc etiam non clericis posse competere saltem jure singulari, plurimum dandum esse locorum consuetudinibus, monasticis statutis auctoritate ecclesiastica confirmatis, privilegiis, aliisque similibus juribus, quibus tamen deficientibus nulla competat Sanctimonialibus jurisdictio, atque omnia in potestatem Episcopi conferantur.

Administratio bonorum temporalium ad Monasteria pertinentium eodem jure ad Abbatissas pertinet, quo pertinebat olim ante invectas monasticas exemptiones ad Abbates administratio bonorum ad Monasteria virorum spectantium, cap. 2. de his, quæ fiunt a Prælatis, cap. 4. de confirm. ut. vel inut.. Verum sexus muliebris infirmitas, & singularis Sanctimonialium clausuræ lex postulavit, ut ab eo generali jure recederetur. Quamobrem obtinuit, ut, si de re gravi agatur, consilium, & auctortas Episcopi intercederet, cujus quoque auctoritate, aut consensu curatores bonorum constituantur, & coram quo administrationis ratio reddatur. Vix memoro vulgatum Justiniani Imperatoris privilegium in Novella 79., quo scilicet indultum fuit, ut lites Sanctimonialium ab Episcopo definirentur.

Opportunum quoque fuit, ita sacrarum Virginum conditioni prospicere, ut singularis clausuræ lex custodiretur. Ad illam perpetuo hortati sunt Sanctimoniales veteres Ecclesiastici Patres, non tamen eam firma & generali lege induxerunt. Primo cautum fuit sæculo quinto & sexto tum Ecclesiastica, tum Imperatoria auctoritate, ut abolerentur duplicia Monasteria, ea scilicet, in quibus & Monachi, & Sanctimoniales habitarent, can. 21. 22. 23. & 25. caus. 18. quæst. 2.. Deinde primum sub Bonifacio VIII. constitutum, ut clausura a quibuscumque Sanctimonialibus observaretur, cap. 1. de statu regular. in 6., quod confirmatum fuit in Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 5., & pluribus recentioribus Maximorum Pontificum constitutionibus; immo & addidit Concilium Tridentinum in dicto cap. 5., curandum Episcopis esse, ut extra mænia urbium, vel oppidorum Virginum Monasteria non erigantur, & ab erectis, quoad fieri commode possit, Sanctimoniales ad alia intra urbes, vel oppida sita transferantur. Episcoporum autem potissimum curæ mandatum est, ut leges, quibus ea solitudinis ratio firmata est, observentur. Duas habent partes leges istæ: Prima est, ut nulla ex sacris Virginibus Monasterium egrediatur; altera, ut nemo extraneus introire Monasterium possit. Quod si sacra

Virgo egrediatur Monasterium, non solum officiis, si quæ habet, monasticis cadit, aut ad ea obtinenda inhabilis redditur, sed & excomunicationem incurrit; similique excomunicationi intranei subjacent, qui Monasterium ingredi ausi fuerint, dicto cap. 5. Concilii Tridentini. Sunt tamen quædam receptæ & quidem in utraque parte, generalis regulæ exceptiones. Olim vigebat, ut in pœnam certi criminis de Monasterio in arctius Monasteriorum Moniales auctoritate Episcopi transferri possent, uti in ea specie, qua simonia in receptione sororum admissa fuisset, cap. 40. de simonia; non tamen Abbatissæ solius auctoritate Sanctimonialis de Monasterio in Monasterium transferri poterat quamcumque ob causam; visa enim fuit hæc res gravis, inconsulto Episcopo, non gerenda. Sed hodie aliud viget, postquam firmioribus legibus constituta fuit clausuræ ratio ita, ut etiam si Sanctimonialis e laxiore Monasterio in arctius transferri se postulet, consensus Sedis Apostolicæ requiratur; quamobrem ea regula hodie tradi solet, ut tantum in casibus in jure expressis Episcopus possit egrediendi facultatem concedere, aut tum demum cum necessaria emergat causa, cui minime consuleretur, si esset Apostolicæ Sedis dispensatio diutius exspectanda. Quænam sint causæ in jure probatæ, liquet ex cap. unico de statu Regular. in 6., ex Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 5., ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Circa pastoralis*, & alia quæ incipit: *Decori*, nimirum causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ. Non adeo augustis finibus circumscribitur Episcoporum potestas in dispensando ab altera legis parte, qua quis extraneus prohibetur, ne Monalium Monasteria ingrediatur. Cum enim quotidiana fere emergere negotia possint, quæ postulent, necessario eam legis partem relaxari, visum id fuit Episcoporum arbitrio reservandum; qui tamen illud semper præ oculis habebunt, ut nunquam ea utantur facultate, nisi justa subsit, eademque necessaria causa. Hinc licet visituris Episcopis ad ea Monasteria ingressus petere debeat, si tamen agatur de electione Abbatissæ, cui extra claustra Monasterii intervenire Episcopus potest, vetitum eidem fuit, ne ob eam causam Monasterium ingrediatur, Concil. Trident. sess. 25. de Regular., cap. 7., ex quo regula confici potest, parcius Episcopos uti debere facta sibi canonibus facultate, ac non nisi tum, cum necessarium videatur, & extra Monasterii clausuram prospicere utilitati Sanctimonalium minime posit. Respectu virorum ab Episcopo conceditur Monasteria egrediendi facultas necessario, Medico, cæterisque periclitanti Moniali subventuris, ubi justa sit, & necessaria causa: immo & quicumque Sacerdos in supremo necessitatis casu, si præsto non sit ordinarius minister, seu ille, qui ex speciali Episcopi mandato curam spiritualem Monasterii gerit, unius Abbatissæ concessione ingredi Monasterium libere poterit, Sacramentum Pœnitentiæ proxime moituræ administraturus. Item conceditur ab Episcopo ex necessaria causa Monasterii œconomis, syndicis, actoribus, villicis, atque opificibus universis, ubi alias opus illorum extra Monasterium peragi nullo modo posset. Adde casum, quo puella educationis causa in Monasterio consistens vellet testamentum facere; tunc enim notario, ac testibus ingrediendi facultas deneganda non esse, quoties puella testatrix grave infirmitate detineretur, ne ad exteriorem januam, ut ad loca colloquiis destinata accedere valeret. Facilius ea facultas feminis ab Episcopo conceditur. Non memoro in primis speciem de puella Monasterium ingressura causa suscipiendi habitus, ineundique tyrocinii; de hac enim re nulla subest dubitatio. Dico &, posse illud concedi famulabus, quæ in Monialium obsequio sunt, quibus etiam libere indulgetur, ut pro necessitate, aut utilitate

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sacrarum virginum modo a Monasterio exeant, modo Monasterium ingrediantur; item idipsum posse concedi puellis ingressuris causa educationis, dummodo Sanctimoniales collegiali forma eas admittere velint, eademque ratione viduis probatæ vitæ; non autem nuptis, ignorante, vel dissentiente marito, nisi forte istæ a marito aut iniquam vim, aut insidias patiantur. Quænam conditiones in iis puellis admittendis requirantur, fuse explicat Barbosa de offic. & potest. Episc. allegat. 102. num. 63. 64. & 65.

Generalia hæc sunt, ad Sanctimoniales Episcoporum jurisdictioni subjectas pertinentia. Sunt Monasteria quædam ab Episcoporum jurisdictione singulari privilegio exempta, & subjecta vel Prælatis Regularibus, vel immediate Apostolicæ Sedi. Ut Apostolicæ Sedi immediate subjicerentur, obtinuerunt nonnulla Monasteria, vel impetratis ab eadem Sede Apostolica privilegiis singularibus, vel ea conditione adposita in limine fundationis. Ut subjicerentur Prælatis Regularibus, id quidem aliquando in limine fundationis cautum est, vel speciali Sedis Apostolicæ privilegio indultum; aliquando tamen sensim contigit. Siquidem apud veteres, ubi erant duplicia Monasteria, virorum scilicet, ac feminarum ejusdem Ordinis, Sanctimoniales a Monachis regebantur; quasi cum communes essent monasticæ institutiones observandæ, istæ commodius a Monachis proponerentur, qui etiam curam bonorum temporalium opportunius suscipiebant, ac gerebant. Immo & ubi nulla erant Monasteria duplicia, sed in eodem oppido, vel in eadem urbe Monasteria virorum, & feminarum proxima essent, alicubi obtinuit, ut Monasteria feminarum sub regimine Monachorum constituerentur, can. 24. caus. 18. quæst. 2., quod tamen ante invectas monasticas exemptiones ita fiebat, ut Monachi iidem æque ac Sanctimoniales Episcoporum jurisdictioni subessent, ac nonnisi serius factum est, ut Monachi cum primum ipsi exemptionum privilegia impetravissent, tum etiam curarent, ut Sanctimoniales regimini suo commissæ ab Episcopali quoque jurisdictione eximerentur. Itaque in iis Monasteriis, quæ immediate Sedi Apostolicæ subjecta sunt, solent hodie Episcopi jure delegato omnia peragere, quæ jure ordinario peragunt in Monasteriis suæ jurisdictioni subjectis. In iis autem Monasteriis, quæ non tam exempta ab Ordinario sunt, quam Prælato Regulari subjecta, quamquam generaliter privilegii tenor sit spectandus, cap. 7. de privilegiis, regulam ponimus, qua fiat, ut quæ in Monasteriis Ordinario subjectis geruntur ab Ordinario, in ejus generis exemptis fiant a Prælato Regulari, iis exceptis, quæ singulari jure Episcopo vel privative reservata sunt, vel cumulative cum Prælato Regulari concessa, quemadmodum demonstrant plura Concilii Tridentini capita, item plures recentiores Pontificum Maximorum constitutiones. In primis obtinuit, ut nulla ne exemptarum quidem Monialium Monasteria in diœcesi, non consentiente Episcopo, construantur, dicto Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 3., præterea, ut Regulares in Ecclesia Monialium prædicaturi benedictionem ab Episcopo petere teneantur, dicto Tridentino Concilio sess. 5. de Ref. cap. 2., item ut Confessarii exemptarum, atut a Prælato Regulari electi, probari, ac confirmari ab Episcopo debeant, sive illi ordinarii sint, sive extra ordinem dati, constitutione *Inscrutabili* Gregorii XV., ubi etiam legitur, posse Episcopos monere Prælatos Regulares, ut pravos administratores amoveant, iisque non amoventibus, recte amovere, atque una cum Prælato Regulari rationem sibi reddi administrationis postulare; insuper posse Episcopum intervenire, si velit, una cum Prælato Regulari electioni Abbatissæ, licet hæc per Prælatum Regularem sit confirmanda. Non videtur quoque denegandum Episcopo, ut una cum Prælato Re-

gulari curet, ne statutus Monialium in singulis Monasteriis numerus excedatur, juxta caput 3. Tridentinæ sessionis 25. de Regular., item ut per se consensum virginis exploret, sive habitum susceptúræ, sive professionem emissuræ, cap. 17. ejusdem sessionis. Præ cæteris clausuræ lex, sive ut eadem observetur, sive ut ab eadem ex causa legitima dispensetur, Episcopali curæ, excluso Regulari Prælato, committitur, cap. un. de statu Regul. in 6., cap. 5. dictæ Tridentinæ sessionis, & constitutione Pii V., quæ incipit: *Circa Pastoralis*, adeo ut Episcopus possit etiam Regulares adversus eam legem delinquentes punire, dicta constitutione *Inscrutabili* Gregorii XV.. Hinc Episcopus poterit clausuræ causa ea Monasteria visitare, eam servandam, atque, ubi opus, restituenda mandare; &, si quando contingat, Sanctimonialem ex justa causa e Monasterio exire debere, Episcopi necessaria erit auctoritas, eodem modo, & quibus in casibus, quibus diximus de Sanctimonialibus minime exemptis. Quod vero attinet ad facultatem aliquibus concedendam, ut Monasterium ingredi possint, id quidem semel in anno Visitatori Regulari permittitur, quemadmodum & Confessario, quotiescumque necessitas postulet, juxta constitutionem 156. Alexandri VII., quæ incipit: *Felici*; sed si Visitator e re esse censeat, ut pluries in anno visitet, id demum facere poterit cum præsentia Episcopi vel alterius Ecclesiasticæ Personæ ab Episcopo designandæ. In cæteris speciebus, quibus alicui permittendum sit ex causa jure probata, ut Monasterium ingrediatur, aliquando receptum fuit, ut ea facultas a Prælato Regulari concederetur, juxta iterpretationem, quæ adfingebatur ad ea verba Tridentini Concilii sess. 25. cap. 5. de Regular. *sine Episcopi, vel Superioris licentia.* Hodie vero, uti observavit Benedictus XIV. in libr. 13. de Synodo Diœcesana cap. 12. num. 23., receptum est, ut, ubi consuetudo viguit, facultatem obtineri a solo Episcopo, ea consuetudo firma consistat; ubi vero consuetudo viguit, facultatem a solo Prælato Regulari concedi, ita consuetudo eadem temperetur, ut non aliter cuiquam suffragetur facultas a Prælato Regulari concessa, quam si prætera fuerit ab Episcopo comprobata.

CAPUT VII.

De auctoritate Episcoporum in Opera pia, ac religiosa.

Huc referendus est titulus 36. libr. 3.

NOmine piorum operum, ac religiosorum intelligo, vel quæ vulgo Hospitalia appellantur, vel quæ dicuntur laicorum Confraternitates. Addi possunt legata ipsa perpetua quæcumque, quibus adcensendæ essent laicæ Cappellaniæ. Sed quoniam de legatis quibusdam piis, & de laicis Cappellanis in tractatione de Beneficiis Ecclesiasticis commodius agendum erit, ideo ad Hospitalia, & Confraternitates oratio coercebitur.

Non esse Hospitalium originem quarto sæculo antiquiorem, facile est conjicere ex veterum silentio, specialiter autem priscarum Romanarum legum, in quibus licet omnium, & singulorum operum publicorum mentio facta fuerit, nullibi tamen vel nomen scriptum invenitur aptum ad significanda domicilia, vel diversoria ad sustentationem pauperum destinata; unde hæc recentioribus temporibus non latinis nominibus, quæ deficiebant re apud Latinos incognita, sed nominibus græcis ex dictionibus compositis appellata fuerunt; videlicet, si pro peregrinis exigerentur, *Xenodochia*,

si pro orphanis, *Orphanotrophia*, si pro pauperibus corpore debilibus, *Ptocotrophia*, si pro senibus, *Gerontocomia*, si denique pro infirmis, *Nosocomia*, aut *Leprosarias*, quoties pro iis, qui speciali lepræ morbo laborarent. Cœpit quidem in primis Christianis, specialiter in clericis, singularis charitas excitari, qua consueverunt adsignare certam bonorum præsertim ecclesiasticorum proventuum portionem; qualiscumque, & quantulacumque tunc esset, aut ad quotidiana pauperum, pupillorum, orphanorum, ac viduarum alimenta, aut ad opportuna ægrotantium hic illic constitutorum subsidia, aut ad peregrinorum levamem; unde Viri illi Apostolici hospitales, seu hospitalitati studentes dicebantur; id tamen nihil habet cum Hospitalium deinde erectorum disciplina commune. Erat potius illa quædam prima, & rudis recentium Hospitalium forma, & imago, quæ tum demum perfici visa est, quum pacatis Ecclesiæ rebus, fusioribus eleemosynis in Ecclesias tributis, potuerunt ad ea pia, ac religiosa officia loca publica ædificari, & ædificata muneri providis legibus, & prudentibus curatoribus commendari; atque idipsum accidit portioni proventuum Ecclesiasticorum in pauperum usus conferendæ, quod accidit illis temporibus portioni ad alimenta clericorum destinatæ, quæ primum inter clericos pro virili uniuscujusque parte, id est, habita ratione gradus, & indigentiæ, dividebatur, deinde eisdem fuit in communi utenda concessa, quando clericorum Collegia instituta fuerunt. Id autem esse puto, quod Sanctus Augustinus ajebat in tractatu 97. in Joannem, ubi ait, nomina Hospitalium substantia, & inductione Hospitalium eorumdem esse multo recentiora. Nemo mihi objiciat in hac re testimonium Julii Africani scriptoris tertii sæculi apud Du-Cange in verbo *Hospitale*, ubi legitur, loquentibus Apostolis Magos fuisse ad *Hospitalia* deportatos, quasi Hospitalia Apostolicis temporibus jam erecta fuisse, exinde demonstretur: etenim, præterquamquod quæ fuidem occurrit, mentio Hospitalium tribuenda potius sit Latino longe recentiori græci sermonis Interpreti, erant illa diversoria quædam, seu loca ab urbe remota in agris, & villis sita, omnino privata, illi sane similia, quo de Varrone Cicero scribebat, processisse in villam, quasi in studiorum, non libidinum diversorium. Cæterum ex lege 24. cod. de Episc. & Cler. deduci facile potest, temporibus Valentini anni, & Martiani Imperatorum vix Hospitalia pauperum erigi cœpisse, quando ibidem constitutum primum adparet, non videri incertis personis relicta, quæ puaperibus testamenta, vel codicillis relinquerentur.

Hac ratione erectis Hospitalibus, nobiliorem, ita dixerim, speciem sumpsit Christiana charitas, qua concitati religiosi Imperatores facultatem adquirendi eisdem expresse dederunt, dicta l. 24. cod. de Episc. & Cler.. Præcipue vero eadem charitate ferventes Sancti Ecclesiarum Antistites nova opera in dies ad eumdem finem moliebantur, ac construebant; legimus enim erectas gratia pauperum domos a Basilio Magno, ab Joanne Chrisostomo, a Pelagio II. Pontifice Maximo, & aliis numero plurimis, quorum optimum, & efficax exemplum secuti fuerunt eadem ætate laici religiosiores, alii collatis inter vivos egregiis donationibus, alii pinguibus relictis hæreditatibus, vel legatis, nunc nova Hospitalia erigentes, nunc erecta amplificantes, aut locupletantes, quemadmodum de Fabiola scripsit S. Hieronymus, & de Rege Galliarum Childeberto perspicuum testimonium reddidit Concilium Aurelianense V. anni 549.. Quamobrem jamtum tria Hospitalium genera cognosci, ac distingui cœperunt, Ecclesiastica nimirum, laicalia, & mixta; Ecclesiastica erecta a clericis ex bonis Ecclesiarum; viri enim Ecclesiastici vel ipsas Ecclesiasticas obventiones in eum usum redigi optimum ducebant; laica erecta

a laicis, & ex bonis familiaribus; mixta, ad quæ erigenda, vel amplificanda Ecclesiastici simul, laicique viri convenerant. Et quemadmodum Hospitalia Ecclesiastica erant undecumque sub clericorum regimine, specialiter Diaconorum, uti sæpe scripsit Gregorius Magnus, atque Hospitalia laica administrabantur a laicis curatoribus, ut plurimum fundatorum hæredibus, qui curatores in Imperialibus legibus proprio nomine *Parabolani* appellantur, ita Hospitalia mixta ut plurimum subjacebant regimini tam clericorum, quam fundatorum, aut eorum, qui causam a fundatoribus habuissent.

Diu, & constantissime perseveravisset hæc administrationis bene, ordinateque constitutæ disciplina, si laicorum fundatorum hæredes etiam remotissimi accurate omnia, & bona fide implevissent. Quis autem ignorat, quales in rebus humanis pati imminutiones soleant, utinam nusquam ad interitum usque, optimæ institutiones, quando perpetua successione sunt de hæredibus in hæredes etiam seros traducendæ? Verum istorum oscitantia occasionem dedit Imperatoribus, ut legibus opportunis editis pias defunctorum voluntates prope labentes tuerentur, ac sustinerent. Justinianus Imperator hinc apprime gnarus, publicos Magistratus gravissimorum negotiorum numero implicatos non omnem industriam impendere in ea opera posse; illinc diuturna experientia edoctus, quæ, & quanta foret sollicitudo Episcoporum in curanda pauperum utilitate, quorum gratia intuebatur, ipsas etiam Ecclesiasticas facultates impendi, identidem usque ad sacrorum vasorum, ubi opus esset, distractionem, Episcoporum eorumdem curæ Hospitalia commendavit, præcipiens etiam, ut, si cujuscumque liberalitate quidquam generaliter pauperibus concederetur, id totum in Antistitum administrationem, & curam executionis causa conferretur, l. 46. de Episc. & Cler., Nov. 131. cap. 11. In hoc rerum statu non solùm Hospitalia ab Ecclesia erecta suberant legitimæ, & ordinariæ, uti decebat, Episcoporum potestati, ac regimini, sed etiam suberant Hospitalia universa etiam laicæ fundationis, ob singularem commendationem Episcopis factam auctoritate Principum, qui singulari providentia ad curam horum publicorum operum vigilabant. Sed utinam priscorum Antistitum charitatem, & curam in pauperes plane paternam secuti fuissent perpetuo recentiores! Deventum est ad ea tempora, quorum tristis memoria Ecclesiæ superest, sæcula dico decimum, & undecimum, quibus Episcopi plures parum solliciti de Ecclesiarum utilitatibus, minus adhuc solliciti fuerunt de solerti Hospitalium, & bonorum ad Hospitalia pertinentium administratione, ad hæc tantum respicientes in iis, ex quibus privata sui commoda referebant, proptereaque Hospitalia nedum non juvabant, sed gravando premebant, exigentes ab iis decimas & reales, & personales, mortuaria, portiones canonicas, procurationes, cathedratica, & alias hujus generis pensitationes. Quamobrem Administratores, aut Defensores Hospitalium erectorum nihil dubitaverant, quominus privilegia exemptionis abs jurisdictione Episcoporum Hospitalium gratia peterent, quæ facile obtinuerunt. Ipsi etiam fundatores nova Hospitalia erecturi tabulas fundationum pactionibus, & clausulis muniverunt, quibus declararent, se nolle nova opera Episcopis ulla ratione subjicere, alios curatores pro voluntate, & arbitrio suo Hospitalibus designantes. His privilegiis, & juribus singularibus exemplo fuerunt exemptiones, quas Monachi circa sæculum duodecimum impetrabant gratia Monasteriorum, quæ olim etiam Episcoporum suberant potestati; quando & Monasteriorum, & Hospitalium eximendorum videbatur esse eadem causa, nimirum nimis protractæ in utraque Episcopalis auctoritatis abusus; atque id eo facilius locum sibi

UAB Biblioteca de Ciències Socials

vindicavit, quo commodius Hospitalia adnecti potuerunt alicui Ordini regulari, ab Episcoporum auctoritate exemptio, quemadmodum revera plura adnexa fuerunt Ordini Theutonicorum, plura Ordini S. Antonii, plura Ordini S. Joannis de Deo; plura denique, ut alia omittam, Ordini S. Joannis Hierosolymitani. Noverunt tunc Episcopi, quantum jurisdictioni suæ detraxerit nonnullorum prædecessorum negligentia, studueruntque navando in pauperum curam solertiorem operam, aut auctoritatem pristinam recuperarent, modo declamando adversus novos Administratores, quasi gravis desidiæ reos, modo pollicendo, omnem industriam se in pauperum subsidia collaturos, si suæ iterum curæ Hospitalia committerentur, quemadmodum liquet ex Concilio Viennensi in Clement. 2. de religios. domibus. Deducta tandem res fuit ad Concilium Tridentinum, in quo pristina Episcopis restitui auctoritas visa est, sess. 22. cap. 8. & 9. de Reform., delegata etiam potestate cum ordinaria cumulata, quamquam non omnino amplissima potestas restituta fuerit, qualis olim concessa fuerat; eamque ob rem adhuc superfuerunt non leves controversiæ, quæ nec potuerunt unanimi Interpretum suffragio dirimi, neque consuetudinibus nationum, utpote variis, definiri, neque a Romana Congregatione Interpretum Concilii Tridentini enodatæ fuerunt, cujus decreta etsi numero pluribus prodierint, non tamen generalia sunt, sed specialibus factis, prout res incidit, emergentibus accommodata; unde controversiæ eædem compositæ potius fuerunt utriusque potestatis publicis pactionibus, ac concordatis.

Generalia sunt, quæ hucusque attigimus, & veluti totius materiæ præcipua fundamenta. Jam vero, ut ad singularia descendamus, utque de Ecclesiasticis Xenodochiis primum dicam, observo, non illa singula esse in eodem genere; alia enim Ecclesiastica dicuntur, quod a Viris Ecclesiasticis, & de bonis Ecclesiæ erecta sunt, alia, quod fundata sunt a laicis præhabito Episcoporum consensu, & requisita in limine fundationis Ecclesiastica auctoritate; alia denique, quod licet initio, & prima sui institutione laica fuerint, progressu tamen temporum Ecclesiasticorum Virorum administrationi commendata fuerunt. In primis quoties Hospitalia Ecclesiastica sunt ita, ut a Viris Ecclesiasticis, & de bonis Ecclesiæ erecta proponantur, talis, ac tanta in ea est Episcopi potestas, ac jurisdictio, qualis, ac quanta est in cætera Ecclesiarum bona. Jam a sæculis antiquioribus nulla est Ecclesiasticorum bonorum portio, quæ non subjaceret regimini Episcoporum, can. 23. caus. 12. quæst. 1. Distribuebantur plerumque eadem bona in quatuor partes, quarum prima Episcopo, secunda Clericis, tertia pauperibus, quarta templorum fabricis cederet, can. 27. & seq. caus. 12. quæst. 2., in omnibus autem his portionibus auctoritas Episcopi enitebat, cujus adhuc hodie perspicua vestigia supersunt in collationibus beneficiorum, visitationibus templorum; cur non etiam in eleemosynis gratia pauperum destinatis? Quamobrem ad Episcopum præcipue pertinebit, in iis Curatores, seu Administratores constituere, aut removere, eorum operam invigilare, rationesque postulare, dummodo jam discrimen observet inter Hospitalia concessa titulo beneficii, & concessa in simplicem administrationem; etenim in prioribus ad removendum administrum causam gravem subesse necesse est, eamque, qualis a sacris canonibus requiritur ad removendum quemcumque beneficiarium; in posterioribus autem multum tribuitur arbitrio, & beneplacito Episcopi, tanquam penes Episcopum actualis censeatur esse administratio; constitutique administratores veluti vices Episcopi gerant. Præterea, licet ubi inter pauperes in communi in his Hospitalibus viventes jurgia oriantur, &

lites, non ideo pauperes jurisdictioni Episcopi in eo subdantur; bona tamen Hospitalis ita ab Episcopo defendentur, ejusdemque jurisdictioni subjacebunt æque, ac subjacent bona Ecclesiarum, ac beneficiorum, quasi illa adhuc penes Ecclesiam indivisa a bonis Ecclesiasticis perseverent. Hinc etiam in alienatione bonorum ad ea Hospitalia pertinentium ea omnia observari debebunt, quæ observantur sive ex jure communi, sive ex recentioribus Constitutionibus in alienatione bonorum Ecclesiæ. Singulare illud est in hac specie, ut nomine alienationis etiam veniat concessio Hospitalis titulo beneficii perpetui, si forte antea concedi eo titulo non consuevisset, Clement. 2. de Præbendis, Clem. 2. *Ut autem* de religios. dom..

Si vero agatur de illis Hospitalibus, quæ eatenus Ecclesiastica dicuntur, quatenus fundatores initio ab Episcopo erigendi facultatem impetraverunt, atque obtinuerunt, quoties & facultas generalis fuerit, id est, ad omnia Hospitalium officia gerenda petita, atque impetrata, non collata in unam Sacramentorum administrationem, erunt eadem ejusdem naturæ; cujus sunt Hospitalia Ecclesiastica primi generis superius commemorata, inter utraque non alio intercedente discrimine, quam quod superius memorata Hospitalia erecta fuerint ex bonis, quæ ante erectionem jam erant Ecclesiastica; ista vero ex bonis, quæ tum primum Ecclesiastica esse incipiunt, cum Hospitalia eriguntur. Revera statim ac fundator in limine fundationis rogavit Episcopum, ut in suam fidem Hospitalis erectionem in universum reciperet, nihil aliud voluisse præsumitur, quam cedere certa bona Ecclesiæ, ut pium illud opus exinde construeretur, quod cedens ipse indicaret. Quare incolumi manente penes fundatorem jurepatronatus, una cum certis pactionibus, & reservationibus in tabulis fundationis adjectis, omnia accommodantur hujus generis Hospitalibus, quæ de Hospitalibus primi generis Ecclesiasticis modo observata fuerunt.

Singulares sunt observationes faciendæ circa Hospitalia Ecclesiastica tertiæ speciei; ea nimirum, quæ nec erecta fuerunt a Personis Ecclesiasticis de bonis Ecclesiæ, neque a personis laicis impetrata in limine fundationis Ecclesiæ auctoritate; sed erecta & dotata causa executionis piæ cujuscumque generalis voluntatis unius, aut plurium testatorum, qui forte instituerint hæredes pauperes, vel pauperibus pingue aliquod legatum reliquerint, nulla facta mentione Hospitalis erigendi, & ex eo in vigilem Episcoporum providentiam, & in pauperes charitatem collatæ juxta generales legum dispositiones, l. 46. cod. de Episc. & Cler., Nov. 131. cap 11.. Quando vero in hac specie Episcopi auctoritate sua intercedunt non tam vi ingenitæ dignitatis, atque officii Episcopalis, quam vi concessionum, deputationum, & commendationum a Principibus factarum, dicta leg. 46., & Nov. 131. facile mihi persuadeo, hujus generis Hospitalia nonnisi improprie, & latiore quadam significatione Ecclesiastica dici, nec propterea solos Episcopos in iis jurisdictionem exercere, ac potestatem; eodem fere modo, quo servi manumissio, actus profecto suapte natura publicorum Magistratuum jurisdictioni obnoxius apud Romanos, non ideo recenseri debuit recentioribus temporibus tanquam res mere, & proprie Ecclesiastica, propterea quod extra ordinem commendari cœperit tanquam res pia sacris Administris, seu, quod idem est, manumissio fieri cœperit in Sacrosanctis Ecclesiis, l. 1. & 2. cod. de his, qui in Eccles. manumitt.. Hinc proficiscitur, posse quidem Episcopos designare in iis administratores, corrigere, ubi opus sit, & removere, visitare Hospitalia, & ea omnia gerere, quæ ad rectam administrationem conducere judicantur; ab eisdem tamen officiis excludi non posse publicos Magistratus quoties istis similia munera a Principe commendentur vel generaliter, vel certis emergentibus causis, quum non agr-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tur de rebus suapte natura Ecclesiasticis, sed ideo Ecclesiasticis, quia viris Ecclesiasticis extra ordinem commendatis. Immo quoties Principes ipsi observarent, induci in ea Hospitalia quosdam abusus collectis pauperibus perniciosos ob alicujus Episcopi oscitantiam, si opportunum, aut necessarium putarent, possent sane ad se auctoritatem universam advocare, sive, ut melius dicam, pristinam suam supremam auctoritatem sibi in omnia opera publica competentem ex integro repetere, observatis iis regulis, quæ in suspendendis, vel removendis Magistratibus de negligentia suspectis, aut reis æque a supremo jure, ac sagaci prudentia solent observari. Hinc præterea sequitur, administratores utut ab Episcopis designatos, tam in realibus, quam in personalibus actionibus, rationes, ubi petantur, reddere etiam debere Magistratibus publicis a Principe ad id designatis. Denique etiam sequitur, ubi agitur de alienatione rerum ad hujus generis Hospitalia pertinentium, non posse hanc celebrari, nisi consensus illorum accedat, qui ex mandato Principis operibus publicis præsunt, eaque tuentur ex officio. Non erunt tamen necessariæ solemnitates in rerum ecclesiasticarum alienatione ex Pontificiis constitutionibus receptæ, siquidem constitutiones Pontificiæ, & ex eis pendentes reservationes ad res, & jura mere Ecclesiastica pertinent, non ad ea, quæ ad Episcopalem auctoritatem accesserunt extra ordinem, ex quadam providentia singulari.

Ita explicatis diversis Ecclesiasticorum Hospitalium qualitatibus, in aperta etiam luce collocata sunt diversa eorumdem jura. At enim vero contigere potest, ut satis non constet, seá prudenter dubitetur de alicujus Hospitalis natura, ex quo certæ statuendæ sunt regulæ, unde una Ecclesiastici Hospitalis species ab altera discernatur. Itaque juvabit præ cæteris in monumenta fundationum inquirere, quibus definientibus consideranda erunt adjuncta locorum, bonorum administratorum, & his similia. In adjunctis locorum observabitur, an Hospitalia cohæreant Ecclesiasticis, religiosisve domibus; qualia sunt ædes sacræ, Episcopalia, Collegia seu clericorum, seu Monachorum; in adjunctis bonorum, an Hospitalia dotis titulo possideant bona e bonis Ecclesiasticis divisa; in adjunctis administratorum, an isti clerici sint, an beneficiarii; hæc enim omnia graves porrigerent ad definiendum conjecturas. Post hæc si satis necdum constare possit de qualitate Hospitalis, & adhuc in dubio versetur Judex, censerem, Hospitale exsistimandum esse Ecclesiasticum tertiæ speciei, sive quod major Hospitalium pars hujus naturæ sit, sive quod in hac re sequeremur principia Imperatoris Justiniani, qui in Nov. 131. cap. 11. in specie, qua testator aliquid pauperibus reliquisset, quin personas, & modos consequendi legati causa expresse explicavisset, in dubio commendatum id voluit fidei Episcoporum, tanquam illorum, qui piarum voluntatum publice constituti sunt executores.

Quotiescumque hæ, similesve controversiæ emergant, quibus de natura Hospitalium disceptetur, varietas ipsa judicum, ac Magistratuum Ecclesiasticorum æque, ac laicorum, quorum interesse potest, occasionem præbebit præventionibus, juxta regulas juris generales; quæ suadent, in concursu plurium jurisdictionem habentium fieri præventioni locum. Ut exemplum proferam, si Hospitale contra laicum ageret vindicatione proposita bonorum ab eodem laico emptorum, ac possessorum, & allegaret, irritam fuisse venditionem ob defectum Ecclesiasticarum solemnitatum, allegaret præterea Hospitale illud esse Ecclesiasticum, & ejus naturæ, cujus respectu necesse sit canonum solemnitates intercedere; e contrario laicus excipiens diceret, Hospitale illud esse laicum, aut solemnitatibus a canonibus præstitutis minime obnoxium, præjudicialis hæc quæstio a laico Magistratu posset jure definiri.

Sequitur nunc, ut de laicis Hospitalibus verba faciam. Quamquam quodammodo laica vocari illa possint, quæ ab initio, nulla intercedente Ecclesiastica auctoritate, erecta fuerint, utut deinde in fidem Episcoporum recepta; proprie tamen hoc in loco intelligenda sunt ea, quæ a suis fundatoribus commendata fuerunt laicarum personarum regimini, exclusis Episcopis, vel aliis personis Ecclesiasticis. Et quemadmodum ista erigi possunt, quin ulla ab Episcopis facultas petatur, sicut contingit in cæteris operibus publicis ad utilitatem alicujus civitatis, vel populi ordinandis, dummodo consensus obtineatur publicorum Magistratuum, qui universis publicis operibus mandatis Principum præsunt, idque multo potiore jure, quam quod in laicis Cappellanis observatur; ita Hospitalia eadem sine ulla Episcoporum auctoritate regi erecta poterunt illis conditionibus, quæ aut legibus publicis, aut ipsa fundatorum voluntate præstitutæ deprehendantur. Nemo ignorat, quæ, & quanta sit facultas fundatoribus concessa a sacris canonibus, etiam quoties agatur de erigendis Ecclesiasticis beneficiis, quorum respectu si iis permittitur adjicere clausulas communi disciplinæ contrarias, dummodo nec turpes, nec inhonestas; facilius permittetur similes clausulas adjicere in erectione Hospitalium, quæ suapte natura inter res Ecclesiasticas minime recensentur. Perspicuæ sunt in hanc rem Romanæ leges, l. 28. §. 1. cod. de Episc. & Cler., atque ipsum Tridentinum Concilium, quod Episcopalem potestatem stabilivit, renovavit, promovit, sæpe, ac sæpius ab hac exemptos voluit speciales casus fundationum, sess. 25. cap. 8., sess. 22. cap. 9. de Ref., & juxta hæc principia perpetuo respondit sacra ejusdem Concilii Congregatio apud Fagnanum ad cap. 4. de religios. dom., expedit enim ita excitare pios homines ad nova opera ad publicam utilitatem; decet etiam unumquemque de rebus suis, salvis legibus honestatis, pro arbitrio posse disponere. Revera ut honor fundatoribus exhibeatur, receptum perpetuo fuit, ut fundator, quamdiu vivit, disponere pro arbitrio valeat de rebus Hospitali addictis, quin aut visitationibus publicis, aut rationum redditionibus subsit, eodem modo, quo liberalis bonorum donator, qui sibi reservavisset bonorum donatorum usumfructum, minime obstringitur cautionibus, quas usufructuarii præstare generaliter debent ex disciplina legum Romanarum; uti tradit Fagnanus ad capitulum 4. de religios. dom. num. 53., qui ulterius testatur, definitum aliquando fuisse, ut liceret fundatori in usus profanos convertere, quod ipse in Hospitale contulerat, quamquam hujusmodi facultas fundatorum hæredibus denegetur. Hinc proficiscitur, ea, quæ gratia fundatoris recepta sunt singularia, ad hæredes minime extendi. Quamobrem si fundator expresse hæredes suos (idipsum intelligas de extraneis ab eodem fundatore designatis) exclusa Episcopo Hospitalis a se erecti regimini præfecisset, hæc conditio strictam interpretationem pateretur, quia strictam interpretationem patiuntur, quæcumque disciplinæ communi adversantur, & derogant. Finge enim vero, Fundatorem nominavisse administratores Hospitalis, ordinata perenni successione personarum, non ideo erunt administratores exempti a visitationibus Ordinarii, quia ab ipsis non fuerunt specialiter exempti; quando autem etiam specialiter exempti a visitationibus fuissent, non ideo immunes erunt a reddendis rationibus, nisi istæ etiam expresse remissæ adparerent. Immo quoties Fundatores omni ex parte a quocumque officio Episcopos exclusissent, exclusi Episcopi intelligerentur tantum in casibus ordinariis, non in iis, qui extra ordinem emergunt; id est, quando perspicue constaret de abusu administratrorum, cap. 17. de testamentis, quum non sit verosimile, fundatores præcipue sollicitos de perennitate publici operis a se erecti, voluisse ea præsidia omni-

no de medio tollere, quibus opus idem publicum, ubi in interitum corruere sustineri valeret; atque hæc mens fuisse videtur Tridentinorum Patrum, dum etiam in Hospitalibus laicorum administrationi commendatis certa jura Episcoporum gratia reservaverunt, uti expresse legimus in cap. 8. & 9. sess. 22. de Ref.. Etiam si vero in hac Hospitalium specie certa adhuc sint penes Episcopos jura, non ideo tamen excludentur ab exercendo certo potestatis genere publici Magistratus, quibus publicorum operum cura auctoritate Principum commendatur; siquidem Principes, ubi Episcoporum sollicitudinem in Hospitalia concitaverunt, potestatem suam minime abdicavisse, & in eos penitus transtulisse præsumuntur. Non opus demonstratione in hac parte, quando refert Fagnanus, ita jam definitum fuisse a sacra Congregatione Tridentini Concilii ad cap. de religios. domib. num. 12.

Quacumque de causa laica Hospitalia Episcoporum potestati obnoxia sint, nunquam in bonorum Ecclesiasticorum numero censebuntur, ex quibus canonicas obventiones iidem Episcopi recipiant eo jure, quo ex beneficiis Ecclesiasticis recipiunt. Jura Episcoporum, de quibus quæri potest, ad duas species rediguntur: alia enim debentur in vestigium antiquæ generalis administrationis bonorum Ecclesiæ, quæ olim adnexa erat dignitati Episcopali, veluti Cathedraticum, seu Synodaticum, subsidium (ut vocant) charitativum, & quarta mortuariorum; alia adnexa sunt exercitioni jurisdictionis Episcopalis, quale hodie est jus Procurationis, prout hodie nihil aliud sonat, quam jus Episcopi alimenta petentis in actu visitationis. Jura prioris speciei non debentur Episcopis ab Hospitalibus laicis, cum de bonis agatur, quorum nunquam Episcopis commissa administratio fuerit, cumque ii, qui bona administrant, nunquam ministerium ex Episcoporum mandato, vel concessione susceperint. At jura secundæ speciei deberi non repugnat, proindeque debentur, ubi æqua id receperit consuetudo; neque enim decet, Episcopum visitantem, dum gravissimo muneri incumbit, distrahi alio, ut extra locum visitatum sibi quærat alimenta, dummodo observentur providæ sanctiones Concilii Tridentini, quibus æque consultum est & indemnitati Visitantium, & locorum visitatorum utilitati, sess. 24. de Ref. cap. 3.. Quod si hæc Hospitalia non considerantur tanquam res Ecclesiasticæ, necessario consequitur, in alienandis eorum bonis solemnitates observari non oportere ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum præstitutas, tantum iis cautionibus alienationes fient, quæ receptæ sunt in alienationibus bonorum ad minores pertinentium, quorum privilegia hodie sunt & Hospitalibus communia. Videatur Cardinalis de Luca de alienat. disc. 1. num. 13., & de Regalibus disc. 81. num. 12.. Immo ubi constitutus sit Magistratus quidam, cui Principem auctoritate mandata fuerit cura operum publicorum, nonnisi hujus intercedente consensu alienatio rata erit, instar pupillorum, vel minorennium, quorum alienationes sine consensu tutorum, aut curatorum effectu.

Mixta, sive partim Ecclesiastica, partim laicalia, Hospitalia dici possunt ob duplicem causam. Primo ratione bonorum, ex quibus Hospitalia ipsa erecta sint; secundo ratione finis, ad quem dirigantur. Mixta ratione bonorum, ex quibus erecta sint, appellantur ea, ad quæ erigenda & Ecclesiæ bona viri ecclesiastici, & patrimonialia sua viri laici contulerunt, eodem modo, quo mixti jurispatronatus appellamus beneficium illud, quod & laici de propriis, & clerici de Eclesiasticis bonis erexerunt. In hoc Hospitalium genere privilegia communicabuntur, ita ut, ubi ecclesiastica Hospitalia certo privilegio gaudent, mixtis etiam privilegium competat; & e converso. Idipsum dicendum est, quoties ex duobus Hospitalibus diverso tempo-

re erectis, uno laico, altero Ecclesiastico, perpetua & æque principalis unio fiat, quemadmodum recipitur in unione perpetua, quæ æque principaliter fiat, Ecclesiarum. Quo vero casu unio per accessionem fiat, quo accidit, tanquam suppressum habebitur una cum suis juribus, & privilegiis, integris remanentibus juribus, & privilegiis principalis. Quod si pii quidam laici variis bonis locupletent, augeantve quocumque modo Hospitale aliquod Ecclesiasticum, nisi aliud largitionum tempore legitime conventum fuerit, pristinam indolem suam Hospitale retinebit, & perget tanquam Ecclesiasticum perpetuo recenseri. Similiter si laicum Hospitale bonis ecclesiasticis subinde ditetur, omni ex parte suam qualitatem retinebit, nisi aliud largitionum tempore placitum dignoscatur. Mixta Hospitalia ratione finis, ad quem dirigantur, tunc dicentur, cum a laicis fundatoribus erecta fuerint non solum ad subsidium publicum indigentium, verum etiam ad quamdam singularem religionis utilitatem, vel incrementum, veluti Hospitalia illa, in quæ recipiendi sint inopes Catechumeni, qui eodem tempore ab inopia subleventur, & opportunis documentis ad sacrum regenerationis lavacrum præparentur. Hujus generis Hospitalia, quemadmodum ratione bonorum, & eorumdem administrationis sunt præcipue obnoxia laicis fundatoribus, & iis, qui a fundatoribus causam habent, sub auctoritate publicorum Magistratuum; *ita ratione spiritualis finis*, ad quem diriguntur, omnino obnoxia erunt Episcopis, ad quorum jurisdictionem pertinebit non solum curare, ut vera doctrina ibidem tradatur, ut animarum salus optimis subsidiis adjuvetur, verum etiam ut seligantur ad eumdem finem idonei sacrorum administri, qua tamen in re plurimum concedetur nominationibus fundatorum, & illorum, qui fundatoribus in eo jure successerint, eodem modo, quo plurimum conceditur in beneficiis Ecclesiasticis fundatoribus eorumdem, causa præsertim nominationum, ac præsentationum.

Quæ loca in Hospitalibus potissimum subsunt Episcoporum auctoritati, sunt sacræ ædes, sive templa sacris, & hierarchicis functionibus destinata. Harum sane nomine non intelligo loca illa religiosa, ad quæ convenire solent pauperes in communi viventes causa orationis, aut instructionis privatæ, ubi scilicet sanctum Missæ sacrificium non celebratur, propterea quod sacerdotali prece nec consecrata fuerint, nec benedicta. Potius ista sunt privata oratoria, privatique instar familiarum conventus, qui iniri possunt vel ejus unius auctoritate, qui Hospitalia legitime erexit, aut Hospitalibus præsidet, etiam si laicus sit, can. 33. de cons. dist. 1.. Nomine sacrarum ædium proprie venit aut Cappella interior intra muros Hospitalis constructa ad sancti Sacrificii celebrationem, aut quodcumque aliud templum etiam publice patens sub regimine, seu ministerio illorum, qui in Hospitali præficiuntur. Hæ Ecclesiæ, vel altaria erigi nequeunt sine Episcopi auctoritate, a qua solum locorum sacrorum costitutiones pendent juxta canonum seu priscorum, seu recentium disciplinam, integris semper remanentibus reservationibus Pontificiis, ubi receptæ sunt, seu ratione privatarum Cappellarum, seu ratione custodiæ Sacræ Eucharistiæ. Quomodo distinguantur Ecclesiæ publicæ ab Ecclesiolis privatis in Hospitalibus, facile, prout *res incidit*, deducetur ex generalibus Pragmaticorum principiis, quorum in conspectu publicæ habebuntur illæ, ad quas & universus populus jus habet conveniendi, & qui eisdem præsidet, *jus habet populum convocandi*, quod facile ex usu, præcipue autem ex situ Ecclesiæ, qua in publico, qua in privato loco dignoscetur, item ex numero, & qualitate campanarum, ac denique ex functionibus Ecclesiasticis fieri ibidem consuetis, investigando, an ista ex iis sint, quæ tantum in publicis Eccle-

siis fieri solent, an ex iis, quæ fieri solent in Ecclesiolis privatis. Episcopalis hæc jurisdictio in Ecclesias Hospitalium, qua publicas, qua privatas, non solum sita est in benedictione, vel dedicatione earumdem, sed etiam in ipsarum visitatione, cui locus erit, etiam si Hospitale fuerit per se exemptum, nisi alias demonstretur, Ecclesias illas speciali etiam exemptione muniri; quum aliud omnino sit exemptio Hospitalis, aut bonorum ad Hospitale pertinentium, & exemptio Ecclesiarum. Hinc Ecclesiastici administri illis Ecclesiis addicendi, quoties titulo beneficii perpetui munus suum forent executuri, institutionem ab Ordinario petere debent, post præsentationem a fundatoribus, vel fundatorum successoribus factam: addicti autem jus habebunt administrandi ea Sacramenta, quorum ministerium fuerit in fundationum tabulis concessum; aut tabulis fundationum deficientibus, arbitrio Ordinarii concedatur. Ast ubi sacri administri qualitatem beneficiariorum non habeant, poterunt ipsi ea Sacramenta, aut res sacras administrare, in quibus nec jurisdictio Ecclesiastica, nec officium Parochiale versatur, nisi aliqua ex his fiant, aut ex Episcopi concessione, vel obtento rite Pontificis Maximi privilegio, aut etiam ex consuetudine legitime præscripta, quæ facile privilegium imitatur. Hinc facile colligitur, generaliter non licere in his Ecclesiis cadavera pauperum ut ut in Hospitalia defunctorum sepelire, quod id hodie inter jura Parochialia recensetur. Sed de juribus Parochialibus inferius suo loco sermo erit. Tantum dicam in præsentia, quoniam aliquando contingit, ut Hospitalia quædam ab juribus Parochialibus ex singulari titulo eximantur, eo in casu decimas ab Hospitalibus persolvi Parochis non debere, seclusa consuetudine, aut alio quocumque justo titulo, propterea quod decimæ ideo Parochis præstari soleant, quod Parochi curam gerant animarum, & ab iis, quibus a Parochis sacra administrantur.

Qui curam Hospitalium gerunt, regimen suscipere solent aut ab Episcopis, aut a Protectoribus, aut a fundatoribus ipsis, eorumve hæredibus pro qualitate Hospitalium eorumdem, præsertim autem pro conditionibus in limine singularum fundationum adpositis. Aliquando etiam deputari solet congregatio selectarum personarum permanens, ac perpetua, concesso eidem jure substituendi collegas, collegis deficientibus. Quicumque his officiis addicatur, priusquam res Hospitalium administret, solet jurejurando fidem suam obstringere, spondens, se rite, rectequeque administraturum; cujus jurisjurandi formula varia est juxta locorum diversitatem, neque enim in jure communi quidquam generaliter in hac parte definitum invenio. Sunt administratores Hospitalium instar tutorum, & curatorum, cum & ipsa Hospitalia minorum privilegio, uti dictum est superius, gaudeant, nisi quod tutores, & curatores reddere solent rationes, finita tutela, vel cura; at administratores Hospitalium plerumque Episcopo rationes reddere debent singulis annis, juxta Tridentinam Constitutionem in cap. 9. sess. 22. de Reform.. Hinc est, administratores ipso alienare minime posse bona immobilia, aut quæ immobilium jure censentur, aut quæ ad perpetuum pauperum usum sunt destinata, præter casum necessitatis, aut evidentis gravis utilitatis, tum vero solemnitatibus intervenientibus a lege præstitutis observato semper discrimine inter laicalia, & Ecclesiastica Hospitalia, quemadmodum superius observandum fuit. Quod si contingat, administratorem officio suo deesse, & sibi vindicare bona Hospitalis, vel in alias personas eadem transferre, subjacebit ipse pœnis in Tridentino Concilio præstitutis, etiam si ipse patronatu gaudeat, cap. 11. sess. 22. de Reform., quæ tamen pœnæ cum gravissimæ sint, locum tum demum meo judicio habebunt, cum dolus inerit, non culpa tantum, aut negligentia etiam lata, quo casu extra ordinem puniendus esset Or-

dinarii arbitrio, modo suspensione, modo etiam depositione ab officio, prout facti, vel negligentiæ qualitas postulaverit.

Sunt adhuc Hospitalia quædam, quæ privilegiata dicuntur, & in quibus nonnulla obtinent singularia. Vix loquor heic de iis, quæ post sæculum Ecclesiæ sextum sublata fuerunt abs jurisdictione Episcoporum aut ex speciali privilegio, aut similibus juribus, scilicet consuetudine, aut præscriptione, aut tabulis fundationum, de his enim jam superius multa tradita sunt. Tantum adnotabo, in iis Hospitalibus, quorum gratia impetrata fuerunt exemptionis privilegia, nostris temporibus non ordinariam quidem, sed delegatam exerceri ab Episcopis jurisdictionem, Concilio Tridentino sess. 22. de Ref. cap. 8. & 9., quod tantum locum habet, ubi privilegium concessum fuisset tantum gratia Hospitalis, nam si etiam concessum esset gratia alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, cujus regimini, excluso Episcopo, Hospitale subjectum fuisset, laudatæ Tridentinæ constitutiones hunc modum accipiunt, ut Episcopus cum eadem dignitate concurrat, id est, ut loquuntur Pragmatici, cumulativam, non privativam habeat potestatem. Item Concilii Tridentini decreta locum habent in iis tantum privilegiis, quæ fuerant ante Concilium concessa, non quæ deinde legitime impetrata fuissent, etiam auctoritate Episcoporum; non enim præsumitur, Concilium maxime sollicitum de tuenda, restaurandaque potestate Episcopali, hanc concedendarum exemptionum potestatem voluisse ab Episcopis demere, ob notas juris regulas, quæ docent, non debere in alicujus dispendium detorqueri, quæ ejusdem gratia constituta sunt. Quod de privilegio dicitur, idipsum dicendum est de consuetudine, ac præscriptione, adversus quas etiam Concilium Tridentinum delegatam facultatem Episcopis impertivit, dicto cap. 8. & 9., adeo ut etiam ibidem legatur, nullam adversus Episcopos suffragari exemptis Hospitalibus posse immemorialem præscriptionem, quamquam ista titulus omnium optimus esse dicatur. Durum nimis forte videbitur in hac postrema parte Tridentinum decretum; propterea que ego censerem, tentari adhuc posse, Tridentinos Patres in ea tantum mente fuisse, quoties ageretur de eo, qui exemptum Hospitale contenderet, mera & nuda immemoriali præscriptione innixus, non vero si præscriptio immemorialis allegaretur, tanquam adminiculum ad probandam exemptionem in tabulis fundationum expresse constitutam, alias autem, seclusa præscriptione, perspicua tabularum fundationum exhibitio, & ex exhibitione probatio fieri non posset; neque enim novum est, quædam directo, & per se non operari, quæ indirecte prosint.

Fuerunt exempta privilegiis singularibus abs jurisdictione Episcoporum Hospitalia plura adnexa Ordini alicui religioso, vel militari, vel monastico, eodem modo, quo exempta fuit militia, vel monasterium; qua in re omnis erit definienda controversia ex singularibus potissimum Ordinum eorumdem statutis, & juribus, cum ob eorumdem varietatem certa, & generalis regula præstitui nequeat. Et quamquam Concilium Tridentinum valde imminuerit Hospitalium exemptiones, nihil tamen in eo detractum fuit Hospitalibus hujus generis, dicto cap. 8. sess. 25. de Ref., in quibus propterea solus Regularis Prælatus jurisdictionem exercebit, Clement. 2. §. *præmissa* de relig. dom., quod observavit Cardinalis de Luca de Parochis disc. 23. num. 3.. Itaque Prælatus Regularis curam geret universam quasi Episcopalem non solum ratione habita administrationis bonorum, sed etiam visitationis seu Hospitalis, seu Ecclesiæ Hospitali adnexæ; item ratione habita Sacramentorum ibidem administrandorum pauperibus in Hospitali colectis, denique ratione sepulturarum, eamque ob rem cadavera pauperum ibidem demortuorum sine interventu, aut licentia Parochi a Regula-

ribus quasi Parochi officium gerentibus tumulabuntur.

Et quidem Hospitalia ista privilegiata hucusque commemorata, vere, ac proprie privilegiata dici possunt. Nolim tamen, cum istis confunderentur duo alia Hospitalium genera, quæ ut exempta sunt ab Episcopali potestate ex lege in tabulis fundationum dicta, aut ex eo, quod in supremorum Principum fidem recepta fuerint, dicunturque immediato Regum patrocinio frui. Etenim quamquam hæc privilegiata quodammodo dici possunt, quia non secuti cætera Episcopis subsunt, verius tamen, meo judicio, privilegiata non sunt. Quod ut candide, aperteque explicetur, observandum est, olim, cum primum publicis legibus Episcoporum curæ commendata fuerunt Hospitalia in universum, jam tum dici potuisse, publicas easdem leges non comprehendisse Hospitalia in immediatam supremorum Principum fidem collata, ac proctectionem; neque Hospitalia quibus singulares, & contrariæ dictæ fuissent ab ipsis Fundatoribus conditiones. Revera publicæ illæ leges non expressam fecerunt de his Hospitalibus mentionem, quæ sane fieri debuisset, si a legibus ipsis minime exciperentur; deinde perpetuus usus legum optimus Interpres id apertissime demonstravit. Hanc ob rem tuto adfirmari potest, non his Hospitalibus concessum fuisse privilegium, sed remansisse vetustissimam libertatem a potestate Episcoporum immunem; eam, inquam, libertatem, quæ Episcopalem recentius quæsitam tempore antevertit; ex quo proficiscitur, exemptiones hujus generis latius interpretari posse, proptereaquod privilegiorum naturam non habeant.

Itaque in primis in Hospitalibus, quæ ex lege fundationis exempta sunt ab Episcopali jurisdictione, observandum est, Tridentinum Concilium expresse declarasse, istis exemptionibus se minime derogare, sess. 22. de Reform. cap. 9.; quemadmodum etiam declaravit sacra Concilii Congregatio apud Fagnanum in cap. 4. de relig. dom. num. 44. Et quamquam in eodem Concilio dicta sess. 22. cap. 8. nulla exceptio adpareat Hospitalium ex fundatione exemptorum, quod tamen deest in dicto cap. 8., supplendum est ex 9. subsequente, ubi expressa exceptio deprehenditur, quod jam observavit Cardinalis de Luca de jurisdict. disc. 95. num. 5.. Hæc quidem generaliter vera sunt: at nihilominus puto Episcopos certis in causarum adjunctis posse hujus generis Hospitalia visitare; & primum, si suboriretur suspicio conventuum celebratorum in Hospitalia adversus sanam doctrinam fidei, aut morum; secundo, si evidenter publica ferente fama constaret administratores perdere, & susquedeque vetera bona, ac jura Hospitalis, unde brevi verendum, ne istud corrueret, proptereaquod præsumendum non est, voluntatem fundatoris curam Episcopalem excludentis ad hanc speciem extendi. Observatione quoque dignum est, ubi agitur de exemptione adjecta in tabulis fundationum, posse quidem istam effectum sortiri, etiam non obtenta ab Episcopo facultate, si tantum ad bonorum administrationem referatur, non vero si referatur ad administrationem Sacramentorum, aliaque Ecclesiastica officia, a qnibus si fundator velit Hospitale eximere, obtineat ab Episcopo facultatem necesse est, vel ea defficiente singulare jus impetret a Sede Apostolica, quod & adnotavit Cardinalis de Luca de jurisdictione disc. 40..

Quod spectat Hospitalia ideo exempta abs jurisdictione Episcopali, quod collata sint in fidem immediatam, ac patrocinium Regum, nulla erit in eadem Episcoporum jurisdictio. Non opus fuit in hac parte singularibus privilegiis. Nam cum, uti initio diximus, generaliter in Hospitalibus ex concessione Principum obtinuerint Episcopi potestatem, non censentur Principes similem potestatem concessisse in ea, quæ singulari tutelæ suæ, ac curæ reservaverunt; secus quid inter-

esset inter Hospitalia immediate Regio patrocinio donata, & inter cætera, quorum generaliter, & semper Regium patrocinium etiam est, quod ideo mediatum dicitur, quia non per se Principes, sed per alios regi eadem voluerunt? Si nihilominus quisquam investigare velit Canonum monumenta, alterum video de hac re apud veteres silentium, ac nunquam adparet de jurisdictione Episcoporum in ea Hospitalia exercenda. Unicum invenio testimonio Concilii Regiaticini anni 850. can. 16., ubi sermo est de eisdem Hospitalibus, quorum respectu ita sanctio concepta est, ut liqueat, illa solius Regis cura, ac providentia dirigi. Id recentioribus sæculis declaravit Concilium Tridentinum in cap. 8. sess. 22. de Ref., ubi expresse traditur, a visitationibus Episcoporum immunia fore; & quamquam in cap. 9. sequente similiter non declaretur, immunia esse a reddendis rationibus apud Episcopum, id tamen tacite subintelligitur, quasi exceptio facta in cap. 8. repetita credatur in cap. 9., quod est præcedentis capitis sequela, & appendix. Hinc passim Interpretes ista capita jungenda voluerunt, & alterum ex altero explicanda, quemadmodum normam præbuit Cardinalis de Luca de jurisdictione dic. 95. num. 5.. Mentionem fecit Concilium Hospitalium, *quæ sub Regum immediata protectione sunt.* Ait in primis *Regum*, quo nomine designantur Supremi Principes, Regalium jure potiti, exclusis iis, qui Regalia majora non habent, quales sunt Vassalli Regum, ac Principum, Communitates, Universitates, & similia Corpora, cum non sit istorum æqualis, ac supremorum Principum ratio, uti notavit Fagnanus ad cap. 4. de religios. domib. num. 16. & 18.. Deinde ait *sub immediata protectione*, cujus nomine apud nos veniunt Hospitalia, quæ Regiis bonis erecta sunt, & præterea illa, in quorum erectione Regium patrocinium specialiter imploratum fuit, atque impetratum. Quod si in controversiam deducatur, an Hospitale immediate Regali patrocinio subsit, an minus, refert Vanespen parte 2. juris Eccles. univ. tit. 37. cap. 2. num. 33. definitum fuisse a Romana Congregatione Concilii, quæstionem Episcopali judicio dirimi; subjicit tamen, id tantum verum esse in ea specie, in qua incidenter contra Episcopum visitantem ea exceptio proponeretur, quod & notat Zippæus de jure novo, titulo de religiosis domibus.

Alia sunt religiosa loca, quæ proprie Hospitalia non dicuntur, sed aliis nominibus appellantur, ex. gr. Congregationes charitatis, pietatis, aut similibus, ideo instituta, non ut pauperibus in communi viventibus consulatur, sed ut pauperes, distributis vel clam, vel palam certis pro modo singulorum portionibus adjuventur; quod fit aut statis exhibitis eleemosynis, aut designatis dotibus, aut mutua ad certum tempus data pecunia, aut similibus. Horum locorum origo multo antiquior est origine Hospitalium. Etenim jam olim Romani veteres vetustioribus etiam sæculis in more habebant, ut panes publice distribuerent certis Personarum generibus, qui quoniam e quibusdam gradibus dispensabatur, vulgo appellabatur panis gradilis, de quo mentio fit in tit. 17. libr. 14. Codicis Theodosiani, ad quem usum respiciens Prudentius de inope vulgo ita scribebat:

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.

Neque a vero aberraret, qui putaret, de iis, qui pani dispensando præerant, conceptam esse legem 18. §. 7. ff. de muner. & honor., ubi qui præsunt pani, Episcopi nominantur. Atque ut prætermittam hæc publica pietatis opera ab Æthnicis hominibus instituta, quid aliud erant *Loculi*, quos Apostoli, ipse etiam Christus Dominus, habuisse leguntur, quid *Corbona* apud S. Cyprianum ad imitationem Sacerdotum Judæorum, quid *Arca* apud Tertullianum, & denique quid *Concha* apud Eliberitanos Antistites (quæcumque sit Eliberitani Concilii fides, &

auctoritas), nisi piæ quædam eleemosynæ pauperum usibus destinatæ? Hodie harum Congregationum duæ sunt species; quarum aliæ adnexæ sunt Xenodochiis, Monasteriis, Militiis, & Collegiis, Confraternitatibus, cæterisve Corporibus; istas autem brevi dixero eamdem naturam habere, iisdemque gaudere juribus, ac privilegiis, quæ habent Xenodochia, Monasteria, Militiæ, Collegia, Confraternitates, & Corpora, quibus cohærent: aliæ per se subsistunt sub regimine certarum Personarum ad id specialiter designatarum. Hæ sane instar Hospitalium dividi pariter possunt, in ecclesiasticas, laicales, & mixtas, in privilegiatas, & non privilegiatas, eamque ob rem eædem regulæ, quæ pro Hospitalibus præjactæ superius fuerunt, facile & istis Congregationibus pro singularum modo, & servata proportione accommodabuntur, ita ut nihil in hac parte singulare supersit adjiciendum.

Dicendum adhuc superest de Confraternitatibus laicorum, quarum nomine veniunt quædam laicorum collegia non quidem in communi viventium, sed identidem certum in locum, & certum in finem convenientium, piarum exercitationum causa instituta. Harum originem antiquissimam esse non dubito. Jam enim apud Romanos veteres vigebant illæ, quamquam apud illas gentes superstitionibus obrutas inanem tantum speciem religionis haberent. Extat inter fragmenta legum duodecim tabularum monumentum, quo de sodalitiis mentio fit, ita conceptum: *Sodales legem, quam volent, dum ne quid ex publica lege corrumpant, sibi ferunto.* Quamobrem cum legimus Ciceronem ita scribentem in libro de senectute: *Sodalitates, me quæstore, constitutæ sunt*, intelligemus, aut nova sodalitia tunc instituta fuisse, aut tunc fuisse restaurata, quæ jampridem invaluissent, & ob injuriam temporum lapsa deprehenderentur. Marcianus in l. 1. ff. de colleg., & corpor. meminit sodalitiorum, quibus adscripti stipem menstruam conferebant, & semel in mense coibant, etiam religionis causa, quibus tamen indicebatur, ne quid facerent contra Senatusconsultum, quo illicita collegia arcentur, & Cajus in l. ult. ff. eod. tit. legem laudatam duodecim tabularum altius repetit, refertque ad Solonis institutiones. Ulpianus quoque in l. 20. ff. de rebus dubiis refert, temporibus D. Marci, auctoritate Senatus permissum fuisse, legata relinquere collegiis, dummodo talia essent, quibus coire liceret, seu, quod idem est, quæ auctoritate publica interveniente erecta fuissent. A gentibus ad Ecclesiam hujus generis institutiones traductæ sunt; nominabantur autem primis Ecclesiæ sæculis *Collectæ*, quasi ex collectis hominibus constitutæ, deinde sæculo octavo, & nono *Geldæ*, alias, *Gildæ*, *Gildoniæ*, *Gildomæ*, *Gildscyræ* Theutonicis, & Saxonicis nominibus, adeo ut propemodum ignoretur, quo primum tempore invaluerint; unde colligitur, Apostolicam ipsam ætatem attingere. Revera quicumque canones de iis mentionem fecerunt, ita compositi sunt, ut eisdem veluti jamdiu erectis certos modos imponant, abususque corrigant, ac sodales intra certos fines coerceant, non ut sodalitiorum erigendorum formam veluti rem novam decernant, uti liquet ex canone 15. Concilii Nannetensis, cui jungi potest can. 7. dist. 4., seu canon 35. de cons. dist. 5., item ex Hincmaro Rhemensi in Capitulis ad Presbyteros cap. 16., ex libro 5. Capitularium Francorum cap. 220., ex libro 1. legum Longobardarum tit. 18. cap. 7.. Quemadmodum vero nihil a Collegiis istis prætextu pietatis statui potest, quod publicam turbet tranquillitatem, juxta laudata Romani juris principia, ita nihil definiri potest, quod legibus Divinis, aut Ecclesiasticis adversetur. Ad avertendas turbarum occasiones, jam caverunt prudentissime Gallicani Antistites apud Montem Pessulanum convocati a Petro Beneventano, Legato Apostolico anno 1214. canone 45., ut so-

dalitia non erigerentur, *nisi de voluntate dominorum locorum.* Scribo ipsa Concilii ejusdem verba: *Quia propter conjurationes, & conspirationes, quæ confratriæ vocantur in civitatibus, villis, & castris, quandoque multa discordiæ materia suscitatur, præsens Synodus sub anathematis interminatione constituit, ut in civitatibus, villis, & castris non fiant de cætero confratriæ, nisi de voluntate Dominorum locorum ipsorum, & Diœcesani Episcopi, propter urgentem necessitatem, & evidentem utilitatem id fiat. De his autem confratriis, quæ hactenus factæ sunt, & de quibus querelam audivimus, causa cognita, quod justum fuerit, faciemus.* Obtinuit etiam, ut non aliter instituantur, quam si Diœcesani consensus, & auctoritas intercedat, adeo ut Clemens VIII. in sua constitutione 115., quæ incipit: *Quicumque*, salubriter sanxerint, etiam eos, qui ex privilegio Apostolicæ Sedis facultatem habent erigendi, aut adgregandi confraternitates, quales quandoque sunt vel archiconfraternitates jam erectæ, vel Prælati Regulares, nullo modo ad erectionem, aut adgregationem illarum devenire posse, nisi de consensu Ordinarii loci, & cum literis ejus testimonialibus, quibus erigendæ, aut adgregandæ confraternitatis officia commendentur. Addidit prudentissimus Pontifex ad evitanda confratrum dissidia, in una, eademque civitate, vel loco nonnisi unicam ejusdem instituti, seu tituli confraternitatem erigi posse; a qua tamen regula excipiuntur confraternitates Sacræ Eucharistiæ, aut Doctrinæ Christianæ, quæ in unaquaque Parochiali Ecclesia laudantur. Illud quoque olim constitutum scimus in laudato Concilio Nannetensi, & Francorum Principum Capitularibus, ne confratres ad statutorum executionem jurejurando obstringerentur, ne facilis perjuriis daretur occasio. Quod vero potissimum in hac re hodie observandum est, in eo consistit, ut a confratribus nihil sponte attingatur, quod vergat in juris aut Episcopalis, aut Parochialis detrimentum, nisi forte singulari privilegio ab eo, qui concedendi potestatem habet, obtento, detractum alterutri juri deprehendatur. Quod ut in aperta luce collocetur, distinguendum est inter singulares confratrum Personas, item collegium ipsum, ac bona collegio adnexa: atque inter Ecclesias a confratribus erectas una cum bonis Ecclesiis eisdem adsignatis (idem dicas de Altaribus), item Hospitalia, seu loca religiosa, quorum cura est confratribus demandata; adde opera pietatis pro confratrum institutionibut, vel moribus exercenda. Quoties agatur de singularibus confratrum personis, immo & de ipso confratrum collegio, aut etiam de bonis collegii, neque personæ singulares, neque collegium, neque bona collegii Ecclesiasticorum jure censentur, cum nulliòi tanquam talia haberi præceptum sit; quamobrem privilegia, & jura personarum, collegiorum, bonorumve Ecclesiasticorum iis confratrum personis, collegiis, ac bonis collegiorum minime accommodantur, propterea que & eadem fratrum collegia coram Magistratibus publicis convenientur, quod neque inficiatus est Marta de jurisdictione parte 4. centuria 2. casu 113.. Id verum est, etiam si in erectione collegii intervenerit Ecclesiastici Superioris, quicumque iste dicatur, auctoritas; etenim hæc auctoritas in causa quidem est, ut collegium auctoritate etiam Ecclesiastica licitum, & probatum intelligatur; non ut tanquam collegium vere Ecclesiasticum habeatur. Quod si agatur de Hospitalibus, locisve religiosis collegio adnexis, ea vigere debent, quæ superius generaliter de iisdem observata sunt. At respectu Ecclesiarum, ac bonorum Ecclesiis ipsis additorum, item respectu piorum operum a confratribus exercendorum, præsertim in Ecclesia collegio adsignata, nulla dubitatio est, quin hæc omnia tanquam vere Ecclesiastica Episcopali jurisdictioni, & Parochorum juribus obnoxia sit, cap. 3. & 4. de religios. dominib.. Hæc ratio est, quare in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 8. de Reform. cautum fuit, ut Epi-

copi habeant jus visitandi confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant, iis exceptis, quæ sub immediata Regum protectione sunt; item quare in cap. 9. ejusdem sessionis statutum fuit, Administratores confraternitatum teneri singulis annis reddere Ordinario administrationis suæ rationem; item quare confraternitates nequeunt præter consuetas ducere alias processiones, non impetrata ab Episcopo facultate; & quamquam ab Episcopo cogi nequeant, ut ad publicas processiones accedant, sed tantum invitari soleant; ubi tamen receptum est Concilii Tridentini decretum sess. 25. de regular. cap. 13., alicubi idem extensum fuit eo, ut controversiæ de præcedentia inter confrates subortæ ab Episcopo componantur. Hæc adeo vera sunt, ut etiam locum habeant, ubi agitur de confraternitatibus in Ecclesiis Regularium exemptorum erectis; quamquam enim Episcopus abstinere debeat ab iis, in quibus alias Monachorum exemptioni fraus fieret, in iis tamen, quæ ad onera confraternitatum pertinent, poterit jurisdictionem suam libere exercere. Non ideo quoque confraternitas ab Episcopi jurisdictione exempta censebitur, quod exemptæ cuidam archiconfraternitati adgregata fuerit, etenim agregatio tantum prodest confratribus respectu spiritualium beneficiorum, qualia ex. gr. sunt indulgentiæ adgreganti concessæ; non eo etiam extenditur, ut adgregatum sodalitium ab Ordinario eximatur. Parochi item jure communi inspecto in cofratres, & in Ecclesiis confraternitatum intra Parochiæ limites constitutis jura Parochialia exercent, adeo ut qui adversus Parochum agit, numquam victurus *sit*, nisi singulare jus quæsitum alleget, ac demonstret, quale esset privilegii, fundationis probatæ, legitimæ consuetudinis, vel præscriptionis. Hinc ex. gr. licet confratribus concessum adpareat jus excavandi sepulchri in Ecclesia propria, non ideo tamen ibidem sepelienda erunt defunctorum fratrum cadavera, non electa primum ibidem sepultura; neque ideo censebitur detractum juribus, quæ occasione sepulturæ Parochis competunt, argumento capituli 19. de privilegiis, & Clement. 2. de sepulturis. In controversiis hujus generis plurimum interierit observare, an confraternitates propriam Ecclesiam habeant a Parochiali distinctam, an in ipsa Parochiali Ecclesia tantum altare erexerint, aut ad altare jam erectum ipsæ accesserint causa piarum exercitationum ad illud peragendarum. In priore specie majora quædam jura confratribus conceduntur, quale est in publicis processionibus propriam Crucem erigere, certos sacerdotes designare, per quos minora quædam sacra, non tamen proprie Parochiala, officia gerantur; at ut posteriore specie regulariter sub Parochiali Cruce incedere debent, &. ad Parochum privative, ut ajunt, pertinebit sacris officiis præesse, nisi aliud singulari quodam jure obtinuerit. Quod autem statuimus gratia Parochorum, ubi agitur de confraternitate in Ecclesia Parochiali erecta, idipsum unusquisque intelliget observandum gratia Canonicorum, ubi agatur de confraternitate erecta in Ecclesia Collegiata. Quod si eadem Ecclesia & Parochialis sit, & Collegiata, distinctione habita munerum, quæ aut Parochi, aut Canonicorum propria sunt, controversia omnis facile dirimetur.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT VIII.

De Electione, vel Postulatione, Confirmatione, vel Admissione, Consecratione, & Translatione Episcoporum.

Huc referendi sunt tituli 5. 6. 7. & 12. libr. 1.

NON una perpetuo fuit ratio eligendorum Episcoporum, sive consideremus personas eligentium, sive personam electi, sive gradus, graduumque modos, per quos electus Episcopus ad adeptionem Episcopalium jurium progrediatur, sive tempora ad eosdem absolvendos gradus præstituta, aliaque hujus generis inaugurationis Episcopalis adjuncta. Per quatuor veluti gradus regulariter ad Episcopatus adeptionem devenitur, nimirum electionem, confirmationem electionis, electi confirmati ordinationem, seu consecrationem, & corporalem Episcopatus adprehensam quasi possessionem. Quandoque autem aliquis ex his gradibus prætermittitur, aut aliam induit formam, uti ex. gr. contingit in Episcopo de una in aliam Ecclesiam translato, respectu cujus utpote jam consecrati nova opus non est consecratione; item in eligendo eo, qui non omnes qualitates habet, quæ in Episcopo ex disciplina canonum requiruntur; uti enim in hac specie necessaria est dispensatio, ita non proprie electionem, sed postulationem fieri dicitur, non confirmationem electionis, sed postulationis admissionem.

Si in primis de personis quæratur, ad quas electio, aut postulatio, confirmatio electionis, vel postulationis admissio, item consecratio pertinet, longe diversa a recentioribus Ecclesiarum moribus erat vetus consuetudo, cum aliud Apostolicis temporibus obtinuerit, aliud circa quintum Ecclesiæ sæculum, aliud sæculo duodecimo, aliud in pluribus provinciis postrema ætate. Veluti forma, & archetypus electionum Episcopalium expressum cernitur in cap. 1. Actuum Apostolicorum factum Apostolicum, quo collectis fidelibus universis in urbe Hierosolymorum consistentibus Mathias proditori Judæ in Apostolatus munere suffectus est. Id imitati Apostolorum successores a Clero simul & populo eligendos Episcopos voluerunt, discreto tamen & Cleri, & populi officio, quemadmodum clarius demonstravit usus Ecclesiarum, can. 26. & 28. caus. 16. quæst. 1., scilicet clericis vere suffragium ferentibus, populo tamen universo data facultate opponendi, si quod forte vitium ad ordinationis obicem, vel aliquod impedimentum, clamante populo, detegeretur, uti colligitur ex S. Cypriano, libr. 1. Epistola 4.. Nomine cleri eligentis post divisas provincias, ac diœceses veniebat clerus addictus Ecclesiæ, cui erat præficiendus Episcopus. Secuta electione, ad Metropolitanum cum Suffraganeis in Provinciali Concilio constitutum & confirmatio, & consecratio pertinebat; quod si commode Concilium celebrari non posset, & confirmatio, & consecratio a Metropolitano una cum duobus saltem Suffraganeis, qui Provincialem quodammodo Synodum repræsentabant, erat facienda, can. 1. & seq. dist. 64., can. 1. & seq. dist. 65.. Sunt, qui putant, post Concilium Nicænum, seu post editum in eo Concilio canonem 1. dist. 64., cœpisse abrogari veterem disciplinam in ea parte, qua populus ad electionem conveniebat, & deinceps populum rejici ab electione cœpisse. Verum præterquamquod scimus ex universa pro-

pemodum Ecclesiarum historia, etiam post Concilium Nicænum passim populum consuevisse ad eas electiones admitti, uti manifeste liquet inter cætera ex Epistola Leonis Magni ad Episcopos Provinciæ Viennensi 10. apud Quesnelium, ex Epistola Cælestini 1. in can. 13. dist. 61., & can. 1. dist. 62., ex Ordine Romano cap. 2. tit. 4. ex Epistola Hincmari Rhemensis ad Hedenulphum Laudanensem Episcopum, & aliunde passim, Concilium Nicænum tantum egit de consecratione, & confirmatione Episcoporum, prout occasio Meletiani tunc suborti schismatis postulabat, non de electione. Nimirum initio quarti sæculi Meletius in Thebaide constitutus solus sine Coepiscopis concitandarum turbarum causa Episcopos consecrabat. Ad has Meletii ordinationes coercendas editus fuit Nicænus canon, quo præstitueretur, non sine conventu Suffraganeorum Episcopales Ordinationes haberi, non eo ulterius progressum est, ut populus ab electione subduceretur. Quinto primum Ecclesiæ sæculo fieri cœpit, ut turbæ laicorum ab electionibus removerentur; tantum vice populi admitterentur honoratiores, sive populi proceres, ne alias seditionibus locus fieret, postquam scilicet canones Laodiceni Concilii passim recepti fuerunt, in codicibus canonum sive apud Græcos, sive apud Latinos inserti, can. 6. dist. 63., ad quem respiciens Justinianus in Nov. 123. cap. 1. ad electiones Episcoporum una cum clero Primates civitatis intervenire tum consuevisse testificetur. Demum in Oriente post Concilium Nicænum II. juxta illius canonem 22., in Occidente autem sæculo duodecimo receptum est, ut exclusis laicis omnibus solus clerus ad eligendum admitteretur; quod nonnulli putant constitutum fuisse ab Innocentio II. in can. 35. dist. 63., qui tamen, meo judicio, hallucinantur, cum nihil tale ibidem constitutum adpareat. Cautum ibidem legitur, ne Canonici ab electione Episcoporum excluderent *Viros Religiosos*. Exinde deduxerunt argumentum, concludentes, *ne religiosos*, id est, laicos, excludi rite potuisse. Docere primum oporteret, antequam hoc consectarium deduceretur, Concilium Lateranense Innocentii nomine *Religiosorum* clericos intellexisse, neque in eo vocabulo laicos contineri potuisse. Nolo inquirere in ingenitam ejus vocabuli significationem. Tantum inquirendum, quid hoc nomen tunc temporis, & apud Lateranenses Antistites sonaret. Scio enim vocabulorum significationem variam esse aliquando, & aliud uno vel in loco, vel tempore, aliud in alio quibusdam vocibus significari. Plane Lateranenses iidem Patres etiam Religiosorum nomine laicos intellexisse liquet ex eorumdem canone 25. ita concepto: *Laici, quamvis religiosi sint, nullam tamen habent disponendi de Ecclesiasticis facultatibus potestatem.* Si causam quæris adjecti hujus vocabuli, quo fieret, ut etiam laici in duas veluti classes tunc distinguerentur, & illorum aliqui *Religiosi* dicerentur, alii ab ea appellatione removerentur, facile erit indicare. Prodierat ea ætate Arnaldus Brixiensis, qui turbas adversus clerum concitaverat, & bellum quoddam acerrimum adversus Ecclesiasticas quascumque personas indixerat. Quemadmodum autem multi Arnaldo adhærebant, hos religiosorum nomine appellare nefas erat: potius appellabantur tales, quicumque vel apud Arnaldum minime defecerant, vel etiam contra Arnaldum obstiterant. Hos tantum postremos, exclusis primis, voluit jure Lateranense Concilium ad Episcoporum electionem admittendos. Qualiscumque autem sit Lateranensis Canonis sententia, non ibo inficias, sæculo duodecimo exclusos fuisse ab electionibus laicos universos, sed consuetudine potius, quam jure scripto. Porro eo tempore & confirmatio, & consecratio electi Metropolitano in Provinciali Concilio, aut extra Concilium duobus saltem Suffraganeis intervenientibus reservatur, cap. 41. de electione; immo &

is honor Principibus deferebatur, ut & ipsi electioni, quasi vice populi annuerent, cap. 14. & 28. eod. tit.. Interea post duodecimum sæculum clericorum quasi duplex agnitus ordo fuerat, quorum alii titulo beneficii ordinarentur, alii titulo patrimonii, priores appellati *Canonici*, quasi in canone, seu matricula Cathedralis Ecclesiæ descripti, posteriores *Simplices* dicti, quasi isti non constituerent adeo arctam cum Episcopo societatem, sed jam constitutæ societati accessissent. Hanc clerici partem Canonici, quasi extra suum collegium positam, ab electionibus rejecerunt, adeo ut paulatim etiam rejicere non dubitaverint eos, qui minoribus Ecclesiis in Civitate ipsa constitutis deservirent, cap. 3. de causa possess., & propriet.. En causam, quare passim in titulis Decretalium Gregorii IX., & Bonifacii VIII. de electione, & postulatione legamus plurima de electione a Canonicis Cathedralium Ecclesiarum facienda, disciplina sane & Gregorianis, & Bonifacianis temporibus accommodata. Perduravit hæc eligendi ratio usque ad Clementis V. ætatem. Primus enim Clemens statuit, ut, si Episcopatus in Curia Romana vacaret, novus Episcopus a Romano Pontifice libere ordinaretur, extravag. 3. de præbend. int. communes; quam constitutionem renovavit Benedictus XII. in extravag. 13. eod. tit., & Joannes XXII. in extravag. 4. de electione inter communes. Idem Clemens V. Apostolicæ etiam Sedi reservavit Cathedrales Ecclesias, quæ clero, & populo christiano carerent, Clement. 5. de electione: inde Benedictus XI. singulari decreto sanxit, ut, quoties ageretur de quatuor Patriarchalibus Ecclesiis, nemo posset ibidem Episcopum eligere, Romano Pontifice inconsulto, extravag. 3. de elect. int. comm., paulatim autem factum est, ut omnes Episcopales Ecclesiæ Sedi Apostolicæ reservarentur, uti liquet ex Regula 2. Cancellariæ. Tum vero sicut de juribus eligendi, quæ Capitulis competebant, ita de juribus confirmandi, & consecrandi, quæ spectabant ad Metropolitas, actum est; neque enim honestum visum fuit, ut electio Antistitis a Romano Pontifice facta confirmaretur a minore Prælato, qualis erat Metropolitanus. Recens hæc disciplina non ubicumque executioni demandata est; alicubi enim restituta fuerunt Capitulis Cathedralium pristina jura, dummodo confirmatio, & consecratio semper ab Apostolica Sede penderet, alicubi Religiosi Principes obtinuerunt, ut ipsi Episcopos nominarent, nominationemque factam confirmandam Pontifici Maximo exhiberent, quod unusquisque deducet ex privilegiis, indultis, & concordatis, quæ sunt unicuique Nationi singularia, quæque propterea minime possunt generalem disciplinam constituere.

Quum jure communi ad Capitula Cathedralium Ecclesiarum electio pertinebat, plures erant in electione regulæ observandæ. In primis quemadmodum, ne diutius Ecclesiæ vacarent, cautum erat, ut intra certum tempus, quod olim semestre fuit, Nov. 123. cap. 1., deinde trimestre, cap. 41. de elect., electio fieret, quo elapso, eligendi facultas ad proximum superiorem devolveretur; ita constitutum scimus, ne præpropere novus Episcopus eligeretur, id est, ante celebratum defuncti Episcopi funus, sive ejusdem *sepulturam*, cap. 36. de elect., can. 7. dist. 79., qua tamen in specie mihi non displicet Glossæ sententia, qua adnotatur ad dictum capitulum 36., non ex eo solo irritam electionem dici, quod ante tempus celebrata fuerit, sed potissimum quod in eadem facienda peccatum adpareret in forma convocationis Canonicorum. Secundo vocandi erant omnes, qui essent de Collegio, adeo ut, uno non vocato, irrita foret electio, etiam si vocati & intervenientes communibus, concordibusque suffragiis elegissent, dicto cap. 36., nisi tamen non vocati electionis deinde consciī facti in electum consenserint, argumento capituli 33. de præbend. in 6.

Tertio receptum fuit, ut ii tantum suffragium ferrent, qui vere essent de Capitulo, & Canonici dicerentur; adeo ut aliquando Dignitates, quæ Canonicatum adnexum minime haberent, pati debuerint, se a ferendo suffragio excludi, si aliter in fundatione illarum, vel statutis Cathedralis Ecclesiæ cautum non fuisset, quemadmodum observat cum aliis Pragmaticis Rebuffus in tractatu de Nominationibus quæst. 8. num. 32. immo ut & Canonici ipsi non aliter suffragium ferre valerent, quam si in Subdiaconatus ordine jam essent constituti, Clement. 2. de ætate, & qualit. præficiend., Concilio Tridentino sess. 22. de Reform. cap. 4.. Quarto vocatio Canonicorum fieri debuit per signa consueta, sive campanæ, sive per nuntium, sive viva voce pro moribus in unaquaque Cathedrali receptis; absentes quoque vocari debuerunt vel per literas, vel per nuntium, nisi aliud vel consuetudine, vel statutis obtineret; quod si ignoraretur, ubinam consisteret absens, observanda erat disciplina, quæ in foro obtinet, ubi citandi sint absentes, scilicet, aut per publica edicta ad valvas Cathedralis Ecclesiæ adpensa, aut per edicta singularia consuetæ habitationi vocati adfixa. Nomine tamen absentum necessario vocandorum ii tantum veniebant, qui intra provinciam degerent, argumento capituli 35. de electione. Quinto, facta vocatione, elapsoque termino præstituto, modo competens esset, ad electionem procedebatur, etiam si non omnes vocati accessissent. Qui autem accesserant, per modum collegii electionem celebrare debebant, ut actus vere Capitularis diceretur, cap. 55. de electione. Hinc regulariter neque per procuratorem admittebatur quis ad suffragium ferendum, nisi quis absens esset, in provincia tamen consistens, & legitimum allegaret impedimentum, quominus ad Cathedralem Ecclesiam accedere valeret, & tum unum de Collegis nomine absentis suffragium laturum constitueret, cap. 42. §. 1. de elect., cap. 46. eod. tit. in 6.. Hanc disciplinam expendens Bonifacius VIII. in dicto cap. 46. sanxit, ut quoties plures ab absente procuratores constituerentur, iis daretur in solidum eligendi facultas, ita ut non uterque suffragium ferret, sed ejus suffragium admitteretur, qui prævenisset. Addidit insuper, Canonicum procuratorem constitutum duos eligere non potuisse, alterum suo, alterum principalis nomine; cum enim unusquisque eligere teneatur, quem dignissimum putet, utroque nomine in dignissimum consentire eligentem necesse est, nisi tamen mandans literis eum designaverit, qui suo nomine eligeretur. Quid vero, si nemo de collegio mandatum absentis acceptaret? Ait Bonifacius, extraneum non fuisse admittendum, si Capitulum dissensisset; ex quo a contrario sensu Glossographus argumentatur, extraneum in proposito admitti potuisse, consentiente Capitulo. Quæri præterea potest, num dissentiente Capitulo, per literas absens admitteretur ad eligendum. Negavit Bonifacius, adjecta ratione, quod electio actus legitimus sit, & tempore scrutinii fieri debeat. Sexto, electione secuta, ille pro electo habebatur, in quem omnes, vel major, & sanior Capituli pars consensisset, cap. 42. de elect., juncto canone 14. dist. 61., ex quibus constat, minorem partem, si sanior esset, etiam majori consuevisse præferri. Hinc facile concertationes emergebant, quoties in duas partes Capitulum scinderetur, & in duos suffragia conferrentur, utut inæqualia, unaquaque parte se saniorem prædicante. Quæ contentiones ut imminuerentur, ac si fieri posset, penitus averterentur, Bonifacius VIII. declaravit, majorem partem saniorem præsumi, nec alias vinci a minore posse, quam si aperte constaret, suffragia majoris partis in indignum, aut immerentem fuisse collata, cap. 43., §. 1. in fine de elect. in 6.. Septimo, ut legitime suffragia ferrentur, & sine fraude

receptum fuit, ut tres præstituerentur integræ fidei scrutatores de eligentium numero, dicto cap. 42. de elect., ad quorum officium pertineret, ut singulorum suffragia solerter, & secreto inquirerent, atque in scripta redigerent. Octavo cautum fuit, ut suffragia eligentium absoluta esse deberent, atque determinata, rejectis suffragiis conditionalibus, & incertis, juxta capitulum 2. de elect. in 6.. Denique peracto scrutinio debebat electio publicari in communi, nimirum in cœtu eligentium Canonicorum, dicto cap. 42., & quidem statim, quæ publicatio actum electionis perficiebat, ac consummabat.

Hæc omnia adamussim erant observanda, quoties electio per scrutinium celebrari dicebatur. Erant autem duæ aliæ eligendi formulæ; cum aut per compromissum, aut per singularem, & extraordinariam Dei inspirationem electio celebraretur, cap. 42. de elect.. Ut plurimum per compromissum ad electionem devenitur, ut locus præcludatur contentionibus, quæ forte inter eligentes emergerent, translata facultate eligendi nomine Capituli in unum, tres, aut plures, cujus eligendi formulæ uti mentio fit in dicto cap. 42., ita confirmatio adparet in cap. 29. eod tit. in 6.. Compromissi leges istæ sunt. Prima, ut Compromissarii non nomine suo, sed Capituli, immo & singulorum de Capitulo eligere intelligantur, cap. 30. de elect., unde fluit, non valere compromissum, nisi omnes Canonici ad unum usque consenserint, & non posse Compromissarios ad electionem devenire, nisi servata forma mandati, cap. 32. de elect.. Secunda lex est, formulam, quæ in electione præstituitur a legibus, quoties electio est a Capitulo facienda, eamdem observandam esse a Compromissariis, ubi plures isti fuerint designati. Hinc electus a majore, & saniore parte Compromissariorum pro rite electo habebitur. Ex duobus memoratis prioribus regulis pendet germana iterpretatio capituli 33. de electione. Defuncto cujusdam Ecclesiæ decano, cujus electio ad Capitulum spectabat, ejusdem Ecclesiæ Capitulum in septem ex ipsis Canonicis compromiserat, sub hac forma mandati, ut illum, quem ex se, vel aliis de gremio ipsius Ecclesiæ omnes pariter, vel major eorum pars nominaret, eumdem Capitulum reciperet in decanum. Unus ex septem Compromissariis nominatus fuerat a tribus Compromissariis; tres alii Compromissarii nominaverant extraneum, id est, eum, qui non erat de gremio illius Ecclesiæ. Septimus ex Compromissariis, qui a tribus jam nominatus fuerat, neminem nominaverat, tantum nominationi suæ a tribus factæ consenserat. Jure respondit Innocentius III., Compromissarium nominatum debere in decanum assumi, si nullum impedimentum canonicum obstitisset. Etenim, quemadmodum qui septimum illum eligerant ex sui numero servaverant formam compromissi, qua mandatum erat, ut unus de numero eorumdem, vel de gremio illius Ecclesiæ eligeretur, ita qui elegerant extraneum, mandati fines excesserant, eamque ob rem abs jure eligendi ceciderant ita ut tota eligendi potestas penes priores tres jure quodammodo adcrescendi solida foret, & qui ex numero Compromisariorum a tribus electus erat, haberetur, ac si fuisset ab omnibus concordi suffragio nominatus. Scio, plures Interpretes in conspectu hujus capituli tradidisse, in compromisso consensum unius Compromisariis in sui electionem quasi suffragium haberi, proindeque septimum electum a tribus Compromissariis ex septem, & suæ electioni consentientem, haberi quasi electum a quatuor, & propterea a majori parte. Hæc interpretatio supponit, in proposita specie tres extraneum eligentes elegisse unum, qui non esset quidem de numero Compromissariorum; sed esset de gremio ejusdem Ecclesiæ, quod deduxerunt ex illis Capituli verbis, & *alius*, qui

eum erat de numero eorumdem. Mihi non placet hæc facti positio; hæc enim designata capituli verba non indicant, electum a tribus tantum non fuisse de numero Compromissariorum, sed nec fuisse de numero Canonicorum illius Ecclesiæ. Quidquid enim Innocentius III. initio rescripti mirari se professus est, quod de re interrogaretur, quæ plana esset, & nullam difficultatem involveret? Non adeo facilis definitio fuisset, si tres Compromissarii septimum elegissent, tres alii alium nominavissent de gremio Ecclesiæ. Servavisset utraque Compromissariorum pars compromissi tenorem; æqualiter divisa forent suffragia, nec ex vi mandati alteruter nominatus dici posset, quando nec omnes Compromissarii, nec major eorumdem pars unum nominavisse deprehenderentur. Neque dicendum est, consensum Compromissarii a tribus nominati pro suffragio haberi; id enim ita absonum est, uti absonum est, quemquam semetipsum eligere posse. Et quamquam id probabiliter in proposito recipiendum videretur, quis diceret, id adeo sine difficultate potuisse proponi, ut diceret Innocentius *se mirari, quod consuleretur super articulis, qui nihil, aut modicum dubitationis continere noscuntur*? Quidquid præterea idem Innocentius respondit, ideo nominatum Compromissarium rite electum haberi, quia nominatus erat *juxta compromissi tenorem*? Argumento id est perspicuo, unde colligatur, alterum nominatum nec fuisse de gremio Ecclesiæ; si enim de gremio Ecclesiæ nominatus fuisset, adhuc juxta compromissi tenorem nominatus iste haberetur, & forte utraque nominatio in irritum cecidisset ob suffragia æque divisa Compromissariorum. Tertia compromissi lex a nonnullis ponitur, posse compromitti etiam in quemcumque extraneum, dummodo Clericum, licet de Capitulo non sit. Cum vero fundamentum hujus legis ponatur in cap. 8. & 21. de elect., ibi autem adpareat compromissum in Superiorem Capituli, legem istam tuto recipiemus tantum in ea specie, qua ad Superiorem Capituli eligendi potestas ex compromisso transferatur; facilius enim hic honor Superiori Capituli tribui posse videtur, quam alteri, & cuicumque extraneo. Quarta lex est, compromissum re quidem integra revocari posse, non tamen postquam Compromissarii jam cœperint de electione tractare, cap. 30. eod. tit.. Postrema lex est, si Compromissarii intra legitimum tempus non elegerint, non solum ipsos, sed & compromittentes abs jure eligendi cadere, potestatemque eligendi ad proximum superiorem devolvi, secus ac contingat, ubi Compromissarii eligant indignum, aut dignum quidem, sed qui electioni consentire noluerit; tunc enim eligendi facultas ad compromittentes revertitur, nisi isti electionis in indignum collatæ participes fuerint, cap. 37. de elect. in 6.. Per Divinam inspirationem electionem celebrari dicimus juxta dictum capitulum 42., non quotiescumque invocatio Sancti Spiritus ab electuris præhabetur, id enim regulariter in omni electione fieri solet, cap. 14. & 18. de electione, cap. 3. de causa possess., & propriet., sed quando Divina inspiratio videtur extra ordinem facta, id est, cum repente electuri convenientes sine prævia tractatione in unum communi voce, & nemine dissentiente, quasi Deo in singulorum ore clamante, suffragia conferunt. Nihil adjicio de electione, quæ per sortem fiat; hæc enim est sacris Canonibus improbata, neque enim fato cuidam committendæ sunt electiones ministrorum Ecclesiæ, sed mature, ac prudentissime fieri debent.

Quæ hucusque de electione dicta fuerunt, fere universa sunt, & postulationi communia; siquidem in eo tantum postulatio ab electione distinguitur, quod electio fit personæ dignæ, & idoneæ, qualem designaverunt Tridentini Patres in cap. 2. sess. 22. de Ref., postulatio vero fit personæ quidem dignæ, non tamen undecumque idoneæ, quamobrem

in postulatione illud potissimum versatur; ut ii, qui jus habent eligendi, dum minus idoneam personam designant, a Superiore petant, ut super impedimento dispenset, unde dici solet, postulationem plurimum a gratia pendere. Porro dispensatio tum demum sperari, obtinerive a Superiore potest, aut debet, cum utilitati, aut necessitati Ecclesiæ vacantis per eam salubriter consulatur. Hæc ratio est, quare postulari nequeat indignus, aut undecumque inidoneus, qualis esset furiosus, vel amens, vel ætate minor, vel consilio imprudens. Eam ob rem cautum est Ecclesiasticis Canonibus, ut licet eligendus in Episcopum excedere debeat annum ætatis trigesimum, cap. 7. de electione, si tamen postulatio fiat, is admitti possit, qui vigesimumseptimum attigerit, extravag. unica de postulat. int. comm.. Uno verbo, talis esse debet postulatus, ut, sublato per dispensationem impedimento, magna exinde utilitas in Ecclesiam derivet, & tanta, quanta compenset jacturam boni publici, quod, servatis undecumque Canonum regulis, speraretur. Postulatio autem triplex esse potest; vel enim quis postulatur communi suffragio, & nemine dissentiente; vel quis postulatur, suffragantibus nonnullis, nemine tamen cum postulato concurrente; vel denique postulatur quis, suffragantibus nonnullis, aliis autem alium postulantibus, vel eligentibus. In prima specie facilius dispensatio obtinetur, cum facilius indulgendum sit votis universorum; in altera paulo difficilius, & non nisi saltem major Canonicorum pars suffragata fuerit; in postrema, si postulatus cum alio postulato concurrat, erit habenda potior ratio postulati a majore parte; at si postulatus cum electo concurrat, id est, cum digno, & idoneo designato, non aliter habebitur postulati ratio, quam si duæ ex tribus partibus Canonicorum in postulatum consenserint, cap. 40. de elect.. Finge igitur duodecim eligentes, quorum septem unum postulaverint, quinque alium elegerint; nulla habebitur postulati ratio, quia a duabus electorum partibus postulatus minime fuerit; quamquam neque ratio habeatur electi, quia electus non fuerit a majore parte, resque adhuc integra erit, ac si nihil eo usque actum foret.

Ad postulationem facile refertur translatio Episcoporum; cum enim vetitum canonibus sit, ne Episcopus de una in aliam Ecclesiam transferatur, quid aliud eligentes agunt, quando eligunt vacanti Ecclesiæ præficiendum eum, qui jam alteri Ecclesiæ præest, quam ut ex dispensatione electio ejusdem admittatur? cap. 1. de postulat. Prælat.. Nisi quod gravior adhuc intercedit in translatione causæ cognitio, cum duo in admittenda translatione observanda occurrant; primum, quod est cæteris postulationibus commune an postulati merita talia sint, ut postulati gratia dispensetur, dignusque is habeatur, qui vacanti Ecclesiæ præficiatur; alterum, quod translationi singulare est, an utilitati Ecclesiæ congruat, dissolvi vinculum, quo Episcopus transferendus Ecclesiæ jam adeptæ adstringitur. Ecquidem prioribus Ecclesiæ sæculis nullibi constat, prohibitas translationes ex Canonum disciplina fuisse; quamquam interdiceretur post divisas diœceses, ne quisquam Episcopus sponte, aut semel susceptam diœcesim desereret, aut alienam invaderet. Quarto primum sæculo, ubi Ariana hæresis plures Episcopos invasisset, atque inter Episcopos ipsos illinc Hæreticos, hinc Catholicos controversiæ exarsissent, passimque Ariani curarent, ut ejectorum Catholicorum Antistitum Sedes ab Arianis occuparentur, transferebantur auctoritate consortium Ariani Episcopi de Sede in Sedem, quod facilius serpens Arianum virus ubique fere propinaretur, uti refert Athanasius in 2. apologia de fuga sua, & in Epistola ad vitam solitariam agentes. Hæc fuit occasio, qua translationes, alias utiles, regulariter prohiberi in Nicæno I. Concilio cœperint,

an. 19. caus. 7. quæst. 1., cui tamen nolim quisquam eam interpretationem affingat cum Græco Interprete Balsamone, qua tradat, ibidem vetitum tantum, ne Episcopus sponte transiret, non vero Metropolitani, uti olim vigebat, auctoritate, atque accedente populi suffragio, transferretur; derivata hac interpretatione ex verbo *transeat*, quod & in Gratianea editione, & in Beveregianis Græcorum Canonum Codicibus occurrit: etenim aliter legit Dionysius Exiguus, nimirum *transferatur*, cui consonat Hieronymus in Epist. ad Oceanum ita scribens: *In Nicæna Synodo a Patribus decretum, ne de alia in aliam Ecclesiam Episcopus transferatur*; & Josephus Ægyptius in sua Paraphrasi Arabica referens Nicænum eumdem canonem rem ita exprimit definitam, ut Episcopus de semel suscepta Ecclesia in aliam minime pergat, neque sua, neque aliena voluntate; & quando sua voluntate prohibetur Episcopus, ne pergat, intelligimus transitionem, quando aliena voluntate, intelligemus etiam translationem improbatam. Immo præfatio Nicæni Canonis omissa a Gratiano perspicue indicat, agi ibidem de Episcopis suffragio populi præcedente translatis, quando ibidem legimus, translationes fieri non licere ad evitandos tumultus, seu perturbationes, quæ fiunt a plebibus, quoties Episcopus uni populo, seu Ecclesiæ regendæ addictus ab altero populo, seu Ecclesia advocatur. His accedit, Constantinum Imperatorem laudavisse Eusebium Cæsariensem, quod recusavisset relicta Cæsariensi Ecclesia suscipere sibi oblatam Antiochenam, ne quidquam contra Canones Nicænos admitteret, libr. 3. de vita Constantini apud Eusebium cap. 16.. Et quidem Concilium Nicænum nullam translatis pœnam adjecerat; tantum voluit, ut acta irrita penitus essent, & translatus Episcopus priori Ecclesiæ restitueretur. Cum vero Ariani Nicænas regulas spernerent, in Sardicensi Concilio non solum renovata fuit constitutio Nicæna in canone 1., sive in cap. 1. de cleric. non resid., sed & in canone 2. adjectum est, ut translatus *nec luicam in fine communionem accipiat*, cap. 2. de electione, ubi apud Gregorium IX. adjectam legimus clausulam, *nisi de hoc pœnituerit*, quæ, uti advertit Joannes Andreæ, in vetustis collectionibus glossa erat marginalis, primum in textum traducta ab Alano, Vincentio, & Gofredo, retenta deinde a Raymundo Pennafortensi, ut exinde asperitas vetusti canonis adversus pervicacissimos Arianos editi paulisper lenita recentioribus sæculis adpareret. Occidentalium disciplinam in Concilio Sardicensi probatam confirmaverunt Orientales in Concilio Antiocheno, can. 25. caus. 7. quæst. 2., quamquam ibidem non eadem pœna excommunicationis adjecta fuerit. Patres Africani quinto sæculo adeo oderunt translationes, ut eas rebaptizationibus, ac reordinationibus fere æquiparavisse videantur, can. 107. de cons. dist. 4., & Stephanus VII. in Concilio Romano anni 904. excusans factum Prædecessoris sui Formosi a Portuensi Ecclesia ad Romanam translati, statuit, non esse eam rem facile trahendam in exemplum. Videsis opera Auxilii de translatione Formosi in tomo 17. Bibliothecæ Patrum, item apud Mabillonium in tomo 4. Analectorum. Interea cœpit translatio Episcoporum recenseri inter causas majores, proinde cæterarum exemplo Romano Antistiti reservari, uti passim tradidit Isidorus Mercator, qui primus speciosum illud argumentum invenit non facile dissolvendi spiritualis vinculi, quod inter Episcopum, & Ecclesiam intercedit, can. 11. 34. 35. 36. & 39. caus. 7. quæst. 1.. Ita ille argumentum instituebat: Episcopus semel Cathedrali Ecclesiæ addictus, fit ejusdem Ecclesiæ sponsus, & spirituale conjugium cum eadem contrahit: ergo si ad aliam Ecclesiam progrediatur, adulterii reus est. Quod sane nescio, an ad sanioris philosophiæ regulas exactum, alicui recte conceptum videri poterit; neque enim Ecclesiæ multæ sunt, sed una Ecclesia est Christi sponsa,

neque aliter Episcopi sponsi dicuntur Ecclesiarum, quam symbolo quodam, nimirum propterea quod vice Christi eas-dem Ecclesias moderantur, ac regunt. Quid tamen? Isidori Mercatoris argumenta passim in ore omnium versabantur sæculo duodecimo, adeo ut eadem persecuti fuerint Pontifices Maximi in cap. 1., & sequentibus de translat. Episc.. Inter cæteros persecutus est, qui exarabat reseripta Innocentii III., in cap. 2. de translat. Episc., ubi cum docere vellet, translationem Episcoporum esse Pontifici Maximo reservatam, his argumentationum generibus uti non dubitavit. Ajebat ille: validius est conjugium spiritu le, quam carnale: ergo dificilius illud, quam hoc dissolvetur; atqui Episcopus in certa Ecclesia constitutus conjugio spirituali cum eadem abstringitur: ergo difficilius eamdem deseret, & transferatur ad aliam, quam maritus relinquere uxorem possit, & aliam ducere. Pergebat: dissolutionem carnalis conjugii humana auctoritate indici non posse certum est, utpote quod Deus dixerit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: ergo non humana auctoritate, sed divina tantum Episcopus de una in aliam Ecclesiam transferri poterit. Concludebat ex his: Romanus Antistes Dei vices gerit: ergo transferri Episcopi potuerunt unius Romani Antistitis auctoritate. Nolo in hoc argumento expendendo diutius immorari; statim enim unusquisque intuetur emblemata, quæ in eo exhibentur, & quibus involucris rem offundat Innocentianis rescriptis exarandis addictus. Melius meo judicio dixisset, si parcius rem illam prosequens hoc brevi argumento omnia conclusisset. Translatio Episcoporum post multiplices canonum prohibitiones causis majoribus visa fuit jamdiu accenseri; obtinuit, ut causæ majores Pontifici Maximo reserventur: ergo decet, translationem Episcoporum Pontifici Maximo reservari. Revera ita obtinuit, adeo ut ne admissum quidem fuerit, Legatos a Latere cæteroqui non mediocri potestate præditos posse regulariter transferendis Episcopis auctoritatem suam alias amplissimam interponere, cap. 3. de offic. legati. Exinde nemo non intelligit, causam maxime gravem in translatione requiri, quam scilicet necessitas Ecclesiæ, vel saltem utilitas non mediocris probabilem faciat, & qua decretum Pontificis Maximi in translatione admittenda innitatur. Videatur in hanc rem caput 16. libri 13. de Synodo Diœcesana num. 5. Benedicti XIV., ubi concludit cum Vanespen his verbis: *Porro licet mutata nonnihil sit disciplina quoad ipsam translationis formam, semper tamen mansit, & manebit inconcussa Patrum regula, quod nonnisi necessitate, aut utilitate cogente translationes Episcoporum fieri possint; nec minus hodie, qua Sanctorum Patrum ætate culpabiles sunt Episcopi, qui avaritia, aut ambitione ducti, de una Ecclesia migrant in aliam.*

Certæ præstitutæ sunt pœnæ adversus eos, vel qui statuto tempore non elegerint, vel qui elegerint idoneum, vel qui indignum sive elegerint, sive postuleverint, vel qui statutam electionis formam minime servaverint. Nimirum, si per statutum tempus Canonici ad electionem, postulationemve non devenerint (quod tamen tempus non continuo, sed utiliter fluit), devolvitur jus eligendi ad proximum Superiorem, cap. 41. de elect., cap. 37. eod. tit. in 6.. Si inidoneus electus est, vel indignus aut electus, aut postulatus, Canonici ipso jure, & per triennium a beneficiis, quæ possident, sunt suspensi, & jure eligendi cadunt pro ea vice, devoluta ad Pontificem Maximum eligendi potestate; cap. 7. in fine, & cap. 18. de electione in 6., nisi Pontifex idem ex gratia Canonicos ad aliam electionem, vel postulationem rite celebrandam admittat, cap. 14. de major. & obed., aut nisi divisis Capituli suffragiis pars quidem Canonicorum indignum elegerit, altera pars utut minima digna & idoneum; hoc enim in casu insuper habitis suffragiis in indignum collatis sustinetur electio digni & idonei, licet a per-

paucis facta, cujus rite confirmatio petitur, & impetratur, quasi eligentes dignum, & idoneum jure adcrescendi totam sibi vindicent potestatem, cap. 22. 23. & 53. de elect.. Denique si dignus quidem, & idoneus electus fuerit, aut dignus, non tamen idoneus postulatus, sed forma electionis, vel postulationis servata non fuerit, qui elegerunt, vel postularunt, pro ea vice cadunt a potestate eligendi, vel postulandi, non ipso jure, sed sententia judicis, cap. 42. & 50. de elect., qua etiam in specie facultas eligendi ad Pontificem Maximum devolvitur, cap. 18. eod. tit. in 6.. Si causa a me quæratur, quare electione intra illegitimum tempus non facta, devolvitur jus ad proximum Superiorem; at facta electione indigni, vel non servata electionis forma, devolvatur jus ad Pontificem Maximum, fateor candide me ignorare, contentus dicere, ita constitutum fuisse a Bonifacio VIII. in dicto cap. 18., neque enim mihi placere potest, quod tradit in hanc rem vulgus Interpretum; ideo in his posterioribus casibus jus devolvi ad Romanum Antistitem, quia Romanus Antistes suas partes incipit interponere in causa cognoscenda, an dignus, an indignus sit electus, an electio canonice celebrata fuerit, an minus. Hodie quidem hæc adferri possent, si de recentiore constitutione interpretanda ageretur, nimirum edita postquam & confirmationes, & consecrationes Episcoporum fuerunt reservatæ Pontifici Maximo. At temporibus Bonifacii VIII., cujus definitio interpretanda est juxta disciplinam illius ætatis, adhuc a proximo Superiore pendebat & confirmatio electionis, & consecratio; unde ea ratio passim adducta locum habere posse non videtur. Ita accidere solet Interpretibus illis, qui aliter non norunt explicare veterum decreta, quam ex adjunctis recentissimæ, & quæ nostræ ætati tantum congruit, disciplinæ.

Qui rite electus est, aut postulatus, intra mensem utilem tenetur electioni, vel postulationi de se factæ consentire; aliter jure suo penitus cadet, cap. 6. de elect. in 6., quo præstito consensu, debet intra trimestre petere vel electionis confirmationem, vel postulationis admissionem. cap. 41. & ult. de elect., cap. 6. & 16. de elect. in 6., juncto canone 11. dist. 50. Porro in confirmatione facienda eæ erunt partes Superioris, ut investiget, an electus sit undecumque dignus, & idoneus, aut an postulatus sit undecumque dignus, & talis, cujus respectu utilis Ecclesiæ futura impedimenti dispensatio videatur, can. 3. dist. 78., cap. 19. 44. de electione, Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. de Ref., atque eo pertinet integer titulus Decretalium de scrutinio in ordine faciendo. Olim confirmatio ista fiebat a proximo Superiore, ex. gr. si de Episcopis ageretur, a Metropolitano, can. 5. & 8. dist. 64., hodie vero cum sit reservata Pontifici Maximo, obtinuit, ut confirmatio, sicut & scrutinium fiat in Pontificio Consistorio, unde profluxit, recentioribus sæculis etiam ex causa affectionis, quod superius adstruebatur, facta a Capitulo electione indigni, ad eumdem Pontificem Maximum electionem devolvi. Secuta confirmatione electionis, seu admissione postulationis, trimestre ad consecrationem conceditur, can. 2. dist. 75., can. 1. dist. 100., Concilio Tridentino sess. 7. cap. 9., & sess. 23. cap. 2. de Ref., ubi pœna adversus eos decernitur, qui diutius distulerint consecrari; nimirum, ut ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur, & si intra totidem menses adhuc negligentes fuerint, Ecclesiis sint ipso jure privati. Locus consecrationis olim a Metropolitano designabatur, quando consecratio a Metropolitano præsentibus Suffraganeis saltem tribus fiebat, aut si ageretur de Metropolitano ipso consecrando, erat Ecclesia Metropolitana, can. 5. dist. 51.. Hodie cum consecratio Romano Pontifici reservetur, aut fit in Curia Romana, aut si extra Curiam Romanam facienda committitur, optaverunt Tridentini Patres, ut fiat in Ecclesia, ad quam Episcopus promovetur, aut

saltem in provincia, si id commode fieri possit, dicto cap. 2. sess. 23.. Immo etsi hodie ex mandato Papæ consecratio fiat, superest integra antiqua disciplina in ea parte, qua tres Episcopi consecrationem celebrent, dicto can. 5. dist. 51. can. 1. dist. 64., cap. 6. & 7. de tempor. ordinat.. Tempus consecrationis Episcopalis est dies Dominicus, dicto can. 5. dist. 51., can. 5. dist. 75., ubi nomine Dominicæ Resurrectionis non intelligitur annua dies Paschalis solemnitatis, sed hebdomadaria Dominicæ Resurrectionis memoria, argumento canonis 13. in fine de consecr. dist. 3.. Hanc ad rem utile est observare, olim die Dominico celebrari consuevisse etiam Diaconorum, & Presbyterorum ordinationes; scilicet in nocturna vigilia diei Dominicæ, reservata in horam tertiam matutinam consecratione Episcoporum. Sed recentiore ætate sublata nocturnarum vigiliarum consuetudine, ad diem Sabbathi præcedentis pertinere cœperunt, quæ sub noctem fieri consueverant, cujus disciplinæ vestigia adhuc hodie quædam adparent in officiis ecclesiastici Sabbathi, quod Paschalem diem, & Sabbathi, quod solemnem Pentecostem præcedit. Tantum discrimen intercedebat inter consecrationes Episcoporum, & ordinationes, seu Presbyterorum, seu Diaconorum, quod ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum faciendæ fere essent, ut hodie etiam observatur, post legitimas jejuniorum ferias; at certæ feriæ non essent adsignatæ ad consecrationes Episcoporum; ex eo, ut arbitror, quod consecrationes Episcoporum debebant fieri in Conciliis Provincialibus, quorum cum tempora designata erant, eadem tempora pro eisdem consecrationibus designata tacite censebantur; aut cum tempora prorogari quibusdam ex causis aliquando deberent, non expediebat, talia tempora consecrationibus Episcoporum præstituere, quæ numquam transgredi fas ordinatoribus esset.

Ex sola electione, eove magis ex sola postulatione nullum jus electo, aut postulato adquiritur, adeo ut neque temporalia bona Ecclesiæ, neque spirituales causas administret, cap. 17. & 44. de elect., ne sub specie quidem Œconomatus, aut Procurationis, cap. 5. eod. tit. in 6., ubi pœna adjecta est adversus administrantes, qua ipso jure cadant a quocumque jure, quod ex causa electionis obtinuerint. Exceptio est in electis ultra Italiam constitutis, dummodo electi sint concordibus suffragiis, & confirmationem electionis petere debeant ab Apostolica Sede; his enim ex dispensatione conceditur Ecclesiarum administratio, ac si electio confirmata fuisset, una dempta alienandi facultate, dicto cap. 44.. Regulariter habet electus, postquam electioni consensit, jus tantum ad rem, sive ad petendam confirmationem; cujus juris effectus is est, ut eligentes ad novam electionem devenire nequeant, cap. 21. & 22. de elect., contra quam contingat, si quis tantum fuerit postulatus, & nondum ad Superiorem delata postulatio proponatur, cap. 4. de postulat. Prælat.. Secuta autem confirmatione electionis, seu admissione postulationis, quamquam confirmatus, vel admissus ea agere nequeat, quæ ad ordinem pertinent Episcopalem, jure tamen Decretalium ea peragere potest, quæ sunt Episcopalis jurisdictionis, dicto cap. 44.. Quid vero est, quod legimus in cap. 7. de foro compet. cognitionem causæ feudalis ad Episcopum pertinere, *ex quo fuerit consecratus*? Difficultas evanesceret, si juxta codicem Barberinum, uti eruditi viri jam adnotaverunt, emendaretur textus, ac legeretur: *ex quo Episcopus fuerit in Ecclesia consecratus, vel confirmatus*. Sed quoniam neque in vulgata Gregoriana editione hoc habetur additamentum, neque in secunda collectione Decretalium cap. 3. eod tit., turpius erit dicere, vel referendum esse caput ad ea tempora, quibus a confirmatione non sejungebatur consecratio, ac simul utraque a Metropolitano fiebat; vel agnoscendam esse singularem exceptionem in causis feudalibus, quæ extraordinario jure

ab Episcopis dirimebantur. Hujus rei gravissimum argumentum est, quod, Sede vacante, non ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, sed ad Imperiale tribunal devolvebantur, ut ex eod. cap. 7. manifeste liquet. Cum enim universa Episcopalis jurisdictio Capitulo, Sede vacante; adquiratur, & non adquireretur feudalium causarum cognitio, procul dubio est, istam singulari jure censeri. Ut enim causæ feudales potissimum ex juramento præstitæ fidelitatis pendebant, non facile subdebantur judicio electi confirmati, qui nondum Ecclesiæ, ad quam promovebatur, jurejurando obstrictus fuerat, quod jurisjurandum in actu demum consecrationis fiebat, cap. 14. de majorit. & obed., cap. 4. de jurejurando. Immo cum feuda ecclesiastica plura potius essent subfeuda, & ab Imperio pendentia, qualia erant illa, de quibus agebatur in dicto cap. 7., uti liquet ex postremis capitulis verbis, non facile recipiebatur eorum cognitio ab eo, qui necdum erat consecratus, quando nonnisi post consecrationem ratione feudorum Episcopus Imperatori jurejurando se obstringeret. Adjice his ab anno 1122. inter Calixtum II. & Imperatorem Henricum V. ita rem fuisse compositam in feudis Episcopalibus, ut Episcopus nonnisi post consecrationem investituram acciperet Regalium, uti tradit Moratorius in Annalibus Italiæ ad eumdem annum. Respiciunt hæc universa jus commune Decretalium, cui derogavit Bonifacius VIII. in extravag. 1. de elect. int. comm., ubi voluit, Episcopos non antea posse bona, juraque Ecclesiæ administrare, quam possessionem Episcopatus ceperint, seu præstito juxta consuetam formam jurejurando, suæ confirmationis, & consecrationis in Ecclesia, ad quam promoventur, fidem fecerint. Hæc vero constitutio singularis est, & concepta de iis, qui apud Sedem Apostolicam promoventur. Quamobrem quibus in Provinciis adhuc viget jus Decretalium de confirmatione, ac consecratione a Metropolitanis facienda, viget quoque jus Decretalium in altera parte de exercenda Episcopali jurisdictione, statim ab electione confirmata.

DISSERTATIO QUINTA.

DE PRÆLATIS EPISCOPO INFERIORIBUS, VEL EPISCOPALEM, VEL QUASI EPISCOPALEM JURISDICTIONEM NACTIS.

CAPUT I.

De Vicariis Episcoporum.

Huc referendus est titulus 28. libr. 1.

EPiscopalem ipsam jurisdictionem exercent Episcoporum Vicarii, a quibus propterea non ad Episcopos, sed ad superiores Episcoporum appellatio fieri debet, cap. 3. de appellation. in 6., cap. 2. de consuetudine in 6.. Horum origo, si officium spectemus, est antiquissima; ab ipsis enim primis Ecclesiæ sæculis Episcopi negotiorum copia pressi aliorum opera utebantur, quos, si temporalia Ecclesiæ negotia administrarent, Œconomos, Vicedominos, vel Majores domus nominabant, can. 2. dist. 89., can. 21. & 22. caus. 16. quæst. 7., can. 3. caus. 9. quæst. 3., si vero causas ecclesiasticas in jure dirimerent, præsertim post Novellam Justiniani 123., Defensores, vel Missos dicebant, can. 20. caus. 16. quæst. 1., cap. 2. de Regular., cap. 1. de frigid. & malefic.. Postquam vero in Ecclesiis Cathedralibus certæ dignitates institutæ fuerunt, iis adnexum fuit Vicariatus Episcopalis officium, præsertim Archipresbyteris, & Archidiaconis, quorum priores in spiritualibus, posteriores in temporalibus Ecclesiæ juribus Episcopos adjuvabant, cap. 1. & passim de offic. Archipresbyt., cap. 1., & toto titulo de officio Archidiac., juncto canone 1. dist. 25.. Forte etiam hodie hæc Archipresbyterorum, & Archidiaconorum officia exercerentur, nisi qui in his dignitatibus constituti essent, Episcopalem jurisdictionem ad se transferre, quasi jure proprio, conati fuissent; cum enim veluti ordinarii haberi cœpissent, quorum jurisdictio mortuo Episcopo non exspirabat, & a quibus non ad Superiorem Episcopi, sed ad Episcopum appellabatur, cap. 3. §. 1. de appellation. in 6., grave Episcopis eisdem videri cœpit, quasi non aliis delegata, sed in alios translata sua jurisdictio videretur. Hinc ipsi adamaverunt, certas constituere lubitu suo personas, quas etiam lubitu removerent, quibus insuper quam vellent, jurisdictionem mandarent, quam præterea vellent, denegarent, atque istas Vicarios, seu Procuratores generales appellaverunt, cap. 9. de Procurator., aliquando etiam Officiales, cap. 2. & 3. de offic. Vicar. in 6., quamquam proprie Officiales dici obtinuerit, qui contentiosam, Vicarios, qui voluntariam jurisdictionem exercerent; quod discrimen adhuc hodie servatur in iis diœcesibus, in quibus discreta Vicariorum, & Officialium munera deprehenduntur.

Itaque hodie Vicarios generales eos dicimus, quibus generaliter data facultas ab Episcopis est administrandi sive in spiri-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tualibus, sive in temporalibus Ecclesiæ causis jurisdictionem. Qui disputat, an Vicariorum jurisdictio ordinaria dicenda sit, an delegata, mihi videntur de vocabulis litem inferre, quando alias in rem, in causam, inque effectus omnes consentiunt. Utraque disputantium pars unum, idemque consistorium, sive forum & Vicario, & Episcopo asserit, dicto cap. 2. de consuetud. in 6., dicto cap. 3. de appellat. in 6., unde a Vicario ad Episcopum appellatio denegetur, contra quam olim in institutis Archidiaconis vigeret, dicto cap. 3. §. 1.. Utraque pars admittit, mortuo Episcopo, aut quomodocumque extincta Episcopali jurisdictione, Vicarii quoque potestatem extingui, cap. 20. de offic. & pot. jud. deleg., qui sane sunt jurisdictionis delegatæ characteres. Quonam igitur disputatio spectavit, nisi ad subtilius investigandum, an a lege, an ab homine Vicariorum jurisdictio derivet? Qui Vicarium delegatum dicunt, ab homine, id est, ab Episcopo, derivatam jurisdictionem fatentur; qui ordinarium dicunt, non inficiantur, Vicarium ab Episcopo designari, sed Episcopi partes in una designatione concludunt, qua secuta, vi, & potestate legis jurisdictio transferatur. Sunt isti meo judicio lusus verborum, quorum si velimus intimum sensum exprimere, nihil aliud concludetur, quam, ubi Episcopus Vicarium constituat, hanc constitutionem lege probari, qua in propositione universos consentientes invenies. Utilius est inquirire, an Episcopus cogatur ad constituendum Vicarium generalem, ita ut, si non constituat, possit a superiore coerceri, immo & si contumax Episcopus sit, possit superior Vicarium ipse constituere. Nullibi in jure hæc obligatio Episcopis imposita deprehenditur; quod enim legimus in can. 2. dist. 89., de rerum temporalium Œconomo, non de Vicario intelligendum est; Œconomus autem ab Episcopis ex canone 27. Concilii Chalcedonensis necessario constituendus erat, ne res Ecclesiæ temporales sine teste ab Episcopis administratæ Episcopum ipsum in quamdam perfidiæ suspicionem inducerent. Additur, Gregorii Magni mandatum extra ordinem datum fuisse, nec facile protrahendum ad constituendam regulam generalem: videlicet voluit ibidem sanctus Pontifex cohibere ea singulari providentia Paschasium Episcopum Neapolitanum, propterea quod ipse esset maxime deses in exercendo munere Episcopali, uti liquet in conspectu canonis 1. dist. 84.. Insuper de rerum temporalium Œconomo conceptus est canon 3. caus. 9. quæst. 7., perperam a nonnullis Interpretibus traductus ad Vicarios generales. Illi, quibus contrarium placet, tradere solent, Episcopum ecclesiasticis negotiis valde gravari, proindeque Vicarium constituere sibi debere, ut par omnibus esse possit. Quid inde? Non id regulam figet, sed potius regulæ exceptionem, ut concludatur, tum demum Episcopum ad constituendum Vicarium teneri, quando per se gerere omnia nequeat, idque in vim non singularis præcepti, & obligationis, sed in vim obligationis generalis, qua tenetur Episcopus, ut rectæ diœceseos administrationi utiliter consulat, cap. 14. & 15. de off. jud. ordin.. Ex eo vero, quod constitutio Vicarii in facultate Episcopi sit, deducitur, & plures Vicarios sibi constituere Episcopum posse, ubi præsertim diœcesis late extenditur, aut ubi varii sunt in diœcesi populi diversis ritibus utentes, dicto cap. 14. de officio judicis ordinarii, cap. 7. eodem titulo in 6..

Qui in Vicarium generalem eligendus est, debet primun esse clericus, videlicet prima saltem tonsura initiatus, can. 22. caus. 16. quæst. 7., cap. 2. de judiciis, quamquam vulgo traditur, laicum posse esse Episcopi, vel ejus Vicarii adsessorem, quasi adsessor non proprie jurisdictionem explicet, sed jurisdictionem exercenti consilium, opemque suppeditet, eodem modo, quo laicus arbiter rite constituitur in iis causis, quæ abs judice Ecclesiastico dirimi debent, cap. 9. de arbitris. Secundo Vicarius esse debet

non minor annis vigintiquinque, cap. 7. vers. *inferiora* de electione, juncta Clementina 1. de officio Vicarii. Tertio esse debet aut doctor, aut prolyta in jure Canonico: quamquam enim magistris in sacra Theologia arbitrorum officio fungi concedatur in ecclesiasticis causis, sunt tamen causæ quædam, veluti matrimoniales, criminales, & liberales, quæ vero dirimi judicio, non arbitrio debent; alias autem vel judicii capaces non sunt, nisi qui saltem prolytæ in jure sunt renuntiati, cap. 9. in fine de in integrum restitut.. Addatur constitutio Clementis VIII. 60. §. 19.. Quod si hac qualitate præditum Episcopus commode non inveniat, poterit alias, quoad melius fieri possit, ad munus illud obeundum idoneum designare, dummodo ita designato detur jurisperitus adsessor. Atque hoc incasu nec denegandum Episcopo est, Regularem, aut Monachum constituere, dummodo Prælati regularis consensus accedat, argumento canonis 2. dist. 58., can. 20. caus. 16. quæst. 1. nisi agatur de mendicantibus ob singularem Clementis V. constitutionem in Clement. unica de Regularibus. Præterea ad evadendam quamcumque suspicionem receptum est, non decere Episcopum eligere Vicarium aut fratrem, aut nepotem suum, aut patruelem vel quemquam arctissima sanguinis necessitudine sibi conjunctum, uti tradit Peregrinus in praxi Vicariorum parte 1. monitoriorum generalium monitorio 1. num. 6.. Item clerici conjugati, quod privilegiis clericalibus minime gaudeant, in Vicarios adsumi nequeunt, quemadmodum nec Monachi, quorum natalia justa, legitimaque non sunt, etsi certos ad fines tanquam legitimi post monasticam professionem haberi possint, cap. 1. de filiis Presbyter., juncto cap. 1. eod. tit. in 6.. Ex aliena diœcesi Vicarium advocandum esse voluit S. Carolus Mediolanensis, ne facile conjunctorum necessitudine originarius corrumperetur. Hæc vero fuit singularis Mediolanensis Ecclesiæ disciplina, quæ non alibi recepta est, ex eo etiam, quod originarii in diœcesis, vel Provinciæ suæ moribus magis edocti præsumuntur. Insuper tradunt, non posse in Vicarium adsumi Pœnitentiarium Cathedralis Ecclesiæ, ne suspicio suboriatur, futurum, ut is scientia Confessionis in dirimendis præsertim criminalibus causis utatur; eademque fere ratione solent ab eodem officio excludi Parochi, præsertim etiam, quod isti a Parochiali officio non sint distrahendi. Cæterum istæ traditiones, quoniam non expresse canonum decretis confirmantur, sed sola Pragmaticorum auctoritate prodierint, suas habent probabiles exemptiones, quæ aut singularibus eligendæ Personæ meritis, aut gravi Ecclesiæ utilitati, vel necessitati innituntur. Denique opus non est adjicere, Vicarios generales, præter scientiam eximiam, cæteris qualitatibus præstare oportere, quæ virum prudentem, ac gravem moribus, ac vita integerrimum faciunt; sunt enim istæ qualitates Vicariatus officio velut ingenitæ, ac sine quibus illud recte administrari vix posset.

Vicariorum generalium potestatem a literis Vicariatus metimur, ut tanta illis competat, quanta literis continetur. Porro sicuti literis duobus saltem testibus firmatis Vicarius constituitur, ita exhibitione literarum, præsertim coram Capitulo Cathedralis Ecclesiæ facta, earumdemque relatione in acta Curiæ Vicariatus possessio capitur. Quoniam vero generalis esse solet Vicariorum constituendorum formula, cum ex. gr. scribit Episcopus, se generalem constituere Vicarium, eam jurisdictionem mandando, quæ Vicariis generalibus competit ex usu recepto Curiarum, aperitur disputationi locus, an generale mandatum ad omnes, & singulas, ad unam usque, jurisdictionis Episcopalis species extendatur. Equidem definivit Bonifacius VIII. in cap. 2. & 3. de offic. Vicar. in 6., in ea generali concessione non ea etiam contineri, quæ graviora sunt, utpote quæ non facile concessa ab Episcopis præsumuntur, quod Bonifacius derivavit ex doctrina veterum

Jureconsultorum, qui tradiderunt, Procuratorem generaliter constitutum certa non posse negotia graviora gerere, nisi speciale ad ea mandatum accesserit, l. 60. ff. de Procurator., & l. 7. §. 1. quib. mod. pign. vel hipoth. solv.. Sed hic iterum nova disputatio emergit, quænam illa sint, quæ tanquam graviora negotia censentur. Anceps profecto esset definitio, si ex libero uniuscujusque judicio penderet, cum grave negotium alicui videri posset & reservatum, quod alteri minus grave, proptereaque non reservatum videretur. Quid ergo? Ego puto, standum esse æque & juri scripto, & generalibus Interpretum placitis, quæ mores Ecclesiarum firmaverunt. Etenim cum interpretatio literarum Episcopalium tota consistat in voluntate Episcopurum mandantium investiganda, præsumitur, Episcopos eam mandavisse generali mandato, quam aut mandatam jus scriptum declaraverit, aut Pragmatici mandatam tradiderint, eamque reservavisse, quam reservatam & jus sanxerit, & Pragmatici communi suffragio dixerint. In primis enim si jus scriptum certam declaraverit potestatem generali mandato non contineri, veluti graviorem, ad idem jus scriptum censetur Episcopus mandatum suum exegisse, cum acta quæcumque interpretationem sumant ex generalis juris scripti disciplina, ad quam agentes respicere præsumuntur in iis omnibus, in quibus expresse abs jure scripto non recesserunt. Deinde si Pragmatici communi suffragio tradiderunt, certum negotium ex gravioribus esse, proptereaque generali mandato non contineri, non dicam, ipsos habere juris auctoritatem, neque enim tantus honor dandus est iis, quos non omnibus eximia juris scientia pollere compertum est; sed dicam, testimonium ipsos ferre receptarum in Curis consuetudinum, ad quas Episcopi exegisse sua mandata facile præsumuntur, nisi contrarium expresse dixerint; nemo autem ignorat, quantum valeant mores provinciarum ad interpretandam dubiam voluntatem eorum, qui in eisdem provinciis degunt. Atque in his, ac similibus speciebus verum est, quod ait Jureconsultus, errorem jus facere, in l. 3. in fine ff. de suppellectile legata. Finge enim vero erravisse Pragmaticos, certumque negotium inter gravia, & reservata retulisse, quod tamen revera grave non sit. Statim ac tamen consuetudo induxit, ut vulgo inter gravia recenseretur, ac reservaretur, non sane censebitur mandato generali contineri, quia deest voluntas mandantis a vulgari consuetudine modum, & interpretationem accipiens. Itaque ad hanc diluendam quæstionem recensenda sunt, quæ sive jure scripto, sive ex Pragmaticorum traditionibus graviora, & propterea reservata censentur. Hujusmodi in primis est potestas ordinis Episcopalis; etiam in eo casu, quo constitutus Vicarius ordine esset Episcopali insignitus. Deinde ex iis, quæ ad jurisdictionem pertinent, reservata censetur potestas conferendi beneficia, beneficiarios removendi, corrigendi, puniendive clericos, aut in eos inquirendi, dicto cap. 1. & 2. de offic. Vicar. in 6.., potestas alienandi res ecclesiasticas, immutandi beneficiorum status, ex. gr. beneficium in Vicariam perpetuam erigendi, item admittendi resignationes beneficiorum, aut illorum permutationes, beneficia, vel Ecclesias uniendi, vel dividendi, Coadjutores inidoneis Rectoribus Ecclesiarum deputandi, beneficia, vel Ecclesias supprimendi, juripatronatus Ecclesias, vel beneficia subjiciendi, donationi jurispatronatus auctoritatem interponendi, aut reservandi juspatronatus in erectione Ecclesiarum, seu beneficiorum; item novas Parochias erigendi, pensionibus beneficiarios gravandi, Œconomum vacanti Ecclesiæ constituendi, novum beneficium, aut Ecclesiam erigendi, de una in aliam Ecclesiam Beneficium transferendi, præsentandi ad beneficia, ad quæ Episcopus speciali quodam jure præsentat, publicas pœnitentias imponendi, publice reconciliandi pœnitentes, inquirendi de cri-

mine hæreseos explorandi voluntatem puellarum causa religiosæ professionis, interponendi auctoritatem erectionibus Monasteriorum, conferendi indulgentias dimissorias, seu commendatitias literas clericis ad suscipiciendos ordines a non diœcesano Episcopo concedendi, alium Vicarium substituendi ad longum tempus, nisi agatur de singulari certæ causæ diremptione, visitandi Ecclesias, Synodum diœcesanam convocandi, exequendi, vel commutandi ultimas voluntates, dispensandi ab irregularitatibus ex delictato occulto provenientibus, restituendi in integrum, argumento l. 25. §. 1. ff. de minoribus, cognoscendi ea, in quibus Episcopus fuerit specialiter delegatus, cognoscendi causas feudales, impertiendi auctoritatem exemplaribus, ut eamdem vim habeant in foro, quam archetypus, cap. ult. de fide instrument., absolvendi a casibus Episcopo reservatis, cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6., imponendi, exigendive charitativum subsidium, aut Synodaticum, ac denique ea peragendi, quæ dispensationem a generalibus juris regulis spectant. Hæc omnia tum demum agere Vicarius generalis poterit, cum mandatum habuerit speciale; adeo ut si aliqua nominatim ab Episcopo concedantur, non exinde tacite concessa etiam cætera intelligantur, ne causa quidem similitudinis. Hinc ex. gr. qui expresse facultatem obtinuerit instituendi clericos in beneficiis, præsentare non poterit clericum, quo casu ad Episcopum singulari jure præsentatio pertineat. Quid vero, si Episcopus in generali concessione potestatis, *liberam*, se conferre potestatem profiteatur, aut generaliter eas omnes facultates, quæ speciale mandatum requirunt? Ubi *libera* potestas concessa fuerit, ego non puto, ex eo potestatem ad eas species extendi, quæ singulare mandatum desiderant, cum idem effectus sit concessæ administrationis generalis, ac liberæ, l. 58. & 59. ff. de procuratorib., juncta l. 87. de solution. & l. 18. §. ult. ff. de pignorat. actione, & revera vocabulum *liberæ* vi suæ igenitæ significationis non significat extensionem potestatis ad plures potestatum species, sed potius facultatis concessionem pro arbitrio exercendæ, ita ut Vicarius agere in casibus permissis possit, etiam Episcopo irrequisito. Neque his obstat capitulum 4. in fine de procurat. in 6. ibi: *Procurator quoque absque speciali mandato juramentum deferre, transigere, vel pacisci non potest, nisi ei bonorum, vel causæ administratio libere* (legunt alii, *libera*) *sit concessa.* Siquidem verba ista eam recipere debent interpretationem, quæ præcedentibus congruat, nimirum valere id in ea specie, qua adeo lata fuerit formula mandatis, ut etiam ad specialia protrahatur, quemadmodum modo dicendum erit. Nimirum si Episcopus Vicarium constituens (& en alterius propositæ quæstionis diremptionem) facultatem generaliter dederit etiam faciendi, quæ speciale mandatum requirunt, tum demum voluit Bonifacius VIII. in dicto cap. 4. extendi ad speciales causas, cum plures designatæ fuerint, quasi exempla, a quibus ad similia voluntas Episcopi extendatur, Clement. 2. de procurator. Cæterum etiam in proposita specie ab ordinariis negotiis ad extraordinaria non erit porrigendum mandatum; hinc ex. gr. si Vicario Episcopus expresse committat beneficiorum collationem, non exinde Vicarius conferre poterit beneficia, quæ ex devolutione ad Episcopi pertinent collationem, nisi & id specialiter exprimatur.

Vicarii jurisdictio tota ab jurisdictione Episcopi pendet, cujus rei argumentum est, quod Vicarius ab Episcopo salarium petat, cap. 15. de offic. jud. ordinar., cap. 6. eod. tit. in 6.. Gravius argumentum ex eo deducitur, quod iis omnibus modis, quibus Episcopi jurisdictio deficiat, nimirum ejus morte, renuntiatione, translatione, ingressu religionem, captivitate, excommunicatione, suspensione, interdicto, eisdem ipso jure Vicarii jurisdictio exspiret; neque enim mihi placere potest illorum opinio

qui putant, jurisdictionem Vicarii, etiam mortuo ex. gr. Episcopo, perdurare, quousque a Capitulo alius constituatur; immo & id adeo verum est, ut Vicarius neque cœpta negotia, neque lites jam contestatas absolvere, ac dirimere possit, Clementina ultima de procurator., quamquam aliud observetur in judicibus ab Apostolica Sede delegatis, cap. 19. & 20. de offic. & potest. jud. deleg., quia delegatio Apostolica personæ cohæret; at causarum cognitio Vicario concessa, non personæ, sed officio datur. Revocatione quoque ab Episcopo facta, cessat Vicarii jurisdictio, sive expressa revocatio sit, sive tacita. Qua in re quæri solet, an per alterius Vicarii constitutionem tacite revocatus censeatur, qui primum fuerat constitutus. Sane, quamquam si eodem tempore constituantur duo Vicarii, uterque Vicarius revera sit argumento capituli 14. de procurator., l. 46. in fine, & l. 47. ff. eod. tit., quemadmodum & si diverso quidem tempore constituantur, sed sub diversis nominibus, vel diversis causis uni, alterique mandatis, uterque Vicarius habeatur; si tamen diversis temporibus ex longo præsertim intervallo, eisdem datis nominibus, ac titulis secundi Vicarii designatio fiat, præsumptio suboritur, voluisse Episcopum dejicere Vicarium antea constitutum, quando secundi constituti Vicarii certior ipse reddatur, quæ præsumptio locum haberet, ubi voluntas Episcopi prorsus dubia esset; atque his principiis accommodari facile potest seu capitulum 14. de procuratoribus, seu lex 31. §. 2. ff. eod. tit.. Cæterum ad eruendam Episcopi voluntatem, a qua hujus quæstionis tota definitio pendet, puto inquirendum esse in causam, cur ad alterius Vicarii constitutionem Episcopus devenerit? Nam si ex. gr. ideo deveniret, ut facilius per alterum plura, quæ imminent agenda, negotia dirimantur, confirmatam potius censeo potestatem primi Vicarii, quam eidem fuerit derogatum.

Pertinent hæc universa ad Vicarios generales. Quædam adhuc subjicienda sunt de Vicariis Episcoporum, qui foranei nominantur, cap. 1. de officio Ordinarii in 6., Clement. 2. de rescriptis. Constituuntur autem in certa diœceseos parte, causa non generalis administrandæ Episcopalis jurisdictionis, sed adjuvandi Episcopi in minoribus causis, levioribusque negotiis, qui proinde non in dignitate, sed potius in officio constituti dicuntur; quamobrem juxta capitulum 11. de rescriptis in 6. olim delegari non poterant ad dirimendas auctoritate Sedis Apostolicæ controversias, dicta Clementina 2.. Solet in civilibus clericorum negotiis ab Episcopis mandari eisdem, ut usque ad certam summam sex ducatis regulariter non majorem judicent; in criminalibus autem ut acta conficiant, non tamen pronuntient sententiam, sed acta confecta ad instruendam causam ad Episcopum referant. Hinc ab illis, cum non unum auditorium cum Episcopo faciant, ad Episcopum, vel ejus Vicarium generalem appellatio admittitur, cap. 3. de appellation. in 6. §. 1.. Horum originem Thomassinus in parte 1. libr. 2. cap. 6. n. 3., de vetere, & nova Ecclesiæ disciplina retulit ad statuta S. Caroli Mediolanensis. Verum communi Eruditorum judicio gravissime erravit Vir cæteroqui doctissimus, quando constat tum apud Bonifacium VIII. in dicto cap. 1. de offic. Ordin. in 6., tum apud Clementem V. in dicta Clementina 2. de rescriptis, expressam fieri Vicariorum Foraneorum mentionem. Ego puto, horum Vicariorum officium primo olim institutum fuisse in persona Chorepiscoporum; quorum antiquissima mentio est in Conciliis Neocæsariensi, Nicæno I., & Chalcedonensi. Id ut perspicue explicetur, non sunt confundendi Chorepiscopi cum Chorepiscopis, horum enim duo genera variis Ecclesiæ temporibus prodierunt, quorum alii laudabiliter instituti prioribus Ecclesiæ sæculis fuerunt; alii nonnisi ex morum corruptela sequiore ætate, quorum propterea officium detestari pri-

mum a viris prudentibus debuit, deinde ecclesiastica auctoritate deleri. Primum genus Chorepiscoporum, de quo mentio fit in Concilio Antiocheno anni 341., in Concilio Neocæsariensi, quod Nicæno I. vetustius est, & in Concilio Chalcedonensi can. 2., invaluit primis Ecclesiæ sæculis, quando Episcopi in Ecclesia Cathedrali, seu civitate sacra ministeria obeuntes, mittebant Sacerdotes in vicos, & pagos vice Episcopi administraturos res sacras christianas rure degentibus, unde Chorepiscoporum derivatum est nomen, quasi illi essent Episcopi ruris, atque villarum, & commode Parochis fere universis recentioris ætatis æquiparantur. Hinc in canone 10. laudati Antiocheni Concilii legimus: *qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur.* Quis porro horum Chorepiscoporum institutionem reprehendat, immo non laudet, quicumque non est reprehensurus, sed laudaturus & Parochorum, & Parochiarum Chorepiscoporum officiis similes institutiones? Alterum genus Chorepiscoporum invaluit sequiore Ecclesiæ ætate, qua cum Episcopi locupletiores facti fuissent, & parum sollicitos sese exhiberent de rerum sacrarum ministerio etiam in Ecclesia Cathedrali, atque ut impensius quieti vacarent, immo & deliciis & Episcopalibus commodis fruerentur, Chorepiscopos constituerunt civitatenses, improprie dato eo nomine, & nonnisi ad exemplum rusticanorum Chorepiscoporum, eos scilicet, ad quos civitatis, & Ecclesiæ præsertim Cathedralis cura, & administratio in spiritualibus pertineret, ut dum Chorepiscopus verbi divini præco esset desertissimus, vigilanterque ecclesiasticæ utilitati deserviret, Episcopus ipse otiosam vitam, delicatamque traduceret. Hinc legimus in capitulari Caroli Magni anni 799. cap. 1., seu cap. 121. libr. 6. Capitularium Baluzianæ editionis de Chorepiscopis, *a suis quietibus, & delectationibus inhærentibus facti sunt.* Quis horum Chorepiscoporum institutiones, & officia ex abusu Episcoporum inducta probavisse? quæ longe sane diversa erant ab officiis veterum; ubi enim Chorepiscopi veteres, ob pagorum, vicorumque utilitatem constituti fuerant, ut Episcopus impensius Cathedrali Ecclesiæ, & Civitati prospiceret, hi potius ideo eligi cœperunt, ut Episcopo in indigno penitus otio marcescerent. De his mentio fit in can. 5. dist. 68, perperam Damaso Papæ tributo, ac verius tribuendo auctori illorum sæculorum, quibus secundum hoc Chorepiscoporum genus invectum est. Ad hæc Corepiscoporum discrimina si solerter animadvertissent Viri cæteroquin eruditi, non adeo laborarent in definienda controversia, num Chorepiscopi Episcopatus essent ordine insigniti, aut tantum in Presbyteratus ordine constituti, veterum enim monumenta modo Chorepiscopos exhibent Episcopatu insignitos, modo tantum Sacerdotio initiatos, sive de Chorepiscopis primi, sive de Chorepiscopis secundi generis agatur. Ubi sermo sit de Chorepiscopis primi generis, distinguenda sunt tempora, quæ præcesserunt Sardicense Concilium, aut Sardicensium canonum receptionem, & usum; a temporibus, quæ subsecuta fuerunt Sardicense Concilium, & hujus Concilii canonum disciplinam plane salutarem. Ante Sardicense Concilium Episcopo Diœcesani sine discrimine in vicos, ac pagos mittebant Chorepiscopos, modo Episcopatus ordine insignitos, modo tantum Presbyteros ordinatos, ratione habita modo necessitatis, vel utilitatis rusticani populi, cui melius aliquando ordinati Episcopi prospexissent, aliquando satis erat Presbyteros præfici; modo ratione habita illius, qui mittendus erat in vicos, & pagos; si enim forte Episcopus quidam e sua diœcesi ejectus se in alienam diœcesim recepisset, ibidem ecclesiasticis muneribus de Diœcesani consensu functurus, mittebatur iste a Diœcesano in villas, & pagos, concesa facultate exercendi ordinem Episcopalem, dummodo non libere ea facultate uteretur, sed juxta modum sibi a Diœcesano præs-

titutum, quo pertinent verba illa canonis 10. Antiocheni: *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sunt; tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant &c.* Aliud obtinere debuit post Sardicense Concilium, & in iis locis, in quibus recepti fuerunt Canones Sardicenses; postquam enim in canone 6. hujus Synodi cautum est, ut nonnisi in civitatibus Episcopi constituerentur, in pagos, & villas mittebantur Presbyteri, aut si forte mittendus esset Episcopus a sua diœcesi Barbarorum, aut gentium vi expulsus, ita mittebatur, ut ab Episcopali ordine exercendo abstineret, quo pertinet sententia Leonis Magni in can. 4. dist. 68.. Ubi vero sermo sit de Corepiscopis secundi generis, quoniam isti in civitatibus constituti cœperunt pro lubitu oscitantium quorumdam Episcoporum, nihil tale jubentibus, aut patientibus sanctionibus canonum, pro lubitu etiam Episcoporum modo in Episcopos ordinabantur, modo sine Episcopali ordinatione eligebantur, prout Episcopi iidem sua interesse censebant. Siquidem quicumque omnino vacare ab Episcopalibus functionibus volebant, Chorepiscopos ita electos etiam Episcopos ordinabant, a quibus inde ordinarentur clerici, Sacramentum Confirmationis administraretur, & similia obirentur officia Episcopali ordini reservata. Quicumque vero munera Episcopalis ordinis obire voluissent, in reliquis officiis curam mandare Chorepiscopis, parum solliciti erant, ut Chorepiscopi sui Episcopali ordini insignerentur, contenti eos esse in Presbyteratus ordine constitutos. Itaque post quintum Ecclesiæ sæculum cessavit in vicis, & pagis Chorepiscoporum nomen in Ecclesia Occidentali, & retentum fuit illorum officium penes Parochos; accessit etiam, ut inter Parochos constituerentur Archipresbyteri, ideo dicti Archipresbyteri ruris, ad quos plurium Parochiarum regimen pertineret, suscepta sollicitudine penes eosdem Archipresbyteros, qua ipsi, si quod in finitimis Parochis emergeret, de eo Episcopum redderent certiorem. Octavo, & nono Ecclesiæ sæculo cœperunt, ut diximus, institui Chorepiscopi Civitatenses in Ecclesia Occidentali, ad quos universa Episcoporum cura transferebatur. Hinc autem gravissimæ subortæ sunt controversiæ, diversæ *excitatæ sunt sectæ*, ut utatur verbis Rhabani Mauri in libro de Chorepiscopis, *invidiæ, iræ, rixæ, æmulationes, dissensiones, contentiones.* Quicumque enim lugebant talem, tantamque Episcoporum incuriam, atque oscitantiam, novam hanc recentium Chorepiscoporum disciplinam, tanquam teterrimam Ecclesiarum omnium luem, detestabantur. Qui e contrario Episcoporum quieti favebant, ea, quæ in honorem veterum Chorepiscoporum ab antiquissimis Conciliis constituta fuerant, his posterioris ætatis Chorepiscopis sine discrimine accommodabant, quasi Chorepiscopi istius generis jamdiu apud vetustos Patres probatissimi viderentur. Hæc dira contentio gravissimos utrimque habuit, & strenuos defensores, aliis de Episcopali cura sollicitis, atque ideo vicariam Chorepiscoporum operam improbantibus, aliis contra conantibus, ut Chorepiscoporum officia sustinerent, veritis, ne si improbavissent, damnare viderentur canones veterum, quibus Chorepiscoporum dignitas honesta prædicabatur. Eo devenit controversia, ut ob Ecclesiarum tranquilitatem ad Summum Pontificem dirimenda deferretur. Tenebat tunc Pontificatum Maximum Leo III., ad quem Carolus Magnus in Chorepiscoporum causa misit Arnonem Archiepiscopum Juvavensem, aliosque anno 799., ut ejus sententia controversiæ finis imponeretur. Tandem vero eo plerumque deventum est, ut Chorepiscopi etiam in Civitatibus nulli amplius eligerentur, uti liquet ex Capitulari anni 799., seu ex cap. 121. libr. 6. Capitularium Francorum in editione Baluziana. Cum tamen hæc disciplina generalis non esset, nec ubicum-

que recepta, in ea causa novæ controversiæ emerserunt, uti liquet ex Concilio Parisiensi anni 829. libr. 1. cap. 27., & ex Epistola Nicolai I. ad Rodulphum Episcopum Bituricensem cap. 1.. Erant enim adhuc, qui Chorepiscopis favebant, licet non omnes eadem voluntate; alii scilicet, præsertim Episcopi, ut coadjutores ministerii haberent, & Chorepiscopis tanquam Vicariis uterentur, seseque ab Ecclesiasticis muneribus obeundis eximerent; alii, ut veterem disciplinam, qua Chorepiscopi & admittebantur, & laudabantur, incolumem custodiendam curarent. Hujusmodi inter cæteros fuit laudatus Rhabanus Maurus, cujus est liber singularis ad Drogonem Metensem Episcopum directus *de Chorepiscopis, & dignitate, atque officio eorum*; ex quibus omnibus facile constat, Chorepiscoporum officium, atque institutionem in Civitatibus nonnisi tardius defecisse. Igitur, ut ad propositum revertar, civitatenses, & rusticanæ, seu diœcesanæ Ecclesiæ communibus fere institutionibus regebantur, & quemadmodum Episcopi Chorepiscopos in civitatibus constituerunt exemplo Chorepiscoporum rusticanorum, ita eosdem exemplo rusticanorum aboleverunt. In Ecclesiis civitatensibus Chorepiscoporum civitatensium officium in Archipresbyteros civitatenses, seu in Cathedrali Ecclesia constitutos derivavit, quorum opera adjuvaretur officium Episcopale, adjunctis Archidiaconis ratione certarum causarum, præsertim temporalium; eadem ratione, qua in Ecclesiis rusticanis pro Chorepiscopis ruralibus rurales constituti sunt Archipresbyteri. Denique cum in Ecclesiis Cathedralibus noluerunt amplius Episcopi vicariam operam Cathedralis Ecclesiæ Archipresbyteris, vel Archidiaconis commendare, sed pro illis adamaverunt Vicarios generales constituere, quos pro arbitrio eligerent, pro arbitrio etiam ab officio removerent, eamdem formam, aut similem induxerunt in Ecclesias rusticanas, ut pro rusticanis Archipresbyteris constituerent *ibidem* Vicarios, quos Foraneos appellarunt pro arbitrio æque eligendos, ac destituendos. Quamobrem concludere possumus, Chorepiscopis primum ruralibus successisse rurales Archipresbyteros, Archipresbyteris autem ruralibus Vicarios Foraneos recentioribus sæculis successisse, atque juxta hæc principia regi hodiernam disciplinam.

CAPUT II.

De Capitulis, seu Collegiis Ecclesiarum Cathedralium.

Huc referendi sunt tituli 9. 10. & 11. libr. 3.

QUo tempore una erat in singulis diœcesibus clericorum Ecclesia, quæ a Cathedra Episcopi ibidem præsidentis Cathedralis appellabatur, solus ordo clericos sub Episcopo constitutos invicem distinguebat; atque ut omittam inferiora officia ab inferioribus clericis gesta, Diaconi temporales tantum res Ecclesiasticas administrabant, Presbyteri autem non solum Sacramentis ordini suo congruentibus conferendis vacabant, sed & quod ad jurisdictionem sacrorum explicandam attinet, opera, consilio, suffragiis Episcopum adjuvabant. Unum erat, & solidum Episcoporum, & Presbyterorum ministerium, nisi quod Episcopus veluti Princeps, Presbyteri veluti Senatores Ecclesiæ habebantur, uti eleganter scribebat Hieronymus in canone 7. dist. 95.. Hanc ad rem ita ad Presbyteros, Diaconosque suos scribebat Cyprianus in Epistola 5. *Quam-*

quam causa compelleret, ut ipse ad vos properare, & venire deberem; primo cupiditate, & desiderio vestri quæ res in votis meis summa est, tum deinde, ut ea, quæ circa Ecclesiæ gubernaculum utilitas communis exposcit, tractare simul, & plurimorum consilio limare possemus &c. Huc quoque pertinebat anxia illa Ecclesiæ sollicitudo, qua curabatur, ut frequens esset Diœcesanarum Synodorum celebratio, etiam bis singulis annis, uti suo in loco observatum est, disciplina sane ab ipsis Apostolis derivata, qui in rebus gravioribus seniores convocare, audireque, unaque cum ipsis sententiam proferre solebant, can. 5. dist. 95.. Paulatim, partim ex eo, quod nonnulli ex Episcopis Presbyteros temnerent, quod luget pressis verbis Hieronymus in can. 6. & 7. dist. 95., partim ex eo, quod ex complurium suffragiis schismata identidem suborirentur, ut iterum scribit Hieronymus in dicto can. 5.; factum est, ut Episcopi rerum sacrarum curam ad se traherent fere universam, ipsique quasi soli jurisdictionem Ecclesiasticam explicarent; quamquam tamen in hac re non ubique conformes esse potuerunt mores, vel quod alicubi moratiores Episcopi, si non integram servaverunt veterem disciplinam, quædam saltem disciplinæ veteris vestigia manere voluerunt, ex. gr. in definiendis rebus investigantes, quid Presbyteri sentirent, reservata sibi facultate pro arbitrio definiendi, vel quod alicubi Presbyteri Episcoporum voluntati obstiterunt; unde profluxit, ut conventionibus & transactionibus initis aliqua Episcopo concederentur, aliqua in liberam Presbyterorum potestatem venirent; ex quo repetenda sunt varia, quæ passim occurrunt, Ecclesiarum Cathedralium jura consuetudinibus diuturnis confirmata. Interea in oppidis, vicis, ac pagis constitutæ fuere Parochiæ circa quartum, aut quintum Ecclesiæ sæculum; tum vero Civitatenses Presbyteri, quasi Episcopo adsidentes, a tractandis Diœcesanis negotiis abstinere voluerunt rusticanos, quasi apud Cathedralem unam Ecclesiam ingenita inesset sacra jurisdictio; immo & ubi in Civitate plures erigi cœperunt Ecclesiæ, atque in eisdem Ecclesiis Collegia clericorum, clerici Cathedrali Ecclesiæ adscripti alios simili ratione a rebus diœcesanis tractandis abstinere oportere censuerunt, cujus rei vestigia adparent in cap. 3. de causa possess., & propriet.. Sæculo Ecclesiæ duodecimo, quando clerici titulo patrimonii, vel recens institutorum beneficiorum, præsertim patronalium, ordinati sunt, & isti exclusi ab ea jurisdictionis parte fuerunt; & quoniam majores Cathedralium Ecclesiarum clerici Canonicorum, quasi in canonem, seu matriculam Ecclesiæ redacti, nomen adsumpserunt, ut ab aliis secernerentur; traditum inde fuit, in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Senatum quemdam Ecclesiæ exhiberi, ita ut ipsi unum cum Episcopo corpus, quasi potiora membra cum capite constituerent, cap. 4. de his, quæ fiunt a Prælatis; immo ex hoc profluxisse reor *Capituli* nomen; quemadmodum enim Episcopus *Caput*, seu Princeps Ecclesiæ dicebatur, ita Collegium Canonicorum dici potuit *Capitulum*, quasi Caput secundi Ordinis, & post Episcopum supra cæteros clericos excellens. Eam ob rem Canonicorum consilio Episcopus utebatur in beneficiis conferendis, in clericis ordinandis, in beneficiariis ex causa suspendendis, aut destituendis, in rebus Ecclesiæ distrahendis, in constitutionibus edendis, aliisve similibus, cap. 1. & passim eod. tit., cap. 2. & 4. de his, quæ fiunt a majore parte capituli, cap. 1. & 12. de reb. Eccles. non alien., Clement. 2. eod. tit. cap. 1. de excess. Prælat.. Neque recesserunt ab his regulis Tridentini Patres, quando sanxerunt, sine præsentia Canonicorum, aut Clericorum non fieri ordinationes, sess. 23. de Ref. cap. 8., sine illorum consilio indulgentias non publicari, sess. 21. de Ref. cap. 9., non institui Seminaria, eorumdemve jura firmari, sess. 23. de Ref. cap. 18. non designari, quo quisque ex Canonicis ordi-

ne insignitus esse debeat, sess. 24. de Ref. cap. 12., & pias voluntates non commutari, sess. 25. de Ref. cap. 8.

Sunt istæ generales juris Ecclesiastici regulæ, quibus in omnibus casibus aliquid peracturus Episcopus exquirere Capituli suffragia tenetur; unde manet penes Episcopum facultas convocandi Capitulum, quotiescumque id ipsi expedire videatur, dummodo non agatur de re ad Episcopi ejusdem, vel suorum commodum pertinente, in qua sicut Episcopus judicium ferre non potest, ita nequit Canonicorum consilium exposcere, Concilio Tridentino sess. 25. de Ref. cap. 6., ubi præceptum legimus, *ut Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant.* Neque ego aliam probabilem invenire possum exceptionem, nisi ubi agatur de diximendis in judicio Clericorum causis, non quidem Ecclesiasticis; de his enim tanquam Episcopali dignitati ingenitis expressum deprehendo Concilii Carthaginensis decretum in can. 6. caus. 15. quæst. 7. ita conceptum: *Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum Clericorum; alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur*; sed ubi agatur de causis civilibus juxta Novellam Justiniani 83., nam cum hæc potestas tum explicari visa est, cum ejus Imperatoris leges prodierunt, verbis earumdem legum inhærebatur, quæ de uno Episcopo faciunt mentionem, quemadmodum & de uno Episcopo fit passim mentio in tit. codicis de Episcopali audientia. Cæterum in Decretalibus, ubi de potestate Episcoporum agitur, constans disciplina adparet de exquirendo generaliter consensu Capituli: & quamquam passim legamus, Episcopos sæpe, ac sæpius molitos fuisse, ut ipsi soli certa Ecclesiastica negotia gererent, tamen observamus, Pontifices Maximos cohibuisse illorum conatus, cap. 4. 5. 8. de his, quæ fiunt a Prælatis, cap. 2. de his, quæ fiunt a majore parte Capituli, cap. 1. de reb. Eccles. non alien., cap. 2. & 7. de donation., nisi ageretur de Episcopis, qui certa negotia gerere voluissent, facultate speciali obtenta ab Apostolica Sede, quæ facultas quamdam dispensationis speciem exhibebat, cap. 9. in fine de his, quæ fiunt a Prælat., cap. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6., aut nisi ageretur de Episcopis, qui eam potestatem excludendi Capitulum legitima consuetudine, vel præscriptione sibi vindicavissent, cap. 3. de consuetud. in 6., hæ enim jurisdictionum species consuetudinum, & præscriptionum vicibus facile subsunt, cap. 6. de his, quæ fiunt a Prælatis; aut nisi ageretur de contrariis statutis Cathedralis alicujus Ecclesiæ; etenim cum in hoc Canonicorum concursu sæpe inter Episcopos, & Capitula contentiones emergerent, alicubi opus fuit negotia partiri, ut, dum quædam regenda libere Canonicis relinquerentur; cætera ad liberam jurisdictionem Episcopi referrentur; aut denique nisi specialiter ageretur de rebus Ecclesiasticis jamdiu temporum injuria possessis, & detentis sub laicorum potestate, in Monasteria transferendis. In hac enim specie quicumque non ignorat, quanta decimotertio sæculo fuerit Pontificum cura, ut tandem aliquando bona Ecclesiastica a laicis usurpata ad Ecclesiam reverterentur, patientes ea restitui apud Monasteria, & gratia Monachorum, quando laici ægre admodum ferebant in Clericorum potestatem reduci; facile percipit, quam opportunum fuerit, generales regulas relaxari, cap. 7. de his, quæ fiunt a Prælatis, eodem modo, quo ob singularem Ecclesiæ utilitatem receptum fuit, ut etiam sine consensu Episcopi juspatronatus a laicis vel Ecclesiæ, vel religioso loco cederetur, cap. unico de jurepatron. in 6..

Optimum hoc Ecclesiarum regimen, juxta quod nonnisi integrum potest esse judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, uti scribebat Cælestinus III. in cap. 21. de offic. deleg., paulisper placitis suis turbaverunt sequioris ætatis Interpretes, qui cum inficiari non possent,

teneri Episcopos regulariter requisito Capitulo omnia gerere, invenissent autem canones modo ita conceptos, ut *consilium* modo ita, ut *consensus* Capituli exquireretur, quasi aucupes formularum, distinxerunt inter consilium, & consensum; consilium dicentes suffragia Capituli, quibus exploratis morem gerere Episcopus nunquam teneretur, consensum vero suffragia Capituli, quibus esset ab Episcopo necessario adhærendum. Hinc regulam adstruxerunt, juxta quam generaliter Episcopus consilium Capituli exposcere teneretur, nunquam consensum, nisi in iis casibus, in quibus expresse in jure cautum deprehenderetur, consensum esse exposcendum. Mihi non omnino placere potest ista consensus, & consilii differentia; immo & indita major consensui, quam consilio vis, & ratio, quando novi, consilium esse quendam consensum præstantiorem, id est, consensum præstitutum præhabita deliberatione, uti scribit Cicero in libr. 2. de inventione. Olim quando populus universus, ipsa etiam plebs in publicis Ecclesiasticis conventibus interveniebat una cum clero, cujus potiora erant munera, ad secernenda populi, & clericorum officia; clero consilium, veluti quidquam excellentius, populo consensus tribuebatur. Ita invenio apud Cyprianum in Epist. ad Presbyteros, & Diaconos suos ita scribentem: *Ad id vero, quod scripserunt mihi Compresbyteri nostri, Donatus, & Fortunatus, Novatus, & Gordius, solus rescribere nihil potui, quando a primordio Episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis mea privatim sententia gerere.* Igitur qui in consilio minorem potestatem agnoscunt, quam in consensu, eo abibunt, ut majorem plebi, quam clero potestatem in vetere Ecclesia tribuere teneantur. Semota a Comitiis plebe, promiscue Ecclesiastici Patres & consensus, & consilii nomen usurpaverunt. Neque enim deinceps necessaria videbatur distinctio ad secernenda jura personarum. Quidquid enim Martinus Braccharensis in can. 1. caus. 9. quæst. 3. de suffragiis Episcoporum loquens, ea *consilium* appellavit? Quidquid illud, quod *consilium* Sacerdotum nominatur in can. 2. caus. 9. quæst. 3., in alia canonis interpretatione a Romanis Correctoribus ex græco textu subjecta *sententia* nominatur? Quidquid illud, quod dicitur in Concilio Antiocheno can. 23. caus. 12. quæst. 1., nimirum Episcopos res Ecclesiasticas pertractare debere cum *conscientia* Presbyterorum, ac Diaconorum, ita apud Leonem Magnum in can. 52. caus. 12. quæst. 2. effertur, ut nequeat Episcopus de eisdem rebus disponere absque *conniventia*, & *subscriptione* Clericorum? Nonne cum Bonifacius VIII. in cap. 3. de suppl. negl. Prælat. in 6., consulendam Apostolicam Sedem mandavit, in *consilio* Apostolicæ Sedis collocatam a nemine contemnendam auctoritatem censuit? Nonne in cap. 8. §. ult. de reb. Eccles. non alien. statuitur, Episcopos alienare posse de *adsensu* fratrum; alibi autem, id est, in cap. 2. de donation. cavetur, ne Episcopi ad donationes procedant, Canonicis *inconsultis*? Quis insuper diceret in conspectu capituli 9. de reb. Eccles. non alien., ubi legitur, Canonicum non posse locare in perpetuum bona Ecclesiæ in fraudem aliorum Canonicorum, Concanonicis *inconsultis*, ita id intelligendum esse, quasi Canonicus teneatur exquirere, non sequi consensum collegarum? Adde his consensum, & consilium promiscue sumi ab Imperatoribus in l. 8. cod. de legibus. Video tamen, qua ratione commoti fuerint, aut commoveri potuerint, qui contra sentiunt, ut eam consilii, ac consensus differentiam inveherent. Aliquos forte movere potuit commune adagium, quo fertur, consilium non esse obligatorium, quod derivaverunt ex Justiniani principiis in §. 6. instit. mandati. Verum qui hoc argumenti genere uteretur, parum aptam probationem adferret, immo & a proposito Justiniani longe distaret. Est in primis parum apta probatio, propterea quod

aliud est loqui de consilio privatorum ad causas privatas adhibito, quod sane neminem obstringit; aliud loqui de consilio publico ad causas publicas ex legum constitutionibus adhibendo; quod & quidam petere necessario debent, & qui interrogantur, ex officio præstare tenentur; tunc enim ne consilium supervacaneum dicatur, obligare sane debebit eum, qui petit, ut saniorem partem sequatur. Deinde distaret a proposito Justiniani, qui sollicitus erat in investigando, non an qui consilium petiit, consilium sequi tenetur, sed an qui consilium dedit, ex præstito consilio quasi mandati actione obligaretur, atque hoc in sensu dixit, consilium nullam obligationem inducere. Alii ideo Episcopum sequendo Capituli consilio non obstrictum adfirmaverunt, propterea quod vererentur, actum esse de auctoritate Episcoporum, & de eorumdem supra Presbyteros prærogativa Divino jure constituta, si Episcopum obligarent ad sequendum consilium Capituli, quasi tunc Episcopi auctoritas a Capituli potestate penderet. Verum statim ac vel ipsis fatentibus, qui ita argumentantur, multi sunt casus, in quibus expressa sanctione canonum Episcopus tenetur sequi sanioris partis consensum, quin tamen exinde sequatur, in ea re imminutam Episcopalem auctoritatem, & subjectam auctoritati minorum Clericorum, ita vel iidem etiam fateri debent non esse duo ista adeo contraria, habere jurisdictionem in Clericos, & teneri sequi Clericorum sententiam, ut unum alteri cohærere non possit. Supponere in primis oportet divinam potestatem, qua Episcopi gaudent ipsam etiam a Deo institutam Episcopalem supra Presbyteros prærogativam, non ita effrenem esse, & liberam, ut valeant Episcopi etiam a prudentiæ regulis deflectere, contemnere saniorum consilia, & omnia pro lubitu gerere. *Reges gentium*, ajebat Christus Apostolos alloquens, *dominantur eorum, vos autem non sic.* His autem positis, facile erit concludere, canonum doctrinam, qua tradatur, Episcopum teneri ad sequendum Capituli consilium, nihil officere auctoritati, & jurisdictioni Episcopali, cum aliud sit, certos modos exercendæ jurisdictioni adjicere, aliud sit, jurisdictionem auferre. Alii denique ideo Episcopum eximunt a sequendo Capituli consilio, quod putent, rem ita definitam fuisse auctoritate tum capituli 7. de arbitris, tum capituli 1. de Cappell. Monachor.. Ego sane non video in his monumentis rem definitam; nullibi enim de Canonicis agitur, sed in dicto cap. 7. de familia hospitalis consilium latura Prioris, seu Præposito suo, & indicto capitulo 1. de Monachis, quorum consilio in Ecclesiis, ubi Monachi habitant, Episcopi rectores animarum instituuri sint. Quid commune habet venerabilis Clericorum ad Cathedralis Ecclesiæ ministeria selectorum cœtus, qui a vetustis Patribus Senatus Ecclesiæ appellatur, cum familia hospitalis, de cujus juribus agebatur in dicto capitulo 7.? Erat in ea specie habenda præcipua Prioris, seu Præpositi ratio, qui licet tractare debuisset de electione facienda cum familia, tamen, tractatione facta, libere eligere poterat, ita forte ferentibus Hospitalis statutis, quæ veluti singularia jus commune Ecclesiarum Cathedralium minime lædunt. Quid præterea commune habet idem cœtus Canonicorum cum Collegio Monachorum, præsertim in gerenda cura animarum, de quibus negotiis agitur in dicto cap. 1.? Erat in ea specie considerandum, Monachos jure Decretalium a cura animarum fuisse semotos, quorum vita solitaria erat, & a rebus clericalibus penitus aliena. Quod si in verba capituli 1. impensiore criterio intendas, agnosces, paulo aliter apud Gratianum sub nomine Urbani Papæ referri in can. 6. caus. 16. quæst. 2., nam in apud Gregorium IX. legitur, Cappellanum, qui populum regat, esse ab Episcopo instituendum *per consilium Monachorum*; apud Gratianum legitur, Monachos

non posse in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, *absque Episcoporum consilio* Presbyteros collocare. Quemadmodum ergo longe a sententia Gratianei canonis ego recederem, si dicerem, ab Episcopo consilium exquirendum esse, non sequendum, propterea quod Episcopalis *consilii* nomen ibidem occurrit, cur non similiter dicam, neque satis attingere germanam mentem Urbani in dicto cap. 1. de Cappell. Monach. eum, qui concluderet, Episcopum consilium petere debere a Monachis, non consensum exspectare ex eo, quod ibidem fit mentio *consilii* Monachorum? Paucis dicam, ibidem Monachos veluti Patronos considerari, ad quos propterea præsentatio spectaret, reservata institutione, & jurisdictione sacrorum gratia Episcoporum. Itaque quamquam non ignorem, hanc opinionem, quam hucusque exagitavi, moribus fuisse receptam, propterea quod ita scripserit Interpretum vulgus, quorum maxima esse solet in rebus agendis auctoritas, concludere tamen possum, attenta germana sententia canonum, præsertim veterum, teneri generaliter Episcopum consilium sui Capituli in rebus Ecclesiæ administrandis juxta ingenitam Episcopatus potestatem exquirere, & juxta majoris, seu sanioris partis vota concludere, quemadmodum expresse definiverunt, & quidem sine injuria Episcopalis jurisdictionis, Patres Tridentini in can. 6. de Ref. sess. 25. vers. *Quod si aliquid*, nisi forte Episcopi aliud legitima consuetudine, vel præscriptione inductum esse demonstrent; uti enim Capitula ex consuetudine, aut præscriptione excludere potuerunt cæteros Clericos olim ad ferendum Episcopo consilium accedentes, ita nec ægre pati debent, se simili jure aliquando excludi, aliosque prudentes Clericos consilii causa ab Episcopo adsumi, quemadmodum expressa ita præcipiente lege contingit in collationibus beneficiorum Parochialium, in qua multum defertur suffragio Examinatorum Synodalium etiam sine injuria Episcopalis potestatis; aut nisi agatur de iis, quæ Superiorum judicio probata jam sunt, qualia essent negotia jam auctoritate Provincialis Concilii, vel Sedis Apostolicæ comprobata, cap. 9. in fine de his, quæ fiunt a Prælat.; neque enim debent inferiorum contradicto judicio discuti, quæ fuerint jam apud Superiorem discussa, ac definita; aut denique nisi agatur de iis, quæ expresse in sacris canonibus unius Episcopi voluntati remissa censentur, uti in specie capituli 7. de his, quæ fiunt a Prælatis. Obiter hoc in loco observare juvat, quanta sollicitudine curandum sit, ut Canonici Cathedralis Ecclesiæ insigni rerum sacrarum peritia, ac prudentia præstent; recto enim eos monebat Guillelmus Lindanus Gandensium Antistes, dum corruptam decimisexti sæculi disciplinam lugebat, *ut nulla ratione putarent, se apud Deum excusari, si solum officium recitando occupentur*. Hinc inter articulos reformationis nomine Caroli IX. Regis Galliæ Patribus Tridentinis propositos, quibus iidem Patres morem gessisse visi sunt in sess. 24. de Reform. cap. 12., erat hic ordine vigesimus septimus his verbis expressus: *Cum Episcopus ea jurisdictione uti non debeat secundum antiqua decreta, nisi consulto Capitulo, quemadmodum nec alia suæ diœcesis gravia negotia tractare, danda est diligens opera, ut Canonici Cathedralium Ecclesiarum sint assidui in Ecclesia Cathedrali, bonis moribus, & scientia præditi, quique saltem vigesimumquintum annum attingant; nam ante illam ætatem cum non possint per leges humanas rebus suis prospicere, quomodo Episcopo suo consulere poterunt?* Si sequioribus Ecclesiæ sæculis ante Concilium Tridentinum sine delectu eligebantur, atque instituebantur Canonici Cathedralium Ecclesiarum, atque exinde, ut puto, factum est, eorumdem velut tunc parum idoneorum consilia negligerentur; ubi e contrario post Tridentinum Concilium canonum in eo editorum ratio habeatur, & ii eligantur in Cathedralibus Ecclesiis, qui sint tanto muneri pares, sperandum fidenter erit, ut veterum cano-

num disciplinam undecumque instauretur, restituatur.

Non hic finitur Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis officium, illa enim superest, explicanda gravissima muneris pars, quæ exercetur, Sede Episcopali vacante, sive revera, & jure vacet, uti contingit post Episcopi obitum, vel renuntiationem, vel translationem, vel depositionem; sive facto pro vacante habeatur, uti contingit, cum Episcopus a Paganis, vel Schismaticis capitur, aut nullo constituto Vicario ita abest, ut Ecclesia necessitatibus, vel utilitatibus minime prospiciat, cap. 2. & 3. de suppl. neglig. Prælat. in 6., his enim in casibus tota Episcopalis jurisdictionis potestas, quantacumque sit, ad Capitulum devolvitur, quasi ea, quæ in solidum administrari videbatur & ab Episcopo, & a Capitulo, jure adcrescendi in Canonicis incipiat universa consistere. Non ergo devolvitur jurisdictio ad Metropolitanum, quia diœcesi unicuique potestas sacrorum cohæret; unde diluitur argumentum, quod in contrarium erui posset ex cap. 11. de majorit., & obed., ubi traditur, clericos Ecclesiis titularibus Cardinalium adscriptos, mortuo Cardinali, minime succedere in defuncti Prælati jurisdictionem; cum Cardinalitii tituli in urbe Romana siti diœcesi Romani Antistitis sint constituti, & jurisdictio Cardinalium non in vim diœcesanæ administrationis competat, sed privilegii singularis. Si cui difficultatem faceret canon 15. caus. 16. quæst. 3. referendus ad Concilium Carthaginense anni 418., ubi statutum deprehenditur, licere vicinis Episcopis occupare diœcesim illius, qui negligens fuerit; is observare debebit, ibidem agi non de Episcopo absente a diœcesi, sed de eo, qui partem diœcesis ab Hæreticis occupatam recuperare negloxerit; quamobrem vicinis Episcopis extra ordinem data fuit certam diœcesim occupandi facultas in Africa, in qua nulla erat certa Metropolitica civitas, sed qui senior esset, uno excepto Carthaginensi Antistite, Metropolitanus habebatur. Item si quis in conspectu canonis 3. dist. 71. putet, Episcopo ab hostibus ejecto neminem esse, qui jura Ecclesiæ exerceat, atque ejus jura ad alios extra civitatem devolvi, eamque ob rem Fortunatum Neapolitanum Episcopum ad suam Ecclesiam transtulisse Diaconum quemdam Venafranæ Ecclesiæ vacantis; observet, ibidem non Episcopum tantum ejectum fuisse, sed & clericos universos armorum vi impeditos, ne potestatem Ecclesiasticam exercerent, ac proinde extra ordinem consuli certis Personarum Ecclesiasticarum officiis debuisse. Itaque iis demptis, quæ ad potestatem Episcopalis Ordinis spectant, universa jurisdictio a Capitulo exercebitur, can. 7. caus. 7. quæst. 1., quod cum ex jure communi proficiscatur, regulam conficimus, ut omnia Capitulo liceant, nisi quædam proponantur singulari jure reservata, cap. un. de major., & obed. in 6.. Hinc poterit Capitulum, nisi ad alium in singulari jure pertineat, redditus vacantis Ecclesiæ percipere successori deinde Episcopo concedendos, can. 2. dist. 75., Concilio Tridentino sess. 24. cap. 16. de Reform., confirmare electiones, quas vivens Episcopus confirmaret, cap. 14. de majorit., & obed., absolvere ab excommunicatione Episcopo reservata, cap. un. eod. tit. in 6., Episcopis extraneis concedere, ut in diœcesi vacante Pontificalia, & Ordinis potestatem exerceant, consentire, ut beneficia, vel Ecclesiæ erigantur, reservato erigentibus jurepatronatus, judicare in causis Hæreticorum, in quibus judicare Episcopi possunt, cap. 9. de Hæret., Clement. 1. vers. *Propter* eod. tit., eademque ratione de emergentibus causis, etiam matrimonialibus judicare, cap. 7. de eo, qui duxit &c., visitare diœcesim, Synodum celebrare, atque in ea examinatores Synodales instar Episcoporum eligere; ut paucis dicam, ea omnia facere, quæ jure communi, & ordinario jurisdictioni Episcoporum adhæren-

Sunt autem receptæ plures generalis regulæ exceptiones. Non heic loquar de collatione beneficiorum, de hac enim fuse in tractatione de beneficiis ecclesiasticis disseram. Prima exceptio est, non posse Capitulum infra annum dimissorias literas ordinandis clericis concedere, nisi de iis agatur, qui causa vel recepti, vel recipiendi beneficii arctati dicuntur, Concilio Tridentino sess. 7. cap. 10., juncto cap. 10. sess. 23. de Reform., quibus capitibus abrogata est vetus jurisprudentia, quæ temporibus adhuc Bonifacii VIII. vigebat juxta capitulum 3. de tempor. ordinat. in 6.. Altera exceptio est in iis, quæ si a Capitulo fierent, via aperiretur, ut jura Episcopolia, aut Cathedralis Ecclesiæ paterentur detrimentum, vel imminutionem. Quemadmodum enim vetustis jam canonibus cautum scimus, ut mortuo Episcopo rerum Episcopalium inventarium a clericis fiat, ne quid ex illis quandoque depereat, aut ne quid a clericis eisdem in proprios usus convertatur, can. 45. caus. 12. quæst. 2., cap. 9. de offic. ord. in 6., ita cavendum semper fuit, ne, Sede vacante, Ecclesiæ status quoquo modo immutetur, cap. 2. ne Sede vacante, juncto cap. ult. de Regul. in 6., unde emersit adagium, ne præscriptionem quidem Sede vacante currere, seu tempora Sedis vacantis inter tempora, quibus præscriptio conficitur, non computari, quasi Ecclesia tunc careat defensore, cap. 1. & ult. ne Sede vacante, cap. 1. 4. & 15. de præscript. Istas exceptiones Sacri canones invexerunt ob varios clericorum abusus, qui liberius, quam par esset, de Episcopalibus juribus ad se, Sede vacante, devolutis disponebant; unde identidem cavendum fuit, ut inter cætera, Episcoporum bona commendarentur fidei, ac tutelæ religiosorum Principum, quorum præsidio sarta, tectaque custodirentur. Hinc Capitulo nulla permittitur alienatio, etiam si ageretur de rebus & Episcopo, & Capitulo communibus, dicto cap. 1. & ult. ne Sede vacante; item non permittendum Capitulo, ut auctoritatem interponat donationi jurispatronatus de laico in laicum transferendi; præterea non permittendum, ut beneficia supprimat, ne in specie quidem capitis 15. sessionis 24. Tridentinæ de Reform., neque ut beneficia uniat, quibus in casibus potestati Episcopali quidquam detraheretur, uti nostri passim tradunt ad Clementinam 1. de statu Monach.. Simili ratione receptum est, ut Capitulum excipere nequeat liberas beneficiorum resignationes, nisi duobus in casibus; primo nimirum, cum causa subsit necessaria; secundo cum de eo beneficio agatur, cujus collatio ad Capitulum simul, & ad Episcopum pertinet. Patet ex his, quid sentiendum sit de vulgari Pragmaticorum doctrina, qui in hac re cum observarent modo in jure certa negotia gerenda committi Capitulo, modo denegari, ut certam regulam conficerent, distinxerunt duplicem jurisdictionis Episcopalis speciem, unam voluntariam, necessariam alteram appellantes, ac deinde necessariam jurisdictionem Capitulis adserentes, voluntariam denegantes. Distinctio ista, & distinctioni accommodata traditio nullibi in Ecclesiasticis canonibus demonstratur, immo & variis ambagibus plurima involvit, cum difficile admodum sit indicare, quæ ad voluntariam, quæque ad necessariam pertinent jurisdictionem. Adde, ab eisdem Pragmaticis multa concedi Capitulis, quæ sane nonnisi voluntariæ jurisdictionis esse possunt, veluti facultas Prædicatoribus evangelicis permittendi, ut in diœcesi populum doceant, etiam in adjutorium Parochorum, facultas eligendi Sacerdotes ad excipiendas fidelium confessiones, & alia his similia bene multa; item multa denegari Capitulis, quæ necessaria videntur; unde simplicior erit regula superius stabilita, qua concludatur, jurisdictionem Episcopalem universam devolvi in Capitulum, vacante Sede, iis tantum negotiis exceptis, quæ expresse denegata in jure deprehenduntur.

Pluribus obnoxia est difficultatibus vulgaris nostrorum disputatio, num Capitulum ea gerere possit, quæ Episcopis gerenda commissa fuerunt in Tridentino Concilio, ubi modo extra ordinem certa jurisdictio Episcopis data est, modo quæ eisdem olim inerat, & recentioribus sæculis sublata, fuit restituta, modo eisdem Pontificia delegatio accessit. Non in omnibus omnino casibus eadem accommodari definitio potest. In primis dico, quoties in Concilio Tridentino certa datur generaliter Episcopo facultas, quasi ipsa non personæ, sed dignitati, & officio commissa videatur, eam in Capitulum, Sede vacante, transire, cum totum transeat una cum officio Episcopali, quidquid eidem officio cohæret. Id contingit ex. gr. in potestate convocandæ Synodi, & constituendorum Examinatorum, aut Judicum Synodalium, in facultate indicendi concursus in Parochialibus beneficiis, vel deputandi Œconomos vacantibus Parochialibus Ecclesiis, in potestate dispensandi a denuntiationibus matrimoniorum, in concessionibus monitoriorum, item in illis dispensationibus indulgendis, de quibus mentio fit in cap. 6. sess. 24. de Ref.. Deinde dico, quoties in Tridentino Concilio singulari jure restitutum est Episcopo, quod antea ob reservationes, aut consuetudines sublatum Episcopo fuerat, adjecta ex. gr. clausula *non obstantibus reservationibus*, *sublata reservatione*, aut simili; tunc Capitulum eamdem potestatem explicaturum. Etenim sublata reservatione, aut abolita consuetudine res reducitur ad formam juris veteris, quo attento, sicut penes Episcopum jurisdictio erat, ita & in Capitulum, Sede vacante, transibat. Id occurrit in specie capitis 2. in fine sess. 5. de Reform., ubi facultas fit Episcopis, & ordinariis locorum, opportunis remediis arcendi quæstores Tridentino decreto inobedientes, *privilegiis quibuscumque non obstantibus*: insuper in specie capitis 5. sess. 7. de Ref., ubi Episcopis mandatum est, ut inquirerent in possessores plurium beneficiorum curatorum, aut alias incompatibilium, & certis modis provideret, ne beneficia ipsa debitis obsequiis defraudarentur, *appellationibus privilegiis, exemptionibus quibuscumque nemini suffragantibus*; & in specie capitis 7. eadem sess. 7., ubi simili clausula adjecta mandatur Episcopis, ut singulis annis visitent beneficia ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, vel Monasteriis unita fuerint perpetuo, & adnexa, curentque, ut in iis per idoneos Vicarios animarum cura exerceatur. Atque hæc ipsa regula etiam recipienda est in specie Clementinæ unicæ de testamentis, ubi Episcopis jurisdictio datur in religiosos etiam exemptos ad executionem ultimarum voluntatum deputatos circa ipsius executionis officium, *quocumque non obstante privilegio*, & in specie Clementinæ 1. de sepultur., ubi certa jurisdictio Episcopo tribuitur in eos, qui contra censuras quemquam sepelire præsumerent, *nullo exemptionis, vel quovis alio privilegio aliqualiter suffragante*. Tertio dico, quoties in Tridentino Concilio aliquid concessum Episcopis fuit adjecta particula, *etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis*, cujus vi Episcopi & ordinaria simul, & delegata Pontificia potestate agere possunt, eam potestatem Capitulo, Sede vacante, competere; etenim accessio delegationis Apostolicæ firmat quidem magis, non tamen immutat qualitatem ordinariæ jurisdictionis, argumento cap. 12. de officio judicis ordinar., & cap. 4. de rescriptis in 6.. Id contingit in specie capitis 4. sess. 6. de Ref., ubi Episcopis *etiam auctoritate Apostolica* jus visitandi Capitula Cathedralium conceditur, nullis obstantibus exemptionibus, aut consuetudinibus; in specie capitis 5. sess. 21. de Ref., ubi Episcopis conceditur, *etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis*, uniones perpetuas certis in casibus facere beneficiorum curatorum; in specie capitis 7. ejusdem sessionis, ubi Episcopis datur potestas, *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis*, transferendi certis in casibus bene-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ficia de una ad alteram Ecclesiam; in specie capitis 8. ejusdem sessionis, ubi sermo fit de visitatione Episcoporum, qui ad eam causam dicuntur *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegeti*; in specie signandarum quarumdam portionum in quotidianas distributiones convertendarum, juxta caput 3. sess. 22. de Ref., visitandorum Hospitalium, locorumque piorum, juxta caput 8. ejusdem sessionis, coercendarum quarumdam personarum in officio delinquentium, quibus in locis receptum est caput 10. ejusdem sessionis, & visitationum in diœcesi habendarum, juxta caput 10. sess. 24. de Ref., quibus omnibus in capitulus Episcopis, *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis* certa officia gerenda mandantur. Denique dico, ad Capitulum non transire eam potestaten, quæ tantum ex delegatione Apostolica Episcopo competebat, uti in specie deputationis Vicariorum in iis beneficiis, in quibus Beneficiarii ex Apostolico indulto non residen t, juxta caput 2. sess. de Ref., in specie corrigendorum exemptorum, juxta caput 3. ejusdem sessionis, in specie visitandarum certarum Ecclesiarum, juxta caput 8. sess. 7. de Ref., examinandarum unionum, juxta caput 6. ejusdem sessionis, & ferendæ sententiæ in causis exemptorum, juxta caput 14. ejusdem sessionis, in specie corrigendorum exemptorum, juxta caput 4. sess. 14. de Ref., in specie cognoscendarum dispensationum Pontificiarum, juxta caput 5. & 6. de Ref., sess. 22., in specie visitationum Ecclesiarum in nullius diœcesi sitarum, jurisdictionis exercendæ in certas personas honorariis titulis, & subinde privilegiis insignitas, & cognoscendorum certorum privilegiorum a Sede Apostolica impetratorum, juxta caput 9. 12. & 14. in fine sess. 24. de Ref., in specie tuendæ Monialium exemptarum clausuræ, visitandi certis in casibus Regulares exemptos, & regendi Monialium monasteria Sedi Apostolicæ immediate subjecta, juxta caput 5. 8. & 9. sess. 25. de Regular., ac denique in specie revidendarum, atque examinandarum quarumdam unionum beneficiorum, juxta caput 9. vers. *quæ vero* sess. 25. de Ref., quibus omnibus in speciebus jurisdictio datur Episcopis præcise, *tanquam Sedis Apostolicæ delegatis*. Similis jurisprudentia servanda erit in aliis casibus ante Concilium Tridentinum expressis, ubi eadem formula concepta in Episcopalem potestatem veluti a Sede Apostolica delegatam certa negotia collata fuerunt, uti in specie capituli 13. vers. *cæterum* de officio Judic. ordinar., ubi certa in Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Suffraganeæ Metropolitano potestas adseritur; in specie capituli 9. in fine de hæreticis, ubi Episcopi in exemptos hæreseos criminis reos procedere valent; in specie capituli unici §. ult. de statu Regular. in 6., ubi Episcoporum dignitas designatur ad regenda Monasteria Monialium Apostolicæ Sedi immediate subjecta; in specie Clementinæ unicæ de suppl. neglig. Prælat., ubi Episcopis tribuitur beneficia conferre vi devolutionis, quæ ad Prælatorum exemptorum collationem pertinebant, quum isti intra tempus legitimum non contulerint; in specie Clementinæ 2. de statu Monach., ubi Episcopis commendatur visitatio Monialium, quæ dicuntur Canonicæ Sæculares; ac denique in specie Clementinæ 2. in fine principii de religios. domib., in causa reformandorum piorum quorumdam locorum alias ab Ordinarii jurisdictione exemptorum. Ecquidem in conspectu harum omnium specierum scio, nonnullos scripsisse, per delegationem Apostolicæ Sedis Episcopis factam iterum excitatam fuisse ordinariam Episcoporum jurisdictionem, quasi reservatione, exemptione, atque universis singularibus juribus, privilegiisque cessantibus, adeoque, vacante Sede, Episcopalem istam potestatem devolvi ad Capitulum. Verum mihi non satis tuta videtur hæc opinio; statim ac enim Romanus Antistes constituit in iis casibus Episcopos tanquam delegatos suos,

reservatione potius confirmavisse deprehenditur, quando Episcopus vi susceptæ delegationis non propriam induit personam, sed tantum agit nomine illius, cujus gratia facta olim fuit reservatio.

Generalis hæc Capitulorum jurisdictio olim per Canonicos in communi gerebatur, cap. 3. & 4. de suppl. neglig. Prælat. in 6.. Tantum in rebus temporalibus administrandis præficiebatur Œconomus, can. 2. dist. 75., aut Vicarius quidam præstituebatur vel a Metropolitano, vel a Pontifice Maximo sub Visitatoris nomine, si Capitulum negligens in administratione fuisset, aut si gravis quædam causa constituendi Visitatoris Apostolici emersisset, dicto cap. 3. & 4. de suppl. neglig. Prælat.. Hodie vero utimur jure constituto in Concilio Tridentino in cap. 16. sess. 24. de Ref.. Nimirum Capitulum, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Œconomum unum, vel plures fideles, ac diligentes decernere debet, qui rerum ecclesiasticarum, & proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddituri; ex quo constat, in iis provinciis, in quibus, uti apud nos viget, favore Principum receptum est, ut ipsi curam temporalium Ecclesiæ bonorum suscipiant, eam disciplinam minime servari. Deinde ad Capitulum pertinebit, officialem, seu Vicarium intra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare, qui saltem in jure canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri possit idoneus; ita ut, si secus a Capitulo factum fuerit, ad Metropolitanum potestas hujusmodi devolvatur, aut ad Episcopum antiquiorem ex Suffraganeis, si agatur de Metropolitana ipsa Ecclesia, aut ad propinquiorem Episcopum, si agatur de Ecclesia exempta. Unus tantum, non plures, a Capitulo Vicarius est constituendus, nisi tamen alicubi plurium eligendorum consuetudo viguerit, aut nisi alter eligatur quasi subrogatus, cum demum scilicet jurisdictionem administraturus, cum Vicarius electus illam exercere non possit. Ex quo liquet, non esse in potestate Capituli, quantam voluerit, constituto Vicario jurisdictionem mandare, sed ad universam mandandam teneri, & quidem perpetuo, id est, donec Ecclesia vacaverit; ne forte Vicarius a Capitulo pendere videatur, & minus libere agere, quod agendum Ecclesiæ utilitas suadet. Non est tamen dubitandum, quin Capitulum alium eligere Vicarium possit, quoties electus moriatur, aut munere suo fungi amplius non valeat, aut ita in munere versetur, ut perperam jurisdictionem administret, tum scilicet & iis in casibus, cum & in quibus quilibet Ordinarius jurisdictione esset sua ex canonum censura privandus; eademque ratione si in certa causa Vicarius tanquam suspectus a litigantibus allegetur, ad Capitulum spectabit, seu arbitros ad cognoscendas suspicionis causas constituere, seu causis cognitis novum judicem dare. Hinc deducitur, Vicarium Capitularem tanquam ordinarium habendum esse, licet talis non habeatur Vicarius generalis ab Episcopo constitutus; quoniam non ita a voluntate Capituli Vicarii Capitularis officium pendet, uti a voluntate Episcopi pendet officium Vicarii Episcopalis. Quamobrem merito profitetur Benedictus XIV. in libr. 2. de Synodo Diœcesana cap. 9. num. 3., se non percipere, quare Dataria Apostolica dispensationes, quæ ex mente Tridentini Concilii sess. 22. de Reform. cap. 5. extra Curiam committendæ sunt Ordinariis locorum, nunquam committere consueverit Vicariis Capitularibus, quamvis eas committere soleat Vicariis generalibus Episcoporum. Cæterum sive Œconomi, ubi a Capitulis constituuntur, sive Vicarii Capitulares, rationes administrationis suæ reddere tenentur Episcopo successori, quin illis remissio a Capitulo facta suffragetur, dicto capite 16. Tridentinæ sessionis 24., adeo ut emolumenta ex jurisdictione, aut sigillo provenientia eidem successori Episcopo ce-

dant, reservato congruo salario favore Vicarii, can. 45. caus. 12. quæst. 2..

Dixi modo, aliquando, & extra ordinem auctoritate Sedis Apostolicæ Vicarium vacanti Ecclesiæ præfici, qui ideo Apostolicus nominatur, seu Visitator, seu dispensator, cap. ult. de suppl. negligent. Prælator. in 6., can. 1. caus. 7. quæst. 1., can. 19. dist. 62, cap. 42. de elect. in 6.. Causas Vicarii Apostolici constituendi enumerat Peregrinus in praxi Vicariorum parte 1. sect. 6., sive de eo agatur, qui sede plena, & suspenso Episcopo, sive de eo agatur, qui Sede vacante præficitur. Quoties autem is constituatur, majore jurisdictione pollet, quam Vicarius a Capitulo constitutus, ille enim libere potest beneficia ad collationem Episcopi pertinentia conferre, dicto cap. 4. in fine de suppl. neglig. Prælat.; atque, ut paucis dicam, ea omnia peragere, quæ ex juris communis disciplina præstare potest Episcopus electus confirmatus, una dempta ecclesiasticarum rerum alienatione, dicto cap. 42. de elect. in 6.. Cæterum investiganda facultate, quæ Vicario Apostolico competit, plurimum semper juvabit perpendere literas Apostolicæ Sedis, quibus constituitur; modo enim in iis amplior, modo minor potestas concedi solet, prout adjuncta temporum ferunt, vel locorum, vel causarum, aliquando etiam personarum.

CAPUT III.

De Prælatis non Episcopis quasi Episcopalem jurisdictionem exercentibus.

Huc referendus est titulus 33. libr. 5., tit. 31. & 35. libr. 3.

QUamquam Prælati nomen, si latissime sumatur, ad Parochos etiam referri facile possit, cap. 3. de offic. judic. ordinar., cap. 4. de clerico ægrotante; proprie tamen de iis intelligitur, qui jurisdictionem quasi Episcopalem, & in foro externo nacti fuerunt, quæcumque tandem fuerit nanciscendæ jurisdictionis causa. Horum quatuor veluti genera demonstrantur. Primi generis sunt Prælati Regulares, seu Monasteriorum superiores, cap. 5. de tempor. ordinat.. Secundi generis sunt Præpositi sæculares, seu Abbates, seu Decani nuncupati in Collegiatis Ecclesiis certas jurisdictionis species exercentes sub Episcopo. Tertii generis sunt, qui in diœcesi Episcopi consistunt certum adsignatum territorium instar diœcesis habentes, in quo in clerum, & populum jurisdictionem ecclesiasticam etiam in foro externo explicant. Postremi generis sunt, qui Episcopalem jurisdictionem exercent in certo territorio a diœcesi cujuscumque Episcopi separato; & singulari, ac proprio nomine appellantur *Nullius Diœcesis.* Immo nec repugnat, esse Prælatos quosdam, qui ad tertium æque, ac quartum Prælatorum genus referri possunt, propterea quod & in diœcesi Episcopi jurisdictionem exercent, & in territorio *nullius*, habito scilicet respectu locorum, cum quandoque contingat, ut certa loca regimini horum Prælatorum subjecta sita sint in diœcesi Episcopi, alia extra diœcesim cujuscumque Episcopi constituta. Atque in his casibus obtinet, ut Prælatus hujus generis in ea parte administrationis suæ, quæ sita est in diœcesi Episcopi consideretur tamquam Prælatus tertii generis; in altera parte, quæ dicitur *diœcesis nullius*, consideretur tanquam Prælatus postremi generis, sive *nullius.*

Prælatorum Regularium, ut ab iis

exordiar, jurisdictio major esse cœpit in Monachos post proditas Regularium exemptiones, cap. 7. de offic. jud. ord.. Licet enim olim Monachi universi in Episcoporum jurisdictione consisterent, can. 12. caus. 16. quæst. 1., can. 16. 17. caus. 18. quæst. 2., posteriora tamen Pontificia privilegia ita Monachorum personas, & collegia Monasteriorum Præfectis subjecerunt, ut respectu illorum Episcopalis jurisdictio pene interierit, certis exceptis casibus, in quibus ex Concilio Tridentino, aliisve recentioribus Pontificiis constitutionibus Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati pristinam jurisdictionem receperunt. Non iterum memoranda sunt hoc in loco, quæ gratia Episcoporum constituta fuerunt, quando fusius persecutus eadem fui superius, cum de jurisdictione Episcopali in Monachos agerem. Generaliter tantum hic dicam, universam Monachorum, & Monasteriorum curam ad Prælatos Regulares pertinere, iis dumtaxat exceptis, quæ ordinem Episcopalem requirunt; ea enim Episcopis reservantur agenda, in quorum diœcesi, aut Monachi morantur, aut sita sunt Monasteria. Hinc Prælati Regulares Monachis ea administrant, aut aliis ministranda demandant, quæ ad curam pertinent animarum; uti sunt Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Olei infirmorum; certos quoque sibi reservant casus, a quibus Monachos ipsi tantum absolvant; censuras in eos infligunt, aut a censuris absolvunt, nisi sint Superiori reservatæ; Monasteria visitant, & Monachos, ad eum ferme modum, quo Episcopi diœceses, & clericos diœcesanos; facultatem concedunt Monachis transferendi se ab uno ad aliud Monasterium, aut certis officiis se extra Monasrium addicendi, cap. 8. & 20. sess. 25. de Regularibus in Concilio Tridentino. Præ cæteris autem in illud incumbunt, ut monastica regula ab omnibus custodiatur, sive in electionibus præficiendorum, quarum forma præstituitur in Concilio Tridentino, dicta sess. 25. cap. 6., sive in admissione novitiorum. Quæ omnia ut accurate observentur, non erit abs re heic nonnulla subjicere, quæ spectant ad receptionem Monachorum, & ad obligationes professis impositas ex Ecclesiasticorum Canonum disciplina.

Quod non simulata, aut fallax mens esse debeat illorum, qui Monasterium ingrediuntur religionem monasticam professuri, uti ait S. Basilius in Regulis fusius disputatis interrogat. 10., judicatum semper fuit a providis Monachorum parentibus, atque institutoribus, probandum esse gravibus argumentis eorumdem spiritum, inter cæteros a S. Benedicto in cap. 58. Regulæ, optime noscentibus, vel collabentis, vel colapsæ disciplinæ monasticæ causas potissimum derivatas fuisse ex præcipiti, eaque improvida ad religionem admissione. Anceps fuit, nec unquam communi prudentum suffragio apud veteres definita quæst., an impuberes voluntate parentum ita addici Monasterio possent, ut ab eo recedere amplius non liceret; neque enim Sancti Ecclesiæ Patres communi consensione in eamdem iverunt sententiam, sese, uti arbitror, moribus suarum provinciarum accommodantes. Qua in re duo principia recte statui posse puto. Primum est, quibus in provinciis, & quo tempore patria potestas in liberos durior fuit, facilius admissum fuisse, ut liberi, licet consensus proprii incapaces, voluntate parentum perpetuo Monasteriis addicerentur, & ad religiosam tenendam aliena voluntate factam professionem adigerentur. Alterum est, quibus in provinciis, & quo tempore in tardiorem ætatem pubertas, seu ætas legitima differebatur, plurimum voluntati paternæ erga liberos fuisse concessum. Juxta prius jactum principium observo, apud Romanos veteres asperrima fuisse jura patriæ potestatis, quando scimus, licuisse Romanis parentibus liberos suos impune exhæredare, exponere, abdicare, immo etiam occidere, argumento l. 11. ff. de liber. & posth.. Quid igitur mirum, si ubi Romanum jus om-

nino vigebat, aut saltem quædam ejus juris reliquiæ supererant, obtineret quoque, ut filii impuberes parentum voluntate Monasteriis perpetuo addicerentur? Quamobrem cum diutius apud Hispanos jus Romanum custoditum fuit, deprehendimus, eam disciplinam & Conciliorum Toletanorum, & S. Isidori Hispalensis auctoritate fuisse firmatam, can. 3. & 4. caus. 20. quæst. 1., can. 1. caus. 20. quæst. 2.. Adeo aspera apud Græcos non erat patria potestas, apud quos proinde, licet identidem infantes oblati a parentibus in Monasteria reciperentur, uti S. Basilius docet in cap. 15. Regularum fusius disputaturum, unde depromptus est can. 4. caus. 20. quæst. 2., & valde corruptus, & perperam nonæ Synodo adscriptus; non tamen obtinuit, ut inviti ibidem detinerentur; neque enim aptam religiosæ professioni aliam ætatem censuerunt, quam quæ ad contrahendas nuptias requirebatur; uti iterum S. Basilius tradidit in can. 1. caus. 20. quæst. 1., falso adscripto nonæ Synodo. Interea non defuerunt Latini quidam, qui cum essent eruditi in disciplina Græcorum, alias autem Latinorum disciplinæ sese accommodare vellent, orientalem cum occidentali infantum ad Monasteria admittendorum, vel non admittendorum consuetudinem componere voluerunt. Laudo Theodorum Cantuariensem, qui tradidit, licere quidem parenti filium infantem Monasterio devovere, sed superesse adhuc facultatem commutandi votum, unum ex liberis pro altero in Monasterio subrogando, can. 7. caus. 20. quæst. 1.. Juxta posterius jactum principium observo, medio Ecclesiæ ævo nonnullas extitisse occidentales provincias, in quibus pueritia in tardiorem ætatem producebatur, nimirum usque ad annum decimum nonum, infra quem constituti adhuc infantum nomine donabantur, libr. 2. legum Longobardarum tit. 29. l. 1., & sequentibus, quæ auctorem habent Luitprandum Regem; ibidem autem vigebat, ut novemdecim annis minores nihil rite peragere possent, nisi ex consensione, seu auctoritate parentum, licet una cum parentibus consentirent. Ad illa tempora, atque ad illas provincias refero Epistolam Gregorii III. ad Bonifacium in Germania Legatum, qua cautum legimus, ne filii in infantia Monasteriis oblati a parentibus aliquando a professione sua recederent. Refertur ejus fragmentum in can. 2. caus. 20. quæst. 1. sub nomine Gregorii Magni scribentis ad Augustinum Anglorum Episcopum: cæterum tribuendum est verius Gregorio III. scribenti ad Bonifacium in Germania Legatum. Eo autem libentius in eam Gregorianæ Epistolæ interpretationem descendo, quo liquidius ex Historicorum monumentis constat, opportunum fuisse Gregorio III. legibus Luitprandi Regis infantiam ad annum decimum nonum extendentibus morem gerere, ne Luitprandi animum jam Apostolicæ Sedi, & Gregorio infensum acrius exasperaret. Itaque his principiis instituta Germanorum Ecclesia, nil mirum esse debet, si sequente sæculo nonnulla in Triburiensi Concilio de duriore quadam in liberos parentum potestate receperit, quemadmodum Gratianus Reginonem secutus ostendit in can. 6. caus. 20. quæst. 1., can. 2. caus. 20. quæst. 2., juncta appendice Reginonis cap. 37. & 38. de Ecclesiast. discipl.. Paulatim & sensim imminui cœpit parentum potestas in liberos, primumque temporibus Caroli Magni constitutum, ut infantes ad monasticam professionem non admitterentur, adjecta tamen clausula, *salva canonica auctoritate*, libr. 3. tit. 1. num. 6. legum Longobardarum, libr. 1. cap. 104. Capitularium Francorum, quam clausulam adjecerunt, ne quidquam adversus aliquot veteres canones reverentiæ detraheretur; ex quo factum esse censeo, ut Collectores canonum traderent, puerulos Monasteriis olim addictos in adultiore adolescentia interrogandos esse, an velint in suscepto habitu permanere, ut vel consentientes in Monasterio consisterent, vel dissentientibus liceret a Monasterio recedere, can. 10.

caus. 20. quæst. 1., quem perperam Marcello Papæ Gratianus adscripsit, quam deinde disciplinam probavit Cœlestinus II. in cap. 14. de Regular.. Tandem devoluta res, & ad trutinam redacta in Tridentino Concilio, in quo certa ætas definita fuit emittendæ professionis monasticæ causa, ante quam, si professio fieret, penitus irrita haberetur, sess. 25. cap. 15. de Regularibus.

Itaque in conspectu Tridentini decreti liquet, derogatum fuisse vetustis canonibus, quibus licebat professuris ante ætatem beneficio legum, & regularum quasi pro se introducto renuntiare, argumento cap. 16. de Regular., juncto cap. 2. & 3. eod tit. in 6.. Recesserunt in hac re Tridentini Antistites a vetustis nonnullis Regulis, quæ jam certam profitentis ætatem determinaverant, aut quasdam ex vetustis Regulis, quæ singulares erant, cæterisque Provinciis, ac Monasteriis accommodatæ, in universum servandas omnibus præceperunt. Siquidem Basilius Magnus jam statuerat, virgines tum demum velari, & ad monasticam professionem admitti, quum sexdecim, vel septemdecim annos natæ fuissent, in canonibus ad Amphilochium can. 18.. Aliud deinde visum fuit Trullanis Episcopis, quorum sanctionibus morem diutissime gessit Ecclesia Græca: Nimirum statuerunt, ut, si qui decennium exegissent, possent ad monasticam professionem admitti, nisi Episcopus diutius proroganda esse tempora judicavisset, can. 40. Concilii Trullani. Latina Ecclesia diu recepit S. Ambrosii institutiones; quum enim Ambrosius definivisset, eam ætatem ad professionem monasticam requiri, aut sufficere, quæ requireretur, aut sufficeret in conjugio contrahendo, libr. 3. de virginibus, eo deventum fuit, ut legitima ætas ad profitendum respectu puellarum duodecimus, puerorum vero decimus quartus haberetur, cap. 8. 11. & 12. de Regular. cap. 1. eod. tit. in 6.; recepta tamen exceptione, ut major adhuc ætas requireretur, ubi de religione amplectenda ageretur, quæ asperior esset, adhuc ratione loci, in quo situm foret Monasterium, aut ratione Regularum certis ordinibus singularium. Hinc in insulis ex Gregorii Magni decreto Monachi non admittebantur ad professionem ante annum decimum octavum, can. 5. caus. 20. quæst. 1., cap. 6. de Regular., & in statutis Ordinis Chartusiani, & Cluniacensis, item in statutis editis ab Ottone Sedis Apostolicæ in Anglia Legato, atque anno 1238. propositis Monachis S. Benedicti, cautum fuit, ne ante vigesimum annum completum quis ad professionem admitteretur, Bibliotecha Cluniacensi pag. 1364 statuto 36., Matthæus Parisiensis ad annum 1238.. Itaque hodie res hæc universa ex Tridentina definitione pendet, de qua refert Cardinalis Pallavicinus in libr. 24. cap. 6. suæ historiæ paratum fuisse in eo Concilio canonem, quo statuebatur, ne quis ante annum decimum octavum ad professionem admitteretur; deinde vero maturius re discussa statutum, ut nemo admitteretur ante expletum annum decimum sextum; ita ut professio ante eam ætatem facta irrita penitus habeatur, dicto cap. 15. sess. 25. de Regular.. Cæterum in conspectu hujus decreti quamquam certissimum sit, ante annum decimum sextum expletum professionem rite non fieri; non tamen censeo, derogatum fuisse certis Monachorum, & Monasteriorum quorumdam constitutionibus, quæ in provectiorem ætatem differendam esse professionem voluerunt, quemadmodum & definitum aliquando fuisse testatur Fagnanus ad cap. *Nullus* de Regularib., quamquam si fiat professio ante annum singulari statuto præscriptum, dummodo præterlapsus sit annus Tridentina lege præstitutus, non ideo professio irritetur; ad hanc enim speciem decretum irritans Tridentino canoni adjectum referri minime potest.

Ut professio maturato, deliberatoque animo fiat, non sufficit, professurum eam nactum esse ætatem, quæ compos consilii sit, sed præterea judicatum fuit

UAB Biblioteca de Ciències Socials

certum tempus veluti ineundi tyrocinii constitueretur, quod vocant tempus novitiatus. Iterum hic incidimus in varias & Monasteriorum, & Provinciarum disciplinas. Nimirum veteres, ac protissimum Ægyptii Monachi ad triennium Monachorum tyrocinia prorogaverunt, quoties de ignotis ageretur; quod quidem non tam factum est, ut certum tempus professuris concederetur, quo suam voluntatem probarent, quam ut concederetur tempus iis, qui forte servos ad Monasteria confugientes evitandæ servitutis gratia quærebant, eos repertos avocaturi, quo elapso, amplius avocare non possent. Id probavit Justinianus Imperator in Novella 5. cap. 2., & clarius in Novella 123. cap. 35., confirmavitque Carolus Magnus in libr. 5. Capitularium Francorum cap. 380. Baluzianæ editionis, quorum sanctiones sub nomine Bonifacii retulit Gratianus in can. 3. caus. 17. quæst. 2.. Generaliter S. Benedictus occidentalium Monachorum parens unius anni novitiatum faciendum esse constituit, quod paulatim ab omnibus receptum recentioribus sæculis fuit, can. 1. caus. 17. quæst. 2., cap. 16. de Regular., cap. 2. & 3. eod. tit. in 6.. Sæculo duodecimo, aut decimo tertio præoccupavit Regularium animos quædam opinio, rescriptis quandoque Pontificiis confirmata, qua præstituentes, annum novitiatus gratia novitiorum in parte definitum fuisse, in parte gratia Monachorum, & Monasteriorum, ut tempus haberent, quo excipiendum novitium probarent, concluserunt, & Monasteria, seu Monachos, & Novitios posse illi tempori renuntiare, dicto cap. 16. de Regular.. Primus Alexander IV. Fratribus Prædicatoribus, ac Minoribus vetuit, ne renuntiationes hujusmodi facerent, vel admitterent, cap. 2. eod. tit. in 6., quod ad omnes Mendicantium Ordines prorogavit Bonifacius VIII. in cap. eod. tit. in 6.. Denique id commune omnibus & Regularibus, & Monasteriis fecit Concilium Tridentinum, statuens, neminem ad professionem esse admittendum, quam qui per annum post susceptum habitum in probatione constiterit; adeo ut professio antea facta irrita censeatur, dicto cap. 15. sess. 25. de Regular.. Annus iste a Tridentino Concilio præstitutus a die suscepti habitus exordium sumit, ut Tridentini ejusdem decreti verba demonstrant. Jamdiu enim abrogata est vetus illa Monachorum disciplina, qua monasticus habitus a die tantum professionis induebatur, Regula S. Benedicti cap. 58., S. Bernardus epist. I. ad Robertum, can. 1. dist. 53., atque hinc originem habuisse puto tacitam professionem, de qua non semel mentio fit in Decretalibus, cap. 22. de Regular., cap. eod. tit. in 6. statim ac enim Novitius, non contradicentibus Monachis, & Monachorum Præfecto, habitum induebat, qui a solis professis deferebatur, præsertim si habitum induens exercebat actus proprios Monachorum, tacite & professus voluntate propria, & admissus voluntate Monachorum omnium credebatur. Hinc præterea factum, ut, quoniam licebat olim anno novitiatus renuntiare, quemadmodum superius observatum est, ita multi statim ac Monasterium ingrederentur, vix ad probationem admissi Monachorum habitum induerent, unde controversiæ suberant, an ii semper tacite professi intelligerentur. Ecquidem his controversiis nonnulli obviam iverunt, inferendo quædam discrimina vestium, quibus Novitiorum habitus ab habitu professorum discerneretur, tum demum tacitam professionem initam colligentes, quando quis habitum adsumpsisset, professis undecumque communem, dicto cap. 1. de Regular. in 6.. Interea vero non omnibus hujusmodi quæstionibus, & ubicumque finis imponi potuit; quamobrem satius fuit consuetudinem inducere, quæ hodie viget, ut semper professio expresse fiat, & in scripturam redigatur testibus confirmatam. Dico, consuetudine id inductum fuisse, neque enim audeo definire, tacitæ professionis hodie nullam esse vim, quum expressis cano-

num sanctionibus irritam fuisse non videam, dummodo semper servetur Tridentinum decretum, sive quod ætatem profitentis, sive quod annum tyrocinii spectat, dicto cap. 15. sess. 25. de Regularibus.

Quoties Tridentinum illud decretum accurate expendatur, & ad mentem Ecclesiasticorum Patrum exigatur, concludendum videtur, annum illum esse debere continuum, & nulla omnino mora interruptum; quamvis enim regulariter dicatur, modicum temporis intervallum non attendi, uti tradunt civilis juris Interpretes ad leg. 12. ff. de duobus reis, & aliquando tradidit Concilium ipsum Tridentinum in specie capitis 1. vers. *Quoniam autem* sess. 23. de Ref., in proposito tamen quamcumque utut brevissimam temporis moram obesse professioni posse arbitror; ne forte inde nascatur occasio Novitiis non recte, accurateque probandi monasticam vitam, quam adamussim, rigideque probare publice expedit; alias autem eo prætextu contingere posset, ut identidem interrumperetur annus, & lenior evaderet disciplina interrumpenti, quam quæ deinde futura esset professo. Non vero inficias iverim, per quoddam, ex. gr. unius diei, spatium posse Novitium facultate a Prælato Monasterii obtenta a Monasterio certis de causis exire, brevi reversurum, dummodo & retineat habitum, & sub obedientia ejusdem Prælati maneat; hoc enim in casu adhuc interea probare regularem disciplinam minime desinit. Addo ad Tridentini decreti interpretationem, ex eo non abrogatas fuisse nonnullorum Monachorum constitutiones, quæ diuturnis tyrocinii tempus requirunt, quamquam professio in ea specie statim post annum facta, insuper habitis constitutionibus, irrita non haberetur.

Quousque nondum est absolutum tyrocinium, seu tyrocinii tempus, liberum omnino Novitiis est a Monasterio exire, cap. 23. de Regular., cap. 2. eod. tit. in 6., quam libertatem ut tuerentur Tridentini Antistites, statuerunt provide, nullam renuntiationem, aut obligationem fieri a Novitiis posse, ne in favorem quidem piæ causæ, utut jurejurando firmatam, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses ante professionem, quæ tamen alias non intelligatur suum effectum sortiri, nisi secuta professione; aliter autem factam, etiam si cum hujus favoris expressa renuntiatione etiam jurata, irritam esse, & nullius effectus; immo & addiderunt, neque ante professionem, excepto victu, & vestitu, a Novitiis, vel eorum parentibus, propinquis, aut curatoribus aliquid tribuendum esse ex bonis illorum Monasterio, ne ea occasione discedere nequeant, quod tota, vel major pars substantiæ suæ a Monasterio possideatur, nec facile, si discesserint, id possint recuperare, indicta & dantibus, & recipientibus anathematis pœna, factaque Novitiis recedentibus facultate data omnia recuperandi, sess. 25. de Regularib. cap. 16.. Priorem decreti Tridentini partem de renuntiationibus, aut obligationibus a Novitio minime faciendis ita ego interpretor, ut in primis non solum irrita sit, si fiat tempore novitiatus, & post susceptum religiosum habitum, sed etiam, si ante ingressum in Monasterium fiat, dummodo fiat intuitu ingressionis in Monasterium, ne alias fraudibus locus aperiatur: secundo, ut non solum irrita sit, si agatur de renuntiatione rerum, aut jurium temporalium, sed præterea si agatur de renuntiatione jurium spiritualium, qualia sunt beneficia ab ingressuro possessa; quamobrem ex Tridentina sanctione derogatum puto veteri disciplinæ, juxta quam per ingressum in religionem beneficium ab ingrediente possessum tanquam vacans libere ab Ordinario conferri poterat, cap. 4. de Regular. in 6.: denique, ut non solum irrita sit donatio de bonis Novitiorum facta, sed etiam de bonis parentum, quorum possidendorum uti spem habent liberi, ita eorumdem jura quasi propria ipsi abdi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

are censentur, unde vel profitendi, vel a Monasterio recedendi libertas imminuitur. Duæ tamen probabiles sunt Tridentini decreti exemptiones. Prima est, illud non pertinere ad ultimas voluntates, quibus Novitii de bonis suis disponant, executione dispositionis collata in tempus professionis, quod jam olim Imperator Justinianus expresserat in Novella 5. cap. 5., neque enim de ultimis voluntatibus aliquid sanciendum Tridentini Antistites voluerunt. Altera est, Tridentinum idem decretum non pertinere ad renuntiationes factas ante ingressum in Monasterium, & ante initum novitiatum, quæ sint conditionales, seu suspensæ in tempus, & conditionem futuræ professionis, dummodo interea nihil a renuntiante in renuntiatarium translatum sit, hac enim in specie minime imminuta videtur Novitii libertas, de qua tantum tuenda Tridentini Antistites maxime solliciti deprehenduntur.

Monasticis institutionibus omnino consentanea est vulgaris traditio, quæ docet, in professione quemdam veluti contractum iniri inter Monachum, & Monasterium, quo sicuti Monasterium nequit professum rejicere, ita nec professus possit libere Monasterium derelinquere, cap. ult. de apostatis, quod adeo verum est, ut hodie ne liceat quidem Regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi nisi ab eis missi, aut vocati fuerint; & qui sine Superioris mandato in scriptis obtento reperti fuerint, ab Ordinariis locorum tanquam desertores sui instituti puniantur, Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 4.. Equidem quod spectat in primis potestatem Prælatorum Regularium ita coercitam, ut Monachos expellere minime valeant, scimus olim Abbatibus inductum fuisse, ut, si quos inobedientes subditos agnoscerent, eos corrigerent primum monitis, deinde pœnitentiis etiam gravibus subjicerent, postremo a Monasterio exulare juberent, Regula S. Benedicti cap. 28., Concilio Meldensi anni 845. can. 59., S. Thomas quodlibeto 12. quæst. finali. Verum recentioribus sæculis cum plures ea potestate abuterentur, cavendum fuit a Gregorio IX. non solum, ut Abbates quacumque de causa Monachos nunquam ejicerent, sed & ejectos reciperent, atque advocarent, aliis utilioribus remediis utentes, si forte alicujus contumaciam retundere judicaverint, cap. ult. de Regular., quod & Innocentius III. jam proposuisse visus est, dum contumaces minime statuit, e Monasterio expellendos, sed tantum de fratrum consortio excludendos, cap. 10. in fine de majorit. & obedient.. Quænam hodie vigeant hac in parte, tradidit abunde Benedictus XIV. in libr. 13. de Synodo Diœcesana cap. 11. num. 15., & sequentibus. Quod secundo spectat denegatum Monachis recedendi facultatem, sine ulla prorsus esset dubitatione, nisi duæ species proponerentur, in quibus certa causarum adjuncta suadere videntur, generalem regulam relaxari oportere. Quid enim, si Monachus irritam a se factam professionem alleget? Quid, si ad aliam religionem se velle transire profiteatur? Est utraque causa digna singulari præsidio juris, ne in priore specie invitus teneatur in Monasterio, qui nunquam fuit vere, aut rite professus; neve in posteriore specie impediatur, qui Spiritu Dei ducitur, ab ea amplectenda conditione, in qua tutius æternam sui salutem operetur, quamquam modus, & forma relaxandi monasticum vinculum iis in casibus non eadem semper fuerit, & constantissima. Vetus erat disciplina in iis, qui irritam se inivisse professionem allegabant, puta ex causa gravis incussi metus, quæ ita vigebat, ut liceret interea alleganti de Monasterio exire, atque extra Monasterium constituto irritæ professionis causas demonstrare, præstita fide de redeundo, si in probatione deficeret, cap. 1. de his, quæ vi, metusque causa fiunt. Aliter statuit Concilium Tridentinum; nimirum cavit in primis, non esse audiendos Monachos in

proposito, nisi intra quinquennium tantum a die factæ professionis numerandum; deinde causas nullitatis professionis deducendas esse & coram Superiore Monasterii, & coram Ordinario loci, in quo Monasterium situm est; denique ante deductas in judicio causas non licere aut habitum dimittere, aut cum habitu, disentiente Superiore, e Monasterio recedere, ita ut aut habitum dimittens, aut recedens ad allegandam quamcumque causam nullo modo admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim vero nullo suæ Religionis privilegio juvetur, sess. 25. de Regular. cap. 19.. In conspectu Tridentini hujus decreti duæ suboriuntur quæstiones: Prima est, num nomine Superioris Monastici is intelligatur, qui Monasterio, an potius is, qui Provinciæ præest? In qua non videtur recedendum a vulgata Pragmaticorum opinione, arbitratorum, nomine Superioris intelligi eum, qui immediate Monasterium regit, uti tradit Cardinalis de Luca disc. 41. ad Concilium Tridentinum num. 2.. Altera est, num, si metus, qui causam professioni dedit, adhuc per integrum quinquennium perseveret, præclusa sit professo via reclamandi? Usus Tribunalium, suadente utilitate publica, noluit recedendum a verbis Tridentini, ita ut denegata fuerit quæcumque professo querela; quod forte non id verosimile videatur, intra quinquennium adeo adactum fuisse Monachum in Monasterio degentem, ut viam interea non habuerit aliquando statam ad libere reclamandum. Cæterum adhuc subsidium aliud extra ordinem denegatum non fuit, quo concedatur confugere ad Apostolicam Sedem, ut saltem ope restitutionis in integrum, causa cognita, metus durationem allegans audiatur. Immo nec sine discrimine generaliter ea regula recepta fuit in quacumque causa nullitatis; si enim agetur de impedimento facti perpetuo, super quo nulla exoriri dubitatio potest, & quo posito non sine scandalo professus in Monasterio consisteret; veluti si vir in Monasterio Sanctimonialium professus esset, omnes fatentur, etiam post quinquennium ordinario juris remedio locum esse; quasi ad has species Tridentina sanctio minime spectet. Fagnanus ad dictum capitulum 1. de his, quæ vi, metusque causa. Fingamus nunc, non a professo irritam allegari professionem, ut a Monasterio ipse recedat, sed allegari irritam a Monasterio, ut professum rejiciat: num dicendum erit, eamdem servandam esse quinquennii legem, eumdemque custodiendum esse judicii ordinem? Altum est de hac re in Concilio Tridentino silentium, forte quod nonnisi perraro id contingere soleat. Verum nihilominus idipsum servandum puto ex natura professionis, quæ, uti superius dictum est, instar bilateralis contractus initur, hinc, gratia profitentis, illinc gratia Monasterii; est autem natura correlativorum, ut quæ gratia unius statuuntur, etiam gratia alterius statuta commoda interpretatione censeantur. Respectu eorum, qui postulant, ut post professionem unius Regulæ ad aliam transferantur, olim quum una esset in occidente in quibuscumque cœnobiis S. Benedicti Regula, facile recipiebatur, ut unus Monachus de uno in aliud Monasterium migraret, Regula S. Benedicti cap. 61.: verum post plures invectos Religiosorum Ordines invaluit distinctio inter laxiores, æquales, ac strictiores. Si quis enim de laxiore in strictiorem Ordinem transire cupit, tenetur quidem a Superiore suo transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, non erit tamen ullo modo ea facultas a Superiore deneganda, ne majus bonum causa minoris impediatur; quamquam si Prælatus probabiliter dubitet, eum, qui licentiam petit, temere, & sine causa transire velle, aut sub prætextu strictioris Regulæ jugum excutere, judicium Superioris exquirere debeat, unde quid agendum sit, deliberetur, cap. 18. de Regular., quod sane potiore ratione di-

cendum est in altera specie, qua quis a certa Regula velit ad aliam æqualem transire. At si agatur de transitu ad laxiorem Ordinem, perspicua est Tridentini Concilii constitutio, qua cavetur, neminem ex Regularibus cujuscumque facultatis vigore posse transferri, sess. 25. de Regul. cap. 19.; unde obtinuit, hodie eam facultatem a Summo tantum Pontifice impetrari, seu a Sacra Congregatione præposita negotiis Regularium, uti testatur Cardinalis de Luca disc. 41. ad Concilium Tridentinum num. 9., seu a Romana Pœnitentiaria, coram qua exhibeatur consensus Superioris Regularis Monachum dimittentis & consensus alterius Superioris Regularis dimissum Monachum in suum Ordinem excipientis. His principiis inhærens Martinus IV. vetuit Mendicantibus, ne ad alias, uno excepto Chartusianorum Ordine, transirent Religiones, extravag. 1. de Regular. int. comm., & Concilium Tridentinum perpendens aliquando contingere, ut Monachi petant ad alios Ordines transferri, ex. gr. Canonicorum Regularium, ut certorum beneficiorum fiant capaces, sanxit, translatos ejusmodi non esse ad beneficia Ecclesiastica admittendos, sess. 14. cap. 11. de Ref., Præterea ad evadendas fraudes, quæ in hac materie admitti facile possent, arctiorem Ordinem illum dico habendum, non cujus primigeniæ Regulæ sint arctiores, sed cujus arctior est earumdem Regularum austeriorum observatio: quid enim, si forte austerior Regula deprehendatur, quæ tamen in usu esse desierit? Sibi blandiretur in hac specie, qui ad eam profitendam transire vellet. Plane ubi rite de uno in alium Ordinem transitus permittitur, transiturus in novo Ordine, ad quem transit, & quidem per annum inire debet Novitiatum, ita ut, si novam professionem deinde non emittat, sed a proposito resiliat, in vetus Monasterium recipiatur, non quasi novus Monachus, sed in eodem gradu, ac si nunquam a priore Ordine recessisset, argumento capitis 16. sess. 25. de Regular. in Concilio Tridentino.

Pertinent ista omnia ad stabilitatem Monasticæ professionis, de qua solliciti esse universi Monachi debent. Nunc investigemus alias Monachorum obligationes, quæ ex voto tempore professionis elicito pendent. Obedire *illi* in primis Præposito debent, deinde proprietatem omnem abdicare, denique continentiam custodire, quæ adeo adnexa conditioni Monachorum esse scripsit Innocentius III. in cap. 6. in fine de statu Monachor., ut profiteretur, contra ea nec Summum Pontificem posse licentiam indulgere, tanquam illa, quæ bases sunt, & fundamenta Monasticæ disciplinæ, Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 1.. Jam olim de Monachis scribebat S. Hieronymus in Epist. 22. ad Eustochium, primam eorum confœderationem esse, obedire majoribus, & quidquid jusserint facere, cui consonant universi Monachorum institutores, inter cæteros Sulpitius Severus Dialogo 1. cap. 11., Cassianus libr. 4. Institut. cap. 8., S. Benedictus in Regula cap. 4. 5. 49. 68. & 71.. Quod adeo verum est, ut Monachis a præcepto Superioris, utut gravius videatur, appellare non liceat ad effectum suspendendi executionem, cap. 3. & 26. de appellation., quamquam non sit deneganda quærelæ cujusdam species coram Superiore cum modestia proponendæ ab eo, qui interea præceptum Superioris exequitur, si forte Prælatus fines æquitatis transgredi videatur, prudentiæ Superioris ejusdem relinquendo, ut bono Monasteriorum regimini consulat. Tantum conceditur Monacho subjecto non exequi præceptum Superioris, quando divinis præceptis, aut Monasticæ Regulæ præceptum idem adversari deprehendatur; neque enim tenetur quis homini potius obedire, quam Deo, aut obedire homini munere suo ad custodiam certæ Regulæ præfecto, quando tantum abest a Regula custodienda, quin potius eam evertere studeat, can. 1. dist. 9., can. 91. 92. 93.

94. 95. 96. 97. 98. 100., & 101. caus. 11. quæst. 3. S. Bernardus Epist. 7., & in tractatu de præcepto, & dispensatione cap. 2. 4. & 5.. Paupertatis quoque votum apprime est a Monachis singulis custodiendum, cap. 6. de statu Monachor., adeo ut, etiam si de iis agatur, qui adscripti sunt Monasteriis possidendi bona seu mobilia, seu immobilia capacibus, nihil sit, ne sub peculii quidem nomine, possidendum, cap. 2. eod. tit., quin aliquem excusare possit obtenta a Superiore peculii retinendi facultas; siquidem compertum est, Prælatos Regulares relaxare quidquam minime posse ex iis, quæ ad regularis vitæ substantiam pertinent, Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 1. id ut pressius urgeret Concilium Tridentinum statuit, nemini Regularium licere bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis adquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; sed statim eam Superiori tradi oportere, ac conventui incorporari; item nec deinceps licere Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, vel administrationem, aut commendam, pœna adjecta in eos, qui contra fecerint, ut biennio activa, & passiva voce privati sint, atque etiam juxta Regulæ suæ, & Ordinis constitutiones puniantur, sess. 25. de Regular. cap. 2.. Huic autem Sanctioni minime subjiciuntur Monasteriorum Officiales, qui nomine Monasterii ex Prælati mandato curare debent Collegii utilitatem, & Monachorum necessitati consulere. Id expresse exceptum voluerunt Tridentini Patres in dicto cap. 2. vers. *Administratio*, & huc pertinere arbitror, quod legitur in canone Lateranensis Concilii, seu in cap. 2. de statu Monach. ibi: *nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum.* Fuit hæc necessaria dispensatio non personæ gratia, sed causa officii, ac muneris concedenda. Præterea nec sunt eidem Sanctioni obnoxii Monachi, qui ex dispensatione Superioris eam supellectilem, aut mobilium usum retinent, quibus quotidianæ necessitati occurratur, dummodo nihil superflui in iis sit, omniaque Monasticæ paupertati conveniant, uti perspicue tradiderunt Tridentini Patres in dicto cap. 2. vers. *Mobilium vero*; tantum enim abest, ut hæc dispensatio paupertati officiat, quin potius omnis exquirendi, retinendive peculii occasionem amoveat. S. Benedictus in Regula cap. 55., argumento cap. 1. de institut., & cap. 3. sess. 25. de Regular. in Concilio Tridentino. Hanc ob rem optandum esset, ut qui Monasticas res administrant, necessarias res universas Monachis suppeditent; tunc enim sperandum esset, facile futurum, ut austerior paupertatis Regula a Monachis sine discrimine custodiretur; quando docet experientia, eos, qui a Regula in proposito recedunt, speciosam illam causam prætexere, quod in aliquibus necessariis humanæ vitæ subsidiis destituantur. Itaque hinc profecta est vulgaris regula, quæ postulat, ut, quidquid Monachus adquirit quacumque de causa, aut occasione, id totum Monasterio adquirat, ita ut nihil de adquisitis disponere quoquo modo possit. Quidquid enim olim vigeret temporibus Valentiniani, & Marciani, qui professorum ultimas voluntates admiserunt, l. 13. cod. de sacros. Eccles., aliter statuit Imperator Justinianus in Nov. 5. cap. 5., Nov. 76., ex quibus edita est authentica *Ingressi* cod. de sacros. Eccles. Quod si quæratur, an Monachi capaces sint seu testamentariarum, seu legitimarum successionum, per quas bona, ministerio ita dixerim Monachi, in Cœnobium transferantur, videmus quidem jure Romano habitus fuisse prorsus idoneos, l. 55. §. 1. cod. de Episc. & Cler. Vero Pragmatici testantur, eam juris Romani constitutionem non esse ubique receptam, præsertim ubi obtinuit, Monachos quasi pro mortuis habendos esse, argumento Gratianæ interpretationis ad

canones 53. & 54. caus. 2. quæst. 7.. Quamobrem in hac re moribus potius singularum Provinciarum erit indulgendum, cum generalis regula ubique custodienda præstitui minime possit. Guillielmus Benedictus ad cap. *Raynutius* de testament. cap. 220., Rebuffus in Proœmio ad const. Reg. Gloss. 5. num. 22. & 24., Faber in codice libr. 1. tit. 2. def. 44., & tit. 3. def. 2. & 30.. Quum Mendicantium Ordines institui, probarique in Ecclesia cœperunt, paupertatis studium in eisdem excoli adeo visum est, ut non solum singuli Monachi proprium nihil, sed neque Monasteria in communi quidquam possiderent, quoniam mendicatæ hinc illinc eleemosynæ Monachis alimenta suppeditabant. Verum tempore Tridentini Concilii, duobus tantum exceptis Mendicantium Ordinibus, dignis de causis visum est constituere, ut deinceps cæteros in communi bona immobilia possidere liceret, sess. 25. de Regular. cap. 3., quamquam & post Tridentinum Concilium alii Ordines emerserint ne in communi quidem possessiones habentes, Sedis Apostolicæ auctoritate confirmati. Denique quod ad votum continentiæ pertinet, quam maxime curandum Monachis est, ut non solum a matrimoniis contrahendis, quæ sane prorsus irrita essent, cap. unic. de voto in 6., abstineant, sed etiam ne quid admittant, quod morum integritatem labefactare quoquo modo possit. Quamobrem ad evitandam quamcumque suspicionem, jam veteres Patres solliciti fuerunt, ne Monachorum Cœnobia feminæ utut religiosæ ingrederentur, can. 21. & sequent. caus. 18. quæst. 2., quod recentiores Pontifices Maximi severis legibus vetuerunt, indicta in ingredientes gravissima excommunicationis pœna, quemadmodum & in admittentes Monachos pœna suspensionis, atque inhabilitatis ad Monastica officia.

Hucusque designata ea sunt omnia, quæ ad regimen Monachorum spectant, eorumdemque vitæ rationes universas, quæ ad Prælatorum Regularium jurisdictionem pertinent, ac potestatem; unde liquet, jurisdictionem Episcopalem ex privilegiis in Prælatos Monasteriorum transivisse, in exceptis, quæ, uti suo loco superius dictum est, Episcopis reservata sunt, ac restituta. Cæterum ea, quæ ordinis Episcopalis sunt, Prælati Monasteriorum ne in subditos quidem exercere possunt, nisi quosdam Abbates excipias, qui ex singulari privilegio usum Pontificalium obtinentes, & illud habuerunt, ut Monachos suos Tonsura initiarent, & minoribus ordinibus insignirent, cui privilegio nihil derogatum est in Concilio Tridentino sess. 23. de Ref. cap. 10., ubi tantum cautum legimus, ne Abbates aliis, quam Regularibus sibi subditis & tonsuram, & minores ordines conferant, quasi privilegia ista coercita sint ad personas, quæ in eorumdem Abbatum sunt potestate; adeo ut ne alii quidem Regulares ex mandato suorum Superiorum ad eos Abbates ordinationis causa accedere valeant. Etenim generaliter receptum est gratia Episcoporum, ut Monachi universi a Diœcesano Episcopo pendeant causa sacræ ordinationis suscipiendæ, quibus omnibus in casibus eorum proprii Prælati eosdem ordinare nequeunt; item ut Episcopus Diœcesanus consecrationem Ecclesiarume utut monasterio adjacentium faciat, atque ut sacrum Chrisma, vel oleum infirmorum a solo Episcopo Diœcesano petatur. Immo & Abbatibus illis usum Pontificalium habentibus a Sacra Congregatione Rituum nonnullæ non prætereundæ regulæ præstitutæ sunt ab Alexandro VII. adprobatæ die 27. Septembris anni 1659., quas exhibent Pragmatici, atque inter cæteros Argiro disceptationum Ecclesiasticarum libr. 4. disceptat. 13. num. 5. & sequentibus.

Cum de Prælatis secundi generis agatur, iis nimirum, qui certæ Ecclesiæ præsunt, & certo Canonicorum Collegio in diœcesi Episcopi, si exempti ab

Episcopi jurisdictione non sint, nihil aliud jurisdictionis habebunt, quam quod ex singulari privilegio, aut consuetudine legitime præscripta competat, ita tamen, ut ab iis debita Episcopo obedientia, ac reverentia semper exhibeatur. Quod si exempti proponantur ab Episcopi jurisdictione, nihilominus tamen, ex Concilio præsertim Tridentino, certas adhuc jurisdictionis species Diœcesani Episcopi in ipsos exercent. Nihil heic adjicio, quando superius id actum est, ubi disserendum fuit de auctoritate & jurisdictione Episcopi in clericos diœcesanos. Atque idipsum dicendum est, quoties agatur de Prælatis tertii generis, qui scilicet certum territorium, in diœcesi tamen Episcopi constitutum, habent, in quo & populi, & Cleri curam gerunt spiritualem. In his potissimum illud viget, ut, sicut Synodum cogere nequeunt, ita teneantur ad Synodum Episcopalem accedere. Ad istos pertinet dictum caput 10. Tridentinæ sessionis 23., ut nequeant dimissorias ordinandis clericis concedere causa ordinationis clericalis; siquidem ad unum Diœcesanum ordinatio pertinebit. Item nequeunt alium Episcopum advocare causa exercendi Pontificalia, aut administrandi Sacramenta, quæ ab Episcopali ordine pendent, Concilio Tridentino sess. 6. de Ref. cap. 5.. Præterea non possunt sibi certos casus in foro pœnitentiæ reservare, non de causis matrimonialibus cognoscere, Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 20., non confessarios adprobare, Concilio Tridentino sess. 23. de Ref., cap. 15. non facultatem facere prædicandi, eodem Concilio sess. 24. de Ref. cap. 4., non literas monitoriales concedere, dicto Concilio sess. 25. de Ref. cap. 3. non indulgentias impertiri; non denique ita Ecclesiæ utut alias exemptæ ea jurisdictio adhærebit, ut, vacante Prælati dignitate, Capitulum, sive Collegium in Prælati jurisdictione succedat; tunc enim tota jurisdictio ad diœcesanum Episcopum omnino devolvitur, argumento cap. 11. de majorit. & obedientia.

Superest, ut nonnulla subjiciam de Prælatis quarti generis, qui proprie dicuntur *Nullius Diœcesis*. Tribus modis contingere posse, ut Prælati diœcesim nullius administrent, Pragmatici non pauci tradiderunt; primo origine, secundo præscriptione, tertio Apostolico privilegio. Origine id aliquando evenisse dicunt, quando divisis inter successores Apostolorum diœcesibus, singulisque earum singulis Episcopis adsignatis, aliquot sine Episcopo remanserunt, veluti oblivione quadam, proptereaque debuerunt extra ordinem certis Presbyteris commendari, in quibus Presbyteri iidem sub nomine Prælatorum, Abbatum, Præpositorum, aut simili Episcopalem gererent jurisdictionem. Ego sane plurimum de hoc dubito, cum inverosimile videatur, inter diœceses dividendas defecisse adeo dividentium sollicitudinem, ut certa remanerent loca nemini ex Episcopis commendata. Ecquidem scio, plures id deducere ex canone 8. dist. 93., falso adscripto Parisiensi Concilio. Jam ego in meis animadversionibus in codicem Gratiani fidem, & industriam virorum eruditorum secutus adnotavi, pertinere eum canonem potius ad Concilium Moguntinum anni 813. can. 22., immo & verba Concilii ita descripsi, ut adpareret, ibi non agi de certa diœcesi, quæ proprie *nullius* diceretur, sed potius de clericis acephalis huc illuc vagantibus, quique se nulli Episcopo subjiciebant, proptereaque damnabantur. Inveni nunc eadem Gratiani verba in canone 18. Concilii Regiaticini anni 850.. At quis nihilominus dixerit, ibidem exhiberi ea loca, quæ diœcesis nullius dicerentur, & ab omni Episcoporum auctoritate immunia, ac tantum certorum Presbyterorum officiis commendata? Adparet ibidem, *Clericos, ac Sacerdotes, qui sub nullius Episcopi disciplina, & providentia gubernari* dicuntur, nulla ratione tanquam Clericos, aut Sacerdotes habendos esse, velut accepta-

les, ac sine capite, seu quod idem est, ab Ecclesiastica unitate semotos. Quis inde tuto colligere possit, hujus canonis auctoritate comprobari Ecclesias, quæ dicuntur *Nullius*? Item scio, nonnullos idem deducere ex canone 50. caus. 16. quæs. 1.. Sed ibidem observo, non agi de diœcesibus quibusdam extra Episcopalem curam relictis, sed de populis recens ad Christianam fidem conversis, quibus adseritur, non singularem constituendum Episcopum, sed designandum esse Rectorem Episcopum illum, in cujus vicinia siti sunt. Potius ego puto, id evenire potuisse, quoties certa loca, aut urbes desertæ a viris Ecclesiasticis fuerunt a Paganis, aut Hæreticis occupatæ, ubi deinde paulatim viris Religiosis curantibus restituta sunt templa, & Ecclesiæ, Apostolico privilegio concessa administratione diœcesana viris eisdem Religiosis omnia sensim in pristinum restituentibus, uti in specie capituli 1. de verb. signif. in 6.. Verum, si id recipiatur, dicemus, diœcesim illam *nullius* ex Apostolico privilegio potius, quam ab origine sua talem dici. Itaque ex privilegio primum Apostolico, deinde ex legitima præscriptione adquiritur Prælatura, quæ vere nullius diœcesis esse dicatur, cap. 6. & 7. de privilegiis in 6.. Quando autem de privilegio agitur, debet de illo clare, perspicueque constare, secus enim in dubio vicinioris Episcopi causa potior erit, si ipse diœcesim vindicet, cum Episcopus, uti nostri loquuntur, intentionem habeat in jure communi fundatam. De præscriptione disputari solet, num quadragenaria sufficiat, num requiratur immemorialis. Sufficere quadragenariam, quæ ex titulo saltem colorato, & bona fide causam habeat, nonnulli olim censuerunt in conspectu dicti capituli 7. de privileg. in 6., quasi generaliter verum sit, jura omnia ecclesiastica quadragenaria præscriptione immutari. Verum magis placet receptam opinionem sequi, quæ contrarium probat, postulatque, ut immemorialis præscriptio requiratur, uti definitum refert Benedictus XIV. in libro 13. de Synodo Diœcesana cap. 8. num. 18.. Siquidem cum de diœcesi nullius agatur, agitur revera de præscribendis finibus, ad quam sane causam dictum capitulum 7. minime pertinet; alias autem verum est, fines publico jure positos ordinariæ præscriptioni minime subjacere. Induxerat jus Romanum præscriptionis jura, eadem tamen non extendit ad fines publice præstitutos, l. 5. cod. finium regendorum. Lex Ecclesiastica eamdem præscriptionem non de novo invexit, nec novis regulis moderata est, sed de jure civili Romanorum una cum suis regulis ad jura etiam ecclesiastica traduxit. Ergo præscriptionem non admisit ordinariam in limitibus Parochiarum, & diœceseon, quoties publice constituti reperiantur, quemadmodum liquet in conspectu canonis 5., & 6. caus. 16. quæst 3., & capituli 4. de Parochis. Plane probata a Prælato qualitate nullius diœcesis, omnis Episcopalis jurisdictio eidem concessa intelligetur, ut dempta ordinis potestate in diœcesi ipse omnia peragat, quæ Episcopus peragere posset in diœcesi sua. Dixi, excepta ordinis potestate; etiam si enim nonnullis hujus generis Prælatis aliquando concessa deprehendantur Pontificalia insignia, immo & quandoque concessum, ut subditos suos & tonsura initiarent, & ad minores ordines promoverent, hodie tamen concesso tantum Pontificalium usu in sacris officiis, ab ordinationibus, & tonsuræ collatione abstinere jussi fuerunt, sive respectu subditorum, sive respectu extraneorum, utut dimissorias a proprio Diœcesano obtinuerint, Concilio Tridentino sess. 23. de Reform. cap. 10., nisi forte post Concilium Tridentinum Apostolicum in hac parte privilegium obtinuerint. Immo & quædam sunt jurisdictionis Episcopalis species, a quibus iidem abstinere debent, nisi singulare respectu ipsarum Apostolicæ Sedis privilegium acceperint, & eidem privilegio non utendo minime re-

anuntiaverint. Hujusmodi est facultas convocandæ Synodi, uti notat Benedictus XIV. in libr. 2. de Synodo Diœcesana cap. 11. num. 5., eademque ratione potestas indicendi concursum ad Parochiales vacantes Ecclesias; quoniam hæc facultas a priore pendere videtur, propterea quod Examinatores concurrentium in Synodo deputandi sint, juxta caput 18. Tridentinæ sessionis 24. Quia in re observatione dignum est, concessa Prælato *nullius* facultate cogendi Synodum, concessam tacite intelligi facultatem indicendi concursum, non vero e converso; siquidem facultas cogendi Synodum eo etiam refertur, ut in Synodo Examinatores constituantur, qui sane frustra instituerentur ab eo, qui non posset concursum indicere; at facultas concursum indicendi ad Parochiales Ecclesias tacite non involvit facultatem convocandæ Synodi, quoniam in Concilio Provinciali Examinatores constitui possunt. Quod dicimus de concursu, idipsum receptum est de deputatione Œconomi respectu Parochialium vacantium Ecclesiarum; etenim in dicto cap. 18. Concilii Tridentini deputatio Œconomi connexa est cum facultate indicendi concursus. Præterea non licebit Abbatibus, nisi speciale privilegium obtinuerint, dimissorias ordinationis causa suis clericis concedere, cum sicut ordinatio, ita & dimissoriarum concessio ad viciniorem Episcopum pertineat. Quamquam enim Concilium Tridentinum in sess. 23. de Reform. cap. 10. expresse vetuerit tantum Prælatis in diœcesi Episcopi consistentibus, ne dimissorias ipsi concederent, observat tamen Benedictus XIV. in libr. 2. cap. 11. de Synodo Diœcesana num. 15., id recta interpretatione productum fuisse ad Abbates nullius diœcesis. Dubitant nonnulli, an Prælatus *nullius* possit de causis matrimonialibus cognoscere, ex eo quod in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 20. vers. *ad hæc* de Reform. Episcopis reservatæ videantur. Verum ego puto, eam cognitionem Prælatis ejus generis competere, cum nullibi aut in jure communi, aut in Concilio Tridentino, aut publice proditis juris interpretationibus reservata proponantur. Revera in dicto capite Tridentino tantum exclusi fuerunt ab explicanda ea jurisdictionis specie Prælati Episcopo inferiores, qui in diœcesi Episcopi degunt, uti colligitur ex mentione facta Decanorum, & Archidiaconorum, qui, si quam jurisdictionem exercent, eam exercent in diœcesi Episcopi; atque de eisdem Prælatis in diœcesi constitutis ego etiam intelligo capitulum 12. de excessibus Prælatorum. De Abbatibus nullius diœcesis nullam factam mentionem invenio in eodem Tridentino decreto, quam sane Tridentini Antistites fecissent, si eos ab illa jurisdictionis specie excludendos voluissent; quemadmodum & revera mentionem specialem eorumdem fecerunt, cum ipsos excludere in aliis casibus voluerunt, uti liquet in conspectu capitis 10. sess. 23., & capitis 9. sess. 24. de Reform.. Item licet Abbates nullius diœcesis Confessarios ipsi constituant, eamdemque ob rem certos casus instar Episcoporum sibi valeant reservare, non ideo tamen, secluso privilegio singulari, aut indulgentias concedere possunt, aut absolvere vel a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, vel a censuris, vel ab irregularitatibus, de quibus sermo fit in Tridentino Concilio sess. 24. de Reform. cap. 6., hæc enim singularia visa sunt, & tantum Episcopalis dignitatis gratia constituenda, dicto cap. 6. Tridentino, cap. 14. de pœnitent. & remission.. Insuper ex recepta interpretatione Concilii Tridentini sess. 24. de Ref. cap. 3. obtinet, ut nequeant Prælati *nullius* monitoriales literas concedere, quæ, quotiescumque opus sit, a Diœcesanis illorum a Sede Apostolica erunt impetrandæ. Ex his liquet, respectu diœcesis, quæ dicitur *nullius*, quasdam jurisdictionis species proximiori Episcopo reservari exercendas; qua in re nomine proximioris intelligemus eum, cujus Ecclesia Cathedralis proximior est Abbatiali, quæ

UAB Biblioteca de Ciències Socials

dicitur *nullius*, & quidem a viis ordinariis & magis tritis distantiam loci dimetiendo, argumento capitis 9. Tridentinæ sessionis 24. de Reformat.. Fateor tamen, in his controversiis, quæ inter Episcopos viciniores, & Abbates *nullius* sæpe, ac sæpius suboriuntur, regulam generalem in jure communi præstitutam non fuisse: tantum moribus omnia diriguntur, quamquam ex recentioribus Romanorum Pontificum constitutionibus multa definitionem acceperint. Videatur Constitutio 33. tomi 2. Bullarii Benedicti XIV.. Denique observo, Sede Abbatiali vacante, quæ proprie nullius diœcesis sit, Prælati jurisdictionem ad Collegium Abbatialis Ecclesiæ devolvi, ut ab eo Vicarius Capitularis eligatur, eadem ratione servata, quam superius servandam tradidi a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, Sede Episcopali vacante, juxta caput 16. sessionis 24. Tridentinæ de Reformatione.

DISSERTATIO SEXTA

DE PAROCHIS, EORUMQUE OFFICIO,

AC POTESTATE.

Huc ruferendus est titulus 29. libr. 3.

CAPUT I.

De origine, & institutione Parochorum; item de eorumdem officio, ac potestate generaliter.

NON primo, aut secundo, uti fingere voluit Isidorus Mercator in suis epistolis falso tributis Clementi, Anacleto, & Dionysio Pontificibus, seu in can. 3. dist. 80., can. 1. caus. 13. quæst. 1., & can. 28. caus. 16. quæst. 7., sed quarto demum Ecclesiæ sæculo, aucto fidelium numero, & pace Ecclesiæ firmata, institutæ fuerunt extra civitates, & Episcopales Ecclesias Parochiæ in vicis, & pagis. Non hic de Parochorum, aut Parochiarum nomine disputo; non enim ignoro, olim Parochiæ nomen significasse Provinciam Metropolitæ cuipiam Antistiti adsignatam, præsertim apud Græcos, uti liquet ex canone 17. Concilii Ancyrani, ex canone 3. & 9. Concilii Anthiocheni, & ex canone 17. Concilii Chalcedonensis. At apud Latinos coercita est significatio nominis ad certam Presbyterorum administrationem sub Episcopo certam plebem regentium, uti apud Patres Concilii Agathensis in can. 35. de cons. dist. 1., & apud Patres Concilii Aurelianensis V. can. 8., unde dici posset, occurrere Parochiarum nomen in Ecclesiasticis monumentis, alia tamen significatione, antequam Parochiæ ipsæ instituerentur. Neque heic disputo de ipsis Parochorum officiis, ac muneribus, utpote quæ & ipsa ante Parochiarum institutiones exercebantur. Fuerunt jam temporibus Apostolorum Presbyteri infra Episcopos constituti Sacramenta fideli populo administrantes suo ordini

congruentia, & subsidium Episcopis ferentes in iis officiis, quæ hodie Parochi præstant, quod statim intelligitur ab iis, qui norunt, Presbyterorum ordinem ab ordine Episcoporum Divino jure esse distinctum. Sed quando adhuc tunc temporis in communi Presbyteri sub Episcopo ista gerebant, obsequentes, prout res incideret, mandatis Episcoporum proprie dici, non potest, Parochias erectas fuisse, præsertim cum una tantum esset Ecclesia Cathedralis, nulla alia in vicis erecta, neque proprie dici potest, jam Parochos fuisse designatos. Itaque quarto primum Ecclesiæ sæculo nondum erectis sacris ædibus in vicis, & pagis, nec certis designatis sacrorum administris, extra ordinem, prout certa causarum, aut personarum adjuncta postulabant, in ea loca e Cathedrali Ecclesia auctoritate Episcoporum Presbyteri mittebantur ad solatia plebium, ad Cathedralem Ecclesiam præstitis officiis sibi mandatis reversuri, qui propterea *Visitatores*, *Circumcursatores*, *Circuitores*, & Græco vocabulo *Periodeutæ* in Laodiceno Concilio circa annum 360. celebrato, appellati fuerunt, can. 6. dist. 80.. Paulatim eo res devenit, ut erigerentur etiam inibi templa, certique administri iis addicerentur, quos inde dicebant *Cardinales*, seu *Cardinatos*, quasi adfixos Ecclesiis Cardines can. 5. dist. 71., can. 42. caus. 7. quæst. 1., juncto can. 5. & 6. caus. 21. quæst. 1., vel *Sacerdotes vicanos*, sive vicorum, uti apud Gentianum Hervetum, vel *Presbyteros ruris*, uti apud Dionysium Exiguum, vel *Forasticos*, uti apud Martinum Bracharensem, ad canonem 13. Concilii Neocæsariensis, & canonem 8. Concilii Antiocheni, ac tandem *Parochos*, sicut & *Parochias* ea loca, intra quorum fines potestatem suam illi exercerent, quod jam adparet temporibus Concilii Agathensis, can. 35. de cons. dist. 1., & Concilii Aurelianensis V. can. 8.. Alia præterea nomina ex loquendi usu ad designandos Parochos subsequentibus sæculis usurpata fuerunt; isti enim aliquando a suscepto plebium regimine dicti fuere *Plebani*, cap. 40. de elect., cap. 10. ne clerici, vel monachi, aliquando a regimine animarum dicti *Rectores*, cap. 3. de vita & honest. cleric., cap. ult. de præbend., cap. de cleric. ægrot., aliquando ad denotandam singularem curam inter plures tributam respectu diversarum plebium dicti fuerunt *proprii Sacerdotes*, cap. 12. de pœnit. & remiss., juncto canone 3. dist. 6. de pœnitentia. Hinc plane liquet, tum beneficium vere Parochiale dici, cum certis erectis sacris ædibus certus Sacerdos addictus est causa sacrorum administrandorum, una tantum dempta exercitione potestatis ordinis Episcopalis, item una excepta administratione jurisdictionis in foro externo, & quidem erga certum populum intra certos designatos fines circumscriptum, quo fit, ut una ab altera ex Parochiis distinguatur; interest enim Ecclesiasticæ rei ita consulere populo, ut certi limites constituantur, intra quos ad certum Sacerdotem spectet ministrare sacra, & certus populus ab eodem Sacerdote sacra petere debeat, ut omnia ordinate fiant sine turbatione. Quamobrem Concilium Tridentinum in sess. 24. cap. 13. de Ref. in fine Episcopis mandavit, ut in iis civitatibus, ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non haberent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regerent, sed promiscue petentibus Sacramenta administrarent, pro tutiore animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum adsignarent, qui eas cognoscere valeret, & a quo solo licite Sacramenta susciperent, aut alio utiliore modo, prout loci qualitas exigeret, provideret.

Supersedeo hoc in loco ab expendendis modis, quibus Parochiales Ecclesiæ aut erigendæ sunt, aut uniendæ, aut dividendæ; item ab expendendis variis Parochiarum rationibus, prout illæ vel per proprios Parochos reguntur, vel per

Capitula, vel Collegia, vel Monasteria, designatis quibusdam Vicariis sive temporalibus, sive perpetuis, quæque propterea non proprie Parochiæ, sed Vicariæ appellantur, item prout aut habitu tantum, aut etiam actu Parochiales Ecclesiæ appellantur; hæ enim observationes commodius in tractatione de beneficiis Ecclesiasticis habebuntur. Tantum orationem coercebo ad jura, & potestates institutorum Parochorum, quæ quidem jam aperiri cœperunt, ubi Parochorum, & Parochiarum origo, & institutio tradita mox est, sunt tamen adhuc cum uberius, tum clarius explicandæ. Atque ut generalia hujus rei principia ordinate tradantur, observo, ubi primum institutæ fuerunt Parochiæ, non omnia statim ecclesiastica officia Parochis commissa deprehendi. In primis Episcopi non omnem in vicis, & pagis exercendam potestatem in Parochos transtulerant, & pene dixerim a se abdicaverant; unde multa superfuerunt Episcopis reservata. Secundo cum Episcopi in erectis Parochiis non tantum certum Sacerdotem sub titulo, & nomine Parochi designaverint, sed & alios clericos etiam Sacerdotes quasi in Parochi adjutorium dederint, & dare perrexerint, qui in Ecclesia Parochiali, aut in aliis Ecclesiis minoribus in Parochiæ finibus sitis ad id erectis quædam etiam sacerdotalia munera obirent, multa quoque superfuerunt, quæ & Parochis ipsis, & Sacerdotibus, & clericis in Parochia constitutis essent communia. Hinc poni certa regula nequit, cum omnia, seu quæ Parochis reservata, seu quæ Sacerdotibus, clericisve Parochorum veluti adjutoribus concessa fuerunt, vel ex certis, & singularibus canonum sanctionibus pro varietate temporum, locorum, ac causarum multo dissimilibus, vel ex variis diœceseon usibus, quam ex generali jure definita deprehendantur. Mirum profecto est, quot involucris hæc omnia ex Pragmaticorum traditionibus implicata fuerint. Passim distinxerunt triplicis generis Parochorum officia, alia referentes ad jura, alia referentes ad onera, alia referentes ad functiones Parochorum, sic putantes, Parochorum officia ab officiis sacerdotalibus facile discretum iri: immo & ubi de juribus agerent, dixerunt, alia esse jura mere Parochialia, alia mere Sacerdotalia, alia in media quadam specie constituta, quæ inter utraque collocarent, eadem quasi Parochialia nominantes. Quibus factis distinctionibus multum differre tradiderunt jura ab oneribus, jura, & onera a functionibus Parochialibus, quædam officia inter onera, & jura recensentes, non inter functiones Parochiales, quædam e contrario functionibus Parochialibus, non juribus, aut oneribus adscribentes. In conspectu istarum traditionum, quæ sane non res, & causas definire potuerunt, sed universa turbare, quis non agnoscat, nominum potius, quam proficuam rerum distinctionem fuisse confictam, unde inextricabilis, & procul extra omnem methodum posita indigesta, & sine ordine turbatarum causarum farrago acervaretur? Hinc statim duo gravissima emergunt incommoda. Primum est, non satis percipi posse, quomodo functiones Parochiales ab oneribus, & juribus Parochorum secerni possint; dum enim Parochus oneribus sibi impositis satisfacit, aut jura explicat, quid aliud agit, quam fungi manere suo, seu, quod idem est, in functione Parochiali manere? Quomodo item distinguentur jura ab oneribus? onus enim Parochiale adeo cum jure conjunctum est, ut unum ab altero divelli non possit, & pauca admodum sunt jura, ad quæ exercenda Parochus onere quodam sui muneris non obstringatur. Quis præterea non arbitrariam dicat, & sine causa confictam distinctionem illam jurium, quæ quasi Parochialia appellaverunt, ut eadem a mere Parochialibus, & a mere Sacerdotalibus discernerent? Neque enim generalem fingere possunt quasi Parochialium jurium definitionem, ex qua deinde veluti ex

principio certo colligere possint, quid Sacerdotibus liceat, quidque sit Parochis reservatum, sed tantum hanc quasi Parochialium jurium ideam exemplis commonstrant, in quibus simplicius consistere potuissent, ajendo, certa officia fuisse Parochis concessa, & ordinario jure cæteris Sacerdotibus denegata. Alterum incommodum est, non satis consonare Pragmaticos ipsos, ubi ad singulares casus deveniunt, & factis emergentibus sua principia accommodant, in definiendis negotiis, quænam ad jura, quænam ad onera Parochialia pertineant, quænam ad functiones, quænam ad quasi Parochialia munera, unde identidem controversiæ intrincatissimæ suboriuntur; non aliter, quam auctoritate, seu vi legum latorum definiendæ, numquam sententia Judicis ad certa principia, vel generales legum rationes exigenda; ita enim evenire solet, ubi certæ leges desiderantur, & ubi Pragmatici subtilibus, & inextricabilibus, commentiisque involucris universa turbarunt potius, quam explicaverunt.

Ut commodiorem viam, quoad fieri potest, ineamus, eamque rationem disciplinæ, quæ certis principiis constet, generalia hæc velut effata ponamus, ex quibus multa utilia ad rem propositam pendent consectaria, & pene universæ controversiæ facile dirimuntur. Primum principium est, quod liquet ex ipsa superius demonstrata Parochorum origine, & primigenia institutione; nimirum Parochos fuisse ab Episcopis constitutos ad utilitatem fidelis populi, & quasi vice Episcoporum in Parochialibus Ecclesiis gerendis sacri muneris causa designatos. Hinc ego deduco, eam potestatem, ea jura, eas functiones, eaque omnia quocumque nomine appellentur, officia exercenda esse a Parochis, quæ exercenda ab Episcopis mandata fuerint, sive expresse, prout mandatis contineatur, sive tacite, prout Episcopi certa officia exerceri & sciant, & patiantur. Secundum principium est, potestatem Ordinis Episcopalis nunquam Parochis competere, utpote quæ ne ex mandato quidem Episcoporum in alterum non Episcopum transferri non possit. Quamquam enim olim essent Parochi nonnulli, qui Chorepiscopi appellarentur, & quidem Episcopali Ordine insigniti, quemadmodum alibi superius traditum est, qui ex mandato Episcoporum certa Episcopalis Ordinis munera exercerent, hodie tamen cum obtinuerit nullos Episcopos ordinatos in vicis, & pagis Parochialis gerendi officii causa constitui, sed tantum eos, qui Presbyteratus ordine initiati sunt, frustra istis accomodarentur, quæ respectu aliquot veterum Chorepiscoporum olim vigebant. Tertium principium est, potestatem jurisdictionis Episcopalis in foro externo potuisse quidem Parochis demandari ab Episcopis, numquam tamen vi generalis Parochialis designationis fuisse mandatam; tantum scimus, quosdam fuisse Parochos, qui eam singulari titulo obtinerent, puta aut speciali Episcopi mandato, quod privilegii instar fuerit, non commune Parochis universis, aut singulari consuetudine, aut præscriptione legitima. Hujusmodi erat Plebanus ille, de quo agitur in cap. 3. de offic. jud. ordin., qui sententiam interdicti, vel excommunicationis in parœcianos suos tulerat, eam ob rem Prælati nomine ibidem appellatus. Hujusmodi etiam sunt hodie Parochi, qui præter Parochiale munus ex designatione Episcoporum Vicarii Foranei officium exercent, quasdam jurisdictionis Episcopalis species ex mandatis explicantes, utut intra certos fines coercitas. Quartum principium est, Episcopos, ubi ad Parochorum constitutionem devenerunt, non ideo abdicavisse a se sacrorum administrationem in Parochis ipsis habendam; voluerunt enim ipsi Parochos in adjutorium suum vocare, non in eos potestatem quasi abdicatam transferre; ex quo fluit, adhuc Episcopo facultatem liberam inesse, quotiescumque ei videatur, ipsa etiam Parochialia officia gerendi. Tantum quæ-

jura fuerunt, quæ a se abdicarunt, ut Parochi commodius alerentur, veluti jura oblationum, aut decimarum, aut similia, uti inferius tradam. Quintum principium est, ad Episcopi dispositionem pertinuisse, ut, quando Episcopus in Parochorum subsidium certos alios clericos, immo & Sacerdotes in Parochialibus Ecclesiis deservituros adjungerent, inter ipsos officia partiretur, & certa officia Parochis reservaret nemini concedenda in signum Parochialis honoris, certa officia libere Clericis eisdem, ac Sacerdotibus gerenda relinquere, certa etiam ita Parochis imponeret, ut identidem pro Ecclesiarum utilitate Episcopus idem aliis Clericis, & Sacerdotibus gerenda committeret. Hujus principii ratio in eo innititur, quod moderatio Parochiarum ex Episcopi voluntate semper pependit, & ad Episcopum pertinuit certam legem Parochis, & Parochiis dicere. Hinc in primis honestum fuit, Episcopos certa officia ita mandare Parochis, ut fere non mandarentur ne Episcopi quidem auctoritate inferioribus Sacerdotibus, ne exinde Parochorum honos, & supra cæteros prærogativa imminueretur. Secundo honestum etiam fuit, ut inferioribus Sacerdotibus libera quædam officia relinquerentur, ne vacua videretur illorum ordinatio, & inanis illorum titulus, dum titulo Parochialis Ecclesiæ, cui inservirent, ordinarentur. Postremo honestum etiam fuit, ut Episcopi arbitrio nonnulla reservarentur, æque inferioribus Clericis, & Sacerdotibus pro eorumdem modo committenda, ut certus etiam honos Episcoporum auctoritati reservaretur.

His omnibus principiis positis, statim fluit, ex generalibus Episcoporum mandatis ab initio totam constitutam fuisse, immo & formam sumpsisse universalem Parochorum potestatem, quamquam non exinde dicendum sit, extraordinarias esse, & veluti delegatas Parochorum facultates; non enim delegationes, & mandata Episcopalia personarum gratia prodierunt, sed gratia Parochialis officii, quod uti perpetuo instituebatur, ita in officium ordinarium erat evasurum At enimvero mandata illa Episcopalia hodie non adparent, neque remanet vestigium veterum illorum mandatorum, quibus primum Parochialis potestas emersit. Igitur concludendum est, tales mandatis facultates præsumi fuisse comprehensas, quales demonstravit constans, & perpetuus usus Ecclesiarum. Hæc generalia sunt, quibus instructi ad singularia nunc descendere possumus. Quod ut ordinate præstetur, dixero, ex usu, & consuetudinibus Ecclesiarum ad quatuor summa capita referri jura, onera, &, quocumque nomine appellentur, officia Parochorum. Primum recensentur Sacramentorum, & Sacramentalium administrationes: deinde funerum rationes, & adjuncta: tertio quædam officia, & ministeria ad bene regendos cum publica utilitate fideles: denique oblationes, atque obventiones aut ex debito, aut ex liberalitate in Ecclesiam collatæ. Hæc universa, ac singula cum expendero, clarius in sequentibus explicabuntur, sive quæ Parochis reservata omnino fuerunt, sive quæ etiam Sacerdotibus, & Clericis inferioribus in Ecclesia Parochiali deservientibus libere commissa fuerunt, sive quæ etiam Sacerdotibus iisdem inferioribus ex speciali Episcoporum indulgentia committi sine injuria Parochi possunt, sive quæ ita Episcopo reservata sunt, ut nullo modo ab inferioribus Sacerdotibus, ne a Parochis quidem, attingantur.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT II.

De potestate Parochorum in administratione Sacramentorum, & eorum, quæ prope ad Sacramenta accedunt, Sacramentalium.

QUotiescumque Episcopus velit ipse in parochia Sacramenta administrare, nunquam poterit a Parocho excludi, uti statim deducitur ex iis, quæ in præcedente capite dicta sunt; quamquam enim Sacramentorum administrationem Parochis commiserint Episcopi, eos tamen in hac parte veluti adjutores suos selegerunt, immo & hanc potestatem perpetuo exercere per se, quoties libuisset, perrexerunt. At si agatur de cæteris Sacerdotibus in Parochiali Ecclesia deservientibus, multa sunt Sacramenta, a quorum administratione isti excluduntur, Parochiali officio reservata, argumento Clementinæ 2. de sepultur. vers. *In Ecclesiis.* Hujusmodi sunt solemnis collatio Baptismatis, Unctio infirmorum, & Benedictio nuptiarum, Clement. 1. de privileg., Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. matrim. cap. 1., juncto cap. 13. sess. 24. de Ref. in iis verbis: *A quo solo*, id est, Parocho, *licite Sacramenta suscipiant.* Hujus reservationis rationem nullam aliam invenio, quam quod usus Ecclesiarum ita semper tulit, & istorum Sacramentorum administrationem ita Episcopi Parocho mandaverint vi suæ institutionis, ut inferioribus Sacerdotibus denegarent. In Sacramento Pœnitentiæ receptum est, ut Parochus jure ordinario, id est, quin opus habeat singulari Episcopi delegatione, illud Parochianis suis administret, immo & quibuscumque Parochianis petentibus, dummodo nullum obsit canonicum impedimentum, administrare teneatur, quamquam tamen solent Episcopi similem facultatem quasi in subsidium Parochorum aliis Sacerdotibus demandare, quorum gratia tantum valet specialis Episcopi delegatio, quantum ordinaria potestas Parochorum. Hac in re olim vigebat, ut semel in anno tenerentur fideles Parocho suo, non alteri Sacerdoti confiteri, cap. 12. de pœnit., & remiss., quæ tamen obligatio hodie non easdem vires amplius habet, quod Ecclesia patiatur, annuæ confessionis præcepto satisfacere fideles, dummodo apud Sacerdotem ab Episcopo adprobatum confiteantur.

In Sacramento Eucharistiæ distinguenda sunt plura; nimirum confectio, & oblatio, custodia, dispensatio, expositio publica, & solemnis cum populi frequentia gestatio. Sane confectio, & oblatio, cum per se nullam omnino jurisdictionem requirat, Sacerdotibus universis conceditur, proindeque mere Sacerdotalis, non Parochialis functio a Pragmaticis appellatur. Illud Parochis singulare est, ut frequentissime pro populo, & saltem festivis quibuscumque diebus teneantur Missæ sacrificium offerre, Concilio Tridentino sess. 23. de Ref. cap. 1. & quamquam ab usu recesserit, quod olim vigebat, Parochianos adesse necessario debuisse proprii Parochi sacrificio universis dominicis, festivisque diebus, can. 4. & 5. caus. 9. quæst. 2., cap. 1. de Parochiis; tamen monendus est populus, ut, quoad fieri possit, eam disciplinam observet ob gravissimam, quæ exinde emergit, publicam utilitatem. Siquidem in eadem Missa Parochiali & salubria documenta ex ore Parochi ex Ecclesiæ præscripto excipiuntur, & fi-

juniorum, festorumque dierum in hebdomada occurrentium indictio, insuper etiam fiunt matrimoniales denuntiationes ac proclamationes ordinandorum, & si quæ alia hujusmodi sint, quibus sane opportuna est magna populi frequentia, atque conventus. Singulare quoque agnoscimus gratia Parochialium Ecclesiarum, ut Missa in iis celebrari a Parocho possit, ac debeat Feria quinta in Cœna Domini, ac Sabbatho Sancto, una cum oblatione præsanctificatorum, quæ fit Feria sexta in Parasceve. Verum id inter jura mere Parochialia non recensetur, cum aliis Ecclesiis minime Parochialibus id possit, ac soleat Præsulum auctoritate concedi. Addo his, nec celebrationem Missarum solemnium per annum inter jura mere Parochialia adscribi, cum id etiam permittatur Rectoribus minorum Ecclesiarum saltem in diebus festivis earumdem singularibus, quod Episcoporum arbitrio, & æquitati remittitur. Custodia Eucharistiæ in unaquaque quidem Parochiali Ecclesia facienda mandatur; at non id inter jura vere Parochialia recensetur, cum id concedi soleat aliis Ecclesiis Pontificia auctoritate, Clement. 1. de privileg.. Dispensatio ejusdem Sacramenti unicuique Sacerdoti, præsertim dum Sacrificium celebratur, conceditur, uti enim optat Ecclesia, ut etiam in Missis privatis fideles communicent, Concilio Tridentino sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 6., ita facultas unicuique Sacerdoti conceditur, tempore sacrificii fideles quoscumque alias nullo impedimento detentos ad sacram Mensam admittendi. Duo tantum hac in re gratia Parochorum, & Parochialium Ecclesiarum excipiuntur. Primum est, cum agitur de Paschali Communione in Parochiali Ecclesia necessario peragenda, dicto cap. 12. de pœnit. & remission.. Alterum est, cum agitur de delactione Eucharistiæ ad infirmos, quæ uni Parocho reservatur, cap. 10. de celebrat. Missar. dicta Clement. 1. de privilegiis, quamquam omni tempore Parocho onus immineat, fidelibus sine injuria tanti Sacramenti, & decore petentibus illud dispensandi. Expositio Eucharistiæ una cum benedictione super populum effundenda fieri quidem a Parocho potest juxta modum ab Episcopo præstitutum, non vero inter functiones mere Parochiales connumeratur; quamobrem, uti in similibus contingere dicimus, ex Episcopi arbitrio pendet, eam cæteris Ecclesiis, earumdemque Rectoribus facultatem facere. Atque idipsum dicendum est de solemni, & publica Eucharistiæ cultus exhibendi causa gestatione.

Quemadmodum vero exemplo Sacramentorum a Christo institutorum Ecclesia jure suo Sacramentalia quædam instituit, ita factum est, ut ea Sacramentalia Parochorum officio eo reservarentur magis, quo propius accederent ad Sacramenta Parochorum ministerio reservata. Hinc cum fontis baptismalis benedictio materiam Baptismatis præparet, a Parocho regulariter est facienda, quamquam non omnino, & strictissime juribus Parochialibus adnumeretur; quod aliquando contingat, has aquarum benedictiones a non Parochis fieri, aut in Ecclesiis minime Parochialibus, ubi nimirum ea vigeat consuetudo, aut privilegium, aut statutum induxerit, aut aliud quodcumque jus singulare. Benedictio quoque mulierum post partum, quod species quædam purgationis, seu purificationis passim habeatur, eademque ratione Paschalis domuum benedictio, & diebus dominicis lustralis adpersio populi in unum ad Ecclesiam convenientis ad munera Parochorum refertur, quamquam non omnino proprie, ut ex Episcopi concessione, aut privilegiis, aut moribus aliis Sacerdotibus aliquando non adquirantur; eove minus stricte ad jura mere Parochialia referuntur cæteræ benedictiones sacerdotales non reservatæ Episcopis, quales sunt candelarum, cinerum, palmarum, seminum, ignis, & rerum similium; quemadmodum neque expositio Sacrarum Reliquiarum, & Imaginum, etiam si per illas adstantibus fidelibus be-

nedicendum sit; dummodo ritus servetur præstitutus in Manualibus Ecclesiastica auctoritate probatis; quamquam tamen, ubi celebrandus esset non infrequens populi conventus, exspectandus semper foret Episcopi consensus. Horum omnium si a me singularem rationem postules, non aliam indicare possum, quam superius sæpe allatam; nimirum quia in institutionibus Parochiarum ita Episcopis placuit officia Clericorum inter eos partiri, ut quædam reservarentur Parochis, quædam libere Sacerdotibus cæteris indulgerentur; quædam indulgerentur eisdem Sacerdotibus tum demum, cum specialis Episcopi auctoritas aut expresse, aut tacite, qualis ex longo usu intercessisse præsumitur, accessisset. Atque hæc est illa partitio apud Pragmaticos adeo celebrata inter munera mere Parochialia, & mere Sacerdotalia, & mixta, seu quasi Parochialia. Ut paucis id concludam, respectu Sacramentorum, aut Sacramentalium vere Parochialia munera dici possunt solemnis collatio Baptismi, Communio Infirmorum, Communio Paschalis Parochianorum, administratio Extremæ-Unctionis, & Benedictio Matrimonialis. Munera mere Sacerdotalia sunt Confectio, & Oblatio Eucharistiæ, item dispensatio ejusdem Sacramenti extra casum infirmitatis, & extra Paschalis Communionis adjuncta. Cætera superius commemorata mixti generis dici possunt, sive, ut ajunt Pragmatici, fere Parochialia. Munera mere Parochialia ab uno Parocho agenda sunt, exclusis inferioribus quibuscumque Clericis, etiam Sacerdotibus, nisi istis Parochus ipse eadem exercenda mandaverit. Immo & in istis, quamquam Episcopus libere per se agere possit, raro tamen aliis Sacerdotibus facultatem concedit, & tunc extra ordinem pro una, aut altera vice, ubi suadere videantur certa causarum, & personarum adjuncta. Visæ enim sunt hæ reservationes faciendæ, ut certus honos Parochis deferretur, utque facile Parochialis potestas, & officium a cæterorum Sacerdotum officio secerneretur. Munera mere Sacerdotalia libere Sacerdotibus etiam inferioribus relinquuntur; cum enim juxta sacrorum canonum sanctiones ordinandi sint Sacerdotes ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiarum, quibus eos adscribi necesse est, Concilio Tridentino sess. 21. de Ref. cap. 2., ita censentur in Parochiis constituti, ut vi suæ ordinationis certa officia peragant. Munera quasi Parochialia, seu quæ prope ad Parochialia accedunt, generaliter exerceri a Sacerdotibus Parocho inferioribus nequeunt, ut & in his honos certus Parocho deferatur. Facile tamen permittitur Episcopis, eadem committere Sacerdotibus illis, ut Episcopi ipsi adhuc in pluribus auctoritatem suam libere sibi possint asserere, & alieno etiam ministerio in Parochiis agere.

CAPUT III.

De potestate Parochorum, ratione habita funerum, & quæ funeribus cohærent, adjunctorum.

Huc referendus est titulus 28. libr. 3.

ECquidem Romani veteres res religiosas a sacris distinxerunt, & funerum rationes, & causas nunquam inter sacras, potius inter religiosas res recensuerunt, l. 6. §. 3. & 4. ff. de divis. rer., & quælit, quando autem & religiosas, & sacras res divini juris esse dixerunt, l. 1. princ. ff. eod. tit., facile obtinuit, ut eadem

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ratione, qua nonnulla sacra negotia Parochorum potestati fuere commissa, ita & funera veluti religiosa ad Parochorum officium referrentur. Atque id potissimum evenit, postquam recentioribus sæculis inductum est, fidelium in pace Ecclesiæ defunctorum cadavera in sacris ædibus, aut ad sacras ædes constructis cœmeteriis tumularentur. Hæc in re tria distinguere oportet. Primum est sacer exequiarum ordo, ac ritus. Alterum est locus, in quo cadavera tumulantur. Postremum consistit in oblationibus, quæ a defuncto factæ fuerunt, vel ab hæredibus defuncti fiunt, pietatis, religionisque causa: jamdudum enim obtinuit, in iis omnibus certas, & singulares haberi rationes seu Parochorum, seu Parochialium Ecclesiarum.

Exequiarum ordo, & ritus, quo tempore Romani adhuc Gentium superstitionibus detinebantur, abs jure sacro pendebat, non sane quod Pontifices, & Sacerdotes præsentes essent in ducendo funere, & justis, ac parentalibus absolvendis, sed quod legibus, & mandatis eorumdem universa dirigerentur. Hinc si ageretur de monumento extruendo ex defuncti voluntate, ad Pontifices pertinebat de eo decernere, l. 50. §. 1. in fine ff. de hæredit. petit.. Item de reficiendo religioso loco Pontifices explorare debebant., l. ult. ff. de mortuo inferendo; neque aliter licebat mortuorum cadavera de uno in alium locum transferre, quam ex permissu Pontificali, l. 8. ff. de relig. & sumpt. fun., quamquam tamen Principis, seu Imperatoris auctoritas his causis absolvendis multum poterat, & sine discrimine intercedebat æque ac auctoritas Pontificalis, dicta l. 50., & dicta l. 8., ex eo, ut arbitror, quod Imperatores Pontificis Maximi dignitate ut plurimum decorarentur; unde disciplina profluxerat, ut funerum designatores, de quibus mentio fit in l. 4. §. 1. ff. de his, qui not. infam., auctoritate Principis eligerentur, quibus principiis morem gessisse videntur Moguntini Antistites in can. 37. de cons. dist. 1.; at officia ipsa funerum a Sacerdotibus minime absolvebantur. Ut enim Gentiles credebant, Deos abhorrere ab adspectu mortuorum, ita piaculum putabant, Sacerdotes Dei ministros cadavera adspicere, quorum intuitu dicebant oculos inquinari. Hinc Seneca de consolatione capite 15. scribit, Tiberium Cæsarem, quod Pontifex esset, laudavisse filium suum adoptivum tunc mortuum, velamine interjecto, ne cadaver videret. Erant ad ritus funerum dirigendos constituti funerum designatores, de quibus cum aliquando quæsitum esset, an ludricam artem exercere dicerentur, & ob eam causam infames haberentur, dicta l. 4. §. 1. ff. de his, qui not. infam., facile conjicitur, eos aut humiliores fuisse, aut certe non ex collegio Sacerdotum: Erant præficæ mulieres, quibusdam funestis lamentationibus ante cadavera occinendis destinatæ. Erant Libitinarii ad cadaver humandum, erigendumque tumulum præstituti, quibus in eo officio serviebant ad exuenda, inungendaque cadavera pollinctores, de quibus mentio fit in l. 5. §. 8. ff. de institoria actione. Sacerdotibus indecorum erat, atque inhonestum his officiis interesse, eove minus vacare. Ubi vere in Romano Imperio Christiana Religio successit, vana illa superstitio adjicienda fuit, omniaque ad fidei nostræ lucem exacta. Illud quidem retentum est, ut cura, & jurisdictio funerum in ea parte, qua de religione agitur, ad Sacerdotes spectare; at cætera fere exoleverunt. Putabant Ethnici, Deos ab adspectu mortuorum abhorrere; docuit Christiana Religio defunctorum animas, si justæ fuissent, apud Deum quiescere, immo & cum Deo lætari; cadavera autem ab eisdem animabus relicta tandem aliquando animabus jungenda in communi resurrectione, & in Divina habitacula recipienda. Hinc Sacerdotes Dei ministri non solum non abhorrebant a conspectu cadaverum, sed & reliquias Martyrum colligebant, & in

sacro altari collocabant. Præficas mulieres induxerant Æthnici ad canendas lamentationes. Id damnaverunt Christiani Antistites, docentes, non lugendum esse de obitu Christianorum, sed potius lætandum, propterea quod confiderent maxime, eos ad Deum convolavisse; ac propterea psalmorum, & hymnorum cantum in funeribus receperunt, can. 28. caus. 13. quæst. 2., tum vero facile induci cœperunt Sacerdotes, ut ipsis psalmos, hymnosque concinerent, præsertim autem quum eodem tempore pro defunctis sacrificium in Altari offerrent, can. 19., & sequentibus caus. 13. quæst. 2., minoribus aliis officiis sepulturæ causa peragendis relictis pietati, & religioni aut laicorum quorumdam, aut etiam minorum Clericorum, quibus propterea certas in eis causis leges fuisse dictas, nos docent veterum canonum monumenta, can. 40. de const. dist. 1.. Exinde facile percipitur, quare tandem aliquando ad Parochorum officium spectare cœperint multa ex iis, quæ ad funera pertinent. Erat cum psalmorum, hymnorumque sacrorum cantu tumulandum cadaver, erat sacrificium pro defuncto offerendum, adjiciebantur his piæ preces, in quibus omnibus sacerdotale officium intercedebat; constitutis autem Parochiis, & Sacerdote ibidem sub nomine Parochi designato, ab Episcopis mandatum est, ut idem Parochus eam præcipuam susciperet curam. Quando vero, ut sæpe dicendum fuit in capitibus præcedentibus, ex usu demonstratur, quid ad officium vere Parochiale pertineat, ex Ecclesiarum moribus ad Parochum privative pertinet funus ducere juxta Ritualium formam, etiam si defuncti cadaver sit extra Parochialem Ecclesiam tumulandum. Præcipua autem ratio in ducendo funere observanda est, ut Parochus deferendo cadaveri aquæ adspersione benedicat, & cum psalmis associet, dicto can. 28. caus. 13. quæst. 2., & cum in Parochiali Ecclesia sit tumulandum, supremis Ecclesiæ officiis prosequatur; cum vero in alia Ecclesia præsertim exempta tumulandum sit, illud in ingressu Ecclesiæ dimittat, cui suprema officia celebranda erunt ab ejusdem Ecclesiæ Rectore Sacerdote, cum ista non proprie, & omnino Parochialia haberi obtinuerit. Nomine Parochi hac in re is intelligitur, qui jus habet ordinarium, seclusa electione singulari, sepultura donandi, uti mox dicendum erit.

Quod si ex eo, quod religiosa res esset præesse funeri, & funus ducere, id ad jura Parochorum referri decorum fuit, eadem de causa ex eo, quod loca, in quibus cadavera tumularentur, religiosa semper habita fuerint, l. 6. §. 4. ff. de divis. rer., obtinuit, ut hoc inter jura Parochialium Ecclesiarum recenseretur. Jam olim apud Gentes cautum erat, ne cadavera in urbibus sepelirentur, uti perspicue demonstratur ex vulgari fragmento legum duodecim tabularum ita concepto: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Et Imperator Hadrianus rescripto suo pœnam statuerat quadraginta aureorum in eos, qui in Civitate sepelirent; eo adjecto, ut cadaver tumulatum alio transferretur, l. 3. §. 5. ff. de sepulchro violato, quod deinde confirmaverunt Diocletianus, & Maximianus in l. 12. cod. de relig. & sumpt. fun.. Id postulabat urbium politia; vel enim ante tumulationem ex veterum more cadavera cremabantur; tum vero maxime verendum erat, ne noxiis incendiis daretur occasio præsertim quod a locupletibus hæredibus identidem strui solerent ad honorem defuncti ingentes piræ, ac rogi: vel sine crematione tumulandum erat cadaver; tum verum consulendum erat, ne ob fœtorem aer urbium corrumperetur. Erat hæc Gentium disciplina, quam paulisper immutare primis sæculis cœpit Ecclesia. Etenim Ecclesiastici Antistites cœperunt in Ecclesiis tumulare Sanctorum Martyrum cadavera, aut eorumdem reliquias undique piorum fidelium sollicitudine conquisitas, quas si forte in urbes publice adsportare non possent, Ecclesiolas in agris erigebant,

in quibus cadavera, aut reliquiæ condererentur, atque eæ Ecclesiæ appellabantur *Ecclesiæ martyrii*, de quibus mentio in Concilio Chalcedonensi, can. 1. dist 70. cujus etiam generis fuisse puto Ecclesiam illam in honorem S. Viti constructam, de qua mentio fit in can. 26. caus. 16. quæst. 7.. Conditis in Ecclesia etiam Civitatensi reliquiis Martyrum, condi etiam cœperunt reliquiæ virorum defunctorum, qui cum illustris sanctimoniæ præclara fama decessissent; ac deinde fideles prope easdem reliquias sua cadavera condi adamarunt, vel in Ecclesiis Martyrii extra urbem sitis, quo spectat canon 7. dist. 1. de consecrat., vel in Ecclesiis aut Cathedralibus, aut Parochialibus, non quidem in intima Ecclesiæ parte, sed aut in exedris templorum, aut in atriis, aut in porticibus, quorum ambitu templa continebantur; atque ubi atria non essent, aut porticus, cœperunt certa loca Ecclesiis prope cohærentia designari, quæ cœmeteria dicta sunt, in quibus Episcoporum auctoritate benedictis tumulata cadavera habebantur, ac si in porticibus, vel atriis, vel Ecclesiis quiescerent, can. 15. caus. 13. quæst. 2.. Non erat prisca ætate permissum fidelibus viventibus sedere in Ecclesia; erat enim locus sacer ad id destinatus, ut ibidem fideles vel postrati, vel surgentes orarent. Tantum sedere licebat in exedris, atriis, ac porticibus. Alias autem cum defunctorum corpora quiescere dicerentur, visum fuit indecorum, eadem in intimam Ecclesiæ partem traduci. Paulatim factum est, ut, quando clericis adsignari in interiore Ecclesia sedes cœperunt, item laicis bene de Ecclesia meritis, præsertim fundatoribus, aut patronis Ecclesiarum, unde etiam hodie inter jura Patronalia recensemus honorem sedis; eisdem clericis, laicisque benemeritis, fundatoribus, ac patronis loca adsignata sunt in interiore Ecclesia tumulandis eorumdem cadaveribus destinata, unde etiam hodie inter jura Patronalia recensemus jus sepulturæ. Exemplo istorum alii laici beneficia sua in Ecclesiam collata prætexentes in ipsas ædes sacras, sedes, seu scamna patientibus Episcopis transtulerunt, & similiter in sacris ædibus sepeliri adamaverunt; unde tandem in generalem disciplinam abiit, ut quo quisque vivens sedere in Ecclesia jure posset, eodem in Ecclesia sepeliretur. En originem, & fundamenta recentis inductæ disciplinæ, quæ denique postulavit, ut unusquisque fidelis, dummodo nullo canonum impedimento detineretur, seu in pace Ecclesiæ obivisset, nonnisi in loco sacro tumularetur, cap. 3. de sepulturis; mansit tamen adhuc hodie vestigium veteris disciplinæ, quo fit, ut cadavera quidem in Ecclesia, non tamen infra altaria tumulentur. Duplex erat ratio, qua fideles universi optabant, ut sepelirentur in Ecclesiis, & prope reliquias, aut cadavera Sanctorum. Primum enim sibi facile persuadebant, juvari se validius posse patrocinio Sanctorum illorum, ad quorum cadavera, vel reliquias prope jacebant; deinde quoniam in Ecclesiis fiebant quotidianæ fidelium preces, sibi etiam facile persuadebant, juvari se validius posse precibus eorumdem fidelium eo convenientium. Hinc fiebat, ut unusquisque magis optaret sepulturam in loco sacro, in quo præter custodiam sacrarum reliquiarum fiebant quotidianæ fidelium orationes, quam in loco sacro, ubi tantum conditæ erant Sanctorum reliquiæ, seu in Ecclesiolis Martyriorum; tunc enim duplex ipsis suffragium utile videbatur, unum ex patrocinio Sanctorum, alterum ex precibus convenientium Christianorum. En causam, quare primum fideles optarent, in Ecclesia Cathedrali se sepeliri, deinde, in Ecclesiis Parochialibus; ibidem enim Episcopus cum clero suo, aut Parochus cum clericis sibi administrantibus quotidianas preces habebat in conventu totius populi; atque ex hoc communi omnium voto factum est, ut, cum quis moreretur, præsumeretur sibi sepulturam elegisse in Cathedrali, vel Parochiali Ecclesia,

can. 3. 6. & 7. caus. 13. quæst. 2., satisque fuit, ut nonnulli in iis Ecclesiis tumularentur, ut eorumdem filii, ac descendentes ibidem quoque sepelirentur, propterea quod vetus erat religio insita in animis universorum, unumquemque in sepulchris majorum velle jacere, can. 2. 3. caus. 13. quæst. 2.. Interea dubium videbatur, ubi nulla defuncti electio præcessisset, num is in Cathedrali, num in Parochiali esset Ecclesia tumulandus. Cautum olim fuisse legimus, ut ubi temporum, vel locorum facultas tulisset, potior ratio Cathedralis Ecclesiæ haberetur, can. 6. caus. 13. quæst. 2.. Id tamen tunc vigebat, quando decimæ, ac oblationes a fidelibus universis in diœcesi constitutis, in Cathedralem Ecclesiam conferebantur; at postquam magis firmata fuerunt jura Parochorum, & Parochialium Ecclesiarum, potior habita fuit Ecclesiæ Parochialis ratio; & statim ac fideles jure ordinario in Parochiis Sacramenta susceperunt, Parochialibusque Ecclesiis decimæ, oblationesque cesserunt, cœperunt quoque in Parochiali Ecclesia, seclusa singulari electione, tumulari. In his temporum adjunctis cœperunt erigi Ecclesiæ in Monasteriis, vel in Collegiis Clericorum in communi viventium. Tum vero Monachi iidem, aut Clerici, cum suas Ecclesias Sanctorum reliquiis decorarent, & quotidianas ibidem ad Deum funderent orationes, occasionem dederunt piis fidelibus, ut identidem in iis sepulturas eligerent; & quidem facilius tunc, cum in Parochialibus Ecclesiis, in quibus unus tantum Sacerdos erat, aut perpauci, vix quotidiana sacra officia in universum peragi potuerunt. Hinc controversiæ emerserunt inter Parochos, & Monachorum, Clericorumve Collegia; obtinuit autem, ut etiam apud Monasteria, seu Monasteriorum Ecclesias eligi sepulturas liceret, can. 31. caus. 16. quæst. 1., abrogata disciplina canonis 1. eadem causa, & quæstione. Adeo pervaserat fidelium universorum animos persuasio de eligendi sepultura in iis Ecclesiis, in quibus quotidianæ funderentur ad Deum orationes, ut aliquando dubitaretur, an esset admittenda electio in Ecclesiis illis non Parochialibus, in quibus assidua non esset populi, ac præsertim Clericorum oratio, cap. 3. & 10. de sepulturis, ac definivit Bonifacius VIII., eam electionen esse admittendam, cap. 2. §. *Si quis* de sepulturis in 6.. Nunc facile intelliguntur verba illa Bonifacii VIII. *in loco minus religioso*, non enim ajebat ipse, extra locum religiosum sepulturam eligi posse, sed tantum in loco religioso, sive maxime religiosus esset, in quo quotidianæ preces fierent, sive *minus* religiosus, id est, Deo quidem sacer, sed quotidianis precibus minime frequens; intelliguntur præterea illa verba: *licet jura super hoc videantur esse diversa*, quæ referuntur ad memoratas veterum dubitationes. Adhuc tamen in hac re hodie observatur, ut distinguantur Ecclesiæ, seu Oratoria, quæ in sui institutione jus sepulchri excavandi habuerunt, ab iis, quæ eo jure carent: etenim in prioribus libere quidem licet sepulturam eligere, & quidem faciendam in tumulis ad id destinatis, non in posterioribus; immo ne in prioribus quidem extra tumulos ad id destinatos, nisi ecclesiastici Superioris consensus accesserit. Itaque hodie hoc jure utimur, ut regulariter unusquisque in Ecclesia Parochiali tumuletur, aut in aliis Ecclesiis, in quibus tamen sepultura vel expresse, vel tacite electa fuerit.

Utque in primis generalem disciplinam expendam, juxta quam, seclusa electione, quis est in Parochiali Ecclesia tumulandus, cap. 3. de sepultur. in 6., Clement. 2. eod. tit., dico nomine Ecclesiæ Parochialis eam Ecclesiam intelligi, in qua quis Sacramenta, dum viveret, suscipiebat; illa inquam Sacramenta, in quibus administrandis Parochiale jus exercetur; unde colligitur, domicilium potius, quam originem attendendam esse, adeo ut qui duplex domicilium diversis temporibus contraxerit, is in ea se-

clesia tumuletur, in cujus finibus mortuus fuerit; immo etsi tantum ex accidenti extra Parochiæ fines quis moriatur, si commode nequeat ad Parochialem Ecclesiam transferri, in ea Ecclesia, in cujus finibus decesserit, sepeliatur, dicto cap. 3. de sepultur. in 6.. Colligitur præterea, eum, qui in finibus quidem certæ Parochiæ degit, singulari tamen jure alium habet Sacerdotem constitutum, a quo Parochiali fere jure Sacramenta suscipiat in aliqua Ecclesia a Parochiali distincta, non in Parochiali, sed in altera Ecclesia sepeliendum esse. Hujusmodi sunt Episcopus, & Canonici Cathedralis Ecclesiæ, quorum respectu, etsi degant extra Cathedralis Ecclesiæ fines, Cathedralis Ecclesia habetur pro Parochiali. Hujusmodi quoque sunt Canonici Collegiatarum Ecclesiarum, & beneficiarii titulo perpetuo aliis Ecclesiis adscripti, & in eisdem Ecclesiis residentes; atque inservientes, & Sacramenta illa, quorum collatio inter jura Parochialia recensetur, percipientes; sunt enim isti in Ecclesia beneficii tumulandi. Hujusmodi sunt Sanctimoniales, & Monachi, etiam si Novitii adhuc sint, & quicumque sub obedientia Prælati Regularis intra claustra degunt, & Sacramenta a Parochis petere non tenentur. Non tamen idipsum dicendum est de confratribus laicorum Sodalitiorum, qui jure ordinario, seu seclusa electione, minime sepeliuntur in Ecclesia Sodalitii, etiam si jure sepulchri eadem Ecclesia gaudeat; cum diversa sint ista, habere jus sepulchri excavandi, & habere jus ordinarium sepeliendi.

Paucis explicavi generalem disciplinam; expendam modo, quid juris obtineat, ubi quis voluntate sua ab eadem generali disciplina recesserit, sive extra Parochialem Ecclesiam sibi sepulturam elegerit. Parendum sane erit in hac parte voluntati defuncti, dummodo locus religiosus sit, & talis, in quo juxta regulas superius traditas sepulturæ electio fieri potest. Duplex autem est sepulturæ electio, alia tacita, alia expressa. Tacita est, quoties nihil de loco sepulturæ a defuncto dictum olim specialiter fuit, sed locus quidam est a defuncti majoribus pro se, & descendentibus designatus, quod vulgo appellatur sepulchrum majorum, seu familiare. Etenim unusquisque præsumitur, velle se apud majorum cadavera tumulari, ubi majores id voluntate sua declaraverint, can. 2. caus. 13. quæst. 2., cap. 1. & 3. de sepultur.; non sane quod sufficiat, majores aliquo in loco tumulatos esse, sed requiritur, ut majores locum illum pro se, & suis designaverint; quia solum Parentum factum sine ea declaratione voluntatis præsumptionem quamdam induceret in descendentibus, sed hæc ipsa præsumptio facile elideretur alia præsumptione, qua quis creditur tumulari se velle in ea Ecclesia, in qua Sacramenta perciperet; atque hæc secunda præsumptio non cessat, nisi aliæ concurrant graviores conjecturæ, qualis est declaratio paternæ voluntatis facto conjuncta. Itaque illud dicitur majorum, sive familiare sepulchrum, vel quod jamdudum ascendentes, vel etiam quod primum Pater designaverit, dummodo in prima specie majores, præsertim designantes, sepulti ibidem fuerint, & in secunda specie Pater designans ibidem fuerit depositus, argumento dicti canonis 2. caus. 13. quæst. 2.. Uxorem quidem binubam in conspectu duplicis sepulchri familiaris, id est, et primi, & secundi mariti, sepeliendam esse in sepulchro secundi, ubi specialis non obstet, & expressa ejusdem voluntas, definitum apertissime deprehendimus, cap. 3. §. ult. de sepultur. in 6.. Sed utrobi mulier nupta duplex habens jus familiaris sepulchri, quorum alterum paternum sit, alterum mariti, sepelienda sit, expresse definitum non invenio. Verum ex citato cap. 3. juvat argumentum ducere, & concludere, in sepulchro mariti tumulandam esse. Æque mulier nupta dicitur esse in familia Patris, atque in famili mariti, l. 195. §. ult., & l. 196. ff. de verbor. signific., eamque ob rem ubi agitur de paternis, aut ma-

ritalibus juribus, ac privilegiis, quæ cumulari facile possint, uxorem utrisque gaudere recipitur. At in jure sepulchri quod individuum est, & ubi unum competat, alterum cessare necesse est, id vigere non potest; proindeque inquirendum, utra prævaleat familia, patrisne, an mariti. Verum enim vero mulier nupta præter quamquod in familia mariti est, mariti præterea honorem servat, & domicilium retinet, quod utrumque respectu paternæ familiæ verum non est. Ergo juxta sententiam dicti capituli 3. in fine de sepultur. in 6. uxor erit potius in sepulchro mariti, insuper habito paterno, tumulanda. Adde his canonem 2. & 3. caus. 13. quæst. 2.. Nec quisquam in contrarium opponat capitulum 7. de sepultur., ubi traditur, uxorem in hac re a lege viri esse solutam. Etenim hæc ratio eo tantummodo spectat, ut concedatur uxori libera sepulchri eligendi facultas, quin maritus ad certum eligendum sepulturæ locum eam possit adigere. Secus enim dicendum esset, ne consistere quidem Bonifacii VIII. definitionem, dum in dicto cap. 3. certam haberi voluit maritalis sepulchri rationem. Expressa sepulturæ electio definitur actus ultimæ voluntatis minus solemnis. Quod minus solemnem dico, remissam intelligo in hac re juris publici formam, quæ in cæteris ultimarum voluntatum speciebus desideratur. Hinc est quod nec numerus testium, nec scriptura jure ordinario, & communi requiratur, nisi in certis Provinciis quidquam singulare constitutum adpareat, non solemnitatis, sed probationis causa, cum passim receptum sit, sufficere, ut de ultima ea voluntate constet. Eadem ratione non solum definiendum fuit, ut uxor, licet subjecta potestati viri, quæ maritalis potestas ultimis condendis elogiis minime obest, sed etiam ut filius, vel filiafamilias, licet subjecti patriæ potestati valeant pro se sepulturam eligere, quamquam alias suprema elogia condere nequeant, cap. 7. de sepultur., cap. 4. eod. tit. in 6., non enim patria potestas in hac parte observatur: cujus rei argumento est etiam, quod facultas jure publico patri data pupillariter substituendi liberis in potestate constitutis minime suffragetur patri sepulturam pro filio impubere electuro, nisi id singularis alicujus loci consuetudo moribus comprobata induxerit, dicto cap. 4. de sepultur. in 6., eove minus suffragetur patri, vel matri facultas substituendi quasi pupillariter filiis amentibus, aut furiosis, electuris pro eisdem sepulturam. Quod autem dico, esse electionem actum ultimæ voluntatis intelligo, primo ab alio faciendam non esse, nisi ab eo, qui declarare voluntatem suam vel facto, vel lege possit. Lege voluntate carere dicuntur Monachi, & impuberes etiam proximi pubertati, quibus propterea sepulturæ electio non permittitur, cap. 4. ult. de sepultur. in 6.. Facto voluntatem declarare nequeunt, qui consentire natura non possunt, uti sunt amentes, furiosi, & impuberes septennio minores. Secundo intelligo, electionem sepulturæ liberam omnino esse debere, nec aliquem posse induci ad vovendum, jurandum, vel alias promittendum, ut certa in Ecclesia sepulturam eligat, contra inducentes in dicta gravissima excommunicationis pœna in specie Clementinæ 3. de pœnis, juncto cap. 7. de pactis, & cap. 1. de sepult. in 6.. Tertio intelligo, liberum esse ei, qui semel sepulturam in certo loco elegit, voluntatem mutare, & in alio loco eligere, ita postulante natura ultimarum voluntatum, dicto cap. 1. de sepulturis in 6..

Jam vero generalia quædam subjiciamus de jure Parochorum respectu oblationum, quæ vel a defuncto factæ fuerunt, vel a defuncti hæredibus fiunt. Certum in primis est, nullas iniri pactiones posse a Clericis pro sepultura. Si enim vel apud Æthnicos pœna violatæ religionis tenebatur, sive pœna sacrilegii, qui res religiosas vendidisset, *l.* 1. cod. de sepulchro violato; potiore jure id locum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

inveniet apud Viros Ecclesiasticos, quando apud ipsos sepulchra non religiosorum tantum, sed & sacrorum jure haberi cœperunt. Sacri canones decreverunt, hujus generis conventiones & simoniacas esse, & simoniæ pœnis subjacere, cap. 8. 9. 41. de simonia, & cap. 14. de sepultur.. Cæterum non inde improbandæ erunt fidelium liberalitates, quæ pie, ac religiose sponte in Ecclesias conferuntur; neque legitimæ consuetudines, quibus fere ubique receptum est, ut certa occasione funeris fiant præstationes gratia Parochorum, aliorumve Ecclesiæ administratorum, cap. 2. & 3. de sepultur., cap. 42. de simonia, cedunt enim istæ obventiones in locum alimentorum, quæ sacris administris jure etiam divino debentur. Illud commune est universis Ecclesiis, ut si a morientibus quodcumque occasione funeris relinquatur, ipsis adquiratur. Sed in ipso etiam jure communi duo præcipua gratia Episcopalium, & Parochialium Ecclesiarum, sive gratia Episcoporum, & Parochorum constituta sunt, quæ appellantur, vel quarta Episcopalis, vel quarta Parochialis, in quorum jurium conspectu fit, ut quoties oblationes fiant una cum funere in Ecclesia Cathedrali penes Episcopum, quidquid Episcopo oblatum est, totum Episcopo adquiratur; quoties fiant oblationes una cum funere in Ecclesia Parochiali, non totum Parocho cedat, sed habenda sit ratio quartæ Episcopo debitæ, quoties denique fiant oblationes una cum funere in Ecclesiis minoribus extra Parochialem, non totum Ecclesiis eisdem minoribus cedat, sed habenda sit ratio & quartæ Episcopalis, & quartæ Parochialis. De utraque quarta, seu Episcopali, seu Parochiali aliter disseruerunt veteres, aut etiam ex recentioribus illi, qui veterum traditionibus adhæserunt, aliter sequioris ætatis Interpretes, qui præsertim studuerunt, ut juris civilis Romani definitiones rebus ecclesiasticis, quicumque tandem esset modus, sine discrimine accommodarent. Germana iterpretatio canonum, quibus quarta Episcopalis adstruitur, illa nimirum quarta, quæ modo appellatur: *quarta mortuariorum*, modo *propria Episcopi portio* in cap. 16. de offic. jud. ordin., in cap. 4. de præscription., in cap. 14. & 15. de testament., hæc est. Videlicet apud veteres obtinebat, ut ex ecclesiasticis redditibus, ut plurimum ex oblationibus fidelium redactis, quatuor fierent portiones, quarum una Episcopo, altera Clericis, tertia fabricis templorum, quarta peregrinis, & pauperibus cederet. Atque his regulis administrabant peculia universa Ecclesiarum Episcopi, vel Episcoporum mandato Diaconi, aut Œconomi, quando in communi possidebantur peculia ecclesiastica, & ex Episcoporum distributione partitionem accipiebant. Successu temporum factum est, ut singulis Ecclesiarum administris, ac præsertim Parochis administranda relinquerentur bona Ecclesiarum, sive quæ ex prædis redigebantur, sive quæ ex oblationibus fidelium percipiebantur. In his adjunctis, officium Parochorum, & eorum, qui in inferioribus Ecclesiis merebant, & bona administrabant Ecclesiarum, erat, ut portionem sibi debitam manu sua caperent, vindicarent, suis usibus applicarent; item caperent ipsi alteram partem, in fabricas, & sacrarum ædium restaurationes impendendam; tertio partirentur etiam ipsi inter Clericos adjutores suos aliam partem. Sed quæ supererat portio Episcopalis, integra Episcopo remanebat, quam propterea debuerunt ad Episcopum mittere. En germanam quartæ Episcopalis originem, & formam, in qua nimirum servandum erat vestigium veteris disciplinæ, quo primum fieret, ut certus honos Episcopo olim jurium Ecclesiæ universorum administratori reservaretur; deinde ut nulla fraus admitteretur adversus jura Episcoporum, qui & suam partem ex obventionibus ecclesiasticis in tota diœcesi vindicabant. Plura ex his consectaria deducuntur. Primum est, neminem exinde mirari oportere, si in sacris cano-

nibus portio illa Episcopalis ut plurimum quidem quarta appelletur, sed aliquando appelletur etiam tertia, aut alia quæcumque virilis portio pro variis usibus Ecclesiarum, dicto cap. 15. de testamentis in principio. Plerumque, inquam, appellatur quarta, quia divisio bonorum Ecclesiæ in quatuor partes facienda, erat plerumque recepta. Sed quia alicubi obtinuit, ut reddituum ecclesiasticorum tres tantum partes fierent, vel aliæ viriles, quia forte Episcopus in suam fidem receperat tuitionem sacrarum ædium, aut pauperum, peregrinorumque curam, ita obtinuit, ut Episcopo non quarta, sed tertia, aut alia virilis portio concederetur, uti vigebat in Hispania, Concilio Toletano IV. cap. 33., Toletano IX. cap. 6., Toletano XVI. cap. 5., can. 10. caus. 10. quæst. 1., aliquando etiam in Gallia, can. 7. & 8. caus. 10. quæst. 1.. Secundum consectarium est, quartam istam portionem Episcopis debitam non pendi debuisse ab iis, qui in Parochiales, aliasve minores Ecclesias oblationes conferebant, sed pendi debuisse a Parochis, aut ab aliarum minorum Ecclesiarum administris, ad quorum manus oblationes fidelium devenissent. Tertium consectarium est, huic quartæ Episcopali nihil potuisse detrahi, ne ex voluntate quidem illorum, qui oblationes in Parochos, aliosve administros inferiores Ecclesiarum contulissent. Hæc enim quarta portio in jure publico fundamentum habebat, tunc positum, cum divisa fuerant jura Cathedralium abs juribus Ecclesiarum inferiorum, quod jus publicum evertere privati non poterant. Tantum exceptio erat in ea specie, in qua quidam testamento suo certa bona contulisset in Ecclesias inferiores, prohibens, ne Episcopus quidquam ex iis attingeret, alias tamen compensandi animo quidquam veluti præcipuum habendum Episcopo, seu Ecclesiæ Cathedrali relinqueret, non tamen adeo modicum, ut fraus fieri Episcopalibus juribus videretur, cap. 14. de testamentis. Huc pertinet capitulum 15. eod. tit., ubi Innocentius III. primum ait, ubi testator pro anima sua in ultima voluntate quædam legaverit, legata ipsa esse inter Episcopum, & Ecclesiam dividenda, modo quarta, modo alia portione pro variis Ecclesiarum usibus Episcopo adsignata. Deinde quatuor fingit species. Prima est illius, qui simpliciter aliquid Episcopo leget: secunda est illius, qui simpliciter leget aliquid Ecclesiæ: tertia est illius, qui conjunctim certam rem leget & Episcopo, & Ecclesiæ: quarta est illius, qui & Episcopo, & Ecclesiæ bona relinquat, sed factis partibus, ut certa res Episcopo, certa res Ecclesiæ addicatur. In prima specie, ubi quidquam Episcopo legetur, distinguendum ait inter legatum relictum a propinquo Episcopi, & legatum relictum ab extraneo. Si propinquus Episcopi aliquid simpliciter Episcopo leget, præsumitur reliquisse personæ, & quando id tanquam peculium ecclesiasticum dici non potest, nihil inde juris in Ecclesiam derivatur, sed totum, quantumcumque est, liberæ Episcopi dispositioni relinquitur, nisi aliam fuisse voluntatem testatoris demonstretur; tunc enim haberetur, ac si legatum ab extraneo fuisset. Si extraneus aliquid Episcopo leget, præsumitur relictum intuitu Ecclesiæ. Et tum & suam portionem habebit Episcopus, & suam portionem Cathedralis Ecclesia; nisi tamen testator expresse dixisset, se velle solidum legatum penes Episcopum remanere; tunc enim adamussim voluntas testatoris esset custodienda. In secunda specie, quum testator simpliciter Ecclesiæ legatum relinquit, Ecclesia ipsa legatum vindicabit, salva Episcopali portione, quæ semper Episcopo addicetur, etiam si testator eam addici Episcopo expresse prohibuerit. Quod si quæras, cur in prima specie pareatur voluntati testatoris prohibentis, ne Cathedralis Ecclesia portionem sumat de legato relicto Episcopo; at in hac secunda specie testatoris volun-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ras negligatur, responsio in promptu est: nimirum in prima specie res reducitur ad suam originem, atque principia; etenim olim, uti superius dictum est, in administratione Episcopi omnia Ecclesiarum bona consistebant: alias autem facilis est uniuscujusque rei ad sua principia regressus. At in altera specie longius receditur ab institutionibus pristinis jurium ecclesiasticorum, & omnino excluditur administratio Episcopalis olim amplissima, atque hoc est, quod ibidem ait Innocentius III., *privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare.* In tertia specie, quoties conjunctim testator certam rem & Ecclesiæ, & Episcopo legat, plana res est, divisionem inter Episcopum, & Ecclesiam esse faciendam juxta mores uniuscujusque Ecclesiæ; id est, modo tertiam, modo quartam, modo aliam virilem portionem, prout usu receptum fuerit, Episcopo adsignando, cæteris partibus Ecclesiæ addictis. In quarta specie, quoties pro diviso, id est, factis partibus, & Episcopo & Ecclesiæ quidquam legatum fuerit, distinguendum voluit Innocentius casum, quo testator nomine Ecclesiæ Cathedralem, & casum, quo testator nomine Ecclesiæ aliam inferiorem Ecclesiam designaverit. Ista plane distinctio, meo judicio, etiam opportuna fuisset in secunda, atque in tertia specie. Quamobrem cum ibidem omissa fuerit ab Innocentio, congruum est, ut ex hac postrema specie, quod deest prioribus, suppleatur, & ea omnia, quæ postremo hoc loco traduntur, servata rerum proportione, præcedentibus accommodentur. Itaque ex doctrina Innocentii si testator factis partibus quædam reliquerit & Episcopo, & Ecclesiæ Cathedrali, quæcumque facta fuerit a testatore divisio inter Episcopum, & Ecclesiam, semper erit canonica portio facienda, insuper habita ea divisione. Quod tamen ita intelligendum est, ut hæc cohæreant principiis superius jactis ab Innocentio, id est, tum demum divisio a testatore facta non attendatur, quoties Episcopali portioni ingeratur detrimentum; non vero si Cathedralis Ecclesiæ portio fuerit voluntate testatoris imminuta. Quod si testator partibus factis quædam reliquerit Episcopo, quædam Ecclesiis inferioribus, dummodo fraus absit adversus quartam Episcopalem, quod relictum erit inferioribus Ecclesiis, solidum ab eisdem Ecclesiis vindicabitur, & quod relictum erit Episcopo, erit Cathedrali Ecclesiæ vindicandum, habita ratione portionis canonicæ, quæ Episcopo competit; id est, id cedet beneficio Cathedralis Ecclesiæ, a qua deinde portionem suam canonicam Episcopus postulabit. Paucis investigemus utriusque definitionis rationes, & causas. In primo casu ubi factis partibus & Cathedrali Ecclesiæ, & Episcopo legatum est, duo sunt legata. Quamobrem fieret, ut & Ecclesia Cathedralis ad partem legati facti Episcopo admitteretur, & e converso Episcopus ad partem legati facti Cathedrali Ecclesiæ, si testatoris voluntas custodiretur: ad hoc quid aliud esset, quam legata ipsa esse inter Cathedralem Ecclesiam, & Episcopum communicanda, servata inter utrumque canonica portione? In secundo casu, ubi factis partibus minoribus Ecclesiis, & Episcopo quidquam legatum est, portio Ecclesiis relicta integra Ecclesiis cedet, quin Episcopus canonicam portionem exinde petat, quia alia portio relicta Episcopo censetur relicta animo compensandi; quod, ubi fraus nulla sit, facile admittitur, cap. 14. de testamentis. Portio autem relicta Episcopo communicanda erit ab Episcopo cum Ecclesia Cathedrali juxta canonicas portiones, quia legatum Episcopo relictum censetur etiam relictum gratia Ecclesiæ Cathedralis, uti Innocentius initio capituli observat. Quid vero est, quod ad adnotandum discrimen intercedens inter Ecclesiam Cathedralem, & inter alias Ecclesias inferiores, subjicitur ab Innocentio: *Quoniam non est tanta communio inter Episcopum, & inter Cappellas, & Mo-*

nasteria, seu alia pia loca, quanta est inter Episcopum, & Ecclesiam Cathedralem, cui est spirituali conjugio copulatus, unde quæ adquirit Episcopus, non illis, sed isti tantum adquirit? Num exinde deducetur, non unam esse Cathedralem Ecclesiam cum diœcesanis, non æqualem esse Episcopalem erga universas diœcesanas Ecclesias sollicitudinem? Sano modo hæc sunt intelligenda, & adjunctis Episcopalis administrationis accommodanda. Scilicet, uti superius dictum est, olim bona universa Ecclesiarum etiam extra Civitatem erectarum, item bona Ecclesiastica Clericorum etiam extra Civitatem consistentium Episcopus administrabat. Paulatim factum est, ut in vicis, & pagis administri in minoribus Ecclesiis constituti liberam administrationem haberent, certis tantum juribus Episcoporum gratia remanentibus. In Ecclesiis Cathedralibus non adeo dimiserunt Episcopi eam amplissimam facultatem, unde major conjunctio, quod ad administrationem bonorum attinet, dici cœpit existere inter Episcopum, & Cathedralem Ecclesiam, quam existeret inter Episcopum, & Ecclesias minores. Quartum consectarium est, portionem illam canonicam Episcopalem non tam Episcoporum, quam Cathedralium Ecclesiarum gratia fuisse constitutam; quod evidenter deducitur ex hucusque explicato cap. 15. de testam. ubi frequentissime fit mentio portionis inter Episcopum, & Cathedralem Ecclesiam communicandæ. Revera, cum erectis Parochiis, aliisque Ecclesiis inferioribus, nihilominus olim reddituum Ecclesiasticorum administratio ad Episcopum devolvebatur, id non tam in favorem Episcopi cedebat, quam in favorem Cathedralium Ecclesiarum, & Clericorum in Cathedralibus Ecclesiis administrantium; siquidem diœcesanas oblationes universas Episcopus impendebat etiam in sarta tecta tuenda Cathedralis Ecclesiæ ædificia, & in alendos Ecclesiæ Cathedralis administros. Quidni igitur quarta Episcopalis portio relicta in vestigium veteris illius administrationis etiam cedat beneficio Cathedralis Ecclesiæ, & Ministrorum ibidem merentium? Hæc tamen in rerum partitione usus Ecclesiarum semper est attendendus. Quintum consectarium est, non tantum privilegio Apostolico eximi posse a solvenda quarta Episcopalis inferiores Ecclesias, cap. 14. de testament., sed etiam Episcopi ejusdem consensione, sive expresse, sive tacite posse remitti, argumento dicti capituli 14. & 15. vers. *Si vero* de testamentis; etenim versatur ibidem favor Episcoporum, cui libere Ecclesiarum minorum gratia valent renuntiare. Jam olim renuntiaverunt Episcopi administrationi reddituum Ecclesiasticorum, quæ sibi solis competebat in universum, & in tota diœcesi. Ad suam, Cathedrialiumque Ecclesiarum necessitatem sibi reservaverunt quartas easdem portiones. Cur non, cessante & sui, & Cathedralis Ecclesiæ necessitate, aut contrarium postulante graviore necessitate Ecclesiarum, Clericorumque minorum, etiam jus illud quartæ renuntiare poterunt? Adeo hoc verum est, ut ex frequentibus non solum Pontificum Maximorum privilegiis, quibus nonnullæ Ecclesiæ, præsertim Monasteria, aut loca religiosa, exemptæ fuerunt a præstatione quartæ Episcopalis, verum etiam ex renuntiationibus Episcoporum, sive expressis, quotiescumque casus emergeret, sive tacitis, quales intelliguntur in consuetudine, aut præscriptione, illud quartæ Episcopalis jus fere ubique exolverit, cui abolendo occasionem præbuit locupletatio Ecclesiarum Cathedralium, & Mensarum Episcopalium, quæ propterea inferiorum Ecclesiarum, ac Clericorum subsidiis non amplius indiguerunt.

Jus quartæ Parochialis exemplo quidem quartæ Episcopalis fuit inductum, non tamen eisdem principiis innitebatur, neque enim inniti poterat; eamque ob rem obtinuit, ut in quarta Parochiali alia sint observanda ab iis, quæ respectu quartæ Episcopalis observabimus. Finge enim vero Ecclesiis minoribus in Pa-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

rochiæ finibus constitutis aliquid fuisse ultima voluntate relictum. Ex eo sane quarta Episcopo debebatur, non altera erat quarta portio favore Parochi detrahenda; quod recipiendum fuit non solum ex æquitate, quia incivile fuisset, Ecclesias illas duplicis quartæ præstatione gravari, verum etiam jure stricto, & summo. Etenim in primis inferiores Ecclesiæ, utut intra Parochiæ limites constitutæ, non fuerunt commendatæ potestati, & curæ Parochorum, sed remanserunt omnes sub cura, & potestate Episcoporum; ita ut, quemadmodum ex mandatis Episcoporum Parochi in Parochialibus Ecclesiis Parochialia munera exercebant, sic Sacerdotes in aliis Ecclesiis ex mandatis Episcoporum administrantes certa etiam officia, aut mere Sacerdotalia, aut alia etiam specialiter sibi commissa, gererent sub regimine Episcoporum. Secundo, nunquam bona Ecclesiarum inferiorum ad Parochorum manus devenerunt, quemadmodum ad manum, & dispensationem Episcopi olim deveniebant bona universarum Ecclesiarum in diœcesi constitutarum. Ex quibus argumentis facile colligitur, sicut quartæ Episcopales in universali Episcoporum cura in Ecclesias omnes Diœcesanas, & antiqua administratione bonorum ad Ecclesias omnes Diœcesanas pertinentium fundamentum habuerunt, & causas; ita ex eo, quod Parochi, seu cura Ecclesiarum in Parochiæ limitibus sitarum, seu administratione bonorum ad eas Ecclesias pertinentium destituerentur, non potuisse simile jus quartæ asserere sibi, ac vindicare. Cæterum similitudine quædam facta blandiri sibi Parochi facile potuerunt. Noverant ipsi, quartas Episcopales etiam in eo collocatum fundamentum habuisse, quod bona Ecclesiarum in quatuor partes tribuerentur olim, quarum prima adsignaretur Episcopo ob eminentem in eo dignitatem, & officium regendarum animarum; secunda adsignaretur Clericis Episcoporum in ministerio adjuvantibus; tertia fabricis; quarta Peregrinis, & pauperibus. Quibus positis, concludebant, se in Parochiæ finibus præcipuas gerere vices in regimine animarum, & veluti præstantiores esse, quasi Episcopum repræsentantes; satis propterea consuli Ecclesiarum minorum, & Clericorum ibidem ministrantium utilitati, ac ministerio in pauperes, ac peregrinos exercendo, si tres quartæ oblationum in inferiores Ecclesias, & Clericos collatarum eisdem Ecclesiis, ac Clericis cederent; quarta autem sibi, & Parochialibus Ecclesiis reservaretur. Hæc animis observabant Parochi, atque in ea obtinenda jura exemplo Episcoporum conabantur. Cumque hæc argumenta specie quadam non carerent, obtinuit, ut certa quarta portio Parochis cederet exemplo quartæ Episcopalis occasione funerum persolvenda, non vero similitudinem omnigenam eadem quarta portio haberet cum quarta Episcopali. Igitur exemplo in primis quartæ Episcopalis inducta est quarta Parochialis. Ex hoc principio deducitur, primo non semper portionem Parochialem esse quartam, sed modo tertiam, modo dimidiam, modo etiam aliam virilem partem, *prout fert regionis consuetudo* cap. 9. de sepultur., siquidem & idipsum obtinet in quarta Episcopali, uti diximus; appellatur autem *quarta* Parochialis, ex eo quod ut plurimum quarta portio esse soleat. Deducitur secundo eam portionem deberi Ecclesiæ Parochiali, seu Parocho bonorum Parochialis Ecclesiæ administratori ob regimen animarum, quod Parocho incumbit eodem modo, quo quarta Episcopalis debebatur Cathedrali Ecclesiæ, vel Episcopo; adeo ut, si quis in duplici Parochia æque domicilium per varias temporum vices constituerit, eadem canonica portio sit inter ipsas duas Parochias dividenda, quasi æquali jure Parochus uterque concurrat, cap. 2. de sepultur. in 6.. Non repugnat autem, aliquando jus quartæ Parochialis non Parochiali, sed Cathedrali Ecclesiæ ex singulari statuto per-

solvi. Quid enim, si ex. gr. dismembratione facta ab Ecclesia Cathedrali Parochialis Ecclesia erecta fuerit, adjecta lege, ut quarta funerum ad Cathedralem Ecclesiam perpetuo pertineret? Id probavisse videntur Tridentini Antistites in sess. 25. de Ref. cap. 13.. Si enim Episcopi quartam Episcopalem gratia Parochialium Ecclesiarum cedere potuerunt, cur cedere Parochi, aut sibi reservare Episcopi non potuerunt singularibus editis statutis quartam Parochialem? Deducitur tertio, quartam luendam esse tum demum, cum quis in minore Eccclesia extra Parochialem tumulatur, cap. 1. 4. 8. & 10. de sepult., Clement. 3. 2. eod. tit., Concilio Tridentino sess. 25. de Ref. cap. 13., eodem fere modo, quo quarta Episcopalis debebatur Episcopo, seu Cathedrali Ecclesiæ, cum quid minoribus Ecclesiis legaretur. Nam, si quis in Parochiali Ecclesia tumuletur, frustra de quarta quæreretur, cum totum Parocho, & Ecclesiæ Parochiali cedat. Quarto deducitur, adimi non posse eam quartam voluntate testatorum, aut hæredum, quemadmodum nec voluntate testatorum adimi poterat quarta Episcopalis, cum sit utraque quarta jure publico constituta, atque firmata. Dixi secundo loco, non omnigenam esse inter utramque quartam similitudinem, protereaquod utriusque non eadem sint omnino, & ex omni parte principia. Hinc primo deducitur, quartam Parochialem peti ab hærede defuncti, non ab Ecclesia, in qua facta fuerit sepultura, licet quarta Episcopalis debeatur ab Ecclesiis legatariis, cap. 14. & 15. de testament.. Cujus discriminis ratio ex eo petitur, quod quarta Episcopalis fundamentum habet in debito Ecclesiarum minorum erga Episcopum, & Catedralem Ecclesiam; proindeque in Ecclesias ipsas subjectas obligationem inducit. At quarta Parochialis tale fundamentum habere non potest, cum similem potestatem in inferiores Ecclesias Parochus non habeat. Potius ista fundamentum habet in administratione Sacramentorum, quæ cum Parochiani a Parocho jure petant, atque suscipiant, tenentur ipsi, prout fert consuetudo, Parocho oblationes elargiri, & dum liberales in alias Ecclesias esse possunt, ac volunt, quamdam saltem liberalitatis speciem in Parochialem Ecclesiam exhibere. Secundo deducitur, quamquam Episcopalis quarta detraheretur ex omnibus piis legatis, non ex iis tamen detrahi quartam Parochialem. Tantum deducitur ista ex oblationibus causa funeris factis non ex aliis piis legatis, qualia essent causa anniversarii celebrandi, Missarum offerendarum, construendæ, vel ornandæ Ecclesiæ, & similia. Hujus discriminis ratio facile ex iis colligitur, quæ hucusque dicta fuerunt. Quamobrem ego non de Episcopali, sed de Parochiali quarta intelligo capitulum ultimum de testamentis, quamquam enim in illis verbis *Episcopus, seu Parochialis Ecclesia* videatur vel de Episcopo, vel de Parocho quartam petente sermo fieri, ubi tamen Episcopi mentio fit, id non est intelligendum de Episcopo suam quartam, quæ Episcopalis dicitur, vindicaturo, sed ne Episcopo jura Parochialis Ecclesiæ in quarta Parochiali petenda tuituro, uti indicat particula *seu* ibidem adjecta, qua quid auctor rescripti senserit, explicatur. Cæterum quartam Episcopalem ex omnibus legatis piis detrahi, manifeste liquet ex cap. 15. de testamentis, & ex cap. 31. de verb. signif., ac sine manifesta antynomia dictum capitulum ultimum ad quartam etiam Episcopalem referri non posset. Igitur quarta Parochialis deducitur ex iis oblationibus, quæ vel ex defuncti voluntate, vel voluntate hæredis fiunt funeris occasione; occasione, inquam, funeris, cujus nomine intelligitur vel celebritas ducendi cadaveris, vel celebritas exequiarum, dum cadaver tumulatur, faciendarum. Immo etsi forte in fraudem juris Parochialis celebritas funeris in aliud tempus differatur, etiam ex oblationibus in clericos Ecclesiæ elec-

tæ collatis receptum est, quartam deduci; quamquam usu obtinuerit, ut non deducatur eadem portio ex oblationibus ex. gr. cerarum, quæ singulis Clericis ad exequias vocatis donantur. Num vero Ecclesiæ Parochiali minores, puta Monasteriorum, vel religiosorum locorum possint contra Parochum quartam præscribere, aut singulari jure non solvere, totum sibi vindicando, quod ab hæredibus defuncti donatur, disputatum invenio? Quartam Episcopalem præscriptioni obnoxiam fuisse definitum deprehendo in cap. 4. de præscription.. Cur non idem dicendum erit de quarta Parochiali, præsertim cum quarta Parochialis, uti superius observatum est, exemplo Episcopalis inducta fuerit, neque tot, tantisque juribus, quot, & quantis Episcopalis, confirmata? Quod si etiam quartæ Episcopali potuit singulari privilegio detrahi, cap. 14. de testamentis, cur non eadem ratione detrahi potest quartæ Parochiali? Hac tamen in re observanda erit constitutio Concilii Tridentini in cap. 13. sess. 25. de Ref., ubi decretum est, ut *quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta quarta funeralium solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocumque privilegio aliis Monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, persolvatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.* Huic decreto occasionem dederunt frequentissima privilegia, quæ allegabantur sæculo decimosexto a pluribus religiosis viris, & quæ adeo excreverant, ut vix invenirentur Ecclesiæ, aut loca religiosa, quæ immunia non forent a quartæ præstatione, unde Parochorum jura in hac parte penitus evertebantur. Itaque voluerunt primum Tridentini Antistites, ut, si quod privilegium allegaretur, illud esset impetratum jam ante annos quadraginta a tempore ejus decreti numerandos; secundo, ut per idem temporis spatium usi fuerint eodem privilegio, qui illud obtinuissent. Tradunt tamen Pragmatici, hoc decretum non pertinere ad Monasteria recentiore ætate constructa, & quæ ex iis sint, quæ Pontificia privilegia obtinuerint; quod ajunt ab Interpretibus Tridentini Concilii jamdiu fuisse definitum; quod ego tum demum verum puto, si utendo id privilegium vires suas exerat, non vero etiam si privilegium idem usu non fuerit confirmatum.

Hæc universa, quæ sive de Episcopali, sive de Parochiali quarta tradita sunt, puto me exigisse ad rectam atque germanam canonum doctrinam, optimum ducens abstinere ab iis argumentorum generibus, quibus in hac parte utuntur plures sequioris ætatis Interpretes, apud quos multa non sine stomacho leguntur a recta ratione aliena, adumbrata potius symbolis, & figuris, quæ asceticum hominem non dedecerent, nullo modo decent jureconsultum. Passim ita solent speciosis cavillationibus materiam propositam discutere. Cathedralis Ecclesia, aut Parochialis, quæ est veluti Cathedralis Ecclesiæ administra, veluti mater fidelium est, Episcopus, ac Parochus tanquam Pater; quod magis, magisque verum adparet ex eo, quod in Cathedrali, aut Parochiali Ecclesia ministerio vel Episcopi, vel Parochi in Sacramento Baptismatis regeneramur: in iis Sacramenta, quæ suscipimus, locum tenent alimentorum, quasi in spiritualem familiam apud Episcopum, aut Parochum fideles omnes coalescant. Dum hæc meditantur, respiciunt inde ad placita Legum Civilium Romanarum, quæ in parte leges illæ, aut legitimas, aut testamentarias successiones moderatæ fuerunt. In illis inveniunt, Patrem, ac Matrem filiis ab intestato succedere; ex testamento autem Parentibus legitimam quamdam portionem esse relinquendam, quæ ut plurimum triens juxta leges esse solet. Inde concludunt, ex his principiis ortam obligationem relinquendi quartam Episcopo, vel Parocho. Neque in hac re videntur sibi longe aberrasse a Pa-

trum Ecclesiasticorum veteribus traditionibus, quando sub nomine Augustini in can. 8. caus. 13. quæst. 2. traditum invenerunt, Christum, quasi unum ex filiis, jure institui hæredem posse. Nonnulli etiam similiter adjecerunt, Ecclesias omnes in diœcesi sitas duplicis generis esse: aliæ enim sunt majores, istasque vocant matres, sive matrices, quales appellant Cathedralem, & Parochialem: aliæ minores, istasque vocant filias, sive filiales, quales appellant cæteras Ecclesias in Parochiarum limitibus constitutas. Sicut autem prosequuntur, filiales Ecclesiæ certum honorem debent in matrices impendere, ita & bonorum sibi relictorum quartam debent, quasi legitimam portionem, matricibus dare. Adeo pervaserunt hujus generis argumenta multorum animos, ut aliquando legamus contigisse sequioribus sæculis, concessam fuisse inofficiosi querelam adversus testamenta illorum, qui nihil Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ reliquissent; aliquando etiam Episcopos sibi adseruisse facultatem reformandi testamenta defunctorum, ut ipsi manu sua legata Ecclesiis Cathedralibus, vel Parochialibus adscriberent, ut ea ratione defectum testamentorum supplerent, aut condendi ex integro testamento pro defunctis, si qui sine scripto testamento decessissent, ut adpareret, quid, quantumque Ecclesiis, aut Cathedrali, aut Parochiali in hæreditatibus defunctorum esset obventurum. Hæc, & similia absurda evenire solent, ubi res ad germana principia non exiguntur, sed rudibus quibusdam effictis imaginibus adumbrantur.

CAPUT IV.

De Officiis, ac Ministeriis, quibus Parochi cum publica utilitate fideles suæ curæ commendatos regere valeant.

SUnt quædam in Ecclesiis officia, ac ministeria, quæ proprie ad jurisdictionem non pertinent, sive in foro interno, sive ex foro externo explicari jurisdictio dicatur, sed spectant potius publicum quemdam cultum sacrorum, & exteriorem curam, ut populus rite, recteque ad sacra dirigatur, aut sacris rebus præpararetur; item ad adjuvanda Episcoporum officia, quo Episcopi iidem commodius jurisdictionem suam etiam in foro externo valeant exercere. Multa ex his Officiis, ac Ministeriis partim ex expressa canonum sanctione, partim ex generali, aut quasi generali consuetudine Parochis commendata fuerunt. Quod ut paucis conficiam, observo in primis, inter obligationes Parochorum eam esse præcipuam, qua tenentur Parochi fideles in finibus Parochiæ degentes in fidei, morumque doctrina instituere singulis saltem diebus Dominicis, festisque solemnibus, Concilio Tridentino sess. 5. cap. 1., sess. 23. cap. 1. sess. 24. cap. 4. & 7. de Ref.. Quamobrem iidem Tridentini Antistites solliciti quam maxime fuerunt, ut moneretur populus, ne diebus eisdem a Parochiali Ecclesia abesset, sess. 22. de observandis in celebratione Missæ, dicta sess. 24. cap. 4., quod & firmius sanciebatur ex veterum canonum disciplina, can. 4. & 5. caus. 9. quæst. 2., cap. 2. de Parochiis. Quod si Parochus legitime sit impeditus, ne eam curam in se suspiciat, eadem sollicitudo alteri Sacerdoti, causa muneris illius in Parochiali Ecclesia obeundi, erit demandanda. Et quidem olim Parochi in suam fidem recipiebant, ut Sacerdotes in eo Ministerio adjutores sibi ipsis libere seligerent, etiam ex Regularibus,

Clement. 2. vers. *In Ecclesiis* de sepulturis. Verum Concilium Tridentinum hanc facultatem Parochis ademit, voluitque, ut, quoties per alium Sacerdotem obeundum sit hoc Ministerium, Sacerdos idem aut mandato, aut consensu Episcopi constituatur, dicto cap. 2. sess. 5., & dicto cap. 4. sess. 24. de Ref., quod duplici de causa opportunum fuit, statuere; primum, ne minus idonei Sacerdotes tanto implendo muneri addicerentur; deinde, ne facile Parochi, & sine causa tantum munus sibi commissum in alias personas transferrent.

Pertinet quoque ad curam Parochorum denuntiare dies festos ex Ecclesiæ præcepto observandos, dies jejuniorum, seu vigiliarum, palam facere nomina ordinandorum, illorumve, qui sunt matrimonia contracturi, ne ordines suscipiantur ab indignis, vel inidoneis, neve conjugia contrahantur ab iis, qui aliquo detinentur impedimento, cap. 3. de clandest. desponsat. Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. matrim. cap. 1., sess. 25. in decreto de delectu ciborum, sess. 23. de Ref. cap. 5., eademque ratione de mandato Episcopi publicare indulgentias, monitoria, rite inflictas excommunicationum sententias, eaque omnia, quæ interest Ecclesiasticæ utilitatis palam ad populi notitiam pervenire. Additur his, ad bonum Ecclesiarum regimen quam maxime expedire, ut Parochi juxta receptos mores codicum monumentis demandent collata baptismatis, & confirmationis Sacramenta, celebrata matrimonia, factas defunctorum sepulturas, & statum familiarum in Parochia degentium, consignantes distinctis libris nomina baptizatorum, eorumque, qui susceptorum officio in baptismate functi sunt, nomina confirmatorum, eorumque insuper, qui susceptores confirmati extiterunt, nomina conjugum, nomina defunctorum, ac denique nomina singulorum, quibus tenentur Sacramenta ex officio administrare; ut, quotiescumque opus sit, & prout res incidat, ad eosdem libros respici possit ad factorum notitiam hauriendam. Concilio Tridentino sess. 23. de Ref. cap. 1., sess. 24. de Reform. matrim. cap. 1. vers. *Habeat Parochus*, & cap. 2..

Clara sunt hæc, atque perspicua. Concitari controversiæ solent respectu loci sacri, aut religiosi, in quo Parochi rite possint suo munere fungi. Etenim in primis in Parochiali ipsa Ecclesia alii esse possunt Clerici certis exercendis officiis addicti, qui in eisdem officiis identidem Parochos excludunt. Possunt deinde esse in finibus Parochiarum aliæ Ecclesiæ constitutæ respectu quarum de jure Parochorum valde ambigi consuevit. Quæ ut accurate explicentur, juvabit secernere Parochiales ipsas Ecclesias ab aliis Ecclesiis, quæ sunt separatæ a Parochiali, utut intra Parochiæ limites constitutæ.

Ut de Parochialibus ipsis Ecclesiis primum dicam, munera Parochialia universa ab uno Parocho ibi gerentur, nec ab alio, nisi de Parochi consensu, ac voluntate; immo etsi ibidem Altaria plura sint constituta, & ad ea erecta sodalitia laicorum, præcipua cura sacrorum ad eumdem Parochum pertinebit. Quod si una cum Parocho alii Sacerdotes, sive Clerici in Ecclesia ipsa mereant, distinguere oportet inter casum, quo Parochialis Ecclesia etiam sit Collegiata, & casum, quo Parochialis Ecclesia sit simplex. Si Parochialis Ecclesia sit etiam Collegiata, Clerici Collegium componentes, sive Canonici Parochum excludent ab iis, quæ jura Collegiorum constituunt, nisi & ipse Parochus unus sit de Collegio, salvis tantum manentibus penes Parochum juribus, & oneribus Parochialibus; ubi vero de certis officiis agatur, quæ fere ad jura Parochialia accedunt, observandæ erunt uniuscujusque Ecclesiæ consuetudines, quæ, uti adnotatum initio fuit, hanc materiam dirigunt universam. Quod si Ecclesia Parochialis sit simplex destituta Collegio Clericorum, tunc Clerici in ea merentes, & titulo illius Ecclesiæ ordinati, aut quovis

modo eidem Ecclesiæ adscripti, habebuntur tanquam Parochorum adjutores, ita ut Ecclesiæ eidem inserviant, prout singulorum gradus, & ordo postulat, juxta tributionem munerum a Parocho faciendam, ne seditiosa sit, & in schisma prona ea Clericorum institutio, idque ad servandam unitatem, ac mutuam charitatem, sine qua nulla potest consistere universitas; optandumque semper erit, ut quemadmodum Parochi Clericos secum Ecclesiæ addictos uti fratres habere debent, atque collegas, ita & Clerici lubenter Parochum sibi præfectum adjuvent sine invidia, atque officiis prosequantur.

Respectu aliarum Ecclesiarum, quæ a Parochiali Ecclesia sejunctæ sunt, & in Parochiæ finibus sitæ, generaliter in primis observandum est, eas jurisdictioni Parochorum non dici obnoxias, sed ad unius Episcopi potestatem pertinere, can. 3. 4. 5. & 6. caus. 10. quæst. 1., ut enim ajebant Patres Aurelianenses in can. 10. caus. 16. quæst. 7.: *Omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum canonum regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cujus territorio positæ sunt.* Revera si quis causas, & finem erigendarum Parochiarum, constituendorumque Parochorum consideret, intuebitur statim, commissam fuisse Parochis animarum intra certos limites viventium curam, non vero res ipsas Ecclesiasticas extra Parochialem Ecclesiam consistentes commendatas; aliud autem est committi curam personarum, aliud rerum sollicitudinem commendari. Indico ego in hac re generalem disciplinam, a qua sane tum demum recedi poterit, cum aliter cautum fuerit Episcopali intercedente auctoritate in tabulis fundationum, vel cum aliud invexerit consuetudo legitima jurium Parochorum interpres. Itaque generaliter in iis Ecclesiis poterit quidem Parochus prohibere, ne ea peragantur, quæ inter jura proprie Parochialia recensentur, non poterit tamen in eisdem jura ipsa Parochialia, aut alia quæcumque exercere, invitis patronis, aut illis, quorum tutelæ, ac curæ sunt eædem Ecclesiæ commendatæ. Insuper Sacerdotibus non poterit prohibere, ne ibidem Sacerdotalia munera peragant; statim ac enim Episcopus Ecclesias illas tanquam loca sacra haberi voluit, in quibus sacra ministeria rite obirentur, qualem obicem ponere potest Parochus, ne Clerici ibidem suo ordine competentia officia explicent? Ea vero munera, quæ mere Sacerdotalia non sunt, & ex Pragmaticorum traditionibus prope ad jura Parachialia accedunt, tum demum etiam ab aliis Sacerdotibus, aut Clericis peragentur, cum Episcopus fecerit facultatem. Non semel contingit, ut in istis Ecclesiis certus Clericus Sacerdotali Ordini insignitus titulo perpetui beneficii per Episcopalem institutionem addicatur. Tum vero tria in controversiam venire possunt. Primum est, quænam jura sint Parocho in illam Ecclesiam. Alterum, quænam jura sint Parocho in Sacerdote ibidem constitutum. Postremum, quænam jura possint ab eodem Sacerdotem in ea Ecclesia explicari. Tabulæ fundationis, seu Ecclesiæ, seu beneficii erunt in primis observandæ, atque juxta eas omnis controversia dirimenda. His deficientibus, investigandum, quid longus usus invexerit. Ubi vero nihil adhuc erui possit, omniaque sint ad juris communis, & ordinarii formam exigenda; dico primum non aliud esse jus Parochorum in eas Ecclesias, quam ut prohibere valeat, ne in iis jura vere, & proprie Parochialia exerceantur. Cæterum ipse Parochus ab eisdem juribus in iis Ecclesiis exercendis, dissentiente Ecclesiæ illius rectore, abstinebit. Dico secundo, in ejus Ecclesiæ Sacerdotem nullam esse Parochi potestatem, nisi eam, quam in quemcumque laicum Parochianum suum explicaret, id est, ut enim munire possit sacramento Eucharistiæ in extremis laborantem, item sacramento Extremæ-Unctionis, possit eum adigere ad

UAB Biblioteca de Ciències Socials

Paschalem Communionem, præesse funeri defuncti, & alia, si quæ sunt hujus generis. At non poterit habere eum tanquam Clericum Parochiali Ecclesiæ adscriptum, cum adscriptio Clericorum Ecclesiis fiat Episcoporum auctoritate, cum Clerici vel ordinantur, vel in beneficiis instituuntur. Statim ac autem Sacerdos ille ex beneficiaria sui institutione auctoritate Episcopali adscriptus est Ecclesiæ a Parochiali distinctæ, immunis est a Sacerdotali officio in Parochiali Ecclesia præstando, ne forte dicatur, eum duplici Ecclesiæ adscriptum esse, quod sacris canonibus minime probatur, can. 2. dist. 70. can. 1. caus. 21. quæst. 1. Dico tertio, Sacerdotem illum posse in Ecclesia sui beneficii Sacerdotalia universa officia gerere, dummodo ab officiis mere Parochialibus abstineat; in iis autem, quæ media inter Sacerdotalia, & Parochialia fluctuare videntur, poterit etiam versari, dummodo Episcopalis auctoritas intercedat, sive expresse, uti in tabulis fundationis, vel in literis suæ institutionis, sive tacite, quod ex consuetudine demonstraretur.

CAPUT V., ET POSTREMUM.

De jure Parochorum in oblationibus in Ecclesiam collatis, aut ex debito aut ex liberalitate Fidelium in Parochia consistentium.

Huc referendus est titulus 30. libr. 3.

Sive ex debito, sive ex liberalitate fidelium quidquam in Ecclesias conferatur, respectu juris Parochialis nihil interest, nisi tantum in eo, quod quæ ex debito conferuntur, postulari etiam in judicio possint. Cæterum omnia indiscriminatim hodie Parochorum administrationi jure ordinario recepto relinquuntur. Ex istis oblationibus duæ sunt, quæ nomen habent singulare in jure ecclesiastico, nimirum primitiæ, & decimæ. Cæteræ generali nomine oblationum designantur. De primitiis vix sermonem habendum puto, seu quod hodiernis temporibus ubique fere usu recesserint, seu quod ubi olim in usu aliquando fuerunt, argumento canonis 21. 23. & 65. caus. 16. quæst. 1., aut ubi forte adhuc hodie vigent, sub obligatione minime sint, quemadmodum legimus in cap. 1. de decimis; proinde facile cum cæteris oblationibus confundantur, seu eisdem legibus modum accipiant, quibus modum accipiunt cæteræ oblationes. Itaque de decimis multa in primis observabo, deinde pauca subjiciam de oblationibus in universum.

Vetustissima est Divina in Mosaica Lege decimarum prima institutio. Cum enim Deus Optimus Maximus prohibuisset Sacerdotibus, ne ullam soli, seu terræ cæteris Tribubus adsignatæ partem possiderent, voluit cæteras Tribus necessaria vitæ subsidia Levitis ministrare, decimas fructuum eisdem Levitis conferendo Numerorum cap. 18., Deuteronomii cap. 18.. Nemo hinc non videt, singularem fuisse legis hujus sanciendæ causam, & statui Judæorum accommodatam: Statim ac enim præter ea, quæ ad habitandum erant necessaria, vix quidquam concessum Levitis fuerat possidendum, sed universa terra inter cæteras Tribus distributa, ne forte Levitæ negotiis temporalibus distraherentur a sacris officiis, erat certo modo eorumdem vitæ consulendum, quod decimarum luitione fiebat. Et quamquam duodecima por-

tio pro numero Tribuum, & servata æqualitate, virilis videatur, potius tamen decuit decimam dari; cum enim nonnulla essent in templi cultum a Levitis eisdem impendenda, augenda tantisper erat virilis portio, unde pro duodecima constitueretur decima. Singularis hæc ratio cum in nova Lege cessaverit, cessavit quoque obligatio decimarum: quamquam tamen in ipsa vetere Lege decimarum duo erant consideranda præcepta, quorum unum perpetuum extiturum esset, alibi fundamentum habens, quam in politico Judæorum regimine, alterum temporale foret, & singulari Hebræorum statui accommodatum. Perpetuum præceptum in ea erat parte, in qua jubebatur, ut alerentur a populo Ministri Sacrorum, quæcumque tandem esset suppeditandorum alimentorum ratio: unde & Christus Dominus in Evangelio, & Paulus Apostolus in epistolis Ministros Evangelicos alendos esse a fidelibus prædicabant. Causa hujus præcepti perpetua est, quotiescumque Sacrorum Administri aliunde destituuntur iis, quibus exhibere se possint, ne alias cogantur vacare a ministerio. Temporale erat in ea parte, qua definitum erat, in decimis portionibus obventionum omnium portionem sacrorum Ministrorum consistere, neque enim id accommodari potuit Christiano populo non diviso in paucas Tribus ex quibus una Sacerdotalis esset, sed constanti ex universis gentibus ad Baptismum accedentibus, inter quas pauciores essent numero & selecti de populo Sacerdotes. Ad hæc principia respicientes Apostoli, ac Viri apostolici non decimas a fideli populo petebant, sed oblationes, quas, ubi ampliores essent, pauperibus, indigentibusque universis communes faciebant. Posterioribus sæculis cœperunt Viri Ecclesiastici etiam Ecclesiarum nomine bona immobilia possidere; sed quando hæc minime sufficiebant, oblationes adhuc a populo quæritare perrexerunt. Et quidem quousque populus sponte, ac libentissime Clericorum necessitatibus consulebat etiam abunde, non opus fuit promulgatione præcepti; at refrigescente populi charitate leges expresse edendæ fuerunt, quibus sacris Administris occurreretur. Profecto in speciali lege expresse ferenda opus erat definire quantitatem, quam unusquisque conferret, ne lex ipsa definita in irritum caderet. Aliam normam in hac re non invenerunt, aut non meliorem se invenire posse censuerunt Patres Ecclesiastici, quam eam, quæ Levitarum gratia posita fuerat in vetere testamento, proindeque apud Christianos tum cœpit decimarum præstatio fieri ex obligatione ex Judæorum disciplina traducta; atque in hac significatione ajebat Summus Pontifex in cap. 14. de decimis, decimas viris Ecclesiasticis jure divino deberi. Interea cœperunt Ecclesiæ, & Viri Ecclesiastici bonis immobilibus locupletari magis in dies, & quamquam tunc cessaret latæ legis ratio, & causa impositi præcepti, adhuc tamen lex ipsa vigebat, cui necdum fuerat lege contraria, aut generali consuetudine derogatum. Immo nonnulli Episcopi adeo tenaces juris decimarum erant, ut, quoties non luerentur, Sacramenta denegarent, ne ipso quidem excepto Baptismate, atque anathema infligerent; quod in Constantinopolitana Ecclesia, & Ecclesiis Constantinopolitano Patriarchatui subjectis vehementer displicuit Justiniano Imperatori, uti liquet ex l. 39. §. 1. cod. de Episc. & Cler.. Paulatim, ubi præsertim Ecclesiæ bonis temporalibus abundaverunt, a petitione decimarum cessatum est, non quidem ubique non enim ubique satis fuerat personis Ecclesiasticis aliunde consultum, sed pluribus in locis; immo & certis in locis, ubi cessatum est, renovari præceptum debuit, si iterum sacri administri necessariis vitæ subsidiis opus haberent. En causam, quare identidem in decretalibus Pontificum Maximorum urgeri iterum videamus hoc præceptum olim impositum; & quod usu pridem exoleverat. Unde non alia regula præstitui potest

quæ hodie observetur, quam totam decimarum obligationem, locorum usibus, & consuetidinibus regi ita, ut ubi consuetudo viget præstandi decimas, ex necessitate præstentur, tum demum autem immunis sit populus a luitione decimarum, cum consuetudo eum fecit immunem, cap. 20. de decimis.

Quibus in locis præstari decimæ solent, aliquando etiam viget, ut pendantur non solum de prædiorum, seu urbanorum, seu rusticorum fructibus, verum etiam de cæteris proventibus, puta molendinorum, piscariarum, venationis, lanæ, mellis, & similibus, cap. 5. 6. & 22. de decimis. Quamobrem vulgo traditur, triplex esse decimarum genus, quarum aliæ reales, aliæ personales, aliæ mixtæ dicuntur, prout aut ex rebus, aut ex personarum industria, aut una & ratione rerum, & ratione personalis industriæ proficiscuntur. In computanda decima singulari jure cautum est, ut nihil in collatione fructuum detrahendum sit a dominis eorumdem fructuum prætextu expensarum, aut onerum, quibus obnoxii fidem fuerunt. Id primum rescripsit Honorius III. in cap. 7. de decim., quem secutus est Cœlestinus III. in cap. 22. de decimis; cum autem durum nimis aliquibus videretur, confirmatum fuit deinde ab Innocentio III. in cap. 26. eod tit., quod tamen receptum tantum fuit in fructibus naturalibus, non etiam in fructibus civilibus, cap. 28. eod. tit.. Passim Interpretes in eo collocant discriminis rationem, quod in civilibus fructibus vere lucrum non intelligatur, nisi deductis expensis, at naturales fructus ex solo percepti proprie, & naturaliter eo nomine appellentur, quotquot ex solo percipiuntur, quemadmodum inter cæteros tradit Barbosa de officio Parochi cap. 28. num. 34.. Speciem quamdam veritatis habet hæc ratio, ad rudis vulgi sermonem accommodata; siquidem rude vulgus est, quod fructus nominat, quidquid ex solo redigitur ante deductas expensas. At secus loquuntur Jureconsulti. Sic Paulus in l. 36. §. ult. ff. de petit. hæred. ajebat: *Fructus intelliguntur, deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorumque eorum gratia fiunt. Quod non solum in bonæ fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verum etiam in prædonibus, sicut Sabino quoque placuit*; quod ipsum confirmavit in l. 38. ff. eod. tit.. Sic etiam tradidit Papinianus in l. 48. ff. de rei vindicat.. Sic Ulpianus in l. 46. ff. de usuris. Sic Gajus nullam in hac parte distinctionem admittendam voluit inter fructus civiles, & naturales; nam in l. 4. ff. de operis servorum cum tradidisset, fructum hominis in operis consistere, conclusit, exemplo cæterarum rerum, in quibus fructus non intelligitur, nisi deductis impensis, ita in servorum operis obtinere oportere. Sic denique constituerunt Diocletianus, & Maximianus in l. 1. cod. de fructibus, & litium expensis. Igitur, meo judicio, alia via ineunda videtur, ut probari omnino apud Jureconsultos possint laudata tum Cœlestini, tum Innocentii rescripta. Ecquidem summo jure aliter rescripsissent ii Pontifices: sed quando, generali juris regula in decimis recepta, fraudes in Ecclesiam admittebantur a possessoribus prædiorum, ajentibus passim, se vix quidquam percepisse nomine fructuum, ex eo, quod aut impensæ fuissent fructibus perceptis majores, aut impensæ fructus æquarent, saluberrimum visum est a summo jure recedere; neque novum est, ubi dolus, & fraus frequens admittitur contra callidas multitudinis artes quidquam paulo asperius, & contra ordinarii juris regulas induci, probari. Maximas admissas fuisse fraudes, & ex his novum hoc jus induci potuisse, probant varia ejusdem temporis rescripta passim sub titulo de decimis, inter cætera laudatum capitulum 26., ex quo liquet etiam de causa, quia nimirum laicis odio erant infensissimo Clerici, & vita Clericorum. Quod si in fructibus ci-

vilibus id receptum non est, vel dicendum erit, tot fraudes in iis admissas non fuisse, ex quibus occasio daretur in hac parte abs jure ordinario recedendi, vel Ecclesiam non adeo fuisse solicitam de decimis personalibus, cujus rei argumento est, quod personales decimæ facilius, quam reales in desuetudinem abierint, vel ita recipiendum fuisse, quia Honorii, Cœlestini, & Innocentii rescripta, quibus jus novum inducebatur, singularia erant, & de fructibus prædiorum tantum concepta, quæ proinde juxta germanas interpretationum regulas ad civiles fructus extendi non poterant, ubi lex scripta deficiebat. Præterea ut sine fraude decimæ Sacerdotibus darentur, varia fuerunt in variis Provinciis constituta. Alicubi enim viget, ut collecti fructus antequam ab agris asportentur, coram decimatoribus numerentur, aut metiantur, quo certius decima detrahi possit: alicubi transactione composita res fuit, ut singulis annis possessores prædiorum certam quantitatem fructuum luant, quam nec anni calamitas imminuat, nec augeat ubertas annonæ: alicubi pro fructibus tradita est certa pecunia numerata, argumento Clementinæ 2. de decimis. Generaliter autem verum est, de fructibus tantum, aut obventionibus licite quæsitis decimas solvi, de quæstu illicito nullo modo, cap. 23. de decimis, quod conforme est veteri traditioni Patrum in can. 2. dist. 90., sive *illicite* quæsita ex iis sint, quæ restitui debeant, sive ex iis, quæ ab adquirente retineantur, juxta ea, quæ tradidit Augustinus in can. 15. caus. 14. quæst. 5.. Pœna non solventium decimas, ubi illæ debentur, passim in Decretalibus esse dicitur *Ecclesiastica districtio*, cap. 6. de decimis, item *omnis districtio* in cap. 16. eod. tit.. Clarius autem in cap. 23. eod. tit. est *censura*, cujus nomi e venit excommunicatio sententia judicis adversus contumaces infligenda, uti adhuc clarius legitur in cap. 5. eod. tit.. Pœnalem hanc sanctionem de ferenda in contumaces excommunicationis sententia renovaverunt Tridentini Antistites in cap. 12. sess. 24. de Reform., adjicientes præterea, reos non solutarum decimarum ab eo crimine non absolvi, nisi cum plena restitutio secuta fuerit.

Olim Episcopis, seu Cathedralibus Ecclesiis decimæ luebantur, can. 1. vers. *hæc vero* caus. 16. quæst. 7., & quidem ob duplicem causam; primo, quod in eo adhuc vigebat vetus Ecclesiæ disciplina, juxta quam quæcumque Ecclesiasticæ obventiones ad manum Episcopi deducebantur, necessaria deinde vitæ subsidia inter Clericos Ecclesiis administrantes tributuri. Secundo, quod Cathedrales Ecclesiæ adhuc inopes essent, & ex obventionibus inferiorum Ecclesiarum in tota diœcesi sitarum tuendæ erant, earumdemque Clerici sustentandi. Paulatim factum est, ut quoniam Episcopi abdicaverunt a se liberam illam administrationem universi peculii Ecclesiastici gratia Parochorum respectu Parochialium Ecclesiarum, certis tantum juribus sibi reservatis, alias autem Cathedrales Ecclesiæ sensim ditescentes opus non amplius habuerunt inferiorum Eclesiarum subsidiis, jus decimarum cœperit esse proprium Parochorum; eamque ob rem hodie jus commune, & ordinarium potius Parochis, quam Episcopis favet, ita ut quicumque etiam Episcopus contendere velit contra Parochos, ad se spectare jura decimarum, singulari jure probato innitatur oporteat, quod Parochus in proposito dicatur intentionem habere in jure communi fundatam. Quidquid enim in cap. 18. de decimis legimus, decimas Parochiali esse Ecclesiæ persolvendas? Quidquid in cap. 20. dicitur, decimas personales, ac reales, Parochiali Ecclesiæ, seu illi, in qua percipiuntur Sacramenta, adsignari? Quidquid perspicue in cap. 30. eod. tit. traditur, ad Parochiales Ecclesias *de jure communi spectare perceptionem decimarum*? quam phrasim etiam legimus in cap. 29. præce-

dente. Quidquid Alexander IV. in cap. 2. vers. *Diœcesani* de decimis in 6. monuit Episcopos, ut solliciti essent, quo universi decimas Parochialibus Ecclesiis solverent? Denique Bonifacius VIII. in cap. 2. de restit. spoliat. in 6., ait, esse *manifestum, nisi aliud ostendatur, decimas de jure communi ad Parochialem Ecclesiam pertinere.* Sane minores Ecclesiæ in limitibus Parochiarum constitutæ, vel Clerici in iis sacra administrantes a decimis jam olim exclusi fuerant, ne Ecclesiæ antiquiores, id est, aut Cathedralis, aut Parochialis, decimis fraudarentur, can. 42. 43. 44. & 45. caus. 16. quæst. 1. neque unquam admissi fuerunt, nisi ubi jus singulare, quale fuisset privilegium, aut longa præscriptio, vel consuetudo legitima, demonstraretur. Successu temporis etiam exclusi fuerunt Episcopi, & Ecclesiæ Cathedrales, uti dictum est. Tum vero nec statim omnia jura sua Episcopi renuntiaverunt, nec ubicumque Parochis, ac Parochiis decimas dimiserunt. Non statim in primis omnia jura Episcopi renuntiaverunt, quia reservarunt sibi canonicam, ut plurimum quartam, portionem, de qua in præcedente capite sermonem instituí. Hinc intelligimus capitulum 13. de decimis, ubi Episcopo Brixiensi præcipitur, ut Parochiali Ecclesiæ *decimas faceret adsignari, sua parte retenta*, id est, retenta canonica Episcopi portione. Intelligimus etiam rescriptum Alexandri IV. in cap. 2. vers. *ubi autem* de decimis in 6., ubi fit mentio Parochorum, qui per substractionem decimarum *jura Episcopalia exhibere non possent*, & præcipitur, ut ita Parochis occurratur, *ut Episcopalia jura solvere valeant*, hæc enim non alio pertinent, quam quo Parochi possint ex decimarum obventionibus canonicam portionem Episcopo solvere. Deinde non ubique Episcopi, aut Ecclesiæ Cathedrales jura decimarum Parochis, & Parochiis concesserunt, sed alicubi sibi statutis singularibus reservaverunt; unde identidem legimus, Episcopis decimas solvi, ut in cap. 1. de præscript. in 6., & Concilium Tridentinum in cap. 12. sess. 24. de Reform. promiscue mentionem facit sive de Cathedralibus, sive de aliis Ecclesiis, quibus decimæ debeantur. Unde regula conficienda est, jure communi deberi decimas Parochialibus Ecclesiis, nunquam Ecclesiis minoribus, nisi istæ singulari jure innitantur; immo & nec Ecclesiis Cathedralibus, nisi statutis singularibus, aut consuetudine legitima istæ juventur, ac simili ratione ne Episcopis quidem, qui præterea etiam a canonica portione abstinebunt, ubi canonicæ portionis percipiendæ nullus usus supersit. Quid vero, si quis in una Parochia degat, in altera prædia sita habeat? Dubitabant Alexander III. in capit. 18. de decimis, & Lucius III. in cap. 20. eod., diremptionem quæstionis totam conferentes in receptas locorum consuetudines, quibus morem apprime gerendum scripsere. Sed hæc definitio non ubicumque utilis esse potuit. Quid enim, si de loci consuetudine non constaret? Generalis primum erat præstituenda regula, a qua tum demum recederetur, cum contrarium consuetudo induxisset. Hinc receptum est, ut distinguantur decimæ reales a personalibus, & personales decimæ solvantur illi Parocho, a quo Sacramenta quis percipit, reales illi Parocho, in cujus Parochia sita sunt prædia. Visus fuit jam id attigisse Clemens III. in cap. ult. de Parochiis; visus quoque fuit deinde etiam attigisse Bonifacius VIII. in cap. 2. de restitut. spoliat. in 6. in illis verbis: *proveniant ex prædiis intra alienam paræciam constitutis*; sed adhuc clarius tradidisse in cap. 1. de præscription. in 6., ubi contra jus commune dicitur jus decimarum præscripsisse Episcopum in illis prædiis, quæ extra ejus diœcesim sita erant; unde passim tradi cœpit, prædiorum loca esse in prædialibus decimis attendenda. Hanc

ipsam ob causam receptum quoque fuisse testatur Rebuffus, de dicimis quæst. 6. ut decimæ personales inter duos Parochos dividantur æqualiter, quotiescumque cotigerit, eum, qui decimas debet, per anni dimidium in una, per alterum dimidium in altera Parochia commorari consuevisse, unde ignoretur, ubinam constitutum sit illius domicilium, seu potius videatur is in duobus æque locis, sive in duabus æque Parochiis domicilium contraxisse; secus tamen ac contingat, ubi quis in una Parochia domicilium habeat, identidem se alio transferat, non domicilii figendi, contrahendique animo, sed causa recreationis, aut simili, argumento capituli 2. de sepultur. in 6.

Ubi luendarum decimarum obligatio viget, regulariter fideles omnes Sacramenta a Parocho percipientes tenentur. Plana est definitio, ubi tantum agatur de decimis personalibus, aut quæ potissimum personales sunt, non de realibus. Jus Parochorum, aut sacrorum Antistitum in petendis decimis fundamentum habet in obligatione, qua iidem tenentur Sacramenta administrare. Obligatio illorum, qui decimas luituri sunt, in eo fundamentum habet, quod ipsi a Parochis, sacrisve Antistitibus Sacramenta petant. Ex his duobus emergit, exhibendos necessario esse sacros Administros Parochianorum collationibus, quarum vices decimæ tenent, ne a cura spirituali prætextu alimentorum aliunde exquirendorum distrahantur. Ex quo liquet definitionem istam duas habere partes, quarum prima est, fideles omnes, qui in Christiana communione consistunt, personales decimas solvere oportere; altera est, eos a decimis personalibus luendis immunes esse, qui nunquam baptizati fuerunt, neque ullo modo ad communionem pertinent Christianam. Secunda hæc definitionis pars sine discrimine locum obtinet. At prioris partis quædam receptæ aliquando fuerunt exceptiones. Siquidem fuerunt nonnulli, qui licet adhuc decimis realibus tenerentur, exempti tamen singulari privilegio extiterunt, cujusmodi fuerunt Monachi, can. 47. caus. 16. quæst. 1., cap. 10. & 11. de decimis. Hujusmodi privilegiis etiam donata fuere quædam loca pia, & religiosa, uti liquet ex cap. 2. de eccles. ædific.. Immo ex consuetudine receptum multis in locis fuit, ut licet reales decimæ debeantur, non luantur tamen aut in universum, aut ab aliquibus personales. Porro Clerici in Ecclesia ministrantes ex jure communi decimas Parochis minime solvunt, quamquam enim & ipsi a Parochis Sacramenta petant, sunt tamen ipsi Parochorum adjutores in ministerio sacrorum erga fideles cæteros exhibendo. Hinc recte ajebat Paschalis II. in cap. 2. de decimis: *Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant, eum nusquam in lege Domini hoc legamus; non enim Levitæ a Levitis decimas accepisse leguntur.* Quæ in eodem capitulo subjiciuntur, *Clericis illis, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt*, præstatione decimarum obligandis, non satis accurate adjecta fuerunt; nam in primis nihil tale legitur in can. 47. caus. 16. quæst. 1., ubi præcipua capituli illius sententia habetur sub nomine Paschalis II.. Deinde observat Antonius Augustinus in notis ad cap. 7. de decimis in 1. collectione, ex quo depromptum est dictum capitulum 2., ita legi oportere: *Illi profecto solvere laborum suorum decimas debent, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt*; & subjicit: *Hæc videntur ad laicos pertinere*; secus enim idem Paschalis sibi adversaretur. Et revera in cap. 8. ejusdem 1. collectionis ab Alexandro III. definitum fertur, Clericos ad decimas præstandas nulla ratione teneri. Ecquidem non ignoro, plures distinxisse inter decimas personales, & prædiales: a personalibus dixerunt Clericos immunes; in prædialibus iterum distinguendum voluerunt, an ageretur de prædiis ecclesiasticis, quæ

Clerici Ecclesiæ nomine, id est, titulo ecclesiastici beneficii possiderent, an ageretur de prædiis Clericorum propriis, sive hæreditariis, sive patrimonialibus, sive alio quocumque titulo quæsitis. A decimis prædiorum ecclesiasticorum iterum dixerunt immunes Clericos, non ita a decimis prædiorum non ecclesiasticorum. Id putarunt deduci posse ex canone 42. & 46. caus. 16. quæst. 1.. Quicumque tamen attente, uti decet, ea monumenta perpenderit, facile agnoscet, ibi non agi de Clericis, qui prædia per se possideant, sed qui colonis laicis prædia possidenda concesserint. Ibidem autem statuitur, non ut Clerici, sed ut coloni Clericorum decimas Ecclesiis penderent. Putarunt deinde deduci posse ex eo, quod decimæ prædiales sint onera realia gratia Ecclesiæ jampridem imposita; proptereaque semper prædiis ipsis ita adhærentia, ut & sequantur quemcumque possessorem, & non extinguantur ex eo, quod immutetur qualitas possessoris, seu quod laicus possessor inter Clericos incipiat accenseri. Verum istud principium, quod ipsi ponunt, erit modo discutiendum, cum de decimis prædialibus, seu realibus adhuc dirimenda quæstio est: atque ex sequente diremptione, quæ hucusque tradita doctrina est de Clericis a decimarum præstatione exemptis, in clariore lumine collocabitur.

De realibus decimis aliter disserere solent Interpretes, & Pragmatici, ut emergentes controversias dirimant. Intueor ego, multa ex hac veluti prima, & fundamentali disputatione pendere; num jus decimarum, quæ reales appellantur, personale potius dicendum sit, an reale. Vulgo, ut arbitror, hallucinati sunt multi; statim ac enim tritam illam partitionem decimarum in personales, ac reales recepernnt, uti personalium decimarum jus personale, ita realium reale existere censuerunt. Non sunt duo hæc necessario connexa, decimas esse reales, & jus decimarum earumdem etiam esse reale ita, ut jus, quod modum a rebus accipit, dici personale non possit. Sunt enim quædam, quemadmodum de prætoriis interdictis loquebatur Ulpianus in l. 1. §. 3. ff. de interdictis, *quæ licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt.* Proprie reale jus dicimus, quod ita rei cohæret, ut res ipsa quodammodo obligata, & affecta censeatur, quodque rem ipsam sequitur apud quemcumque possessorem, ad quem transferatur. Cætera jura proprie personalia sunt, l. 25. ff. de obligat., & action.. Jurisconsultorum proprie sunt hujus generis observationes. Ergo decet, eas exigere ad Jurisconsultorum principia. Porro Jurisconsulti docent, quatuor esse causas ac veluti fontes obligationum realium, id est, dominium, possessionem, servitutem, & prætoriam hypothecam; quatuor insuper esse causas ac veluti fontes obligationum personalium, videlicet contractum, maleficium, & quasi maleficium. Hinc quemadmodum quæcumque ex quatuor prioribus causis, personalia, ita quæcumque ex quatuor posterioribus causis proficiscuntur, realia jura appellari necesse est. Perspicua est generalis ista doctrina; quam si decimarum juribus accommodemus, concludendum erit, etiam decimas, quæ reales dicuntur, licet ratione rei debeantur personales esse, utpote quæ proficiscuntur ex quasi contractu inter ecclesiasticos administros, & populum inito, quo fit, ut dum populus ab ecclesiasticis administris ad Sacra, & Divina dirigitur, eisdem sacris administris alimenta tribuere teneatur. Quod potius decimis, quam aliis quibuscumque pensitationibus alimenta donentur, ex pacto est. Cum enim initio prospiciendum fuit sublevandis Cleri necessitatibus, suadebat christiana charitas, ut ad eas relevandas conferre non deberent personalibus operibus, qui infirmi, aut debiles essent: potius qui prædia fructifera possiderent, pro pauperibus tribuerent fructuum prædialium collatione. Hæc

sane conventio est in universitate fidelium facta, in quam minime coiverunt, qui essent extra communionem christianam. Non dominii, non possessionis, non servitutis cujusquam, non hypotheca jura, quæ sola realia essent, in fructum leges publicæ Clericorum gratia concesserunt; de hac enim concessione nullibi constat. Nunquam Ecclesia jura hæc realia sibi vindicavit; neque enim poterat, utpote cujus potestas in personas est; non in prædia, ut ajebat Augustinus in can. 1. dist. 8.. Eadem ratione Romani Legumlatores pro modo facultatem sanxerunt, ut designaretur judicis potestate quantitas alimentorum, quæ filii divites parentibus inopibus debent, & e converso parentes liberis, l. 5. §. 7. ff. de agnos. & alend. lib., quin hæc obligatio realis sit, seu rebus imposita, sed personalis. Difficultas ex eo emergere potest, quod identidem definitum adpareat de realibus decimis, eas a prædiis potius, quam a personis deberi, ut exemplum est in eo, qui in una Parochia degit, & in ea Sacramenta suscipit, in alia autem Parochia prædia possidet, cujus respectu statutum est, decimas prædiales illi Parocho luendas esse, in cujus Parochiæ finibus prædia sita sunt, cap. 2. de restitut. spoliat. in 6., juncto cap. 1. de præscript. in 6.. Verum id tanti momenti non est, ut a generali sit regula recedendum. In primis enim observo, cum primum proposita fuerit quæstio Alexandri III., cuinam Parocho præstandæ decimæ in ea specie forent, fassus est Alexander in cap. 18. & 20. de decimis, *super eo, sibi facile non fuisse certum dare responsum, & in ejusmodi dubitatione ad consuetudinem duxit recurrendum.* Fere similia rescripsit Lucius III. in cap. 20. eod. tit.. Quod si credidissent, decimas prædiales non ex personali, sed ex reali obligatione descendere, quid fuisset difficultatis? Etenim procul dubio Parochus in cujus finibus sita prædia fuissent, prædiales decimas postulavisset. Propendere cœpit Alexander in eodem rescripto in eam opinionem, qua traderet, difficilius Parochum, aut Episcopum petere posse decimas prædiorum, ubi prædia non tantum in diversa Parochia sita essent, sed etiam in diversa Diœcesi. Sed non ideo propendebat, quod putaret, de juribus vere realibus agi, sed potius, uti ipse concludit, *ne ex eo Episcopatuum fines confundi viderentur.* Non est hæc ratio a summo jure petita, sed ex æquitate quadam, & publica utilitate, ne turbentur ministeria Parochorum, neve Parochi sollicitudinem in jura Parochialia impendendo huc illuc discurrant extra fines Parochiarum, aut Diœceseon. Itaque in decimarum prædalium præstatione non respiciebatur ad naturam decimarum, an jura realia dicerentur, an minus; non ad qualitates prædiorum, an decimis affecta essent, an minus; sed respiciebatur aut ad commoda Parochorum, aut ad utilitatem Parochialium Ecclesiarum, aut denique ad personas eorum, qui decimis obligabantur. Ubi respiciendum erat ad commoda Parochorum, ipsis utile visum est, extra fines Parochiæ non quærere decimas, & potius remittere gratia alterius Parochi jura decimarum ex prædiis Parochianorum suorum in aliena Parochia sitis; ubi, si quid detrimenti pati aliquando poterant, facile erat, ut ex prædiis in sua Parochia sita ad alienos Parochianos pertinentibus vicissim compensarent. Ubi respiciendum erat ad utilitatem Parochialium Ecclesiarum, non videbatur expedire, Parochos, quorum certe quotidianum esse debebat in Porochia ministerium, huc illuc vagari exigendarum decimarum causa, maxime si extra diœcesim sita prædia forent, ubi extranei Episcopi officia, quoties oporteret, excitanda fuissent. Ubi denique respiciendum erat ad personas eorum, qui decimis obligabantur, non tam fideles singuli, quam universitas fidelium in Parochia consistentium obligata vide-

batur ad prædialium decimarum luitionem. Universitatis autem fidelium intererat, ut quicumque prædia possiderent in limitibus Parochiæ, ac decimas præstandas concurrerent; unde tacita quædam pactio inter possidentes fideles inita videbatur de decimis pro virili suppeditandis. Addo his, evitandas fuisse fraudes, quæ in detrimentum Ecclesiarum, aut Parochorum identidem admittebantur; cum enim decimarum præstatio certis in Parochiis in usu esset, in aliis ab usu recessisset, qui in una Parochia decimas prædiales luebant, alienis Parochianis decimarum obligatione immunibus tradebant prædia sua, ut sic omnino prædia a decimis libera fierent, argumento capituli 32. de decimis.

Sic dissoluta principali quæstione, quæ præjudicium facit, duæ statim sequuntur definitiones, quarum prima est, eos omnes, qui nunquam in Christiana communione fuerunt, ad solvendas prædiales decimas non teneri; altera est, eos, qui quoquomodo pertinent ad Christianam communionem, decimis prædialibus obligari, nisi aut privilegio exempti fuerint, aut decimarum onus consuetudine legitima præscripserint. In prima definitione dixi, non teneri eos omnes, qui nunquam in Christiana communione fuerunt, ut indicarem eos, qui baptizati non sunt. Cæterum si de excommunicatis agatur, quia isti sese jam regimini Ecclesiæ subjecerunt, & licet jugum excusserint facto suo, jure tamen adhuc clavibus Ecclesiæ subsunt, & viri Ecclesiastici quamdam adhuc sollicitudinem de iis gerunt, decimis prædialibus tenebuntur. Non tenentur plane Gentiles, aut Judæi, etiam si forte prædia in Christianorum provinciis possideant. Si enim, uti demonstratum est, jus decimarum prædalium reale non est, sive res sequens, ubicumque res reperiantur, sed personale, quomodo Judæi, Judæisve similes ea obligatione obstringentur, quando nec sese Judæi Ecclesiæ subjecerunt, nec Judæis Parochi ministrant, aut ministrare possunt Sacramenta? Quis autem consentaneum dicat, aut aptum, ut ab extraneæ communionis hominibus in Sacerdotum, Ecclesiæque ministeria aliquid conferatur, quando idem Christus Dominus expresse mandavit Apostolis, ut ab infidelibus civitatibus, & Evangelium suscipere detractantibus revertentes vel pulverem ipsum a calceamentis excuterent, Matthæi cap. 10? Ecquidem non ignoro, aliter vulgo tradi solere, immo & aliter aliquando fuisse in tribunalibus judicatum, propterea quod aliter definitum crediderint in jure scripto, seu in cap. 16. & 32. de decimis, juncto cap. 18. de usuris. Ego vero video, aut non adeo perspicue ita in dictis monumentis definitam rem reperiri, quia longe diversa species ibidem dirempta proponitur; aut potius ex eisdem monumentis opinionem meam magis, magisque firmatum iri, si penitius, uti decet, expendantur. Sub finem duodecimi, ac sub initium decimitertii sæculi ægre fideles ad decimarum solutionem deveniebant, quod liquet ex magno & canonum, & rescriptorum Pontificiorum numero tunc temporis editorum ad eosdem fideles adigendos, toto titulo de decimis. Hinc fideles ipsi non audentes legibus expresse adversari, ad dolos, & fraudes confugiebant. Noverant in primis, Judæos Ecclesiasticis legibus non obligari: istis prædia sua, retento tamen dominio, excolenda tradebant titulo locationis, conductionis, ut ea ratione integros fructus perciperent, quasi ipsi possidere prædia desiissent. Noverant deinde, decimarum obligationem non esse universalem respectu omnium Christianorum, cum scirent in certis Parochiis usu desiisse, scirent insuper, nonnullos legitima obtinuisse privilegia, quibus a luendis decimis redderentur immunes. Istis quoque locabant prædia sua, & utilem possessionem in alios transferendo se liberos a decimarum præstatione censebant. Quis dixisset in his factorum speciebus, prædiorum dominos a

decimarum obligatione fuisse solutos? Non debeat in primis ipsis fraus, & dolus parere emolumentum. Deinde quando non dominium, non juris possessionem ab se abjecerant, & dominii, & possessionis causa tenebantur; & quamquam fructus in specie non perciperent ipsi, percipiebant tamen aliorum, seu colonorum, aut conductorum ministerio; nihil autem intererat, an fructus ipsos perciperent, an quod pretium ex fructibus redigeretur. Profecto quod legitur in dicto cap. 16. & 32. de decimis, ad hujusmodi species pertinet. In dicto cap. 16. agitur de Judæis non prædiorum dominis, sed colonis, ut indicant verba illa *colunt*, *possessiones*; propterea que cum Judæi Christianorum nomine possiderent, & colerent, mirum esse non debet, si nomine etiam Christianorum dominorum decimas luerent, argumento cap. 24. eod. tit.. In dicto cap. 32. perspicua hujusmodi species est: agitur enim de iis prædiorum possessoribus Christianis, qui cum decimas luere tenerentur, aliis non similiter obligatis prædia excolenda tradebant, ut Ecclesias decimis defraudarent. Quodque ad rem facit, & mirifice comprobat opinionem meam, ibidem Lateranense Concilium non mandat colonis, ut decimas luant, sed ut domini taliter prædia excolenda committant, ut absque contraditione decimas Ecclesiis persolvant. Argumentum evidens est, Lateranenses Patres non credidisse, decimarum prædialium onus esse reale, & in quoscumque possessores una cum prædiis ipsis transferri. Immo & passim id sibi universi persuadebant, quando dignoscuntur, ideo devenire voluisse plures ad tradenda prædia aliis similiter non obligatis excolenda, ut sic decimæ ab Ecclesia non peterentur, quod sane suffugium sine ulla causa extitisset, si reale esse onus decimarum crederetur. Quod autem traditur in dicto cap. 18. de usuris, singulare est, & pœnam sapit, non meram decimarum obligationem. Agitur ibi de Judæis, qui ob frequentes, & immodicas usuras a Christianis extortas, universas, propemodum Christianorum facultates, prædia, & domos occupaverant. Duplex tunc quasi furtum videbatur admissum. Primum adversus Christianos generaliter: alterum adversus Ecclesiam, quando inde Ecclesia decimas omnes prædiales amiserat. Igitur Lateranense Concilium voluit primum constituere, ut tenerentur Judæi ad restitutionem usurarum perceptarum, gratia fidelium in universum, item tenerentur ad præstationem decimarum, quibus fere omnino destituebatur Ecclesia ob immodicas Judæorum usurpationes. Generaliter autem inde deducitur, tanquam onus reale habitas non fuisse decimas, secus etiam sine ejus pœnæ adjectione Judæi etiam extra causam immodicarum usurpationum obligati fuissent. Fateor tamen, alicubi singularibus statutis factum esse, ut non aliter admittantur in certas provincias Judæi, aut non aliter domos, & prædia adquirere valeant admissi, nisi domorum, & prædiorum olim a Christianis possessorum, & decimis obnoxiorum, decimas ipsi luant, quo pertinet, quod dicitur in cap. 17. de excess. Prælat., in quo conquerebantur religiosi viri, etiam de propriis habitaculis decimas peti, *sicuti de domibus Judæorum*. Nihil sane est, cur his statutis, & conventionibus non pareatur. At nihil id habet cum proposita disputatione commune; quemadmodum etiam in nonnullis locis viget statutum, ut Judæi luant Parochis, in quorum Parochiarum finibus degunt, certas pensitationes, quibus compensetur damnum Parochorum in iis, quæ Parochi lucrarentur causa oblationum, & occasione Sacramentorum, aut Sacramentalium, si in habitaculis Judæis destinatis degerent Christiani, quod vulgo *Pretaticum* appellant; quin tamen exinde in generalem disciplinam habeat, qua credatur, Judæos teneri ad oblationes personales.

In altera definitione dixi, eos omnes decimis obstringi, qui sunt in Chri-

tiana communione, dummodo redditi non sint aut legitima consuetudine, aut privilegio immunes. Si consuetudo generalis sit in Parochia, in Diœcesi, in Provincia, nihil amplius superest dubitationis, quin lex decimarum in ea omnino cessaverit. Quid vero, si consuetudo sit certarum tantummodo personarum, aut rerum? Ea dicenda sunt de hujusmodi consuetudine, quæ de singulari obtento privilegio mox dicam. De Clericis hic amplius non loquor. Si enim isti beneficio fruantur, de fructibus beneficii jure communi decimas minime luunt, cap. 2. de decimis; quid enim aliud esset decimas ex prædiis Ecclesiasticis pendi, quam decimas ab Ecclesia Ecclesiæ præstari? Quod si clerici bona patrimonialia possideant, etiam ratione istorum habebuntur immunes, argumento dicti cap. 2., dummodo cum Antonio Augustino emendetur, uti superius traditum est, juncto præsertim cap. 8. de decimis in prima collectione. Respectu illorum, qui Clerici non sunt, privilegium præ cæteris quemquam reddit a præstatione decimarum immunem, cap. 3. de decimis, cap. 1. de præscript. in 6.. Huc tamen probandum est, ut & cætera jura singularia, nam probatione deficiente, decimis locus fiet. Inde factum est, ut si ageretur de solo inculto, ex quo propterea nullæ decimæ olim præstabantur, quia nulli ex eo fructus redigerentur, & deinde illud cultura fructiferum reddatur, quod *Novalia* appellant, ex eo debeantur; non enim singulari privilegio locus ille exemptus dici potest, cap. 4. 10. 12. 27. & 29. de decimis, cap. 2. §. ult. eod. in 6., Clement. 1. eod. tit.. Monachi olim, cum non essent adhuc exempti ab Episcopi jurisdictione, decimas prædiales viris Ecclesiasticis luebant. At obtentis exemptionum privilegiis, neque statim omnino obtinuerunt a præstandis decimis immunitatem. Tantum a personalibus decimis liberi esse cœperunt, non a realibus, cap. 4. 8. 11. 12. de decimis, nisi in iis prædiis, quæ a prima Monasterii fundatione concessa fuissent Monasterio, & quæ manu propria a Monachis excolerentur, nisi item in iis domibus, quas ipsi habitarent, cap. 10. 11. & 12. de decimis, Clement. 1. eod., cap. 17. de excess. Prælat.. Ad avertendas quascumque contentiones, quæ in his causis emergunt, suaserunt Pontifices Maximi, ut amicabiliter omnis controversia componeretur, dicto cap. 8. in fine, & cap. 34. de decimis; eamque ob rem hodie pactionibus fere ubique omnibus quæstionibus finis impositus est, nisi ubi aut amplissimum privilegium, aut generalis usus ab omni decimarum præstatione Monachos liberaverit. Idipsum, quod dictum est de Monachis, ad plura loca religiosa protractum est. Olim quidem prædia locorum religiosorum regulariter decimis suberant: paulatim privilegiis obtentis factum, ut de habitaculis in communi viventium fidelium nihil penderetur, immo nec de hortis contiguis, & animalibus, quæ ibidem nutriebantur, cap. 2. de Eccles. ædific., paulatim aut compositione, aut consuetudine invecta a generali lege vel in totum, vel in parte recessum est.

Quod de decimis dictum est, eas jure ordinario jam a pluribus sæculis ad Parochos pertinere, id ipsum dicendum est de oblationibus ex fidelium liberalitate, vel actu inter vivos, vel ultima voluntate collatis. Sane oblationum nomine hoc in loco intelligo non illas, quæ singularis alicujus Clerici, aut Episcopi gratia fiunt, hæc enim instar cæterarum donationum donatario cedunt juxta mentem donantis, & conditionem a donatore adpositam, cap. 15. de testament., sed intelligo, quidquid Deo donatum est, vel Ecclesiæ, vel etiam sacræ cuidam Imagini palam expositæ, can. 10. & 11. caus. 13. quæst. 2. cap. 29. de verb. signif.. Istas autem universas Parochis cedere receptum est, can. 15. caus. 10. quæst. 1., cap. 9. de his, quæ fiunt a Prælatis, & quidem non solum si in Ecclesia ipsa Parochiali fiant, sed etiam si

fiant in loco sacro, aut religioso extra Parochialem Ecclesiam sito, dummodo intra Parochiæ fines. Tantum ad regulam hanc generalem exceptio est, si vel expressa, vel præsumpta voluntas offerentium refragetur, quod contingeret, si offerentes donarent templo, altari, imagini extra Parochiam sitæ, ut cultior adjectis ornamentis fieret, ut muri restaurarentur, aut similem ob causam, aut si offerentes Xenodochio donarent, ut pauperes ibidem constituti commodius alerentur. Tunc enim Æditui Ecclesiolarum, aut Custodes loci religiosi, vel pii oblationes reciperent, & juxta offerentium votum impenderent, tum demum hoc ipso officio in Parochi fidem referendo, cum nulli Æditui, vel Custodes loci sacri, pii, aut religiosi existerent. Plane hæc oblationum disciplina disciplinam decimarum longe præcessit, atque a temporibus ipsis Apostolorum originem ducit. Duo olim erant oblationum genera, quarum aliæ ad altare fiebant, vel in corbona quadam separata, quæ in Ecclesia erat, ad id constructa reponebantur, aliæ ad domum Episcopi deferebantur. In Ecclesia, vel ad altare, vel ad corbonam, tantum offerri solebat panis, & vinum, oleum, incensum, spicæ, & uvæ, quæ omnia a Sacerdote benedicebantur, & ex quibus portio panis, & vini desumebatur ad conficiendam Eucharistiam, eamdemque clero, & populo ministrandam; cætera in templi, aut Clericorum usum reservabantur, quo pertinet vestigium illud, quod etiam hodie superest in Canone Missæ, ubi Sacerdos ante dominicalem Orationem ait: *Per quem hæc omnia semper bona creas; sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis*, quæ verba ad benedicendas eas omnes oblationes pertinebant. Præterea ad altare in solemnitate Paschali offerebatur alicubi lac, & mel, quæ Catechumenis recens baptizatis tribuebantur, Cyprianus libr. de oper. & eleemos., Tertulianus libr. de exhortat. cast. cap. 7., Concilium Matisconense II. anni 585. can. 4. canone 3. & 4. ex vulgo Apostolicis. Universæ autem oblationes (quæ sane tunc erant in obligatione, cum aliter non prospiceretur necessitati cleri) in potestatem Episcopi conferebantur, eas inter Clericos tributuri. At cum cœpit obligatio decimarum induci, cœperunt sponte oblationes ex fidelium pietate conferri, eademque erat Episcopi potestas in administratione tum decimarum, cum oblationum. Quis inde non videt, quum jus decimarum succedentibus sæculis factum est proprium, & ordinarium Parochorum, simili ratione fieri cœpisse proprias Parochorum oblationes? Et primo quidem Parochi eas sibi vindicarunt, salva canonica portione, quæ Episcopo debebatur; deinde etiam canonica portio remissa ab Episcopis fuit gratia Parochorum; unde concludi potest ad Parochos harum jura spectare, nisi singulare jus gratia alterius inductum fuisse allegetur, ac comprobetur.

CONCLUSIO.

Amplissimam jurisdictionis, ac potestatis Ecclesiasticæ materiem paucis complexus mihi videor universam; qua in re non singularem tractationem dirimendis tantum propositis quæstionibus utilem concinnatam volui, sed ea, quæ subsequentibus juris sacri partibus veluti lucem præferret. Id postulabat in primis rei gerendæ natura; quotquot enim sunt legum Ecclesiasticarum argumenta, in quibus mihi versandum est, ea sane singula in potestate Sacerdotum fundamentum habent, in quo innituntur, & quo non satis explorato, non satis illa perspecta in sua causa fieri possunt. Deinde id effeci industria, dum talem methodum mihi ineundam, persequendamque proposui, qua non tam speciales, quæ emergere solent, quæstiones prodita, prout res incideret, canonum auctoritate dirimerem, quam

principia generalia constituerem, ex quibus quæstionum ipsarum emergentium diremptio ut plurimum sponte sua dimanaret. Et quidem dum id conatus sum, experiri necessario debui graviores difficultates, quando usu me docente novi semper nihil esse laboriosius, quam rerum causas, origines, ac principia generalia in imo explorare, pendere, atque in aperto exhibere. Exinde autem, si defecisse in aliquibus videar, veniam mihi facilem datum iri confido; sanius sapientium, potissimum autem Ecclesiæ judicio, & me, & meas lucubrationes omnes lubentissime subjiciens; quamquam enim is sim, qui plura penitius rimari voluerim, forte etiam meis primum studiis aliqua e tenebris, quibus jacebant, eruere; qui præterea curaverim, ut nihil contra definitiones Ecclesiæ mihi compertas scriberem, immo, ut ad istas omnia pro modulo ingenii exigerem, sategerim; non tamen tantam de me, meisque viribus fiduciam habeo, ut veritatem, dum contra saperent alii, aut contra Ecclesia doceret, ipse propius attigisse mihi persuadeam, sed e contrario tunc nossem, ac candide profiterer, me a veritate quam longissime recessisse.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

INDEX,

QUO EXHIBENTUR ORDO, ET SINGULARIA ARGUMENTA TRACTATIONIS

De potioribus Ecclesiæ dignitatibus, & officiis, seu Commentariorum

IN PRIMUM, ET SECUNDUM LIBRUM DECRETALIUM.

Præfatiuncula singularis, & partitio Tractationis. pag. 1.

DISSERTATIO PRIMA, ET PROŒMIALIS.

De Ecclesiastica jurisdictione, quæ generaliter potioribus Ecclesiæ dignitatibus, & officiis cohæret. pag. 3.

Cap. I. *Quid sit Ecclesiastica jurisdictio.* ibid.
Cap. II. *De variis jurisdictionis Ecclesiasticæ partitionibus.* pag. 11.
Cap. III. *Generalia quædam traduntur, quibus demonstretur, ab Ecclesia veram jurisdictionem exerceri.* pag. 19.
Cap. IV. *Quomodo Ecclesia in communi jurisdictionem exerceat.* pag. 26.
Cap. V. *Per quas singulares Personas, seu dignitates, vel officia Ecclesiastica jurisdictio exerceatur.* pag. 34.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Pontifice Maximo. pag. 37.

Cap. I. *De Pontificis Maximi dignitate, auctoritate, ac jurisdictione in Ecclesia universa.* ibid.
Cap. II. *Quibus modis jurisdictionem suam per se Romanus Antistes exerceat.* pag. 46.
Cap. III. *Quibus modis jurisdictionem suam per Vicarios, aut instar Vicariorum constitutos in Romana Curia Pontifex Maximus exerceat.* pag. 62.
Cap. IV. *Quibus modis Pontifex Maximus per Vicarios extra urbem constitutos jurisdictionem suam exerceat.* pag. 69.

Cap. V. *De Sede Pontificis Maximi vacante, & Successoris electione.* pag. 81.

DISSERTATIO TERTIA.

De Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis. pag. 89.

Cap. I. *De origine, & ratione harum dignitatum.* ibid.
Cap. II. *De potestate Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum in subjectos Antistites.* pag. 94.
Cap. III. *De potestate Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum in Ecclesias, & subditos Suffraganeorum.* pag. 99.
Cap. IV. *De Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum insignibus.* pag. 108.

DISSERTATIO QUARTA.

De Episcopis. pag. 115.

Cap. I. *De ordine Episcopali.* ibid.
Cap. II. *De auctoritate Episcoporum generaliter.* pag. 119.
Cap. III. *De auctoritate Episcoporum in Ecclesias.* pag. 132.
Cap. IV. *De auctoritate Episcoporum in Clericos diœcesanos.* pag. 238.
Cap. V. *De auctoritate Episcoporum in Monachos, aliosve Regulares.* pag. 145.
Cap. VI. *De auctoritate Episcoporum in Sanctimoniales.* pag. 156.
Cap. VII. *De auctoritate Episcoporum in opera pia, ac religiosa.* pag. 162.
Cap. VIII. *De electione, vel postulatione, confirmatione, vel admissione, consecratione, & translatione Episcoporum.* pag. 178.

DISSERTATIO QUINTA.

De Prælatis Episcopo inferioribus, vel Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem nactis. pag. 190.

Cap. I. *De Vicariis Episcoporum.* ibid.
Cap. II. *De Capitulis, seu Collegiis Ecclesiarum Cathedralium.* pag. 198.
Cap. III. *De Prælatis non Episcopis quasi Episcopalem jurisdictionem exercentibus.* pag. 209.

DISSERTATIO SEXTA.

De Parochis, eorumque officio, ac potestate. pag. 223.

Cap. I. *De origine, & institutione Parochorum, item de eorumdem officio, ac potestate generaliter.* ibid.

CAP. II. *De potestate Parochorum in administratione Sacramentorum, & eorum, quæ prope ad Sacramenta accedunt, Sacramentalium.* pag. 228.
CAP. III. *De potestate Parochorum ratione habita funerum, &, quæ funeribus cohærent, adjunctorum.* pag. 230.
CAP. IV. *De officiis, ac ministeriis, quibus Parochi cum publica utilitate fideles suæ curæ commendatos regere valeant.* pag. 244.
CAP. V., ET POSTREMUM. *De jure Parochorum in oblationibus in Ecclesiam collatis, aut ex debito, aut ex liberalitate fidelium in Parochia consistentium.* pag. 247.

CONCLUSIO. pag. 258.

UAB
Biblioteca de Ciències Socials

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS,

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

CONSULTORIS REGII,

ET IN TAURINENSI ATHENÆO

DECRETALIUM PROFESSORIS

COMMENTARIA

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM.

TOMUS SECUDUS.

EDITIO TERTIA

CÆTERIS ANTEHAC LONGE CORRECTIOR OPERA, ET STUDIO D. PETRI DEL CAMPO ET LAGO, PHILOSOPH., AC SACR. THEOLOG. EX-PROFESS. NUNC HUMANIOR. LITERAR. MODERAT., NECNON REG. LATIN. MATRIT. ACADEM. SOC.

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI: MDCCCIII. EX TYPOGRAPHIA RAYMUNDI RUIZ.

Se hallará en la Librería de la Viuda de D. Bernardo Alberá, é hijos.
Carrera de San Gerónimo.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

IN TERTIUM
DECRETALIUM GREGORII IX. LIBRUM
COMMENTARIA.
SIVE
De Beneficiis Ecclesiasticis
TRACTATIO
Brevis quidem, sed undique absoluta,

Ad quam præcipui ejusdem Libri Tertii tituli exiguntur.

IN expendendo publico potius Ecclesiarum, quam privato Clericorum jure versabar, quum ad interpretationem libri primi, & secundi Decretalium Gregorianarum de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, illarumque jurisdictione, & officiis tractationem inscriptam, concinnatamque proposui. Rectus ordo nunc postulat, ut Collectorem secutus ad Commentaria libri tertii ineunda jus privatum Clericorum expendam, quod maxima in parte in beneficiis Ecclesiasticis adipiscendis, retinendis, administrandisque consistit. Qua in re non tantum inest suavissima delectatio, quod elegans inde disserendi, disputandique materies præbeatur, verum etiam posita invenitur pergrata utilitas, quod certæ præjaciendæ sint regulæ, unde dirimantur, quæ sane amplissimæ in judiciis, & in foro Ecclesiastico emergunt, controversiæ, in quibus cæteroqui plurimum studiorum, & contentionis passim impenditur. Et quidem in primis non mediocri jucunditate fruitur, qui in ea Clericorum jura animum intendit, quæ origine antiquissima sunt, quæ per varios temporum casus varias passim vices habuerunt, quæ certis hodie regulis concluduntur, adeo ut qui mentem suam prudentia, ac moderatione composuerit, videlicet qui nec eo animo est, ut vetera temnat, & in una recentiore disciplina graviter cubet, nec eo, ut canorum, priscorumque Virorum sola laudet constituta, quæcumque nova fastidiens, mirari æque, ac gaudere possit in varietate ipsa imaginum, quæ profecto & speciosæ sunt universæ, & eo collineant omnes,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

quo ad bonum, utilitatemque rei Ecclesiasticæ perveniatur. Deinde si de ubere hinc percipiendo fructu sermonem habere vellem, dies me, oratioque deficeret, & rem perspectam oculis, tritissimamque persequerer, quandò tot virorum gravissimorum uberrimæ de hac ipsa re editæ lucubrationes quotidianæ controversiæ de beneficiis agitatæ, sollicitæ Episcoporum, ipsorumque Pontificum Maximorum curæ in hac parte dirigenda, moderanda, exornandaque impensæ, istud ipsum abunde testificantur. Si forte quemquam aut turbet immensa propemodum multitudo dicendorum, aut premat gravitas pene inferenda disputationum, is planam labore meo methodum paratam inveniet, ex qua fiat, ut cum perspicuitas lucem adferat, tum ordo suis in sedibus tributa singula locet, adcommodet. Nimirum septem Dissertationibus universa complectar, ac digeram. In prima originem, naturam, ac qualitates universas beneficiorum generaliter exhibebo. Secunda pandet varias beneficiorum species, & singulas singulorum proprietates. Agam in tertia de beneficiis erigendis, restaurandis, uniendis, vel dividendis. Huic autem quartam adjiciendam necessario duxi, quæ de juribus Patronorum inscriberetur, propterea quod eadem Patronorum jura ut plurimum ex erectione, vel restauratione beneficiorum adquirantur. In quinta progrediar ad expendendas beneficiorum collationes. Sexta explicabit jura, & onera Clericorum, qui beneficia obtinuerint. In postrema disseram de causis, & modis, quibus beneficia amittuntur. Utque rem absolutissimam undique faciam, brevi appendice subjecta, quædam beneficia impropria, & singulares eorumdem notas, quibus ista paulisper a generalibus beneficiorum regulis deflectunt, indicabo.

DISSERTATIO PRIMA

DE BENEFICIORUM ORIGINE, NATURA, ET QUALITATIBUS.

Ad hanc, cæterasque subsequentes Dissertationes referendus est titulus 5. libr. 3. Decretalium.

CAPUT I.

Quid sint Beneficia, & quæ illorum instituendorum ratio.

NON prisca ætas, quæ Clericos ut plurimum invitos ad Ecclesiastica gerenda munera non tam advocabat, quam cogebat, sed inferior, quamquam non sera posteritas *Beneficiorum* nomine donavit Sacra ministeria, quibus dum Clerici vacarent ex Prælatorum mandatu, Ecclesiarum peculiis alerentur. Id facile deducitur ex Hieronymo, qui in can. 6. caus. 8. quæst. 1. tradens, in dignitatibus Ecclesiasticis nullam esse habendam aut amoris, aut necessitudinis, aut similis cujuscumque adfectionis rationem, sed dumtaxat utilitatem Ecclesiæ attendendam, lugensque illorum Prælatorum perfidiam, qui has regulas minime custodirent, ajebat, cernere se, plures hanc rem *beneficium* facere; quasi diceret, longe esse dissita Ecclesiastica officia a beneficiorum natura, nec facile cum beneficiis posse confundi. Quid hoc monumento clarius ad evincendum temporibus Hieronymianis necdum beneficiorum nomen in Ecclesia auditum fuisse? Nec quisquam erit, qui putet, nomen beneficiorum jam inolevisse temporibus Concilii Chalcedonensis in conspectu canonis 9. caus. 1. quæst. 3., ubi Alexander II. ait jam in eo Concilio constitutum, damnari eos, *qui Ecclesiæ beneficium interventu pecuniæ adquirunt.* Præterquamquod enim in integra Alexandri II. epistola ea verba desiderantur, uti observavi in meis adnotationibus in Gratianum. Canon ipse Chalcedonensis ita a Gratiano exhibetur in can. 8. caus. 1. quæst. 1., ut tradatur quidem, neminem in clero connumerandum esse quocumque nomine, datione pecuniæ; non tamen usurpetur nomen beneficii. Quicumque hoc nomen dicto canoni 9. adsuit, is sane clarius explicavit Chalcedonensis Concilii mentem, eo scilicet tendentem, quo ministeria quæcumque Ecclesiastica, quæ beneficia inde appellata sunt, contemplatione jurium, atque emolumentorum, ab omni simoniæ labe vindicarentur. Amplius dixero, ne temporibus quidem Justiniani Imperatoris nomen illud obtinuisse, quando ex Novella 6. cap. 8. deducitur, vetitum fuisse Episcopis, ne gravarent Ecclesias majore numero Clericorum, quam ferrent Ecclesiasticorum reddituum vires, ne propter aliquas quidem *compassiones*, *aut beneficia* quasi dice-

ret Imperator exemplo laudati Hieronymi, nullum in designatione ministrorum versari debere amorem, beneficium nullum, id est, nullam gratiam, nullum favorem, nullam liberalitatem. Duo extant apud Gratianum monumenta Gregorio Magno tributa in can. 1. & 2. caus. 1. quæst. 3., atque in utroque *beneficii* nomen occurrit. Cæterum jam ego in meis adnotationibus ad Gratianum observavi, canones illos vel ex hoc ipso esse a Gregorio adjudicandos. Edita hæc monumenta sunt recentiore ætate ad retundendos simoniacorum abusus; & quando Gregorius Magnus multa scripsit adversus simoniacos, non dubitavit auctor monumentorum, ista ipsa Gregorio Magno tribuere, utens formulis non Gregoriano, sed suo, quo vivebat, sæculo accommodatis. Revera Gregorius multa de hac re scripserat ad Episcopos Helladis in Achaja, can. 117. caus. 1. quæst. 1., unde puto derivatum canonem 1. caus. 1. quæst. 3., dummodo emendetur inscriptio, & pro illis verbis *Episcopis Hispanis* legatur *Episcopis Helladis*. Multa item scripserat ad Episcopos Gallicanos, Syagrium, Ethetium, Virgilium, & Desiderium, unde puto derivatum canonem 2. eadem causa, & quæstione. Non tamen diffiteor, sæculo Ecclesiæ octavo jam in usu fuisse beneficii nomen, plures enim jamdiu adnotaverunt, illud legi in Concilio Francofordiensi anni 794., item in Concilio Moguntino anni 813., unde depromptum videtur capitulum 1. de Ecclesiis ædificandis; quamquam non ausim dicere, tum primum hoc nomen audiri cœpisse, propterea quod beneficii nomen, quod ibidem occurrit, non tanquam novum proferatur, sed tanquam usu jam receptum. Itaque asserere possum, nomen beneficii recentius esse Gregorio Magno, antiquius Moguntino & Francofordiensi Concilio, prodire cœpisse sub finem sexti sæculi, vel sæculo septimo, vel etiam sæculo octavo jam fluente, quin certo definiam, quo primum tempore invaluerit. Verosimile est, nomen illud Clericorum juribus, & oneribus tunc fuisse accommodatum, cum obtinuit, ut feudorum jura, beneficiorum etiam nomine nuncupata, reciperentur. Tunc enim quemadmodum milites, qui certam rem fruendam, vel utendam acceperant ab Imperatoribus, Ducibusque, beneficia accepisse dicebantur, libr. 1. feudorum tit. 1. & passim, ita beneficium quoque accepisse dixerunt Clericum, qui ecclesiasticum pro virili parte administrandum peculium obtinuisset.

Dicta hæc initio sint, ut vel ex ipso beneficii vocabulo, quod quamquam recentioribus probatum fuerit, veteribus tamen non satis placuit, facilius intelligatur beneficiorum natura, quam cum ego expendo, non aliter beneficium definire possum, quam si dixero: Beneficium est *militia quædam ecclesiastica, cujus onere suscepto Clericus certis ecclesiasticis officiis adstringatur, cujus jure quæsito ecclesiastica stipendia mereat.* Novi enim apprime, beneficia non tam in jure Clericis competente consistere, quemadmodum passim blande nimis tradi solet, quam in onere gravissimo, quod beneficiariis imminet faciendi satis officio, quod semper beneficiis inest; ac propterea jure optimo censeo, militiæ ecclesiasticæ nomen beneficiis congruere, sub quo & juris, & oneris ratio æquabiliter venit. Hac in significatione, quæ late admodum patet, nemo non videt, ecclesiastica beneficia omnibus Ecclesiæ sæculis constitisse: dicam amplius: nulla unquam potuit esse sacrorum societas inter homines, nullum ministerium, aut sacerdotium sine beneficiis, quando verum est, vel ipsum jus Gentium suadere sacros administros alendos esse, atque exhibendos. Quod si diversæ beneficiorum formæ, quales variis temporibus extiterunt, perspiciantur, pertinent istæ non ad immutandam beneficiorum naturam, sed ad beneficiorum modos, qualitates, atque id genus adjuncta. Itaque certum est, jamdiu a tempore ipso Apostolico, etiam tum,

cum Apostoli sub Christo Evangelicum obibant ministerium, munera illa extitisse, quæ posterior ætas beneficia appellavit. Etenim enitebat jam ordo sacræ militiæ, in quo constituti onus susceperant divini officii, ac præsertim Evangelicæ prædicationis, & fidelium oblationibus alebantur, quo pertinent loculi illi, sive pecunia, quæ ex Christi Domini mandatu ad sui usum Apostoli custodiebant, & post Christi ascensionem custodire perrexerunt, quæ sane quamdam beneficiorum formam exhibent, can. 12. caus. 12. quæst. 1.. At vero quo certior est horum munerum disciplina inde traducta usque ad seras ætates, atque æternum duratura, eo difficilius est inquirere in modos, & formas, quibus peculii sacri administratio per varietates temporum immutata est. Juvat in hac parte per varia Ecclesiæ sæcula expatiari, ac majoris perspicuitatis gratia Civitatenses, sive Episcopales Ecclesias a Rusticanis, sive a Parochialibus distinguere.

Ut de Civitatensibus, sive de Episcopalibus Ecclesiis primum dicam, multiplices temporum notas consignare debeo; primum Apostolicam ætatem ad Constantinum Imperatorem usque traductam; deinde sæculum quartum usque ad medium fere sæculum quintum, quo Sanctus Augustinus Hipponensis florebat; tertio tempora, quibus Sanctus Augustinus & vixit, & certæ præstituendæ administrationi bonorum Ecclesiasticorum normam præbuit, usque ad tempora Concilii Agathensis, sive usque ad sæculum sextum; quarto tempora Concilii Agathensis, sive sæculum Ecclesiæ sextum cum sequentibus usque ad undecimum; quinto sæculum undecimum ad duodecimum usque, aut decimumtertium; postremo sæculum vel duodecimum, vel decimumtertium, a quo vix recentissima, & hac ipsa nostra ætate, ulla disciplinæ varietas deprehenditur. Igitur initio Apostoli, virique Apostolici exemplo Christi Domini loculos, sive peculia possidebant redacta, ac collecta ex piorum fidelium oblationibus, & quidem liberalibus, ac largis ad alimenta sacrorum administrorum, item pauperum, eorumque omnium, quos christiana charitas sancta commmunione donabat, quemaddum testatur S. Lucas in actis cap. 2. in fine, cap. 4. vers. 32. & sequentibus, & cap. 5.. Ne vero hac temporalium rerum administratione gravarentur Apostoli, quippe qui & orationum, & prædicationis evangelicæ curam præcipue obituri erant, electis Diaconis fuit ea administratio demandata; adeo ut quæcumque oblationes in potestate quidem Apostolorum, atque Episcoporum personam apostolicam gerentium redigerentur, sed Apostolorum eorumdem, atque Episcoporum solertia in singulos pro indigentia, & meritis per Diaconos tribuerentur, Actorum cap. 6., can. 12. 23. & 24. dist. 93., quasi Episcopi curam generalem gererent universi peculii, Diaconi meram dispensationem, can. 23. & 24. caus. 12. quæst. 1.. Hinc in Ecclesiis reposita erant gazophilacia, arcæ, conchæ, seu corbonæ, in quibus peculium oblatum custodiebatur, uti testantur Justinus in Apologia 2., Tertullianus in apologetico, & Cyprianus in sermone de eleemosyna. An solis pecuniarum, rerumque fungibilium, usuque consumptibilium oblationibus, an insuper prædiis sive urbanis, sive rusticis peculium ecclesiasticum constaret, facti potius, quam juris disputatio est. Ex laudatis capitibus Actuum Apostolicorum liquet, primos christianos prædia vendidisse, ac venditorum pretia coram Apostolis adtulisse in usus pios eroganda. Non est tamen inverosimile, paulo postea aut Viris apostolicis, aut successoribus Episcopis ipsa prædia fuisse largitate fidelium oblata, vel a Diaconis ex mandato Antistitum vendenda, & eroganda in pios usus, vel etiam retinenda eousque, donec prædiorum possessio utilis, aut opportuna videri Ecclesiæ posset. Erat adhuc Ecclesia diris Æthnicorum vexationibus turbata, ac quassata, eamque ob

ob rem tanquam collegium illicitum in Romano Imperio habebatur, & tanquam illud, quod in communi aut rerum dominia aut possessiones habere non posset, argumento l. 20. ff. de rebus dubiis, & legis 8. cod. de hæred. instituend.; identidem tamen non pacem dixerim, ac securitatem, sed quasdam ve luti inducias obtinebat, unde fieret, ut si Clerici sub Episcopo constituti in possessionem prædiorum inducerentur, sine turbatione uterentur illis, ac fruerentur, non tamen sine formidine, cum deinde passim contingeret, ut quæsitis spoliarentur. Abstineo a recensendo aut canone 5. caus. 12. quæst. 2., aut canone 12. caus. 17. quæst. 4., utpote qui inter figmenta Mercatoris recensendi sunt, qui sane si genuini essent, perspicue demonstrarent, temporibus Pii Papæ jam prædia possessa fuisse ab Ecclesiis. Cæterum prostant monumenta quædam apud historicos, quibus cum dicatur, prædia restituta fuisse Ecclesiis auctoritate, & clementia quorumdam veterum Imperatorum, præsertim Constantini Magni, liquet, quandoque Ecclesiam bona immobilia possedisse. In conspectu istorum ego facile concludo, vix monumenta occurrere, ex quibus colligatur, prædiorum jura per tria & amplius sæcula Ecclesiis fuisse quæsita; aut si pauca quædam inveniantur, non constitisse in illis firmam, aut ex omni parte receptissimam disciplinam; etenim si forte quidam Imperatores Æthnici visi fuerunt per certa tempora Ecclesiæ connivere, tum vero ecclesiasticum Collegium possidere in communi prædia potuit, per quasdam, ut modo dicebam, inducias id factum est, quibus tantisper a vexatione cessatum, non facultate expressis legibus facta, qua liberum adquirendi, retinendique jus concederetur; atque hac tempestate quæcumque oblationes, redditusve universi devolvebantur ad Episcopum in singulis diœcesibus; Episcopus autem per Diaconos designatos consulebat necessitatibus Clericorum, præstationibus vel annuis, vel menstruis, vel hebdomadariis, vel etiam diurnis in Clericos eosdem factis, unde Cyprianus Clericos appellabat *fratres sportulantes*, propterea quod unusquisque eorum in sportulis tributum peculium, & victualia referebat.

Deventum fuit ad tempora Constantini Imperatoris, qui primus Christo nomen dedit; & postquam ipse lata lege sanxit, licere unicuique Clericorum Collegio hæreditates, ut legata relinquere, l. 1. cod. de sacros. Eccles.; liberalitates fidelium splendidiores esse cœperunt, nec tantum in numerata pecunia, inque rebus fungibilibus oblationes passim factæ, sed & collatione prædiorum Ecclesiarum patrimonia adaucta sunt. Immo & ex ipsa datione prædiorum paulatim fieri cœpit, ut non adeo uberes essent rerum fungibilium præstationes, quasi Clerus ex rebus immobilibus, ac frugiferis congruam jam sustentationem referret. Refert Eusebius, & Nicephorus, variis donariis multas Ecclesias Constantini Principis liberalitati locupletatas esse, atque unam Carthaginensem Ecclesiam ter mille folles accepisse. Quid follium nomine veniat, qui scire voluerit, adeat Petavium in diatriba de Follibus adjecta notis in Epiphanium. Leo Philosophus in sua Novella 12. etiam testificatur quædam de largitatibus Constantini. Hinc passim auctus est numerus Diaconorum, qui temporalium rerum curam gererent, immo & constituti Subdiaconi plures, quorum opera Diaconorum sollicitudo juvaretur, præsertim ubi prædia dissita essent ab Ecclesiis, quibus Diaconi ministrabant; hinc scimus, temporibus Gregorii Magni ad custodiam, & curam patrimonii Ecclesiæ Romanæ designatos fuisse Subdiaconos, in Campania præsertim, & in Sicilia Imperatores, qui Constantino successerunt identidem quidem cleri commoda provexerunt, pro singulorum religione. Verum quandoque accidit, ut ex variis causis aut caderet Ecclesia adeptis, aut certi acquirendi fines Ecclesiæ ponerentur. Dominabantur adhuc quarto sæculo Æthnici in Magistratibus constituti

etiam sub Imperatoribus Christianis, qui odio, & invidia Christiani nominis Imperatorum animos aut a Christianæ Religionis patrocinio, aut certe a liberalitatibus in Ecclesias exhibendis vel aperte, vel subdolis artibus avocabant. Hinc Julianus, qui & apostata dicitur, in oratione Misopogon jussit prædia Ecclesiis olim concessa ab Ecclesia eripi; neque aliud ab impio Principe in idololatriam prono poterat exspectari. Sed iterum alii pii Principes liberas possessiones prædiorum Ecclessiis concesserunt. Parcius Imperator Valentinianus se in Ecclesias gessit. Noverat ipse, Ecclesias ditatas fuisse magnis fidelium largitatibus, quas proinde non censuit in immensum extendi debere; quamobrem in l. 20. & 27. cod. Theod. de Episc. & Cler. vetuit, ne mulieres præsertim quidquam Ecclesiis testamento legarent, quam constitutionem viris ecclesiasticis minus gratam Hieronymus de vita Cleticorum tradebat eludi facile posse, suadens, ut qui vellet Ecclesiæ redditus augere, quod non poterat hæredis institutione, vel legati datione facere, institutione fideicommissaria impleret. Rebus Ecclesiæ ita constitutis perseveravit nihilominus vetustissima disciplina administrationis. Nimirum redditus Ecclesiarum, sive ex oblationibus rerum fungibilium a fidelibus donatarum, sive ex fructibus prædiorum exacti, in Episcopi potestatem deveniebant; & in Clericos omnes, piasque causas, quales erant erectiones, reparationesque sacrarum ædium, ornamenta templorum, erogationes in pauperes, & peregrinos, aut similes per Diaconos tribuebantur, can. 23. 24. caus. 12. quæst. 1., immo & ad auferendam quamcumque suspicionem ab Episcoporum providentia statuit Chalcedonense Concilium, ut nemo ex Episcopis per se ecclesiasticum peculium administraret, tribueret, sed per Œconomum, ut plurimum ex Diaconorum ordine designatum, can. 4. dist. 89., can. 21. caus. 16. quæst. 7..

Obnoxia esse debuit variis incommodis ita constituta, ac firmata disciplina. Et primum quis adeo Œconomorum, sive Diaconi essent, sive Subdiaconi, fidem, integritatem, atque probitatem in tributione peculii sacri puram, & simplicem fuisse sibi persuadeat, ut & nullius querimoniæ occasionem præberet, & foret perenniter duratura, quando scimus, vel ipsa apostolica ætate similes querimonias de contemptu nonnullorum in administratione, ac tributione Ecclesiastici peculii auditas fuisse? Actorum cap. 6. in principio. Deinde inconcinna videbatur, & indecora ratio illa tributionis, qua singuli de clero quotidianas fere pensitationes non tam in numerata pecunia, quam in cæteris fungibilibus rebus quotidiano victui necessariis domum sportularum divisione adferebant. Primus Eusebius Vercellensis e recessu Sardos ad regendam Vercellensem Ecclesiam advocatus, jamdiu olim inter Monachos commoratus, censuit e re clericali esse, si vitam communem instar monasticæ in clerum inferret, ratus, ea ratione incommodis omnibus consuli facile posse. Præterquamquod enim Clerici universi una cum Episcopo in una domo prope Ecclesiam degentes præsto esse valerent sacris officiis, & expeditiores, utpote sine sollicitudine rerum extranearum, & mutuis exemplis se ad optima quæque concitari possent; æqualibus mensæ, & habitationis ratio invidiam omnem, contentionesque auferebat, & convenientius Œconomi sub Episcopis constituti necessaria quæque parabant, dispensabant. Exemplum Eusebii imitari cœperunt nonnulli Episcopi finitimi; cumque Augustinus Mediolani degens in fide æque, & ecclesiastica disciplina erudiretur, apprime gnarus communis Clericorum vitæ in certis Mediolanensis Provinciæ diœcesibus institutæ, statim ac Hipponensem in Africa Episcopatum adeptus est, & ipse eamdem communem vitam in suam Ecclesiam invexit: immo & regulam com-

munis vitæ conscripsit, sequendamque clero suo proposuit. Post Augustini factum, ac præsertim post regulam scripto editam, ac de manu traductam, Episcopi numero plurimi eadem vestigia presserunt, unde pasim in unaquaque fere Cathedrali Clerici communem vitam amplexi sunt, sub regimine præsidentis Episcopi, & sub dispensatione Œconomorum ut plurimum ex Diaconis selectorum. Videatur in hanc rem canon 10. 11. & 18. caus. 12. quæst. 1.. Itaque hucusque tantum in eo disciplina vetus immutata adparuit, quod Clerici olim sejuncti in quoddam veluti Collegium coaluerunt; cæterum adhuc Episcopi generalem curam bonorum Ecclesiasticorum gerebant, quam Œconomis, sive Diaconis demandabant, a quibus etiam reddendas rationes exigebant.

Felix initio fuit hæc suscepta vitæ communio, sed paulatim non omnibus Clericis placuit, adeo ut identidem Augustinus ipse communionis auctor de Clericorum suorum tædio quereretur. Eam ob rem a sæculo sexto usque ad undecimum varii fuerunt in hac parte Ecclesiarum mores; licet enim alicubi vita communis fuerit perpetuo, constantissimeque servata, aut saltem post brevis aliquando temporis lapsum renovata, ut plurimum tamen dissociata, est, & bona Ecclesiæ inter Clericos singularibus discreta titulis distributa fuerunt. Intuebantur Episcopi Clericos quosdam vitam communem perosos, eaque propter profitentes, se vividius, & jucundius Ecclesiæ deservituros, si separatim viverent; quamobrem Episcopi a regula dispensantes certis eos prædiis donabant, quæ non dominii jure tenerent, sed simplicis administrationis, unde necessaria vitæ subsidia derivarent, quod probatum primum adparet in Concilio Agathensi, can. 32. caus. 12. quæst. 2.. En recentiorem beneficiorum imaginem a sexto sæculo in Cathedralibus Ecclesiis exhibitam, qualem etiam hodie adspicimus, qua fit, ut præcipua quædam Ecclesiasticorum reddituum portio Episcopali auctoritate Clerico utenda cedatur in sacris oficiis administraturo.

Ex dissociatione communis vitæ, atque ex constitutis singularibus peculiis Clericorum irrepserunt statim in Clericos vitia innumera, præsertim quod Clerici bonorum ecclesiasticorum possessores non adeo, ut olim, ab Episcopo, aut ab Œconomis ab Episcopo constitutis pendebant. Hinc splendidæ epulæ, hinc luxus, ac luxuries, hinc ambitus, hinc avaritia, & quæ ex hac radice pestifera dimanat lues simoniæ; quæ sane omnia, atque his similia flagitia sæculo decimo, & undecimo ferreæ ætatis notam impresserunt. Providi Ecclesiarum Antistites, ac præsertim Pontifices Maximi intuiti tantos abusus omnem lapidem moverunt, ut Clericos in bonam frugem reducerent, quod commoda ratione fieri posse sperabant, si iterum ad communem desertam vitam Clericos revocarent, quemadmodum constat ex universis propemodum illis temporis monumentis, ac præcipue ex Romanis Conciliis anni 1059. & anni 1063.. Quibus acti stimulis Clerici impensius communem vivendi rationem amplexati fuerunt cum uberrima Ecclesiarum utilitate; & singularia beneficia jamdudum concessa rursum in quamdam bonorum universitatem coalerunt. Non tamen diutius constitit hæc rerum ecclesiasticarum administrandarum ratio, & Clericorum Ecclesiæ addictorum propositum; etsi enim aliqui regularem illam vitam professi perpetuo fuerint, quorum etiam hodie supersunt Collegia, passim tamen deventum iterum est ad bonorum divisionem, unde beneficia sub præbendarum nomine, quasi sub tributione quadam Canonicis præberentur, in Cathedralibus Ecclesiis in eam formam redacta fuerunt, in qua adhuc in præsentia consistunt. Si qua erecta alia inde fuerunt beneficia, sive sub nomine Canonicatus, sive sub alio quocumque titulo ad augen-

dos Cathedralium Ecclesiarum administros, ad illorum fere similitudinem instituta deprehenduntur, dummodo singulares a fundatoribus adjectas leges excipias.

Pertinent hæc ad Ecclesias Cathedrales, in quibus semper Episcopi una cum certo Clericorum numero resederunt. Non absimilia adnotanda sunt in Ecclesiis constitutis extra civitates in oppidis, pagis, & vicis. Ecquidem frustra quæreremus certam disciplinam extra Cathedrales Ecclesias tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, immo etiam ineunte, aut fluente quarto; propterea quod usque ad ea tempora non alia erat Ecclesia, quam Episcopalis, ad quam universus diœcesanus populus statis temporibus confluebat. Tantum observo, opus tunc fuisse, ut quidam Clerici, aut Diaconi causa oblationum, vel prædiorum diœceses lustrarent, aut Sacerdotes, prout res incideret, fideles constitutos in vicis divinis mysteriis recrearent, singuli tamen brevi ad Cathedralem Ecclesiam redituri; tum vero Clerici illi adhuc adscripti dicebantur Cathedrali Ecclesiæ, a qua nonnisi ex temporaria causa aberant, propterea que eodem jure, quo cæteri in Cathedrali Ecclesia perpetuo residentes, censebantur. Erectis extra Civitatem Parochialibus Ecclesiis, quod adaucto fidelium numerus sub finem quarti, vel principium quinti sæculi postulavit, & missis in villulas, pagos, & oppida Presbyteris, ac ministris earumdem Ecclesiarum titulo, & quidem perpetuo, ordinatis, mandatum fuit, ut ipsi, sicut ordinario jure sacrum officium exercebant, prout crediti muneris ratio postularet, ita & fidelium oblationes exciperent, servata tamen, quoad fieri posset, vetere consuetudine; nimirum adhuc Parochi, & sub Parochis constituti administri oblationes quascumque ecclesiasticas, eoque magis rerum immobilium donatarum jura in Episcopi potestatem conferre debuerunt, necessaria deinde sibi, ac suis administris vitæ subsidia ab eodem Episcopo recepturi. Aliud primum apud Græcos invaluit in Ecclesia Constantinopolitana sub Patriarcha Gennadio, labente sæculo quinto, quemadmodum scribit Nicephorus Callixtus in libro I. Historiæ Ecclesiasticæ Theodori Lectoris num. 13. ibi: *Porro Gennadius Œconomum Ecclesiæ constituit Marcianum... Hic simul atque Œconomus factus est, decrevit, ut, quæ in unaquaque Ecclesia offerebantur, Clerici ejusdem Ecclesiæ acciperent, cum ad id tempus Magna ecclesia universa accipere soleret*; quod paulatim, & sensim ad alias Ecclesias traductum est; unde tandem evenit, ut Parochialibus, aliisve inferioribus, non Cathedralibus Ecclesiis adquirerentur, quod Parochiis, aliisque inferioribus Ecclesiis donatum fuisset, Ferrandus Diaconus in cap. 38. Breviarii, alicubi quidem citius, alicubi in universum, alicubi pro parte tantum, scilicet pro modo matrimonii uniuscujusque Cathedralis Ecclesiæ, cujus jura antiqua non adeo imminui decebat, quousque sufficientes redditus ad alendos civitatenses Clericos non haberet. Quamobrem scimus, etiam recentioribus sæculis modo dimidiam, modo minorem dimidia portionem Parochialium, aut aliarum, quæ inferioribus Ecclesiis fierent, oblationum Episcopis reservatam, can. 9. vers. *Constituimus*, verbo *tertiam* caus. 1. quæst. 3. can. 7. 8. 10. caus. 10. quæst. 1., can. 4. caus. 12. quæst. 3., can. 60. caus. 16. quæst. 1., cap. 16. de offic. jud. ordin., modo etiam censum annuum, quod tamen abrogatum est Concilio Cabilonensi II. anni 813. can. 17.. Nemo non inde videt, quod dictum est de Parochialibus Ecclesiis, id facile traduci posse ad cæteras Ecclesias minime Parochiales erectas intra fines Parochiarum. Interea Clerici diœcesani in Parochiis constituti, aut etiam extra Parochias in inferioribus Ecclesiis ministrantes, concitati præsertim exemplo Clericorum in Cathedrali Ecclesia communem vitam cum Episcopo ducentium, similem vitæ rationem arripuerunt, ut de Collegiatæ Ecclesiæ emerserunt, si-

ve Parochiales essent, sive minime Parochiales, iisque omnibus vicibus obnoxiæ factæ sunt, quibus superius ajebam obnoxias fuisse Ecclesias Cathedrales. Nimirum & in ipsis dissociata vita communi deventum tandem est ad constitutiones, tributionesque præbendarum. Non absimilis quoque fuit ratio Parochialium Ecclesiarum recentioribus sæculis ad commodum Civitatensis populi in urbibus Episcopalibus erectarum, item Ecclesiolarum inferiorum, in quibus certi sacri administri constituti fuerunt. Unde tandem factum est, quod hodie intuemur, ut Parochi, Clericique universi beneficii titulo alicui Ecclesiæ adscripti pro virili accepta portione bona Ecclesiæ administrent, & manu, ita dixerim, sua sibi necessaria vindicent, & cætera in usus erogent a Sacris canonibus præstitutos. Non memoro beneficia rectioris erectionis; ista enim instar veterum erecta sunt, eaque formam ut plurimum acceperunt, exceptis quibusdam singularibus a fundatoribus adjectis legibus, quam cætera similia beneficia sortita jam fuerant juxta commemoratas temporum rationes. Ut paucis universa concludam, hodie res eo devenit, ut beneficium esse dicatur, quoties Clerico cuipiam aliquod munus ecclesiasticum obeundum demandatur ita, ut etiam ipsi certa jura, sive obventiones, cujuscumque illæ sint generis, administrandæ, dispensandæque ut plurimum ex Ecclesiæ instituto, aliquando autem ex singulari quodam fundatorum placito, concedantur.

CAPUT II.

De Beneficiorum proprietatibus generatim, ac specialiter.

De perpetuo Beneficiorum militia.

QUædam œconomiæ, sive politiæ Ecclesiasticæ species in beneficiis deprehenditur, in qua scilicet non modo natura ipsa rei consideranda est, sed etiam generalis fundatorum, vel erigentium voluntas, non publicæ Ecclesiæ leges, quibus certi modi, certæque formæ præstitutæ fuerunt Hinc pendent beneficiorum conditiones, sive proprietates, quæ beneficiis fere cohærent, & perpetuo præsumuntur inesse, quousque ex singularibus quibusdam adjunctis detractæ a beneficiis, apertissimis probationibus non demonstrentur. Istarum prima oritur ex sacræ ordinationis natura: ut enim sacra ordinatio perpetuo Clericum sacris addicit officiis, ita beneficium, quod ex originaria sui institutione a sacra ordinatione pendet, postulare videtur, ut qui semel beneficio potitus est, ab eodem sine causa nequeat aut deturbari ab aliis, aut ipse recedere. Altera oritur ex generali illorum omnium, qui beneficia erexerunt, præsumpta voluntate, quæ ea fuisse videtur, ut beneficium semel erectum perpetuo in Ecclesia maneat, nunquam autem aut ab ipsis revocetur, aut ad aliorum potestatem transferatur. Tertia proficiscitur ex Ecclesiastica lege, quæ generaliter voluit, officia singula ita esse tributa, ut alter administer ab altero non turbetur, eviteturque confusio, unde fit, ut beneficium inter plures dividi nequeat. Postrema eamdem fere habet originem; nimirum ex utilitate Ecclesiæ, & rectæ distributionis officiorum ratione, qua fit, ut nemo ex Clericis pluribus beneficiis cumuletur. Sunt hæc singula in hoc, & subsequentibus capitibus explicanda.

Ut de perpetua beneficiorum militia

primum dicam, certum est, Clericum certo beneficio donatum, aut recedere, aut repelli ordinario jure non posse, & primo quidem quia, ut superius præfatus sum, ita postulat natura sacræ ordinationis, cum beneficium origine saltem inspecta cohæret; secundo quia etsi demus beneficii imaginem distingui posse, quemadmodum recentioribus sæculis distincta fuit, ab imagine ordinationis sacræ, adhuc natura ipsa simplex beneficii perpetuam beneficiarii militiam postulat; tertio quia ita sanxerunt sacri canones, sive ad naturam ordinationum, sive ad naturam beneficiorum exprimendam editi. Ajebat jam Paulus Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7., *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, innuens, sacram ordinationem divinis ministeriis omnino mancipare Clericum, & in suscepto munere definire. Character ipse perpetuus, qui in sacra ordinatione imprimitur, & nullo unquam tempore, nulla etiam ratione delendus, idipsum insinuat, & quemadmodum character baptismalis ita devincit hominem christianæ communioni generali, ut baptizati sine grandi scelere nequeant susceptum jugum excutere; ita & character sacræ ordinationis & ipse indelebilis ita devincit hominem clericali societati, ut sine delicto nequeat ordinatus ad laicorum conditionem remeare. Id sane postulat inde colligatum arctissimum, quo sicut Ecclesia Clerico, ita Clericus Ecclesiæ adstringitur, vinculum; neque enim æquitatis ratio patitur, ut illud facile Clerici gratia relaxetur in detrimentum Ecclesiæ, Ecclesiam vero indissolubili nexu devinciat. Quod si monasticæ professionis natura illa semper fuit, ut ita Monachus Monasterio, sicut Monasterium Monacho obligetur, cur non idipsum operetur in Clerico sacra ordinatio? Fateor quidem, argumenta hæc non eamdem vim habere in minoribus ordinibus, ac non adeo sacris, qualem habent in ordinibus majoribus, & a Christo institutis; eaque propter receptum esse juxta hodiernam disciplinam, ut Clerici infra Subdiaconos constituti vitam clericalem sine pœnæ ullius formidine derelinquant. Verum si quidam sunt gradus in Hierarchia Ecclesiastica, non divina, ut fere placet, sed Ecclesiastica designatione constituti, in his sane Ecclesia ipsa divinam majorum ordinum institutionem imitata est, sive generalis Hierarchiæ a Christo institutæ gradus auctoritate sua distinxit; &, quæcumque sit institutionis, distinctionisque ratio, facile intelligitur, majores ordines exemplo minoribus esse debere, ita ut quod in illis obtineat ex jure divino, & istis jure Ecclesiastico accommodetur; & tantum in istis quidquam valeat Ecclesia indulgere, remittere, dispensare. Cujus rei argumento gravissimo est; quod si quis Clericus non tantum dixerim minoribus ordinibus, sed clericali tonsura initiatus a conditione clericali recedat, atque inde facti pœnitens in clerum revertatur, non iterum ordinetur, aut clericalem tonsuram recipiat, sed quasi postliminio reversus non tam novus Clericus videatur, quam veterem clericatum non amisisse. Quod si quum a clero recederet, a pœna immunis fuit, aut etiam culpa id obtinuit ex singulari consueta sacrorum Antistitum erga inferiores Clericos indulgentia præter summi juris custodiam, ex quo ipsa generalia legum principia dici nequeunt immutata. Num vero ex eo, quod hodie beneficiorum collatio ab ordinatione distinguitur, aliis regulis utendum est? Divisio collationis ordinum, & beneficiorum id operari neutiquam potest; quando etiam si collatio beneficiorum nihil cum ordinatione commune haberet, & eadem vigerent adhuc, & alia superessent argumenta. Revera si Clericus beneficium obtinet, ex parte sua sibi Ecclesiam abstringit, a qua sine causa a beneficio repelli non potest. Cur Clericus idem Ecclesiam libere deseret? Adde his, beneficia universa esse munera publica, quorum abdicatio etiam juxta civilium legum providentiam

illicita est. Hæc fuit veterum Patrum doctrina, hæc fuit a recentioribus etiam Pontificibus Maximis confirmata, can. 1. 3. 8. 17. & passim caus. 7. quæst. 1., cap. 5. de Clerico ægrot., cap. 7. de concess. præb..

Quoniam autem non ad substantiam beneficii ista pertinent, sed potius ad ingenitam quamdam beneficii qualitatem; contingere quandoque potest, ut beneficium aliquod auferri, aut cedi a Clerico possit. Quid enim, si Clericus jam beneficium possidens alio beneficio contra canones potiatur? Nonne aut ipso jure, aut sententia judicis alterutro beneficio cadet? Quid, si eorum criminum reus fiat, quibus ab Ecclesia sit jure, ac merito dejiciendus? Quid, si justas renuntiationis causas legitimo Superiori probandas adferat? Sunt hæ omnes, aut similes, veluti generalis regulæ exceptiones, quæ regulam ipsam firmant potius, quam enervent. Sed hæc attigisse sufficiat, de quibus alibi commodius sermo erit instituendus. Potissima, quæ huc spectat, exceptio est, quoties proponantur beneficia, quæ vel ex tabulis fundationum, vel ex singulari quadam possidentium conditione *manualia* appellantur, sive ad alicujus nutum revocabilia. Istud *manualium* nomen derivatum est a revocatione venditionis, vel libertatis in servis, quæ manus injectio apud Romanos appellabatur, l. penult. ff. de servis exportandis, l. 20. §. 2. ff. de manumission., & l. 2. cod. si servus exportandus veneat; unde manualia dixerunt beneficia, quoties patronus præsentationem, vel Prælatus collationem rescinderent, & pristina pro voluntate sua præsentandi, vel conferendi jura recuperarent etiam invito, & reluctante beneficiario.

Nihil in primis prohibere fundatorem potest, quominus, dum beneficium erigit, eam conditionem adjiciat, qua illud vel a se, vel a successoribus, vel a Prælatis revocetur, aut post certum præstitutum tempus revocatum intelligatur. Ampla fundatoribus concessa facultas fuit ex sacrorum canonum disciplina, qua liceat ipsis quascumque conditiones adjicere, dummodo ab inhonestis, & turpibus abstineatur. Neque obstat ea ratio, qua dicitur, beneficium origine sua, atque indole attenta cohærere sacræ ordinationi perpetuæ, & indelebili; nam si hæc adnexio moribus, & generali consuetudine dissolvi potuit, insuper haberi etiam potest in conspectu contrariæ voluntatis fundatoris, qui dum suæ rei legem dicit, suæ voluntati sinitur indulgere. Neque etiam obstat, beneficia inter munera publica recenseri, quæ sane perpetua sunt; etenim non desunt munera publica, quæ ex voluntate quorumdam privatorum diversam formam accipere posunt ac eam, quæ legibus publicis præestituta est; quemadmodum constat in munere tutelæ, quod licet lege publica refutari, & ad tempus conferri nequeat, aliis tamen regulis subjicitur, ubi agatur de tutela testamentaria a Patre designata, quæ non subest eisdem legibus cæterarum tutelarum.

Singularis quoque natura dignoscitur in beneficiis regularibus, quæ ut plurimun manualia, & ad nutum Præfecti regularis revocabilia non esse non possunt. Nam cum regulares, sive Clerici, sive Monachi ex emisso obedientiæ voto in omnibus, in iis autem potissimum, quæ ad Collegii, vel monasterii res pertinent, Prælato suo obtemperare teneantur, debebunt statim a beneficio abstinere, quoties ipsis beneficio etiam sine causa interdicatur, cap. 6. de statu Monach. vers. *nec alicui*, cap. 6. de confirm. utili, vel inutili, Clement. unic. vers. *præmissa* de suppl. neglig. Prælat. Hinc est, quod regularia beneficia, præsertim etiam quia ad certum in collatione expressum tempus concedi soleant, non proprie beneficiorum, sed administrationum, procurationum, officiorum, aut alio simili nomine appellari consueverunt. Cessant in hoc proposito rationes omnes perpetuitatis, quæ in beneficiis cleri-

calibus locum habent; etiam si enim Monachi successione temporum cœperint clericali ordine insigniri; immo etiam si alii regulares ab origine sua Clerici extiterint, unde vi etiam sacri characteris perpetuo Ecclesiis Monasteriorum, vel Collegiorum adscriberentur, perpetuo quidem unusquisque in ordine suo ministrare semper debuit, quod tamen attinet ad peculium, id perpetuo in communi possident, ac si quod jus privatum est, eo spectat, ut singuli a Monasterio, vel Collegio alimenta postulent, singularem autem administrationem nomine vel Collegii, vel Monasterii gerant, Superioris arbitrio revocandam, & in alios transferendam. Itaque si fingatur, disputationem oriri de beneficii cujusdam qualitate, num manuale sit, num perpetuum; perspicue ex iis, quæ diximus, inferetur, ubi nullæ adsint hinc illinc probationes, nullæ etiam graves conjecturæ, considerandum esse, an beneficium regulare sit, an sæculare: si sæculare esse evincatur, perpetuum; si regulare demonstretur, manuale habebitur: cur enim in dubio uniuscujusque rei natura, ac proprietas non custodiatur?

Dixi, si nullæ graves subsint conjecturæ, ut duas exceptiones ad regulam generalem adjicerem. Prima exceptio est in beneficiis regularibus electivis, quæ scilicet pendent ex Monasterii, vel Collegii totius electione; hæc enim beneficia, utut regularia, perpetua sunt, non quidem ea significatione, ut ad beneficiarii vitam semper prorogentur, sed modo ad vitam beneficiarii, modo ad certum definitum tempus, modo etiam ad incertum, quousque scilicet alter beneficiarius ab eodem Capitulo statis temporibus convocando designetur, juxta regulas uniuscujusque Monasterii, vel Collegii; quod idem est ac dicere, Præfectum Monasterii non posse pro arbitrio suo administrum a Capitulo constitutum removere. Hujus exceptionis ratio ex eo repetitur, quod illa, quæ fiunt a Capitulis maturo consilio facta censentur, nec adeo facile retractationibus subjici debent. Præterea ubi Capitulum jam certo decreto rem, prout incidit, definivit, officio functum est suo, exemplo judicum, qui pronuntiata sententia nequeunt ulterius renovare judicium, argumento l. 55. ff. de re judicata; eodem modo, quo Capitula quæcumque jus eligendi habentia, electionem, ad quam rite devenerunt, retractare non possunt, & loco Superioris esse desinunt, argumento canonis 1. dist. 23. can. 11. caus. 18. quæst. 2., cap. 38. de electione, & cap. 2. de statu Monachorum. Altera exceptio est in beneficio regulari, cui cura animarum etiam in personas extra monasterium constitutas incumbat, cujus institutio ab Episcopo, & non a Superiore Monasterii pendet; cum enim in hoc beneficio adipiscendo non alium Superiorem agnoscat Clericus regularis, quam Episcopum, non tenetur, nec debet in hac parte Prælato regulari dimissionem jubenti obtemperare, ne dicatur, Prælatum regularem irritare posse Episcopales institutiones. Atque id quidem verum censeo in beneficiis omnibus, in quibus Episcopalis institutio necessaria est, & institutus vere, ac proprie beneficiarius censetur. Quid vero, si beneficium Curatum cohæreat Monasterio, & cura animarum ex Monasterii designatione electo Monacho veluti Vicario Monasterii demandetur? Duæ sunt in hanc rem Tridentini Concilii constitutiones. Prima in cap. 7. sess. 7. de Ref., altera in cap. 11. sess. 25. de Regular.. In dicto cap. 7. decernitur, ut Episcopi, nisi aliter expedire noverint, etiam perpetuos Vicarios valeant designare. In dicto cap. 11. decernitur, ut Vicarii designati pendeant omnino ab Episcopis in iis, quæ spectant curam animarum; item ut Vicarii omnes, etiam ad nutum amovibiles, non aliter a Monasterio designentur, quam prævio examine, & consensu Episcoporum, excepto Monasterio Cluniacensi

cum suis limitibus, exceptis etiam Monasteriis, in quibus Abbates generales, aut Capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis, in quibus prælati regulares jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent. In conspectu istorum decretorum statim absoluto Concilio non solum Episcopi plures in quibusdam Monasteriis Vicarias perpetuas erexerunt, in quibus propterea Vicarios a Monasteriis præsentatos, & numquam ab eodem Monasterio amovendos instituerent, sed etiam ubi Vicarias perpetuas non erexerunt, in suis Synodis professi sunt, se facile non passuros, Prælatos regulares, irrequisitis, & non consentientibus Episcopis, constitutos Vicarios removere, quemadmodum exempla sunt apud Vanespen in parte 2. juris Eccles. univ. tit. 18. cap. 3. num. 27.. Sed Pius V. anno 1567. in sua constitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, voluit, ut cum de mendicantibus ageretur, si Parochiæ essent Monasteriis unitæ, Monasteria designarent Vicarios ab Episcopis examinandos, ac repertos idoneos adprobandos, ita tamen, ut Vicarii ad nutum suorum Superiorum removeri possent. Singularis esse videbatur hæc constitutio de solis mendicantibus concepta: at quis non videt, universis propemodum Monasteriis esse potuisse communem ob privilegia mendicantium multis Ordinibus concessa? Equidem visus fuit Gregorius XV. anno 1622. in sua constitutione, quæ incipit: *Inscrutabili*, modum quemdam privilegiis regularium adjecisse, sed quotidiana experientia docuit, non adeo amplam in hac parte exerceri consuevisse jurisdictionem ab Episcopis, qualis concessa a Tridentino Concilio videbatur. In primis multi casus a Pragmaticis designati sunt, in quibus nequeat Episcopus Vicarios perpetuos constituere, quales recensuit Barbosa de offic. & potest. Episc. allegat. 72. num. 190.. Deinde traditum est, satis esse consultum jurisdictioni Episcopali, ubi Vicarii perpetui non designantur, si Monasteria ipsa, dum Vicarium designant, præsentent designatum Episcopo, ab eodem examinandum, ac probandum; quoties autem Prælatus regularis e re Monasterii esse putet, eumdem Vicarium removeri, valeant quidem eumdem propria auctoritate repellere, dummodo tamen Episcopum certiorem reddat, & curet, ut a Monasterio alter Vicarius eligatur, & simili ratione Episcopo præsentetur examinandus, ac comprobandus. Videatur Fagnanus ad capitulum *Cum ad Monasterium* de statu Monachor. num. 39. & sequentibus, & Pitonius de Controversiis Patronorum allegat. 100. num. 38. & sequentibus.

CAPUT III.

De ingenita Beneficiorum perpetuitate.

SI beneficiorum nomine generaliter omnia Ecclesia officia intelligamus, eodem jure perpetua dicere illa debebimus, quo perpetua ipsa Ecclesia est, cum sine officiis, & muneribus, sicut quæcumque societas, ita Ecclesia nullo modo consistat. De hac beneficiorum perpetuitate non loquor, sed potius de ea, quam singula, ubi eriguntur, statim ingenitam sortiuntur. Etenim quoties beneficium constituitur; & certum officium designatur, quod semper, & perenni successione obire selectus vir ecclesiasticus debeat; & certa jura præcipua fiunt, quibus Clericus idem selectus perenni etiam successione potiatur. Tria sunt beneficiorum genera; prima antiquissima, quæ, dissociata inter Clericos, vitæ communione, erecta sunt auctoritate Episcoporum ad distinguenda officia, & singu-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

lis administris singularia bona adsignanda; altera recentiora sunt, aut ad similitudinem præcedentium erecta ab Episcopis, aut ad liberam Episcoporum dispositionem post erectionem devoluta, ex largitatibus, quæ Ecclesiæ post factam inter Clericos bonorum divisionem accesserunt; postrema sunt, quæ petentibus fundatoribus erecta fuerunt reservato jurepatronatus: in omnibus autem perpetuitas facile deprehenditur ex erigentium voluntate. Perpetua sunt beneficia primi generis; cum enim Clerici a communi vita recesserunt, & præstituto Ecclesiæ servientium numero discreta fuerunt munera, & singula in singulos distributa peculia pro qualitate officii, & gradus, ea ratione, ut unusquisque suo contentus alienis nusquam inhiaret; eodem jure, quo perpetuitati utilitatis Ecclesiæ studuerunt Antistites, in perpetuitatem quoque beneficiorum intenderunt, cap. 12. de constitut., cap. 8. de præbend. & dignit.. Perpetua sunt beneficia secundi generis, propterea quod, cum hæc instar priorum erecta fuerint, priorum eorumdem naturam, atque indolem sortiuntur. Perpetua sunt beneficia tertii generis, non solum ex eo, quod ad cæterorum similitudinem erecta fuerint, sed etiam quod fundatores bona, quæ contulerunt, & officium sacrum, quod implendum mandarunt, perpetuo perdurare voluerint, & Episcopus fundationem acceptans ratam hanc fundatorum voluntatem habuerit. Quidquid enim statutum est, ut de bonis beneficii fundatoribus indigentibus ab Ecclesia succurratur, can. 29. & 30. caus. 16. quæst. 7., nisi Ecclesiasticis viris prohiberetur, ne beneficia extinguerent? Quidquid statutum est, ne fundatores, eove minus a fundatoribus causam habentes, Clericos a rebus donatis expellerent, nisi fundatoribus, cæterisque ab iis causam habentibus præciperetur, ut, quod constituerunt, revocare non possent? can. 29. caus. 16. quæst. 7., cap. 4. de jurepatron..

Hæc adeo vera sunt, ut etiam si superveniat causa, quæ revocandis donationibus jure sufficiens existimetur, nihilominus beneficium a fundatore, aut ab eo causam habentibus revocari non possit. Non memoro in hac re ingratum donatarii animum, cujus incapax est Ecclesia; & quamquam beneficiarius ingratus esset fundatori, aut patrono, non inde hoc vitium refunditur in Ecclesiam, in quam unam donatio ipsa collata censetur. Potius memoro speciem, qua fundator beneficii post erectum beneficium filios habuerit, de quibus olim non cogitaverat, aut nullam spem habuerat. Quamquam vero hæc causa a Pragmaticis revocandis donationibus idonea habeatur, uti passim deducunt ex l. 8. cod. de revocand. donation., tamen ego observo, eam non sufficere, ut semel erectum beneficium rescindi aliquo modo possit. Etenim fundator beneficii non simpliciter, sed ex causa, Ecclesiæ donat, nimirum ut certum officium perpetuo in Ecclesia, & a viris ecclesiasticis geratur: at in donationibus, quæ ex causa fiunt, & quæ ex parte donatarii certam futuram implendam conditionem inducunt, non idem est effectus qui in donationibus simplicibus deprehenditur; siquidem istæ facilius, atque ex sola donantis voluntate dignis de causis retractantur, contra quam in illis contingat, argumento l. 1. cum similibus ff. de condict. causa data, causa non secuta. Eam ob rem donationem ex causa factam, ne ex ingrati quidem animi vitio rescindi a donatore posse, rescripserunt Imperatores in l. 24. cod. de jure dotium.

Quid vero est, quod legitur in can. 33. & 34. caus. 16. quæst. 7., monasterium, vel oratorium canonice constructum non posse *a dominio* constructoris auferri, aut præter *fundatorum dispositionem* vindicari? Num forte quisquam inde deducet, adhuc dominium, aut liberam dispositionem rerum in Ecclesiam collatarum penes fundatorem existere? Hanc interpre-

tatione minimem patitur canonum disciplina. Canon 33. editus ab Eugenio II. sæculo Ecclesiæ nono intelligendus est juxta disciplinam illius ætatis. Nimirum ex lege Lotharii Imperatoris, quæ extat in lege 8. libr. 2. tit. 18. legum Longobardarum obtinebat, ut, qui bona conferebant locis Deo dicatis, possent sibi eorumdem bonorum usumfructum, & ordinationem reservare. Cur non hac in significatione Eugenius constructorem monasterii, aut oratorii potuisset dominum appellare, quando usufructuarius loco domini intelligitur, argumento l. 4. ff. de usufruct. & quemadm.. Adde, ibi dominii nomen pro jurepatronatus, seu pro jure præstandi commode fuisse usurpatum, quemadmodum canonis ejusdem contextus aperte demonstrat. Canon 34. nullum negotium facesset, si ad integram Gregorii Magni Epistolam exigatur. Erexerat Cassiodorus Castellionense, seu Vivarense Monasterium: huic successione temporum aliud subjectum fuerat ex voluntate fundatorum, ita ut unum monasterium alteri subesset. Quidam laici homines nullam a fundatoribus causam habentes unum ab altero sejungere meditabantur. Rescripsit in ea causa Gregorius, *rationis ordinem non pati, ut monasterium ipsum & maxime contra voluntatem fundatorum, ab eorum* (id est, monachorum monasterii principalis) *dispositione ad arbitrium suum, præsertim laica persona, subducat.* Quæ sane ita perspicue exposita nihil amplius habent cum proposita disputatione commune.

Cæterum cum memorata beneficiorum proprietas, ac conditio ex voluntate Ecclesiæ erigentis, aliquando etiam ex voluntate fundatoris dimanet, contingere quandoque potest, ut justa interveniente causa Ecclesiæ auctoritate probata, atque ubi fundatorum, aut eorum, qui fundatorum jure censentur, intersit, istorum accedente consensu, beneficium extinguatur. Quid enim, si ex. gr. certum beneficium supprimi, aut alteri per suppressionem uniri, aut in alteram formam transferri publica Ecclesiæ utilitas postulet, quemadmodum illa esset, quæ Clericorum seminaria erigenda ex beneficiariorum reddituum collatione suadet, aut alia similis? Sunt istæ causæ publicis definitionibus comprobatæ, cap. 8. de constitution.. Generaliter autem tempore circumscripta esse videntur beneficia, quæ Clericis conferuntur in illis Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis, in quibus non est determinatus numerus præbendarum, quarum propterea modo plures, modo pauciores pro arbitrio Episcopi, vel Capituli demonstrantur, argumento cap. 25. de præbendis, cap. 9. de constitution., & cap. ult. de concess. præb. in 6.. In istis enim Ecclesiis, quæ *receptitiæ* nuncupantur, propterea quod tot recipiantur in illas Clerici, quot ali possint juxta adauctas, vel imminutas obventiones ex prudenti Episcopi, vel Capituli arbitrio, censentur beneficia non universa quidem, sed singula adeo personæ Clerici adhærentia, ut cum ipsa beneficiarii persona quodammodo intereant; unde, mortuo Clerico beneficiario, non proprie vacare, sed cessare beneficium dicitur. Item tempore circumscripti erant personatus illi, qui olim vigebant apud Hispanos, nimirum ita erecti, ut certæ personæ in illis instituendæ designarentur a fundatoribus, puta ex familia eorumdem fundatorum usque ad tertiam, vel quartam generationem, quæ beneficio potirentur, & quibus defunctis, ad Collegium tandem, vel Monasterium, vel Xenodochium bona beneficii devolverentur; ac dicebantur Personatus, quia bona directo concedebantur Collegiis, Monasteriis, vel Xenodochiis, reservato tamen quodam temporario jure gratia certarum personarum.

CAPUT IV.

De Beneficiis non scindendis.

Huc referendus est titulus 12. libr. 3.

POstquam a communione bonorum Clerici recesserunt, novamque formam beneficia sumpsere, juxta ea, quæ diximus, emersit alia beneficiorum proprietas, qua fit, ut scindi inter plures nequeant, sed integra singulis Clericis concedantur. Non heic sermonem instituo de reali, uti vocant, divisione, qua ex uno duo beneficia perpetuo fiant; de hac enim inferius commodior erit disserendi locus: loquor de divisione personali, qua fiat, ut uno remanente beneficio, duo ipsius in solidum possessores evadant. Ne id facile admittatur, suadet ipsa voluntas illorum, qui beneficia erexerunt, sive Episcopi illi sint in comitiis Clericorum, tribuentes inter Clericos officia, & peculia alias universis communia, sive singulares fundatores, qui uni Clerico certum officium, certamque bonorum administrationem committi in ipso fundationis actu decreverunt. Ipsæ etiam generales canonum constitutiones istud ipsum confirmarunt, adeo ut in decretalibus Gregorii IX. titulus in hanc rem expressus habeatur, *ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Scio, nonnullos ex Interpretibus uti ad id demonstrandum doctrina Hieronymi in can. 41. caus. 7. quæst. 1. ajentis: *In apibus princeps unus est, grues unam sequuntur, Imperator unus, Judex unus in Provincia... singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur.* Mihi non placet adeo remota demonstratio, quando novi, non hunc fuisse Hieronymi scopum, neque ac propterea in hoc fragmento Hieronymi mentem. Docebat sanctus vir Rusticum Monachum, qui solitudinem professus olim, deinde huc illuc sine lege, sine Magistro discurrens, voluntati suæ libere indulgebat. Eum admonebat, ut certo duci regendum se traderet, propterea quod vagæ cujusdam vitæ ratio nonnisi detrimentum esset allatura. Huc pertinent commemorata verba, quasi diceretur, vel ipsas volucres suum habere ducem, exercitum suum habere Imperatorem, Provinciam Judicem, diœcesim Episcopum, Presbyteros Archipresbyterum, Diaconos Archidiaconum, & universum ordinem Ecclesiasticum suos Rectores, quæ sane observationes nihil habent cum re proposita commune. Potius commemoro statutum Turonensis Concilii in cap. 8. de præbendis, ubi non tam decretum est, beneficia scindi non posse, quam reddita subtilis quidem, sed exacta edendæ constitutionis ratio. Ajunt Turonenses Patres: *Majoribus Ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum Clericorum Præbendæ patiantur sectionem. Ideoque sicut in magnis, ita quoque in minimis &c.* Interea perdurabat etiam temporibus illius Concilii disciplina vetusta, juxta quam majores Ecclesiæ dignitates, veluti Episcopales, & Episcopalibus majores, forte enim minores quidem Episcopalibus, at in conspectu præbendarum inferiorum adhuc majores, quales erant Archipresbyteratus, Archidiaconatus, & similes, indivisæ manebant. Tantum abusus irrepserat in præbendis inferioribus, quas passim Clerici dividendas curabant, ut plures ad clericalem cœtum facilem sibi viam aperirent. Recte Turonenses Antistites adnotaverunt, probari abusum non posse; cum enim eadem

esset dignitatum majorum, ac minorum officiorum ratio, eademque causa in tributione peculii Ecclesisatici olim facta, inconveniens erat, dividere præbendas inferiores, & sic turbare res jam optime constitutas, quando de præbendis majoribus dividendis nemo eousque cogitaverat. Ad hanc Concilii Turonensis sanctionem respexit Innocentius III. in cap. 20., juncto etiam 21. de præbendis, eamdemque expressis verbis ratam habuit, ac confirmavit. His minime obstat Bonifacii VIII. rescriptum in cap. 27. de præbend. in 6., ubi mentio fit Ecclesiarum, in quibus duplicis generis præbendæ essent, nimirum & *integræ*, & *dimidiæ*: etenim quæ *dimidiæ* præbendæ dicuntur, non emerserant ex divisione præbendæ facienda inter plures beneficiarios, sed potius tales appellabantur, quia redditus illarum nonnisi dimidium redditus ferebant in conspectu, & comparatione illarum, quæ integræ dicebantur. Adde his, forte Bonifacium respexisse ad disciplinam illius ætatis, juxta quam imminuti fuere redditus plurium præbendarum, ut inde converteretur, quod detrahebatur, in distributiones quotidianas; unde præbendæ illæ, a quibus certa portio detracta fuerat, *dimidiæ*, cæteræ, a quibus nihil detractum erat, *integræ*, vocabantur, quin inde fiat, ut beneficia scinderentur.

Pertinent hæc ad regulam generalem firmandam, cui tamen adjiciendæ sunt probabiles exceptiones. Non ecquidem exceptionem dico inveniri, aut in ea specie, qua beneficii titulus uni Clerico concedatur, reservata pensione alterius Clerici gratia; aut in ea specie, qua Clerico beneficiario coadjutor detur cum jure futuræ successionis; neutro enim in casu beneficium patitur divisionem. Non in specie constitutæ pensionis gratia alterius; quamquam enim pensionarii Clerici ex recentioribus constitutionibus in multis quodammodo beneficiariorum jure censeantur, proprie tamen beneficiarii non sunt. Et revera pensionarius certam tantummodo percipit quantitatem a beneficiario præstandam, nullum tamen contrahit vel in ipsis bonis, & juribus beneficiariis administrationis communionem, nec insuper ulla fert beneficii onera; nec magis cum beneficiario dicitur dividere beneficium, quam dicatur juxta juris Romani principia dividere hæreditatem, qui simplex legatarius est, non cohæres. Idipsum observo in altera specie designati coadjutoris, utpote qui nullam quoque communionem cum beneficiario contrahit, & licet eumdem adjubet veluti Vicarios inferendis officii oneribus, nullum tamen refert ex beneficiariis redditibus emolumemtum. Aliis in causis colocandæ sunt exceptiones memoratæ regulæ; nimirum tum locus esse poterit scissioni beneficiorum, cum publica, & gravis Ecclesiæ utilitas id exposcat; quemadmodum contingit, vel ubi ita regimini populorum consulendum sit, vel ubi bonum pacis ita suadeat, vel ubi religio, & fides inde caperet incrementum; quod cum aliquando obtinuerit in majoribus dignitatibus, etiam Episcopalibus, facilius obtinere etiam potuit in beneficiis minoribus; quando exemplo majorum minora beneficia indivisa esse, statutum est, dicto cap. 8. de præb..

Ut regimini populorum consuleretur, scimus aliquando duos Episcopos in una, eademque Civitate fuisse designatos, videlicet cum unam, eamdemque urbem incolerent diversarum gentium homines, iidemque diversis moribus utentes. Exemplum hujus generis suppeditat Ecclesiastica Geographia, ex qua constat, in una Rhodiensi Civitate duos Episcopos extitisse, quorum unus Rhodiensis, Colossensis alter, derivato nomine ex celebri illius Urbis Colosso, appellabatur. Eam Urbem tunc incolebant diversæ nationes, qua Græci, qua Latini, utentes diversis moribus, & ritibus, quibus opportunum fuerat duos Antistites præficere. Aliud tamen decimo tertio sæculo placuit Innocentio III. in Concilio generali Lateranensi, in quo decretum est, ut

in simili specie non duo constituerentur Episcopi, divisa æque principaliter administratione, sed Episcopus unus tantum constitutus Vicarium sibi seligeret pro arbitrio instituendum, vel destituendum, cujus opera uteretur, cap. 14. de offic. judic. ordin.. Decretum istud adeò generale Interpretibus visum est, ut abierit in disciplinam communem, & passim traditum, receptumque fuerit inde, ne reali quidem beneficiorum divisioni occasionem sufficientem præberi ex multiplicatione populi utut diversis ex gentibus collecti, & diversis ritibus utentis. Ita receptum esse non inficior, immo & passim ita judicari solere apud ecclesiasticos judices: at quoties tota quæstio exigenda esset ad intimam Innocentii, & Lateranensis Concilii mentem, non defuerunt, qui recte observaverunt, eam sanctionem fuisse singularem, & temporum adjunctis accommodatam. Capta fuerat initio sæculi decimitertii a Latinis Urbs Constantinopolitana vi armorum, & cum eadem Urbe nonaullæ etiam finitimæ a potestate, & Imperio Græcorum ereptæ; unde passim in Græcorum urbibus Latini numero plurimi in exercitu, in præsidiis causa militiæ, & tuendi novi imperii, merebant, præter alios, qui commercii, aliave simili causa eo confluxerant. Latini iidem Latinos Episcopos in iis Provinciis constituendos esse duxerunt, atque inter cæteros Thomam Maurocenum Venetum Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfecerunt. Nemo non intelligit, parum gratam esse potuisse Græcis hanc disciplinam, qui inter cætera allegabant, se non regi facile posse a Latino Antistite, qui Græcos mores, & ritus pene ignorabat, a quibus moribus, & ritibus Græci idem se nolle recedere profitebantur. Hinc & ipsi suos Episcopos sibi elegerunt, inter cæteros Michaelem quemdam Saurianum Constantinopolitano Patriarchatu donarunt. Deducta fuit causa ad Concilium Lateranense Innocenti III., & quamquam alias opportunum videri potuisset, duos Episcopos duabus nationibus, moribus, ritibus, & linguis diversis utentibus præfici, nihilominus pensatis, libratisque singulis rerum, locorum, ac temporum adjunctis, salubrius visum est, mandare, ut unus tantum, Latinus nimirum, Episcopus singulis in Civitatibus constitueretur, qui Latino ritu Ecclesiam regeret, constituto Vicario Græcorum gratia, qui Græcos ipsos regeret juxta mores, & disciplinam illorum, interea tamen omnino ab Episcopo Latino penderet. Et quidem id erat secundæ Latinorum fortunæ accommodatum, & tuendo adepto imperio maxime opportunum, quod prævalebat bono dividendæ Episcopalis sollicitudinis, dummodo hoc Vicariorum designatione curaretur. Revera fingamus, duos in Græcis urbibus, ac præsertim in Urbe Constantinopolitana designatos fuisse Episcopos, Latinum Latinis, Græcum Græcis præfectum. Fuissent isti juxta phrasim Innocentii *duo capita quasi monstrum*, seu, quod idem est, dubitari potuisset de Græco Antistite, aut Patriarcha, ne Græcorum sibi subjectorum animos adversus Latinos jam vehementer, & acerrime concitatos magis, magisque inflammaret, aut saltem foveret seditiones in perniciem Latini imperii, ad cujus adeptionem multum vigiliarum, & laboris, & industriæ urgentibus ipsis Pontificibus Maximis impensum fuerat. Adde his, duos Constantinopolitanos Patriarchas in eadem urbe degentes facile de prærogativa, ac de præminentia contentionem fuisse habituros; & quando Græci objecissent adversus Latinos, Patriarcham Græcum pari cum Latino dignitate fulgere, atque inter eos, qui pari dignitate fulgent, antiquiorem juniori præferri, ut inde concluderent, Græcum Patriarcham Latino præferri oportere, nescio, quid Latini fuissent responsuri. Num forte dixissent, mutatas esse imperii vices, & Græcorum Imperio translato ad Latinos, Latinorum Antistitum jura potiora esse debuisse? At Græci replicavissent, ex mutatione ci-

vilis imperii, nihil proponi posse, quod spectaret Cathedrarum Pontificalium dignitates, exemplo etiam exhibito Romanæ Sedis, quæ etiam post translatum Romanum Imperium ad Græcos jure semper obtinuit supra Græcas Ecclesias Principatum, nova Roma, qualis erat Urbs Constantinopolitana, veteri Romæ in sacro regimine perpetuo supposita. Itaque hoc prævidentes Lateranenses Antistites sub Innocentio III. satius consulendum censuerunt publicis utilitatibus, si duos Episcopos in Græcis urbibus creari prohiberent, utut gravis causa illorum designandorum esse alias potuisset, permissa tantum constitutione Vicariorum, qui cum ab Episcopis Latinis omnino penderent, tum omnem seditionibus aditum præcluderent.

Publicæ etiam in Ecclesiis curandæ pacis causa aliquando contingit, ut duo Episcopo in una diœcesi consisterent, quemadmodum liquet ex cap. 1. de Parochis; quod depromptum est ex codice Africanæ Ecclesiæ, can. 118., seu 119. apud Beveregium. Singularia multa in Africana Ecclesia seculo quinto recepta sunt, ut Donatistæ multas turbas, seditionesque tunc concitantes reverterentur ad unitatem. Episcopi erant numero plures, qui a Catholica fide non tam ipsi recesserant, quam partem populi avocaverant, & Donatistarum erroribus inquinaverant. En divisas propterea Diœceses, ubi pars populi Donatistarum impietati serviebat sub Episcopo pariter Donatista, pars doctrinæ Catolicæ adhærebat sub Episcopo Catholico. Agebatur de Donatistis ad concordiam revocandis. Quod difficultatem ingerere poterat, spectabat Episcopalem honorem, a quo admodum ægre passi fuissent se decidere conversi Donatistæ Episcopi, quibus etiam nonnihil indulgere opportunum erat, ut indulgentia allecti partem illam populi, quam ad hæreticos traxerant, alacrius ad fidem reducerent. Hinc caverunt Africani Patres, ut in una, eademque Diœcesi permitteretur duos Episcopos esse, nimirum Catholicum in vicem Donatistæ a Catholicis ipsis suffectum, quem removere ab adepta dignitate non decebat, & qui gregi suo præesse pergeret, necnon Donatistam una cum populi portione conversum, qui & eidem populi portioni, quam abductam reduxerat, præsideret. Sanctus Augustinus id jam proposuerat Donatistis in sermone 2. ante collationem Carthaginensem his verbis eosdem hæreticos allocutus. *Episcopi vultis esse nobiscum, estote: non vult populus duos Episcopos, nobiscum in hæreditate fratres estote. Non propter honores nostros impediamus pacem Christi... Ergo sublato errore de medio, tanquam pariete maceriæ contradictionis, & divisionis, es frater meus, & ego sum frater tuus, ut ambo simus ejus, qui Dominus est & meus, & tuus. Hæc dicimus amore pacis, non diffidentia veritatis.* Singularis hæc fuit œconomia in exemplum facile non trahenda, quemadmodum alia etiam cum Donatistis ex dispensatione gesta sunt, uti liquet in conspectu canonum 3. & 4. caus. 1. quæst. 4., quibus cautum, ut Donatistæ conversi ad ecclesiasticos honores sine discrimine admitterentur.

Denique ad incrementum divini honoris, & Religionis Christianæ duos aliquando Episcopos in una Cathedrali Ecclesia fuisse, demonstrat factum Valerii Hipponensis Episcopi, qui Sanctum Augustinum in dignitatis suæ societatem adscivit, quemadmodum legimus in can. 12. caus. 7. quæst. 1.. Incolumi Valerio Episcopo Coepiscopus datus est Augustinus, ut in Cathedra non tam succederet, quam accederet. At observo, hac novam hanc, & extra ordinem celebrandam consecrationem ideo devenisse Valerium, quod Episcopalia munia, præsertim Evangelicam prædicationem, qua ad informandos fidelium mores, qua ad abigendas hæreticorum novitates in Africa subortas, adornatam, non per alium melius posse, quam per Augustinum, exerceri, quotidiana specimina ab eo præbita demonstrabant. Dices fortasse, hæc potuisse per Augustinum infra Episcopalem ordinem cons-

titutum ministeria impleri. Oppono ego veterem Ecclesiarum consuetudinem, quæ non ferebat, per inferiores administros, Episcopo non impedito, eove magis præsente, Episcopale munus exerceri. Ergo agebatur de utilitate gravi Africanæ Ecclesiæ, quam curare potuisset Augustinus opera sua, præsertim evangelica prædicatione, sed cui duo obsistebant principia, primum, quod non patiebatur Presbyterum, præsente, Episcopo prædicare; alterum, quod Episcopatu donari non posset Augustinus cum Valerio in eadem Hipponensi Civitate. Ab alterutra regula dispensandum Valerius censuit; maluit autem potius ab illa recedere regula, quæ unicum in unaquaque Ecclesia Episcopum postulabat, quam ab altera, quæ neminem in conspectu Episcopi ad obeunda Episcopalia officia admittebat. Quid vero diutius immorer in demonstrando, hanc fuisse singularem Valerii dispensationem, quando Augustinus idem jamdiu post Valerii prædecessoris obitum, similem sibi adsciscere coadjutorem detrectavit, licet senectute ingravescente confectus, & a populo enixe rogatus? Nullam aliam recusandi causam tunc allegavit, quam quod id ab ecclesiasticis Nicæni Concilii regulis abhorreret, nimirum a canone 8. inter Nicænos. Replicavit quidem populus, objiciendo ipsius Augustini a Valerio probatum factum, & minime pœnitendum exemplum. Attamen adversus eas postulationes excepti constans Augustinus, excusans se, quod nondum Nicænas regulas apprime compertas tunc habuisset, a quibus propterea si semel ex ignoratione deflexerat, post adeptam illarum notitiam, rursus deflectere Episcopum non deceret. Hæc perspicue deducuntur ex Epistola 213. inter Augustinianas apud Maurinos, de qua tamen Epistola nonnulli dubitarunt, an germanum sit Augustini opus, præsertim quod si admitteretur, inde deduci posset, & Augustinum, & Valerium Augustini prædecessorem Nicænas regulas ignoravisse, quod sane incongruum videri posset, observanti, Nicænos canones, utpote illa ætate adhuc recentes, & vulgatissimos non potuisse studia illorum Episcoporum fugere, ne alias & Valerio, & Augustino gravis desidiæ, & negligentiæ nota inferatur. Ego sane, si eam Epistolam velati germanum Augustini monumentum agnoscere vellem, excusari posse crederem Augustinum ea ratione scribentem. Siquidem quid aptius, & demissioni animi, quam Sanctus Vir profitebatur, convenientius dici ab Augustino poterat; dum simili dispensatione uti nollet contra canonum definitiones? Si alius quisquam respondere pro Augustino voluisset populo roganti Episcopum Augustini coadjutorem, & proponenti exemplum Valerii, dixisset, Valerium dispensavisse abs jure in Nicæno Concilio constitutum ob egregias Augustini dotes, & qualitates, ob quas publica utilitas aliud suadebat, quam quod generaliter esset in Nicæno Concilio constitutum. At hæc responsio ex ore Augustini, viri sane de se, suaque doctrina, ac sanctitate demisse sentientis, exspectari nullo modo poterat. Quamobrem sanctus Vir maluit profiteri, se ignorasse Nicænos canones, quam quidquam gloriose de se, suæque ordinationis causa singulari ratione edita prædicare; qua tamen in re adeo parce se gessit, ut profiteretur quidem, se ignorasse Nicænas regulas, nihil tale de prædecessore Valerii dicens, quasi de Valerio judicio rationem nemini esset redditurus.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT V.

De Beneficiis pluribus uni Clerico non concedendis.

POstrema beneficiorum proprietas est, ut singula singulis conferantur, non plura uni Clerico, quemadmodum & voluntas erigentium facile insinuat, & sacri canones perpetuo constituerunt, can. 1. dist. 89., can. 1. & 2. caus. 21. quæst. 1., cap. 5. 13. & passim de præbend. cap. 32. eod. tit. in 6., Clement. 3., extravag. 1. Joannis XXII., repetita in extravag. 4. int. comm. eod. tit. Concilio Tridentino sess. 7. de Ref. cap. 17.. Frustra generalem hujus disciplinæ constitutionem quæreremus eo tempore, quo Clerici communem vitam cum Episcopo ducebant; nondum enim tributo peculio, & in partes diviso, nemo esse poterat, qui duplicem portionem optaret, obtineret. Tantum ea ætate recipiebatur, ut unusquisque officio sibi commisso solertem navaret operam, non plura sibi officia, præsertim in diversis Ecclesiis, vindicaret, cum satis laudis in Ecclesia recepisset, qui unum officium sibi mandatum in una Ecclesia recte gessisset. Statim ac recessum est a communione bonorum, & sub beneficii nomine tributa peculia, ipsa mens erigentium suadebat, ut quemadmodum opportunum erat, varia designare munera, & iisdem muneribus certa jura, & obventiones adjicere, ita congruebat certos Clericos singulis muneribus addicere, qui singulis juribus, commodisque gauderent. Et revera si in diversis Ecclesiis Clericus diversa munera obeunda susciperet, quomodo satis omnibus facere potuisset? Immo etsi de una, eademque Ecclesia ageretur, quomodo unus potuisset sibi vindicare officia, & stipendia pro pluribus designata, nisi minueretur cultus divinus, qualis ex certo statuto ministrorum numero sperabatur? Hæc incommoda paucis expendebat Joannes XXII. in dicta sua extravaganti, ibi: *Inter cætera inconvenientia infrascripta nascuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vindicat stipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere, æqua distributione collata. Habentibus ipsa paratur vagandi materia, divini cultus minuuntur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur; & dum non sunt sui in unaquaque regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defensorum auxilio in juribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur; ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat decessorum; & quod amarius est dolendum, animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur.* Rem itadixerim crambe recoctam a viris eruditissimis, ac prudentissimis exhiberent, si in proposito diutius immorarer, & fusius demonstrarem, quanta fuerit, & quam constans Sanctorum Patrum vigilantia, ut Clericorum animos a pluribus quærendis beneficiis abstraherent, immo etiam terrerent. Tantum dico, quoties singuli consideraverint, voluntatem, & studium plurium beneficiorum possidendorum aut ex ambitu, aut ex avaritia perpetuo proficisci, quemadmodum revera proficiscitur, nonnisi pessimum fructum ex duplici illa lue pestifera animorum posse referri, facile conclusuros.

Ecquidem fateor, honestissimas aliquando, immo etiam necesarias causas existere, ob quas Clericus plura possideat beneficia, immo & duabus Ecclesiis adscribatur. Verum hanc ipsam ob rem cavendum maxime est, ne privata Clericorum commoda cum utilitatibus Ecclesiarum confundantur, & ne istarum prætextu specioso saluberrima juris disciplina facile relaxetur. Nihil est in primis, in

quo redargui possit, quod sub nomine Synodi Generalis VII. proponitur apud Gratianum in fine canonis 1. caus. 21. quæst. 1., quodque probatum fuit in Concilio Emeritensi anni 666. can. 19., nimirum si duæ sint villæ finitimæ, quas incolant inopes rusticani homines, duabus apud illos erectis sacris parochialibus ædibus, unum Sacerdotem posse tum utrisque præfici, quoties non valeat populus in ea domicilia distributus duos Sacerdotes alere, exhibere. Non absimile est, quod legitur in can. 1. in fine dist. 70.. Laudanda quoque est providentia Gregorii Magni, cum Agnello jam Fundensi Episcopo contulit Tarracinensem Ecclesiam, ita ut ille utriusque Ecclesiæ Episcopus esset, ea singulari de causa, quod Agnellus ad Fundensem Ecclesiam ne accederet, vi hostium prohiberetur, neque ideo ea Sede privandus esset; alias autem ex alia Ecclesia certa vitæ subsidia derivaturus, alteri Ecclesiæ, nimirum Tarracinensi, adscriptus est, in qua Episcopale officium gereret, can. 5. & 6. caus. 21. quæst. 1.. Denique, ut multa similia omittam, Concilium Tridentinum non improbavit collationem alterius beneficii faciendam gratia illius Clerici, qui ex priore beneficio obtento honeste sustentari non possit, certis adhibitis cautionibus, quas inferius expendam, sess. 24. de Ref. cap. 17.. Verum præter has, aut similes gravissimas causas, integra semper erit generalis disciplina, quæ suadet, neminem esse pluribus beneficiis locupletandum.

Porro istæ causæ in jure definitæ non sunt, proindeque olim discutiendæ singulorum collatorum arbitrio relinquebantur. Quid tamen non urgebant importunæ clericorum preces apud ordinarios collatores, quorum dispensationem si non extorquebant, variis certe artibus impetrabant? Eam ab rem obtinuit, ut ordinarii, ipsi etiam majores Prælati, hac dispensandi facultate careant, & dispensatio ab uno Pontifice Maximo, a quo causa disquiratur, ac probetur, sit exspectanda, cap. 28. in fine de præbend., cap. 1. de consuet. in 6., cap. 3. §. ult. de offic. ordin. in 6., atque utinam hoc remedio satis consultum adpareret utilitati ecclesiasticæ, quod exoptarunt perpetuo Pontifex Maximi, dum sæpe, ac sæpius conquesti sunt, mentem suam callidis impetrantium artibus circumveniri. Noverant ipsi Clericos quosdam aut ambitu, aut avaritia concitari, ut causam obtinendæ dispensationi accommodatam prætexant, adversus quos aut potestati sunt, se, non obstante rescripto, nunquam dispensationem indulgere voluisse, aut etiam concessam dispensationem revocaverunt, cap. 21. de præbend. in 6. extravag. 4., cui addi jure, ac merito potest 2. eod. tit. int. communes. Consona est observatio, qua quamlibet obtentam dispensationem, utpote juri contrariam, strictissime semper interpretemur, atque ita, ut nusquam dispensatum intelligatur, quoties aliam, quam dispensationem interpretationem proposita rescripto formula patiatur, dicto cap. 21. & 23. de præbend. in 6., Clement. 1. eod. tit.. Hinc intelligenda sano consilio est Clementina 4. eod. tit., non enim eo tendit, ut quoties Papa motu proprio beneficium plura beneficia possidenti concedit, dispensatio de pluribus possidendis concessa videatur, sed tantum, ut gratia Pontificis irrita non dicatur, de cujus scilicet vi dubitari poterat ex eo, quod qui multa beneficia possideret, ad beneficia ordinario jure ineligibilis haberetur, cap. 18. de præbendis.

Liquet ex his omnibus, regulam quidem generalem esse, quæ suadet, nonnisi singula singulis concedenda esse beneficia, aliquando tamen contingere, ut propter graves causas a generali regula recedatur. At enim quoties ex una parte ardens custodiendæ disciplinæ rigor nonnullos urget, ex altera ambitus, aut avaritia quosdam invadit, & invicem committuntur duo hæc adversatim hominum ingenia incredibile dictu est, quousque tandem disputatio progrediatur. Quid ni-

mio disciplinæ custodiendæ zelo corripi se passi sunt, satius rei, quam scribendo tractabant, consuluissent, si incommoda gravissima descripsissent, quæ ex possessione plurium beneficiorum proficiscuntur, qualia recensentur inter cæteros apud Joannem XXII. in dicta extrav. 1. de præbend., si insuper prodidissent in medium multa canonum monumenta, quibus improbantur conatus Clericorum ad plura beneficia anhelantium. Verum non potuerunt illi continere se intra limites solidæ philosophiæ, atque jurisprudentiæ; unde argumenta eminus repetentes ad ineptias fere declinaverunt. Quid enim ex causa insulsius esse potest, quam cum scriptum legimus apud quosdam ex Pragmaticis, Clericos plurium beneficiorum possessores, & medicinæ, & grammaticæ regulas non custodire; medicinæ, propterea quod eadem ratione, qua duo beneficia possident, duo pharmaca ejusdem generis reciperent, grammaticæ, propterea quod si unus, duos Canonicatus, vel Abbatias teneret dicere non posse *ego Canonicus, ego Abbas*, sed dicere deberet *ego Canonici, ego Abbates*, quæ phrasiologiæ regulis repugnant. Omitto argumentum illud, quod nonnulli deducunt ex similitudine matrimonii, quod est unius tantum cum una, ut inde tradant, spiritualis Polygamiæ reum fieri beneficiorum plurium possessorem. Hoc argumenti genus si venia dignum esse potuit, quo tempore Isidorianæ merces passim venditabantur, quandoquidem Isidorus Mercator illud primun invehere visus est, politiori ætati non satis congruit.

Postquam veniam dederimus Interpretibus istis, qui, dum pro veritate dimicaverunt, in quibusdam excedere visi sunt, nihil certe indulgere debebimus illis, qui omnem moverunt lapidem, ut faverent Clericis plura beneficia possidentibus. Noverant isti, contra canones frustra se laborare, proindeque ut fucum facerent, rem ipsam variis distinctionibus intricarunt, quibus facilem viam Clericis aut ambitu correptis, aut avaritiæ deditis ad plura obtinenda beneficia aperirent. In primis distinxerunt beneficia, quæ dantur in titulum, & beneficia, quæ dantur in commendam, unde concluderent, vetari quidem Clericos, ne titulos plures habeant, non prohiberi, quominus unum possideant in titulum, alterum in commendam, quodque magis est tradiderunt, id sacris canonibus confirmari, sive apud Gratianum in can. 3. caus. 21. quæst. 1., sive apud Gregorium IX. in cap. 54. vers. *Insuper* de electione. Si hæc doctrina admittatur generaliter, quia adhærere amplius posset Joanni XXII. in dicta extrav. 1. de præbend., ubi ideo docuit, plura beneficia possideri non posse, quia evagationi Clericorum locus fit, quia divinus cultus imminuitur, quia animarum cura negligitur, quia distributio æquabilis inter Clericos non servatur, ut cætera omittam, quando hæ omnes causæ in titulis æque, ac in commendis locum habent? Equidem sub nomine Leonis IV. ita legitur in dicto can. 3. *Qui plures Ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam vero sub commendatione retinere debet.* Ego jandiu in meis lucubrationibus in Codicem Gratiani Baluzium secutus de hujus monumenti fide plurimum dubitavi, una etiam conjecturas adjeci, meo judicio, graves, quibus ipsum sit a Leone IV. abjudicandum. Cæterum etsi quidquam valeret canonis illius auctoritas, longe diversa res est agere de commendis illius ætatis, quibus ut plurimum gravis, & temporaria Ecclesiarum, aut Monasteriorum causa occasionem præbebat, ut plurimum retractandis, cum primum id fieri provide posset, & agere de commendis, quales hodie sunt, instar titulorum fere redactæ; quemadmodum inferius suo in loco erit observandum. Præsertim temporibus Leonis IV., Saracenis undecumque irrumpentibus, devastata erant plurima loca sacra, & Monasteria, uti colligi potest ex can. 9. caus. 23. quæst. 8., sacri etiam administri perpe-

ram in bonis ecclesiasticis versabantur, argumento canonis 18. caus. 12. quæst. 2.. Facile autem est suspicari, quasdam Ecclesias, aut Monasteria, a ministris, vel monachis omnino deserta fidei alicujus finitimi Antistitis, aut Clerici commendari debuisse, ut in pristinam conditionem commendatarii industria redigerentur ab impiorum manibus vindicata, quod sane necessitas quædam, aut certa utilitas Ecclesiarum, & Monasteriorum suadebat extra ordinem. Quid vero, si dicerem, forte ibidem agi non de Ecclesia, quæ Clerico, sed de Clerico, qui Ecclesiæ commendaretur? Non repugnat interpretatio monumento Leonis; immo etiam consonat adjunctis illius ætatis, qua Clerici ejecti Saracenorum vi a suis Ecclesiis in alias se Ecclesias recipiebant, ibidem & peracturi clericale officium, & suscepturi alimenta, quos propterea Ecclesiæ commendatos dixi, & potuit dicere Leo IV. *sub commendatione* Ecclesiæ ministrare eadem ratione, qua idipsum receptum est in specie canonis 5. & 6. caus. 21. quæst. 1.. Erant hæc extra ordinem constituta, nec facile disciplinam generalem inducebant. Quod si assumamus capitulum 54. de elect., quod Scriptores illi proferunt, statim adparebit, Archidiaconum quemdam plures Parochiales Ecclesias possedisse, prætexentem excusationem, qua allegaret, se unam possedisse in titulum, alteram in commendam. At vero non jus in his constituitur, sed factum enarratur, explicaturque, quid Archidiaconus allegaret sui excusandi gratia. Ad summum, qui eam distinctionem invexerunt, tradere possum, præluxisse sibi veluti ducem Archidiaconum illum, de quo in ea decretali agebatur, nunquam tamen eam distinctionem in decretali fuisse probatam. Hæc adeo vera sunt, ut hæc ipsa distinctio nunquam canonibus confirmata, tandem confecta fuerit, & damnata in Concilio Tridentino, cujus decretum mox erit commemorandum.

Prodit secundo loco distinctio altera inter Clericos, qui plura beneficia possidere in pluribus Ecclesiis, præsertim dissitis, velint, & eos, qui plura beneficia, nec uniformia, puta canonicatum, & dignitatem in uno, eademque Ecclesia sint obtenturi, quasi non illis quidem, sed istis quidquam sit indulgendum. Si hæc distinctio eo tenderet, ut indicaretur, multo plura esse incommoda Ecclesiarum, ubi quis duas Ecclesias, præsertim dissitas, regendas, vel administrandas suscepit, quam sint, ubi in una tantum Ecclesia duo officia adeptus est; ego non repugnarem considerans, in prima specie violari residentiæ leges, quæ non violantur in altera. Verum in utraque specie multa sunt detrimenta, quæ adhuc in Ecclesiam derivant. Finge enim vero in una, eademque Ecclesia Clericum duo officia suscepisse. Resideat quidem ibidem Clericus; forte etiam utrumque munus implere possit, quod tamen admodum raro contingeret; certe imminuitur Clericorum numerus, propterea imminuitur etiam divinus cultus, cum injuria illorum, qui olim ea officia inter plures Clericos partienda erexerunt: certe unus Clericus stipendium suscipit alteri Clerico debitum: certe fovetur avaritia, & ambitus; eamque ob rem non ea omni cessant absurda, quæ turpem, & indecoram exhibent plurium beneficiorum possessionem. Neque illud discrimen, quod inducitur inter uniformia, sive ejusdem nominis, atque difformia, sive diversi nominis beneficia, aptum est ad avertenda eadem incommoda Ecclesiarum; & puto, iis tantum placere posse, quibus placuit beneficiorum pluralitatem improbare, propterea quod repugnet ipsa Grammaticæ regulis, uti superius adnotabam; cum in specie tantum uniformium beneficiorum Clericus se appellare deberet, *Ego Canonici*, *Ego Parochi* &c., contra non repugnet Clericum dicere *Ego canonicus, & Archidiaconus, Ego Canonicus, & Parochus &c.*

Commenti insuper sunt aliam beneficiorum distinctionem; nimirum tradiderunt, alia esse, quæ residentiam ex-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

poscunt, alia, quæ non exposcunt residentiam. Priora incompatibilia, posteriora compatibilia appellaverunt. Fuit hæc industris ars, qua pluribus possidendis beneficiis facilis aditus aperiretur. Sacri canones formaturi vitam, mores, & officia Clericorum duo perpetuo constituerant: primum, ut unusquisque in ea Ecclesia mereret, in qua adscriptus esset, & ex qua stipendia percipiebat; alterum, ut singula officia singulis concederentur. Qui plura beneficia amaverunt, utrumque principium adorti sunt, neque tantum variis distinctionibus eluxerunt canones, dum singula inter singulos tribuenda sanxerunt, sed etiam eluserunt canones, dum residentiæ leges firmarunt; neque enim unum aggredi poterant, quin aliud aggrederentur. Sic modo adversus unum, modo adversus alterum principium dimicantes, quantumvis tristis esset, & Ecclesiæ ominosa dimicandi causa, nonnihil tamen ob dimicantium numerum obtinuerunt, non sane quod sacri canones pugnantibus cesserint, & argumenta probaverint; sed quod, ubi magna erat delinquentium multitudo, non in omnes indici pœna facile poterat, & satis visum est, graviores saltem abusus interea coercere, spe concepta, aut paulatim etiam delendis minoribus consuleretur. Sæculo Ecclesiæ duodecimo passim ad plura obtinenda beneficia inhiabant, & facile ex indulgentia Antistitum obtinebant, præsertim cum ea ætate collatio beneficiorum a collatione ordinum sejungi cœpisset. Utcumque sacri canones non paterentur id fieri, nulla tamen pœna delinquentibus imminebat ex expressa juris definitione. Primus Innocentius III. in cap. 18. de præbend. professus, se multa in hoc genere *per patientiam tolerare, statuit*, ut qui plura beneficia obtinuisset, in quo *& ambitionis, & avaritiæ vitium* inesse declaravit, quadam irregularitatis nota adficeretur, unde ad novam eligi dignitatem non valeret, cassata prorsus electione, quoties ad hanc aliquando deveniretur. Clarius ibidem explicavit Innocentius sanctionem editam in Concilio Lateranensi Alexandri III., cap. 5. de præbend., ubi prudenti Episcoporum arbitrio relictum erat, ut Clericos coercerent plurium beneficiorum possessores. Hinc passim fieri cœpit, ut Episcopi ad se advocarent plurimum beneficiorum possessores, unum, quod Clerici mallent, eligendum, ac retinendum beneficium offerrent, cætera dimittenda suaderent; electione autem secuta, dimissum beneficium alteri Clerico concederent; ubi vero Clerici eligere detrectarent, Episcopi ipsi Clericos exuerent beneficiis, uno tantum relicto, quæ aliis Clericis conferrent, cap. 7. 14. 15. de præbend., cap. 4. de ætate qualit. & ord. præfic.. Interea tamen hæc pœna, cum nonnisi ex sententia Judicis infligenda esset, ac propterea minus frequentaretur, asperior reddita est ab Innocentio III. in cap. 23. de præb. decernente, etiam sine judicis facto, id est, ipso jure, vacare beneficium primum suscepto secundo, quoties ageretur de Dignitatibus, vel Personatibus, vel Parochialibus Ecclesiis, nisi forte duo hujusmodi beneficia unita proponerentur. Adde his capitulum 30. §. 1. eod., & capitulum 6. eod. in 6.. Sic cœperat prudentissimus Pontifex gravioribus prospicere, ut paulatim ad cætera aut progrederetur ipse, aut alios ad progrediendum ulterius concitaret. Revera idem Innocentius hanc ipsam jurisprudentiam ad Canonicorum præbendas extendit in cap. 9. de conc. præb., & inde Bonifacius VIII. etiam extendit ad Prioratus, & Ecclesias regulares curam animarum adnexam habentes, a monachis, religiosisve aliis administrandas, cap. 32. de præbend. in 6., adjiciens, ab utraque dignitate, & Ecclesia esse dejiciendum eum, qui priorem, qua jam ipso jure cecidit, facto etiam non dimitteret. Idipsum confirmavit Joannes XXII. in extrav. unica de præbend., decernens, eadem observari in beneficiis, & a Clericis sæcularibus, ut nimirum, qui primum beneficium facto non dimittit, utroque privetur, immo etiam sub-

jungens, beneficia sic vacantia dispositioni Sedis Apostolicæ esse perpetuo reservata; quod prudentissime adjectum censeo, ut ea ratione coerceretur negligentia Episcoporum, qui segniores se gerebant in Clericis spoliandis multitudine beneficiorum, neque aliis eadem beneficia conferebant. De aliis vero minoribus beneficiis cum nihil simile aut ab Innocentio III., aut a Bonifacio VIII., aut ab Joanne XXII., aliisve Pontificibus statutum ocurrat, reterem eousque servandam fuisse prudentiam constat, scilicet, ut qui secundum beneficium obtinuisset, ad alterutrum dimittendum sententia judicis adigi merito posset. Atque exinde sine injuria sacrorum canonum facile intelligimus capitulum 7. de rescriptis in 6., & Clementinam 4. eod. tit., in quibus singularia quædam beneficia memorantur, quæ simul de jure teneri nequeunt, ex quibus perperam tradidere nonnulli, probari posse laudatam incompatibilium, & compatibilium beneficiorum distinctionem. Non enim Summi Pontifices innuere ibidem voluerunt, alia quidem esse beneficia, quæ consociationem non admittant, alia, quæ ferant; sed potius alia esse, in quibus obtento posteriore prius non ipso jure, sed sententia judicis adimatur; alia, in quibus obtento posteriore prius vacet ipso jure. Igitur concludendum est, generalem fuisse decretalium disciplinam, qua nusquam reciperetur, duo beneficia possideri; quamquam ubi de pœna ageretur infligenda in possessores plurium beneficiorum, hæc remissior esset in certis beneficiorum speciebus, ita suadente æquitate, ut, ubi majora sunt Ecclesiarum pericula, ibi urgentioribus remediis occurratur.

Dum hucusque varias commemoravi constitutiones, quibus obviam itum est abusibus Clericorum ad plura beneficia anhelantium, videor mihi ea fere omnia recensuisse, quæ spectant ad pœnas illorum, qui in hac parte canonum disciplinam minime custodierint, ab eo primum tempore, quo abusus irrepsit, aut gravior esse cœpit, usque ad tempora Joannis XXII.. Verum non potuerunt ea omnia licentiam cohibere, & passim etiam post Joannem XXII. vacatum est, a nonnullis, pluribus beneficiis impetrandis; cum enim Romana Ecclesia diu tunc turbari cœperit intestinis schismatibus, non potuit satis vigilantia Maximorum Pontificum prospicere Ecclesiarum utilitatibus in ea parte, in qua singulis Ecclesiarum officiis singuli Clerici præficerentur. Deducta res fuit ad Tridentinum Concilium, in quo tria decreta edita adparent, ex quibus tota regitur hodierna disciplina. Primum decretum spectat Cathedrales omnes Ecclesias in cap. 2. sess. 7. de Ref.. Cœperunt enim initio Patres Tridentini Episcopatibus, veluti majoribus beneficiis, prospicere his verbis: *Nemo quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias in titulum, seu commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta recipere, & simul retinere præsumat; cum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene, ac fructuose, & cum animarum sibi commissarum salute gerere contigerit. Qui autem plures Ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam Sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur; alioquin Ecclesiæ ipsæ, ultimo obtenta dumtaxat recepta, eo ipso vacare censeantur.* Viam hæc paraverunt ad similem constitutionem edendam de beneficiis Parochialibus, aliisve, quæ non longe a Parochialibus distant, eam ob rem prudenter in c. 4. ejusdem sessionis alterum decretum editum est, ita conceptum. *Quicunque de cætero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo, contra formam sacrorum canonum, & præsertim constitutionis Innocentii, quæ incipit de multa* (illud est capitulum 28. de præbendis) *recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis tenorem, ipso jure, etiam præsentis canonis vigore, privatus*

existat. Non hæc sufficere videbantur, nisi & generaliter aliis beneficiis consuleretur; quamobrem post diuturnas disceptationes, cum ad finem Concilii celebratio vergeret, ita constitutum saluberrime fuit in cap. 17. sess. 24. de Ref.. *Cum Ecclesiasticus ordo perverta ur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi: Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt, Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis quocumque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Ecclesias sed etiam ad alia omnia beneficia tam sæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant. Ille vero, qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum Parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere; alioquin tam Parochiales, quam beneficia omnia, quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur; ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur; nec ipsi antea illa obtinentes ulla conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout Summo Pontifici videbitur, provideatur.*

Oculis subjeci integra Concilii decreta, ut eorum intuitu statim quisque perciperet, quanta fuerit in hanc rem solicitudo Patrum Tridentinorum, sive dum professi fuerunt, *ecclesiasticum ordinem perverti*, dum plura officia uni Clerico demandantur, sive dum asserunt, Clericos plura beneficia impetrantes *improbæ cupiditatis affectu* moveri, & *semetipsos, non Deum, decipere*, sive dum restitutionem disciplinæ debitam vocant, sive dum omnes, *etiam si Cardinalatus honore fulgeant*, decreto subjiciunt, quidquid remissius egerit non regulam fingendo, sed facilius dispensando, aut Innocentius III. in cap. 28. in fin. de præb., aut Joannes XXII. in extr. un. de præb., acerrimus cæteroqui singularium beneficiorum vindex: vel ubi omnia beneficia *etiam commendata etiam cujuscumque tituli & qualitatis* suo decreto comprehensa declarant. Utinam vero post tot, tantaque Tridentinorum Patrum studia, post decreta adeo perspicua cessatum esset a plurium beneficiorum petitione! Effectum quidem suum obtinuere decreta, ubi de duobus Episcopatibus, vel de duabus parochiis, vel de duobus canonicatibus, vel de duobus canonicalibus præbendis, vel de duabus dignitatibus ageretur. Quando vero Tridentinum Concilium exceptionem adjecerat in specie beneficii admodum tenuis, quo casu permisit, ut beneficium habenti aliud concederetur, dummodo utrumque personalem residentiam non exposceret, heic aditum nonnulli invenerunt, per quem Patrum Ecclesiasticorum curas eluderent. Provida illa exceptio, qua inopiæ alicujus Clerici consulebatur, immo & beneficio, cui facile nemo addici potuisset, si nihil emolumenti non accederet aliunde; exceptio, inquam, quæ non adeo certa lege muniri poterat, ut redditus beneficii definirentur, supra quos non liceret amplius petere, cum aliud in una, aliud in alia regione opportunum esse posset, detorta a pluribus fuit ad evadendam regulam generalem. Tradi passim cœpit, duplex esse residentiæ genus: aliam dixerunt residentiam *præcisam*, & *simplicem*, seu veram, & propiam, nimirum adeo exequendam, ut pœna non residenti Clerico immineat privationis tituli juxta canonum sanctiones, quemad-

modum contingit in Episcopatibus, indignitatibus, in canonicatibus, in beneficiis quibuscumque Collegium componentibus, ac denique in beneficiis parochialibus: aliam dixerunt residentiam *causativam*, seu minus propiam, quam qui non servet, aut nullos fructus percipiat, aut fructuum diminutionem patiatur, quin privari beneficio possit, quemadmodum contingere tradiderunt in beneficiis singularibus nec Collegium componentibus, neque animarum curam adnexam habentibus, quamquam personale officium fuerit in fundatione, beneficiario demandatum, puta, celebratio Missarum, aut aliud simile, unde residentiæ *causativæ* nomen derivatum est, quasi residentiæ ob causam singularem observandæ. Videatur Cardinalis de Luca de beneficiis disc. 57. & sequentibus, item in adnotationibus ad Tridentinum disc. 4., Fagnanus ad cap. *Literas* de concess. præb. num. 49., & Gonzalez ad regulam 8. Cancellariæ Glossa 15. num. 20.. Hinc asseruerunt, decretum Concilii Tridentini vetuisse quidem, ne duo beneficia unquam obtinerentur, si utrumque residentiam *præcisam & simplicem* exposceret, non vero si ageretur de duobus, quorum unum quidem *residentiam præcisam, & simplicem* exposceret, alterum tantum *causativam*, ubi primo obtentum insufficiens esset ad Clerici sustentationem. Quodque magis dolendum est, non dubitaverunt nonnulli tradere, decretum Tridentini Concilii; utpote prohibitorium, & pœnale, odiosum esse, ac propterea conandum, quoad fieri possit, ut intra arctiores limites concludatur. An hæc Tridentinorum Patrum, *immo* & perenni Ecclesiasticorum Antistitum menti conveniant, iis deliberandum relinquo, qui sine præjudiciis ad eam explorandam accedant, quique nec ambitum, nec avaritiam in Clero fovere velint, qui propterea dignoscent, an odiosum sit decretum illud, in quo edendo non novum quidquam statutum est, sed curatum, ut perennis Ecclesiæ disciplina corruptelis labefactata confirmaretur, atque ubi opus esset, restitueretur; item curatum, ne eclesiasticus ordo pervertatur, quemadmodum perverti ex pluralitate beneficiorum ajebant Tridentini Antistites in dicto cap. 17.. Fateor, Tridentinum Concilium passum fuisse, ut duo obtinerentur beneficia, ubi non sufficeret unum ad honestam Clerici substentationem, *dummodo utrumque personalem residentiam non requirat*. At in hac re respexerunt Tridentini Antistites ad illa beneficia, quæ jam diu vigens consuetudo non residentialia appellavit, non sane quod a lege residentiæ absoluti fuerint eorumdem possessores, sed quod Tridentini Patres in his beneficiorum speciebus cum dispensando permiserint, ut duo retineri ex causa æquissima possent, tum etiam dispensando permiserunt, ut in uno non cogeretur Clericus residere. Ideo vero illa beneficia dicta sunt in decreto Tridentino non residentiam requirere, quia nec cura animarum, nec personale certum, sive in certa Ecclesia peragendum officium in quibusdam beneficiis exercetur. Apage vero opinionem illam, qua Tridentina lex odiosa fingatur, proptereaque stricta interpretatione donanda. Potius dicendum est, in ea decreti Tridentini parte, qua permissum est, ut duo beneficia tenerentur, dispensationem a lege generali agnosci oportere, ac propterea juxta regulas recte interpretationis in id semper conandum, quo sustineatur generali regula, quæ vetat, ne plura beneficia impetrentur.

Neque istic constiterunt, qui Clericis plurium beneficiorum amatoribus favere non dubitarunt. Quando enim Tridentinum Concilum exceptionem adjecit in ea specie, qua Clericus beneficium insufficiens habeat, pasim traditum est, immo & moribus fere receptum, ut nulla sit eo eveniente casu deliberatio, nulla causæ cognitio, satisque sit, Clericum allegare, beneficium, quod ipse possidet, ad honestam sui sustentationem non sufficere, ut statim alterum beneficium impetret. Fateor, Tridentinos

Patres non definivisse certam reddituum quantitatem, ex qua beneficium pro sufficienti haberetur; neque enim id definiri ulla ratione poterat, propterea quod aliud in uno loco, aliud in alio aut sufficeret, aut requireretur. Verum quis sanius non diceret, ex eo ipso, quod nihil generali jure definitum est, definitionem hujus generis ex prudenti arbitrio judicis singula adjuncta pensaturi esse exspectandam, ut in similibus passim tradi solet? Dabo etiam libens, incivile aliquantulum esse, si ordinarius judex singula adamussim exploret, quæ Clericum beneficii possessorem circumstant, puta domesticas necessitates, infirmitates etiam personales, quibus Clerici beneficiarii gratia sit consulendum. Verum ad summum inde improbabilis diceretur nimis exacta ordinarii cognitio, & deliberatio, non ea, quæ prudens esset, quæ certæ æquitati inniteretur. Secus verendum est, Tridentinam legem voluntati beneficiorum Clericorum executionis causa remissam passim irritatum iri, facile allegantibus Clericis, beneficium esse insufficiens, quod ipsi possident, qua in re facile semper unusquisque sibi blanditur ob varias, quæ hominem circumsepiunt, affectiones. Quid non insinuant homini prætextus varii, vel familiæ illustris, in qua natalia quis sortitus fuerit, vel inopiæ necessariorum, quibus sit occurrendum, vel etiam dignitas beneficio cohærens, quam quis nonnisi gravibus impensis sustinere se posse prædicat? Immo & amplius progredi nonnulli voluerunt. Nimirum quærere cœperunt, utrum, si duo beneficia insufficientia sint ad honestam sustentationem, adhuc tertium, vel etiam quartum obtinere beneficium possint. Eos, qui id inficiantur, reprehenderunt quasi verborun potius cortici adhæreant, quam intimam sequantur mentem Patrum Tridentinorum. Oh præclaram mentis Tridentinorum Antistitum assecutionem! Postquam tradere cæperunt, relinqui arbitrio beneficiarii deliberationes sufficientium reddituum, si insuper tradatur, non duo tantum, sed tria, & plura impetrari beneficia posse ab eo, qui putet, sibi duo adhuc non sufficere, quid aliud fit, quam evertere universam Tridentinorum Antistitum curam, & sollicitudinem, qua in exceptione insufficientis beneficii, non lex constituta fuit, sed a generali lege indulgentia quadam & patientia dispensatum? Alia profecto esse debet interpretatio dispensationis, & indulgentiæ a generali lege recedentis; & quando *aliud simplex sufficiens* Tridentini Patres commemoraverunt, verbis ipsis inhærendum est, nec de pluribus beneficiis simplicibus constitutio intelligenda. Ita intellexisse videtur Sanctus Carolus optimus Concilii Tridentini interpres in suo Concilio Mediolanensi 4. parte 3. tit. *Quæ ad beneficii collationem attinent*. Ita etiam deduci potest argumento capituli 19. de præbend. in. 6., ubi gratia Apostolica; qua cavetur, ut beneficiario concedi aliud beneficium valeat, eam obtinuit interpretationem, qua unicum tantum beneficium concederetur.

Longe remotius a mente Tridentinorum Patrum iverunt, qui Tridentinum decretum, quo generaliter cavetur, ne plura beneficia a Clerico possideantur, de beneficiis intellexerunt, quæ in diversis Ecclesiis erecta sint, non si erecta proponantur in eadem Ecclesia, propterea quod Clericus in eadem Ecclesia plurium beneficiorum possessor residentiæ legibus causa utriusque beneficii possit satisfacere; quodque magis est, abusi sunt in hac re Tridentinis verbis in principio dicti capitis 17., ubi legitur *perverti ordinem ecclesiasticum, quando unus plurium officia occupat Clericorum, & sacris canonibus cautum fuisse, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi.* Ecquidem distinxerunt inter beneficia uniformia, quales essent ex. gr. duo canonicatus, & inter beneficia difformia, qualis esset ex. gr. canonicatus, & dignitas, in uniformibus beneficiis rejicientes plurium impetrationem, admittentes in difformibus; unde

consuetudo profluxit, qua quis admittatur ad obtinendum canonicatum una cum dignitate; immo & extant statuta quarumdam Cathedralium Ecclesiarum, quibus cautum est, ut nonnisi canonicis conferantur dignitates. Si de statutis hujus generis primum dicam, quoties statuto causam dederit aut erectio ipsa dignitatum, aut immemorialis consuetudo, qua ad erectionis titulum omnia referri debere præsumatur, ego non adeo repugnarem; propterea quod dignitates erexit ea conditione, ut nonnisi Canonicis conferantur, hac facultate non destituebatur, liberumque est fundatoribus, beneficiis certas, quas voluerint, etiam a natura beneficiorum alienas qualitates adjicere. At quoties statutum editum fuerit ab iis, qui blande nimis adquieverunt placitis Interpretum quorumdam, ac Pragmaticorum, non video, quare major statutis istis reverentia debeatur, quam opinionibus Pragmaticorum. Deinde generaliter deveniendo ad hujus opinionis discussionem, frustra effugium quæritur in iis verbis Tridentini decreti, cum dicitur, canonibus cautum esse, neminem oportere *in duabus Ecclesiis conscribi*. Persequebantur initio Tridentini Antistites abusus illius ætatis, ex quibus non solum fiebat, ut unus Clericus plura beneficia possideret, sed etiam duabus Ecclesiis adscriberetur; quod utrumque improbaverunt, sive cum generaliter præfati sunt, perverti ordinem ecclesiasticum ex multitudine officiorum uni concessorum, sive cum subjecerunt, canonibus cautum esse, ne quis duabus Ecclesiis adscriberetur. Eadem ipsa distinctio inter uniformia, & difformia beneficia a Pragmaticis eisdem comprobata satis indicat, mentem Patrum Tridentinorum non fuisse conclusam ad illa beneficia, quæ in diversis Ecclesiis sita essent. Quod si in uniformibus beneficiis interdictum agnoverunt, ne plura possiderentur, cur non idipsum in difformibus agnoverunt? Tradunt passim, in uniformibus non servatum iri numerum, qui ab initio fuerit præstitutus, quando qui erexerunt ex. gr. canonicatus, certum numerum Canonicorum, minime supprimendum designaverunt. At vero etiam certus numerus ministrorum discretus fuit, cum præter canonicatus erectæ fuerunt in Cathedralibus Ecclesiis dignitates, duarumque personarum vices sustinere incongruum est, cum ex eo confusio, perturbatioque nascatur. Quod si tanta fuit sollicitudo servandi numeri, cur non æqua sollicitudo esse debuit augendi divini cultus, item tribuendorum munerum inter plures, ut facilius, ac commodius unusquisque suo officio incumbat, item remunerandi Clericos Ecclesiæ utiles, quorum gratia adaucta beneficia sunt sub nominibus variis canonicatuum, & dignitatum? Sunt, quæ objiciuntur, mera avaritiæ, aut ambitus effugia, quibus mens Ecclesiæ, & santiones publicæ facto fuco eluduntur.

Fingamus nunc, quemquam Concilii Tridentini decreta negligere, & vel duo beneficia personalem residentiam exposcentia, vel plura, quam duo ex aliis, utcumque ad honestam sustentationem non sufficientibus, vel postquam unum sufficiens obtinuerit, alterum possidere: quænam pœna Clerico imminebit? Sunt, qui adhuc distinguenda putant beneficia a beneficiis, quorum alia vacent ipso jure, alia demum per sententiam judicis, juxta ea, quæ superius tradidi ex cap. 28. de præbend., cap. 9. de concess. præbend., & cap. 32. de præbend. in 6.. Verum si attente perpendatur laudatum caput 17. Tridentini Concilii, in quo omnia beneficia æque incompatibilia declarata fuerunt, perspicue liquebit in omnibus beneficiis non absimilem recipiendam esse prudentiam, qua fiat, ut, si quis plura obtineat beneficia quocumque modo adversus Tridentinam sanctionem, statim vacet ipso jure primum, ac propterea is, ad quem collatio pertinet, possit statim ad prioris, tanquam vacantis, collationem libere devenire, etsi in possessione adhuc Cleri-

cus persistat, cum sola juris, non facti possessio sit attendenda, dummodo tamen ille secundi beneficii jam liberam possessionem nactus fuerit, insuper & libere potuerit percipere fructus, qui nec ad capitulum, nec ad Monasterium, nec ad alium quemcumque ad certum usque tempus, ex indulto, vel statuto, vel consuetudine pertineant, cap. 26. & 28. de præbend. in 6., Clem. 3. eod. tit., juncto cap. 9. in fine de concess. præbend. apud Gregorium IX., nisi tamen per eum steterit, quominus possessionem secundi beneficii nanciscerétur, extravag. unic. vers. *qui vero deinceps* de præbend apud Joannem XXII., argumento l. 5. §. 1. ff. quando dies legator., & l. 24. ff. de condit. & demonstr.. Notandum denique est, Clericum in beneficio ita vacante institutum non primum debere in beneficii possessionem induci, quam vocetur in judicium spoliatus, cui quædam forte superesse possent jura, quibus in judicio experiatur, & causas probabiles alleget, atque exhibeat palam, ne adhuc a beneficii possessione turbetur, cap. 28. de præbendis in 6..

DISSERTATIO SECUNDA.

DE VARIIS BENEFICIORUM SPECIEBUS.

SUmma specierum, in quas beneficia tribuuntur, paucis perstringi commode potest. Et primo quidem alia majora, alia minora vocantur. Majora dicuntur illa, quæ Episcopali ordini cohærent, nimirum Episcopatus, Archiepiscopatus, & quæ supra istas constitutæ sunt dignitates. Minora sunt, quibus Clericus in inferiore ordine sub Episcopo constitutus Ecclesiæ deserviens potitur. Inter hæc medium quemdam locum obtinent Abbatiæ & Prioratus Conventuales, quibus quasi Episcopalis jurisdictio adnexa proponatur. Beneficia majora, & quæ proxime ipsis accedunt, consistorialia etiam appellantur, quod illorum collationem Pontifex Maximus palam facere in consistorio soleat. Secundo alia sunt beneficia, quæ curam animarum adnexam habent, & Parochialia; alia sine cura animarum, & non Parochialia nominantur. Huic proxima est tertia beneficiorum divisio, qua alia dicuntur duplicia, alia simplicia: duplicia sunt, quibus vel jurisdictio, vel cura animarum inest: simplicia e contrario sunt & jurisdictione, & cura animarum destituta. Quarto alia sunt beneficia, quæ Collegium componunt: alia quæ a Collegiis pendent, & quodammodo sunt eisdem adnexa; alia, quæ per se subsistunt sine Collegio. Priora sunt Canonicatus, sive in Cathedralibus, sive in Collegiatis Ecclesiis, pluribus sane nominibus, ordinibusque discreti, qui nimirum vel dignitates vocantur, vel personatus, vel officia, vel simplices canonicatus. Posteriora beneficia, quæ nimirum a Collegiis pendent, & quodammodo sunt Collegiis adnexa, totidem fere demonstrari possent, quot sunt Ecclesiæ Collegiales, quæ modo cappellaniæ, modo mansiones, modo præstimonia, modo canonicatus minores, & secundi ordinis, modo communi nomine beneficia dicuntur; immo adhuc in plures gradus in majoribus quibusdam Ecclesiis distributa, decretisque nominibus distincta conspiciuntur, quibus sane jure addere poteris ipsamet seminaria Clericorum, in quibus quamquam Clerici non perpetuo, sed tantum educationis causa mereant, nec propterea proprie beneficiaria dici valeant, tamen adhuc & stipendiis ecclesias-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ticis sustentantur, & sacra ministeria eorumdem ordini competentia in Ecclesia Cathedrali exercent. Quænam sint postrema beneficia, sive quæ per se subsistunt sine Collegio, non opus est indicare. Quinto alia sunt beneficia perpetua; alia manualia, ita dicta, quod a manu pendeant conferentis, & possint libere revocari, de quibus jam superius traditum est. Sexto alia sunt liberæ collationis, quæ omnino ab Ordinariorum collatione pendent; alia exempta, vel reservata, in quibus conferendis nullam Ordinarii explicant potestatem; alia electiva, vel patronalia, in quibus locum quidem habet Ordinariorum institutio, sed vel electione, vel præsentatione illorum, vel quos pertinet, præsupposita. Septimo alia sunt regularia, alia sæcularia prout, vel regularibus, vel sæcularibus Ecclesiis adhærent, nisi malis dicere, prout vel regularibus, vel sæcularibus Clericis, vel etiam monachis conceduntur. Octavo alia dici possunt beneficia, quæ propiam servant naturam juxta generalem beneficiorum omnium disciplinam; alia impropria, quæ aut in pluribus, aut in aliquibus ab eadem generali beneficiorum indole recedunt, quemadmodum ex. caus. sunt, quæ laicas Capellanias vulgo vocant. Denique, ut reliquas fere innumeras beneficiorum partitiones omittam, alia sunt, quæ dantur in titulum, alia, quæ in commendam. Dantur in titulum, quorum vi beneficiarius Clericus vere præficitur alicui Ecclesiæ, vel, quemadmodum nonnulli ex veteribus dixerunt, ita incardinatur, ut ecclesiastico muneri gerendo addicatur, & redditu quodam ecclesiastico potiatur. Non ignoro tamen, placuisse nonnullis viris eruditis, *incardinare* dictum fuisse in quadam singulari specie, videlicet cum quis a propria Ecclesia ad aliam translatus, in ista interea certis de causis sacra ministeria gereret. Dantur in commendam, quum certæ Ecclesiæ, vel bona ecclesiastica, ne corruant, vel depereant, alicujus curæ, ac custodiæ commendantur. Paucis pervagatus sum per varias beneficiorum species; neque enim hoc in loco singulæ singulorum qualitates erant latius expendendæ; nam ad beneficia, quæ majora dixi, hæc tractatio minime pertinet; plures inde ex commemoratis beneficiorum speciebus ex iis, quæ dicenda inferius sunt, aptius, & perspectius dignoscentur. Tantum hic subjiciam quasdam observationes, aliquot beneficiorum species sigillatim spectantes, quæ non satis commode necti cæteris possent.

OBSERVATIO I.

De quibusdam Cathedralium, aut Collegiatarum Ecclesiarum Beneficiis.

Huc referendi sunt tituli 23. 24. 25. 26. & 27. libr. 1., & titulus 5. libr. 5.

QUemadmodum divinorum mysteriorum & rite, & decore celebrandorum ratio postulavit, ut clericalis ordo tribueretur in varios distinctos gradus, unde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, atque alii inferiores Clerici constituti sunt, atque discreti, ita & politia rerum in Ecclesia optime gerendarum suasit, ut munera beneficiaria, & curæ variæ essent, in tot gradus distinctæ, quot singularis utilitas inducere potuit. Id potissimum receptum est in Ecclesiis dignioribus, in quibus certus Clericorum numerus præstitutus est, qua-

les semper fuerunt Cathedrales Ecclesiæ, quales item fuerunt aliæ Ecclesiæ Cathedralibus quidem inferiores, sed quæ ob non exiguum Clericorum in iis administrantium cœtum, Collegiales dictæ fuerunt. In istis Ecclesiis seu Cathedralibus, seu Collegiatis multiplices esse solent Clericorum ordines. Non loquor de iis, qui ab eodem Collegio pendent, & instituti sunt in adjutorium Capituli sub variis nominibus, veluti Cappellanorum, Mansionariorum, portiones, vel præstimonia possidentium, sed loquor de iis, qui Capitulum ipsum componunt, qui in quatuor classes distribui solent. Primum locum tenent Dignitates; his proxime accedunt Personatus: Distinguuntur insuper a cæteris, quæ dicuntur Officia: denique quicumque alii sint, veniunt generali nomine Canonicatuum, seu Canonicorum. Proprie Dignitas dicitur præstantia quædam, cui certa ingenita jurisdictio cohæret, certis sane conclusa limitibus, & multo inferior Episcopali, quæ scilicet primum ex mandatis Episcoporum singularibus obtineri cœpit, deinde propemodum in ordinariam evasit, sive quod data esset non personæ, sed officio, sive quod non opus haberet peculiari delegatione in iis, qui emergerent, casibus; immo hodiernis temporibus plurimum aut statutis, aut consuetudinibus Ecclesiarum obnoxia facta, vel fere ubique sublata. Mihi non placet in hac parte quorumdam Pragmaticorum traditio asserentium, tum Dignitatem dici, cum certæ personæ in certo officio constitutæ delegatæ fuerunt causæ quædam a Sede Apostolica. Etenim observo in primis, singularem delectum quarumdam personarum in delegationibus Apostolicæ Sedis habitum tantum fuisse a temporibus Bonifacii VIII., seu post editum capitulum 11. de rescript., proindeque jam diu, antequam hic delectus fieret, dignitates omnes suam indolem, ac naturam habuisse. Deinde si consistamus in conspectu dicti capituli 11., adparebit, æque delegationes fieri potuisse & dignitatem, & personatum, & simplicem canonicatum in Cathedrali Ecclesia obtinentibus; eamque ob rem rationem ipsam delegationum nullum posse inducere discrimen inter dignitates, personatus, ac cæteros canonicatus. Quod si ad recentiora tempora descendamus, & rationem habeamus capitis 10. sess. 25. de Reform. in Concilio Tridentino, quo cautum est, ut delegentur a Sede Apostolica causæ tantum viris in Synodo Diœcesana selectis, quid amplius superest in proposito, ut concludamus, hanc delegationum notam non esse certum dignitatum characterem? Personatus vocatur mera loci, sive sedis præstantia, quoties Capitulum una conveniat, sive in choro, sive in processionibus, jurisdictione prorsus etiam a sui origine, atque institutione destituta. Non ignoro tamen, aliquando in decretalibus promiscue sumi nomen dignitatis, ac personatus, quod forte ex eo evenire potuit, quod omnis dignitas personatum adnexum habeat, quamquam e converso non omnis personatus dignitati cohæreat. Sic in cap. 8. de constit. Tullensis Primiceriatus modo dignitas, modo personatus appellatur. Sic in cap. 8. de rescript quæ dignitates dicuntur, personatus etiam nomine donantur. Sic in cap. 54. de elect. Archidiaconatus, qui sane dignitas est, personatus vocatur. Cæterum in cap. 28. de præbend., ubi, postquam certa disciplina de dignitatibus constituta est, subjicitur, illud ipsum *& in personatibus esse observandum*, perspicue insinuatur, personatum a dignitate distingui. Nec præterea ignoro, ex variis diœceseon consuetudinibus factum fuisse, ut dictis nominibus alia inderetur significatio, & qui in personatu tantum esset, in dignitate constitutus diceretur. At quid *mores recepti* hac in parte non operantur? Si enim dignitates, quæ ab initio jurisdictionem adnexam habebant, adhuc nomen dignitatis retinuerunt, postquam jurisdictione exutæ sunt, cur non potuerint personatus ad-

quirere nomen dignitatis, etiam si nunquam adnexam jurisdictionem habuerint? Quid de vocabulo personatus movere controversiam velit, adeat Ducange in Glossario verbo *Personatus*. Tantum ego dico, vetustissimam esse phrasim, qua qui certam auctoritatem explicat, *personam* habere dicitur: sic in l. 3. cod. Theodos. de maternis bonis, dicitur pater *sibi in rebus filiorum vindicare personam* Officium appellatur munus quoddam singulare Clerico impositum sine jurisdictione, item sine præstantia loci, vel sedis, quemadmodum ut plurimum contingit in Scholasteria, in Magisterio, in Pœnitentiaria, & similibus. Simplici canonicatu illi potiti dicuntur, quibus sine ulla jurisdictione, & sine ulla præstantia loci commune cum cæteris Capitulo adscriptis officium est.

Sunt hæc generalia, a quibus si gradum faciamus ad singula, notare debemus, ea omnia munera, quæ a simplici Canonicatu in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia distinguuntur, & constituunt vel dignitatem, vel personatum, vel officium singulare, ut plurimum sequentibus nominibus donari. Videlicet sunt Præpositura, seu Præpositatus, Decanatus, Abbatia, Prioratus, Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Thesauraria, officia Custodis, & Sacristæ, Primiceriatus, Cancellaria, Cantoria, Præcentoria, Succentoria, Pœnitentiaria, Theologalis, Magisterium, Scholasteria, & Plebania. Sane non omnes hujusmodi dignitates, ordinesve apud singulas Ecclesias Cathedrales, aut Collegiales invaluerunt, sed pro diversis civitatum, aut locorum institutis modo unum, aliud modo ex his beneficiis, modo plura erecta intuemur; immo etiam alicubi miramur, unum gradum subjacere illi, qui alibi eidem, aut etiam omnibus subest. Sic, ut exemplum tradam, Archidiaconatus, qui illic primum obtineat locum, istic secundum obtinebit, alibi etiam inter dignitates, officiave postremum; hac enim in re potissima habenda est ratio consuetudinum, quæ singulis in Provinciis obtinent, argumento cap. 6. de consuetud.. Juvat hoc in loco singulorum brevem notionem effingere, ut facilius, & accuratius beneficia a beneficiis discriminemur.

Cum primum Clerici in Cathedralibus Ecclesiis vitam communem inire cœperunt, quædam inductæ fuerunt dignitates, nimirum Præpositura, seu Præpositatus, vel Decanatus, vel Abbatia, vel Prioratus (idem dicas velim de Ecclesiis Collegiatis) Revera domestica, & pene familiaris Clericorum vita postulabat, ut ipsi intra domesticos muros, & extra locum Deo sacrum alicujus regimini subjicerentur; quin ad hoc regimen adsumerentur dignitates institutæ causa divinorum ministeriorum, aut causa peculii administrandi, vel partiendi. Hunc, qui domestico cœtui præficeretur, Præpositum appellaverunt, quasi eum, qui aliis præponeretur, cap. 9. de verb. signific., juncta l. 8. cod. de diversis officiis, & leg. 1. cod. de Præpositis laborum, derivato vocabulo ab antiquis Monachis, qui Præpositum etiam nuncupabant eum, qui in vita Monastica dirigenda sibi præfectus esset, quemadmodum passim liquet ex Regula S. Basilii. Hinc Præpositus Collegio præerat, ubi de negotio ad totius Collegii jura spectante ageretur, quemadmodum in electione Episcoporum, aut Canonicorum, uti liquet ex inscriptionibus capituli 4. de postulat. Prælat., cap. 16. de testibus, cap. 4. & ult. de concess. præb., ut alia omittam bene multa. In his adjunctis decebat etiam maxime, ut Præpositus certam in Ecclesia nobilem sedem haberet, sive prima illa esset, sive paulo interior, dummodo ejusdem quædam singularis ratio haberetur. Dissociata vitæ communione, adhuc quædam Præpositorum jura remanserunt in convocando Capitulo, & in præsidendo Canonicorum cœtui, quoties Collegii jura tuenda essent, aut vindicanda, aut exercenda; unde adhuc Præpositorum

dignitas remanere debuit, quamquam variis obnoxia vicibus pro locorum, ac temporum varietate. A præpositura non videtur differre Decanatus, nisi nomine tenus; ubi enim Canonici Præposito subjecti decem numerabantur, qui præerat, non Præpositus, sed Decanus audivit, derivato vocabulo ex militaribus ordinibus, apud quos qui decem militibus imperabat, Decanus dicebatur, teste Isidoro libr. 3. Originum cap. 3.. Id potissimum in usu fuit in Gallia, in Hispania, in Lusitania, in quibus Provinciis Decanus tanquam Capituli princeps habetur, & passim liquet ex inscriptione cap. 2. de translat. Episcop., item ex cap. 8. de rescript., cap. 7. vers. *inferiora* de elect., cap. 1. de ætate & qualit. præfic., cap. 46. de apellation., & cap. 7. de concession. præbend., quibus in monumentis Decanus veluti princeps, aut saltem inter principes totius Capituli exhibetur. Hodie autem nihil refert an sub Decano decem ex Canonicis Ecclesiæ serviant, an plures numero, vel pauciores; siquidem ubi primum instituta Collegia sunt, apta usurpata sunt nomina, quæ retenta adhuc fuerunt adaucto, vel imminuto Canonicorum numero; immo deinde obtinuit, ut non observato Canonicorum numero & Præpositi, & Decani nomina promiscue acciperentur; alicubi etiam eo itum est, ut & Decanus, & præposituræ tanquam duæ discretæ dignitates in eadem Ecclesia instituerentur, non quidem ad distinctionem officiorum, sed ad eum finem, ut adaucto dignitatum numero, quoddam majus certæ Ecclesiæ decus, majestas, & ornamentum accederet. Abbatia, & Prioratus ex eo cœperunt inter Collegiales dignitates recenseri, aut quod Monasteria in Ecclesiis erigi cœperunt, & Cathedrales Ecclesiæ administrandæ commissæ fuerunt Monachis sub Episcopo deservituris, quemadmodum fama est, Gregorium Magnum instituisse Ecclesiam Anglicanam, ad quam misit Augustinum Episcopum, qui una cum Monachis clericali ordine initiatis sacra faceret universa, aut quod Monasteria in Ecclesias fuere conversa, & sæcularibus Clericis adsignata, ut in specie capituli 3. de relig. domib., cap. 11. de vita, & honest. Cleric., & cap. 27. de elect.. Quum enim in Monasteriis & Abbatum dignitates, & Priorum officia potiora haberentur, post immutationem eadem nomina, eadem etiam præstantia Clericos Ecclesiæ eidem addictos pertinuerunt. Sic in cap. 3. de renuntiat. legimus Abbatem sæculari Ecclesiæ Præfectum cum auctoritate Canonicos recipiendi, eadem ferme ratione, qua ad Abbates Monasteriorum spectat Monachorum admissio. Sic in cap. 1. de ætate, & qualit. præfic. Abbates una cum Decanis, & Præpositis Capitulorum accensentur, quasi similis esset istorum omnium ratio. Priorum autem veluti capituli principum mentio fit in dicto cap. 27. de elect., & in cap. 1. de eo, qui mitt. in possess.. Neque dubito, quin in eisdem Ecclesiis aliquando instituti fuerint & Abbates, & Priores, ita ut Prior sub Abbate Collegium regeret, uti contingit in Monasteriis majoribus, argumento cap. 6. de statu Monachor.. Qui plura in hanc rem desiderat, adire poterit Fabricium in tit. de minoribus, & majoribus beneficiis num. 57..

Alia ratio fuit erectionis duarum dignitatum, quæ & celebratissimæ sunt, & in unaquaque fere Cathedrali Ecclesia receptæ, videlicet Archipresbyteratus, & Archidiaconatus, ideo instituti, quod Episcopo gravissimis aliquando negotiis impedito, distentove, aut infirmitate laboranti subsidium, sive vicaria quædam opera præstanda merito videbatur, quod etiam frequentius factum dignoscitur post sæculum Ecclesiæ nonum, quum nimirum Civitatensium Chorepiscoporum officia sublata fuerunt. Quum enim Episcopi duplici cura gravarentur, priore in spiritualibus Ecclesiæ negotiis, posteriore in rebus Ecclesiæ temporalibus, duos sibi Vicarios constituerunt, unum de Presbyteris selectum, quem Archipresbyte-

rum, alterum selectum e Diaconis, quem Archidiaconum nominarunt, illum spiritualibus, hunc temporalibus Ecclesiæ rebus præfectum. Hinc est, quod Episcopo impedito Archipresbyter ad Provinciale Concilium accedere jussus aliquando fuerit, can. 5. Concilii Emeritensis anni 666., sacra mysteria celebrare, & populo solemniter benedicere consueverit, can. 1. verb. *Archipresbyter* dist. 25., cap. 1. & toto tit. de off. Archipresb., Archidiaconus autem dicatur Vicarius Episcopi in bonis Ecclesiæ, & obventionibus administrandis, in possessionem beneficialium prædiorum mittat, dict. can. 1. dist. 25. vers. *ad Archidiaconum*, cap. 1. & passim de offic. Archid., juncto can. 24. dist. 93.. Quoties isthæc accurate perpendantur, satisfieri facile potest vulgari quæstioni, utra dignitas jure communi præstantior sit habenda. Cum enim de duobus Episcopi ejusdem Vicariis agatur in diverso officio, & ordine constitutis, conferendus sane erit cum ordine ordo, & cum officio officium; eamque ob rem tanto præstantior adparebit Archipresbyteratus Archidiaconatu, quando dignior est Presbyterorum ordo, ac officium ordine, ac officio Diaconorum. Ex antiquis hunc ordinem servavit Hieronymus, qui in Epistola ad Rusticum memorans præstantiam dignitatum quarumdam ecclesiasticarum, primo loco Episcopos, deinde Archipresbyteros, postremo Archidiaconos recensuit, can. 41. caus. 7. q. 1. ibi, *singuli Ecclesiarum Episcopi*, *singuli Archipresbyteri*, *singuli Archidiaconi*. Ex recentioribus laudare possum auctorem libri diurni Romanorum Pontificum, in quo Archipresbyteri exhibentur primum locum tenuisse supra Archidiaconos. Sic in cap. 2. tit. 1. in formula nuntiandi Exarcho Romani Antistitis obitum, primo subscribit Archipresbyter, deinde Archidiaconus, tertio Primicerius Notariorum, qui dicuntur *servantes locum sanctæ Sedis Apostolicæ*, scilicet eadem Sede vacante. Similia leguntur in tit. 5. in formula Epistolæ, quæ scribi solebat ad Archiepiscopum Ravennatensem, dum ceri or redderetur de Pontificis Maximi electione. Idipsum in tit. 6. in Epistola eadem de causa scribenda ad Judices Ravennæ, & in tit. 7. in Epistola simili ad Apocrisarium Ravennæ.

Perspicua hæc essent, nisi hanc traditionem turbarent aliqua monumenta, quæ extant sive apud Gratianum, sive apud Gregorium IX.. In primis in can. 1. vers. *Archipresbyter* dist. 25. legitur, Archipresbyterum obedire oportere *præceptis Archidiaconi*, *sicut Episcopi sui*. Deinde in cap. 1. de offic. Archid. adparet, Archidiaconum esse vicarium Episcopi *in omnibus*, & *omnem curam in Clero tam in Urbe positorum*, *quam eorum*, *qui per Parœcias habitant*, exercere. Insuper in cap. 7. eod. tit. Innocentius III. ait, Archidiaconum secundum statuta B. Isidori *Parochiarum sollicitudinem*, & *ordinationem habere*, Archipresbyteros *ejus jurisdictioni subjacere*, immo & multa adjicit juxta constitutionem Romani ordinis, juxta epistolam Clementis Papæ, atque juxta suam alias editam definitionem, ex quibus omnibus colligitur, magnam fuisse Archidiaconorum auctoritatem. Præterea in cap. 1. de offic. Archipresb. traditur, Archipresbyterum debere *obedire præceptis Archidiaconi*, *sicut Episcopi sui* item *Archidiacono subesse*. Denique in cap. 1. de offic. Primicer. dicitur, Archipresbyterum æque, ac Primicerium Archidiacono subesse. Sunt adhibendæ in hæc omnia monumenta singulares quædam notæ. Atque in primis generaliter observandum est, olim, si Diaconi prætextu administrationis peculii ecclesiastici plurimum supra Presbyteros ambiebant, quam ob causam debuerunt ab Ecclesiasticis Patribus coerceri, quemadmodum liquet ex tota fere dist. 93., Archidiaconos maximam sibi prærogativam vindicavisse. Id eveniebat in Cathedralibus Ecclesiis, in quibus Archidiacono peculium ecclesiasticum dividebant non solum inter minores, sed etiam inter majores Clericos, ac Pres-

byteros, immo & ipsi portionem Episcopo debitam Episcopo tribuebant. In hac administratione bonorum Archidiacono relicta, quis humanarum rerum apprime conscius non suspicetur, quantum sibi usu veluti capere Archidiaconi potuerint? Res primum eo alicubi devenit, ut nemo in Presbyterum ordinaretur, nisi consensu Archidiaconi, quasi ad Archidiaconum pertineret, consideratis Ecclesiæ redditibus, proponere, ut augeretur numerus ministrorum, vel deficientibus aliquibus administris, alii surrogarentur. Quæ consuetudo non placuit Hieronymo utut invecta in Romanam Ecclesiam, uti liquet ex can. 24. vers. *Sed dicis* dist. 93.. Inde eousque itum est, ut Archidiaconi prætextu immissionis in bonorum ecclesiasticorum possessionem beneficia conferrent, etiam exclusis Episcopis, præsertim ubi divisa fuit collatio beneficiorum a collatione ordinum, unde multa dissidia inter Episcopos, & Archidiaconos profluxerunt. His accessit, Archidiaconos frequens abscedere a Cathedrali Ecclesia consuevisse, ut prædia Cathedralis Ecclesiæ collustrarent in vicis, & pagis constituta, item ut obventiones Cathedrali Ecclesiæ debitas derivarent a Parochis villarum, & pagorum. Hac occasione Episcopi mandabant Archidiaconis, ut Parochias visitarent, Parochos, ipsosque etiam rusticanos Archipresbyteros inviserent, atque, ubi isti non rite suo munere fungerentur, eosdem monerent, coërcerent, atque punirent. Quis non videt, in his adjunctis Archidiaconos supra Archipresbyteros Cathedralis Ecclesiæ, aut certe supra Archipresbyteros rusticanos certam jurisdictionem explicare cœpisse, unde etiam præstantiorem se dignitatem habere gloriati sunt? Nunc intelligitur, quo spectant ea omnia, quæ de officio, & dignitate Archidiaconorum sub Isidori nomine traduntur in dicto can. 1. dist. 25.. Aut enim de Archipresbyterorum ruralium erga Archidiaconos obedientia ea intelligenda sunt, aut de extraordinariis mandatis ab Episcopo datis Archidiacono, ex quibus Archidiaconus quædam singularia præter ingenitum officium exercebat, aut de singularibus quorumdam Archidiaconorum moribus, unde singularis consuetudo certa jura tribuere potuit Archidiaconis in certis Ecclesiis, ad quas illud Isidori monumentum spectat. At enim cur Isidorum memoro? Jam diu Romani Correctores ad dictum canonem 1. observaverunt, corruptum esse illud monumentum, ac desiderari in nonnullis codicibus, quæ ibidem traduntur de Archipresbyterorum erga Archidiaconos obedientia. Ego insuper in meis lucubrationibus in Gratianum tradidi, epistolam illam falso fuisse Isidoro Hispalensi tributam. Quod si accedamus ad capitulum 1. de offic. Archidiac., observavit jam Antonius Augustinus in notis ad cap. 2. eod. tit. in 1. collect., & post eum Fagnanus ad dictum cap. 1., ea verba in libro Romani ordinis desiderari, & quamquam forte aliquis in eo fragmento velit consistere, adhuc poterit dicere, Archidiaconum haberi Vicarium Episcopi non quidem in omnibus generaliter Ecclesiæ negotiis, sed in omnibus, quæ temporalium bonorum curam spectant, nisi malit observare, compilatorem illius monumenti in certis factorum adjunctis ad singulares suæ diœcesis consuetudines respexisse. Multa quoque traduntur ab Innocentio III. in cap. 7. de offic. Archid., sed qui Innocentianum rescriptum considerat, percipit illico, nihil fuisse ab Innocentio definitum, sed tantum proposita quædam ex variis monumentis sine discrimine deprompta, quibus intelligeret, qui Pontificem interrogaverat, potius in ea re receptæ consuetudini, quam juri scripto esse parendum. Revera initio traditur, quod sub nomine Isidori Hispalensis legitur apud Gratianum in dicto canone 1. dist. 25. deinde subjicitur, quo ex Romano ordine derivatum dicitur in dicto cap. 1. de offic. Archid., cujus monumenti qualis sit auctoritas, modo indicabam. Adjicitur post hæc, quod sub nomine Clementis Papæ traditum fuit

UAB Biblioteca de Ciències Socials

in can. 6. dist. 93., cui fragmento qualis habenda sit fides, indicavi in meis adnotationibus in Gratianum. Denique concludit Innocentius indicando *quamdam* suam constitutionem, quæ ex judicio Fagnani in notis ad dictum capitulum non alia est, quam capitulum 9. eod. tit.. Quis diceret in conspectu horum omnium, certam fuisse traditam disciplinam ab Innocentio? Adde mentionem, quæ ibidem fit de Archipresbyteris, non factam intelligi de civitatensibus, sed de ruralibus Archypresbyteris, in quos extra ordinem ex mandatis episcopalibus Archidiaconi potestatem quamdam exercebat, quemadmodum indicant ea verba: *Archipresbyteri, qui a plebibus Decani nuncupantur, & Decani rurales.* Monuit quoque Fagnanus ad capitulum 1. de offic. Archipresbyt., non reperiri istud in aliquo ex Conciliis Toletanis, quamquam sub nomine Toletani Concilii exhibeatur. Si conferatur hoc caput cum dicto canone 1. dist. 25. vers. *Archipresbyter vero*, liquet statim, illud a veteribus fuisse S. Isidoro tributum, quamquam apud Isidorum non reperiri, testatus est Garzias Loaisa accuratissimus investigator monumentorum Hispanicorum. Buchardus Epistolam ipsam Isidoro adscriptam retulit in libr. 3. cap. 50., omisso sane eo versiculo, quem tamen addidit Ivo Carnotensis in parte 6. cap. 20.. Denique non est major auctoritas capituli un. de offic. Primicer., in quo describendo Raymundus Pennafortensis fidem secutus est collectionis primæ decretalium in cap. un. eod., ubi etiam idem monumentum depravatum sane refertur ibi: *Item ex Concilio Romani ordinis: ut Primicerius sciat se esse sub Archidiacono, sicut & Archipresbyterum ad ejus curam specialiter pertinere &c.*. Ex his omnibus concluditur, non satis apte propositam disputationem enodatum iri ab iis, qui non melioribus monumentis utantur; tum demum autem recte de Archipresbyterorum dignitate, & præstantia sapere eum, qui cuncta exigere noverit ad germanam illius indolem, ac naturam, atque ad traditione Patrum, quibus illud officium inter præstantiora sine ullo discrimine recensebatur; quamquam si hodierni mores attendantur, longe diversi sint in unaquaque Ecclesia Cathedrali, etenim in pluribus Archidiaconi, præsertim ubi ad idem munus electi Presbyteratus ordine insignire cœperunt, ad eminentiorem gradum evecti fuerunt. At vero quid non est in hac materie consuetudinibus indulgendum, quousque recta sacrorum officiorum ratio, & distributio patiatur? præsertim quod hodie sive Archipresbyterorum, sive Archidiaconorum jurisdictio aut extincta potius, aut plurimum imminuta deprehenditur ita, ut vix veteris illius auctoritatis & quidem tenuissima supersint vestigia, quæ potius ex uniuscujusque Cathedralis Ecclesiæ statutis erueres, quam ex generalibus communis juris regulis definires.

Nondum recedo ab Archidiaconorum officio, & dignitate; ab eo enim sejungi minime possunt aut Thesauraria, aut officia Custodis, ac Sacristæ, aut Primiceriatus. Revera quando Diaconorum officium spectabat quidem res Ecclesiæ temporales inter Clericos, cæterasque pias causas impendendas, ac partitione facta reddituum tribuendas, adhuc tamen sacras Presbyterorum functiones, ac divina ministeria adjuvabat, unde munus illud non mere profanum diceretur; ex Diaconis erant nonnulli, qui vacabant percipiendis, curandisve redditibus Ecclesiarum, erant etiam nonnulli, qui in Ecclesia ministrabant in sacris rebus, nisi dicere malis, omnes utrique parti, prout res incideret, satisfecisse. Omnibus Archidiaconus præerat, cujus mandato unusquisque muneri incumbebat. Sed quando Archidiaconus variis extra ordinem delegationibus Episcopi sui gravabatur, unde lustraret identidem diœcesim, jurgiaque Clericorum audiret, ac dirimeret, postulavit utilitas Ecclesiarum, ut quidam Archidiacono adjutores accederent, & quemadmodum in cura domestica, &

familiari Collegii clericalis constituti sunt Œconomi in adjutorium Archidiaconorum, similiter instituti fuere in Ecclesia Cathedrali Thesaurarii, Sacristæ, Custodes, & Primicerii. Thesaurarium spectavit cura incensi, & luminum ad sacrificia, item cura baptisterii ordinandi, atque olei ad consecrationem præparandi, uti traditur in can. 1. §. ult. dist. 25., appellatus autem fuit Thesaurarius, propterea quod Archidiaconus, qui universos ecclesiasticos redditus administrabat, partem Thesaurario conferre debebat in commemoratos Ecclesiæ usus impendendam, ne forte absente Archidiacono quidquam necessitatibus Ecclesiarum deesset. Thesaurario deinde accesserunt, quasi coadjutores in subsidium Archidiaconi, Sacrista, & Custos, hoc inter utrumque intercedente discrimine, quod Sacrista universam Ecclesiæ supellectilem curaret, cap. 1. de offic. Sacristæ; Custos vero ea tantum, quæ ad usum quotidianum necessaria erant, cap. 1. & 2. de offic. Custodis. Hinc intelligimus, sive Thesaurarium, sive Sacristam, sive Custodem fuisse subjectos jurisdictioni Archidiaconi, & ab illius jussibus pependisse, quamquam forte non nudum officium gerere, sed dignitatem habere viderentur, ubi illi in inferiores administros certam jurisdictionem explicarent. Erat altera Diaconorum pars, quæ describendis Ecclesiæ actis, item curandis libris ad divina officia necessariis addicebatur, atque ii appellabantur Diaconi notarii, ad quos spectabat memoriæ commendare acta Conciliorum, Martyrum, ac Confessorum gesta, item conscribere Missales, Rituales, Antiphonarios, cæterosque libros ad usum psallentium. His omnibus vice Archidiaconi Primicerius præficiebatur, qui sane si certam in notarios jurisdictionem exercebat, & ipse in dignitate constitutus censebatur. Neque vero reor, aliter intelligi posse verba capituli unici de offic. Primicerii ibi: *Ut Primicerius præsit in docendo Diaconis, vel reliquis gradibus ecclesiasticis in ordine Positis, ut ipsæ disciplinæ, & custodia instituat... & ut ipse Diaconis donet lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent &c.*, si enim hæc verba non ad notarios ecclesiasticos referas, facile erit, ut Primiceriatum cum Magisterio, aut cum Archidiaconatu confundas, argumento cap. 1. de Magistris, & cap. 2. de offic. Archidiac.. Nonnulli ex recentioribus interpretibus graviter in hac re erraverunt; cum enim notariorum disciplina in Ecclesiis exoleverit, & Primiceriorum dignitates nomine tenus superfuerint, parum curiosi in investigandis Ecclesiæ antiquitatibus, & origine munerum, primicerium esse dixerunt eum, qui esset primus in Clero, vel qui primus describeretur in cera, seu tabella cera linita, seu quod idem esset, in elencho Clericorum Cathedrali Ecclesiæ adscriptorum. Isti sane Primicerium cum præposito, vel decano, cum Abbate, vel Priore confuderunt. Alii dixerunt Primicerium ita dictum, quasi primum Cantorem: sed iterum isti Primiceriatum a Cantoria minime distinxerunt, præterquamquod longe nimis derivationem illius nominis repetierunt. Non memoro, quid alii dixerint parum apte, quasi Primicerius primus esset, qui primus cereum in quibusdam solemnitatibus deferret; hæ enim aut similes observationes relinquendæ sunt illis, qui ex eo ipso nomine deduxerunt candelam primo loco dandam esse Primicerio Episcopali manu in festo Purificationis B. Mariæ. Ego sane certo scio, primicerium a Præposito, vel Decano, ab Abbate, vel Priore, a Magistro, vel Scholastico fuisse distinctum: scio insuper pependisse ab Archidiacono, unde ejus officium ad Diaconalia pertinebat: scio præterea fuisse certam in Ecclesia Diaconorum classem, qui notarii dicebantur. Et quando his apud Græcos præesse dicebatur aut Logotheta, aut Ghartophilax, apud latinos non alium præfectum fuisse, quam Primicerium infero; quando nulla alia dignitas ad hunc finem instituta præferri potest, & non ad alium finem insti-

tuta dici valet dignitas Primiceriorum. Neque in hanc rem desunt vetera Ecclesiarum monumenta, quando in vetere libro diurno Romanorum Pontificum non semel memoratus *Primicerius notoriorum*, quasi dignitatem in Romana Ecclesia gerens, immo & in officiis civilibus Romani Imperii, quorum exempla multa officia ecclesiastica suis nominibus designata sunt, memorantur Primicerii notoriorum, ut in l. 14. cod. Theodos. de Senator., immo extat in eodem codice Theodosiano titulus *de Primicerio & Notariis* libr. 6. tit. 10.. Derivatum est nomen illud a voce latina *Primus*, & voce græca *Cheir Cheiros*, quæ significat manum, quasi Primicerius diceretur prima manus in scribendo, sive ea omnia exarando, quæ commendanda literis forent. Non inficior, aliquando Primicerium, sicut & Secundicerium appellatum fuisse inter Imperii dignitates eum, qui in copiis militaribus spectabilem locum haberet, quemadmodum deduci posset ex l. ult. cod. de *domestic.* & Protector.. Et his viris ea notatio nominis conveniebat, quasi prima vel secunda essent armata manus. At quod attinet ad rem propositam, sufficit observare, aliquando, immo & frequentius Primicerium appellatum fuisse, qui inter notarios spectabilem dignitatem nactus fuisset, unde & in codice Justinianeo etiam extat in libro 12. tit. 7. titulus ita inscriptus *de Primicerio, & Secundicerio, & Notariis.* Meum non est, hac in re accuratius expendere, quænam essent Primiceriorum officia singularia apud veteres in Aula Principum, & in quot veluti gradus distinguerentur. Id jam persecuti abunde sunt viri eruditi in Romanarum dignitatum disciplina. Tantum dixisse, sufficiat, exemplo civilium Primiceriorum etiam Primicerios in Ecclesiam invectos esse, qui Diaconis notariis præessent; & quando Diaconi notarii Archidiacono suberant, veluti principi suo, Primicerios ipsos Archidiacono etiam fuisse subjectos, veluti vicarios illi, a cujus mandato penderent.

Cancellaria, quæ in pluribus Cathedralibus Ecclesiis instituta deprehenditur, quamquam analogiam quamdam habeat ad officia Cancellariorum in aulis Principum, aut etiam in Romana Curia designata, non tamen inter dignitates Cathedralium Ecclesiarum recensetur, sed potius inter officia, nisi consuetudine, vel statutis receptum sit, ut Cancellarius vel personatum gerat, vel etiam certas jurisdictionis species explicet, ex quo dignitatem adeptus esse credatur, argumento capituli 9. offic. Archidiac.. In aulis Principum Cancellarius munus habere consuevit, quo ipse reciperet libellos supplices Principi offerendos, ipse in ea parte consilium Principi suppediraret, & responsa Principis ederet, ac signaret. Tanta eam ob causam erat apud ipsum populi frequentia, ut intra certos cancellos sederet, ne numero convenientium obrueretur, unde Cancellarius dictus est. Suum quoque Cancellarium habuerunt Romani Pontifices, cujus mentio fit in cap. 10. de rescriptis, & qui erant in Romana Ecclesia Cancellarii, magnam in illa auctoritatem habebant, utpote a quibus plurimum pendebant rescripta, & gratiæ universæ a Pontificibus Maximis concedendæ. Hinc magni nominis viri ad illud gerendum munus advocabantur, qui & facile deinde, vacante Sede, ad Pontificatum Maximum evehebantur. Id adeo verum est, ut Cancellarii quandoque ambitu elati se Pontifici ipsi Maximo pene compararent, unde salubriter jamdiu cautum est, ut nemo amplius Cancellarius in Romana Ecclesia existeret, retento tantum officio, illi demandato, qui non Cancellarius, sed Vicecancellarius appellarentur. In Cathedralibus inferioribus Ecclesiis suus quoque Cancellarius fuit, ad quem, ut puto, olim pertinebat exarare, ac concipere formatas literas, quarum mentio fit in can. 1. dist. 73., & quando Clerici universi una cum Episcopo communem vitam ducebant; Cancellarius acta totius Collegii clericalis, & Episcopi consig-

nabat, atque etiam sigillo firmabat. Ubi vero Episcopi a Communi vita recesserunt, & mensam separatam habuerunt, immo & plura sine Capituli consilio, vel consensu gesserunt, alium sibi singularem Cancellarium designarunt, remanente penes Capitulum clerico, seu canonico Cancellario, ad quem singuli capitularis custodia pertineret, item pertineret acta Capituli subsignare, ne de actorum eorumdem fide, atque integritate ulla esse posset dubitatio.

Antiquissimus est in Ecclesia psallendi usus, quem a vetere sinagoga derivatum fuisse scripsit Isidorus Hispalensis in libr. 2. de offic. Eccles. cap. 12.. Huic officio incumbebant Clerici quidam selecti, quorum vox suavior esset, & quidem etiam sine Episcopi jussione, sed præpositi cujusdam Presbyteri, quem cantorem, sive cantui præfectum posterior ætas appellavit, can. 20. dist. 23, quod clarius explicavit idem Isidorus in dicto capite 12. his verbis: *Solent autem ad hoc officium etiam absque conscientia Episcopi, sola jussione Presbyteri eligi quinque, quos probabiles in cantandi arte esse constiterit.* Duo in hac re evitanda volebant veteres Patres, & Isidorus eo in loco, & Hieronymus in can. 1. dist. 92.. Primum erat, ne ii seligerentur cantores, qui vocem dissonam, aut alias ingratam exererent; alterum erat, ne plus æquo cantores a modulationis simplicitate deflecterent, musicamque, aut theatralem artem in Ecclesias inveherent. Gregorius Magnus agnonscens ætate sua occasione cantus sacros administros, Sacerdotes nimirum, & Diaconos, suaviori officio incumbere, atque admodum distrahi vel a prædicatione evangelica, vel ab altari, vetuit, ne Diaconi eo officio fungerentur, illud relinquens aut Subdiaconis, aut minoribus Clericis, quo spectat can. 2. dist. 92.. Hinc puto, accuratius selectos fuisse cantores, immo & institutam cantorum scholam, quibus præficiebatur Cantor etiam cum dignitate, ut ipse in Clericos illi officio addictos certam jurisdictionis speciem exerceret. Immo & Cantoris dignitas inde tributa fuit in duas, Præcentoriam, ac Succentoriam. Cum enim in choro canentium numerus in duas classes dividatur, quarum prior psallentium est, posterior respondentium, illos Præcentor regit, istos Succentor.

Pœnitentiariæ institutio non est Concilio Tridentino vetustior; tum primum enim in illo decretum est, ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri posset, Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo institueretur, qui magister esset, vel doctor, aut licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, & annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiretur, quique dum confessiones audiret, interim præsens in choro censeretur, ac propterea etiam distributiones quotidianas lucraretur, sess. 24. de Ref. cap. 8.. Ex constitutione Pauli V. anni 1615., necnon ex constitutione Gregorii XV. anni 1622. Pragmatici probant, non posse Pœnitentiarium vel ordinarium esse, vel delegatum appellationum judicem, ne fortassis ex utriusque tum interni, tum externi fori commixtione suspectum vel judicis, vel confessarii munus aliquibus videatur. Interea hac occasione adnotare juvat, quam falsa sit in conspectu hujus disciplinæ opinio illorum, qui dignitatem tum demum vocant, quando qui beneficium possidet, ad lites dirimendas delegari potest, aut solet. Quis enim ignorat, non deesse alicubi pœnitentiariæ munera, quæ pro dignitatibus habentur, licet ipsis nunquam jurisdictio ex delegationibus accedat? In conspectu memorati Tridentini decreti tria quæri possunt. Primum spectat officium Pœnitentiarii semel instituti. Alterum spectat ipsam pœnitentiariæ institutionem. Postremum spectat præbendæ unionem. Ubi semel Pœnitentiarius institutus est, habet ille facultatem abs jure communi excipiendi confessiones fidelium, & absolvendi a peccatis, quin requiratur specialis delegatio Epis-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

copi, proptereaquod id ordinario jure officio Pœnitentiarii cohæret. Non tamen sine expressa Episcopi concessione poterit Pœnitentiarius absolvere a casibus Episcopo reservatis. Si de Pœnitentiarii institutione quæratur, ipsa pœnitentiaria instituenda est, atque erigenda Episcopali auctoritate, uti demonstrant ipsa verba Tridentini Concilii, eamque ob rem Capitulum, Sede vacante, id peragere minime poterit. Id adeo verum est, ut nec Episcopus teneatur ad eum finem exposcere consilium Capituli; agitur enim de ea re, quæ nullam amplius deliberationem desiderat, postquam ex mandato Tridentini Concilii id agi ab Episcopo necesse est; ne alias Canonicis concedatur dispositionem Tridentinam irritam facere. Neque opus fuit Episcopis absoluto Concilio exspectare, donec præbenda quædam vacaret; siquidem voluit Concilium, ut Pœnitentiarius institueretur *tum unione præbendæ proxime vacaturæ*, quæ verba supponunt præbendam necdum vacantem. Quod si quæratur de adsignatione ipsa præbendæ, nulla dubitatio esse potest, quin, si præbenda ad collationem Episcopi spectet, statim qui Pœnitentiarius ab Episcopo designatus est, præbendam obtineat ex vi unionis jam ab Episcopo factæ. Quid tamen, si contingat, aut præbendæ collationem esse Pontifici Maximo reservatam, aut ex statutis, vel moribus Cathedralis Ecclesiæ ad Capitulum spectare? Plane, si verba Concilii attendamus, immo & ejusdem mentem, quæ non alia fuit, quam ut quantocius Pœnitentiarii officium in quacumque Cathedrali Ecclesia institueretur, neve Pœnitentiarius designatus præbenda destitueretur, adsignanda est illi *præbenda proxime vacatura*, nec dubitandum est, quin decretum locum habeat sive in præbenda reservata, sive in præbenda ad Capituli collationem spectante. Et quidem quod ad eas præbendas attinet, quæ conferri a Canonicis solent, res semper fuit plana, & expedita, & statim ac auctoritate Episcopi instituta est Pœnitentiaria, ubi prima præbenda vacet, Pœnitentiarii propria fit, quasi ipsius officio perpetuo unita, quamquam ne quidquam de Capituli juribus imminuatur, nonnulli scripserint, præbendam ipsam esse a Capitulo eidem Pœnitentiario ab Episcopo instituto conferendam, quod tamen *mihi* non admodum placet, cum agatur de unione perpetua, & de tali unione, per quam præbenda pœnitentiariæ accedat, & in ipsius officii pœnitentiæ naturam transformetur; eamque ob rem si ex decreto Concilii ab Episcopo est Pœnitentiarius instituendus, etiam ab Episcopo conferri præbenda debet, ne *beneficii collatio inter duos quoquo modo* scindatur. Hinc etiam profluit, in iis Cathedralibus, in quibus recepta est optio præbendarum, neminem ex Canonicis posse præbendam semel pœnitentiariæ unitam optare, ne alias dicatur, unionem nunquam factam fuisse, aut unionem vagam esse, & indeterminatam, quasi Pœnitentiarius modo unam præbendam, modo alteram nanciscatur. An e converso Pœnitentiarius institutus, qui jam primam vacantem præbendam obtinuit, possit alteram deinde vacantem, dimissa priore, optare, difficilius definiri potest. Etenim Tridentinum Concilium expresse ait, proxime vacaturam præbendam pœnitentiariæ uniendam esse, hæc autem unio videtur esse perpetua. At e contrario videri posset, Tridentinos Patres eam unionem præstituisse gratia potius Pœnitentiarii, ne ipse diu sine præbenda maneat, proptereaque licere Pœnitentiario aliam optare, quoties quæ primo vacavit, tenuis admodum videretur, ne forte dicatur, gratiam Tridentinam in damnum Pœnitentiarii ejusdem torqueri. In hac dubitatione ego censerem, prudenter facturum Episcopum, quoties in erectione Pœnitentiariæ, adsignare quidem Pœnitentiario instituto proxime vacaturam præbendam, reservato jure gratia Pœnitentiarii, ut ipse valeat meliorem optare, quoties altera inde vacaverit, donec tandem pos-

tremo loco optata remaneat, veluti dos perpetua Pœnitentiariæ, nullis amplius optionum vicissitudinibus obnoxia. De præbendis Pontifici Maximo reservatis aliud tradi a Pragmaticis consuevit. Non diffitentur ipsi, reservationem non obesse unioni, quoties agatur de Episcopo, qui statim absoluto Concilio Pœnitentiariam erexerit, & Pœnitentiarium instituerit cum unione præbendæ proxime vacaturæ; id enim decreto Tridentino penitus consonat. Sed observant, non adeo indulgendum esse Episcopo, qui diu post Tridentinum Concilium devenerit ad Pœnitentiariam erigendam, quasi dici nequat *proxime vacatura* illa præbenda, quæ vacavit jamdiu post Tridentinam constitutionem; inde adjiciunt, Episcopum tamdiu differentem executionem Tridentini decreti, de fraude suspectum esse, quasi præbendas suæ collationis ipse pro lubito contulerit, Pœnitentiario concesserit, quod alienæ, id est, Pontificiæ collationis erat. Video ego, hæc ad duo summa capita redigi, quorum primum est germana interpretatio illorum verborum *proxime vacaturæ*, alterum est exclusio fraudis cujuscumque ab Episcopo admittendæ. In primis interpretatio illorum verborum *proxime vacaturæ* non ea mihi esse videtur, qualis affingitur; nam cum dicatur in Concilio, institui debere Pœnitentiarium cum unione præbendæ proxime vacaturæ, illa præbenda adsignanda est, quæ vacatura sit post Pœnitentiarii institutionem, non vero quæ vacatura primum sit ab absolutione Concilii: secus dicendum esset, etiam actum fuisse de institutione Pœnitentiarii cum unione illius præbendæ, si forte præbenda vacasset statim post editum decretum, atque ante Concilii finem; immo & Episcopos intra certum tantum tempus concitatos fuisse ad erectionem Pœnitentiariæ, non illud onus perpetuo fuisse eisdem impositum, quod menti Concilii repugnat. Deinde quod attinet ad evitandas Antistitum fraudes, fateor, redarguendum illum Episcopum fore, qui dum commode erigere Pœnitentiariam potuisset; uniendo illi præbendam suæ collationis, tandiu distulit erectionem, donec Pontificiæ collationis præbenda vacaret, nec forte facile admittendam erectionem in fraudem factam; at quoties nulla sit fraus, quid oberit, quominus Pœnitentiaria ea ratione erigatur? Quid enim, si usque ad vacationem præbendæ reservatæ alleget, ac probet Episcopus, se numquam devenire potuisse ad Pœnitentiariæ erectionem? Quid, si erigat Pœnitentiariam, antequam vacet præbenda, cum unione præbendæ proxime vacaturæ, quæcumque ista demum ex accidenti sit, sive Pontificiæ, sive Episcopalis collationis? In his, vel similibus speciebus, cum cesset & doli, & fraudis suspicio, non est, cur factum improbetur, quando alias factum ipsum a Concilio Tridentino urgetur, nec præsumitur a Pontificibus Maximis Decretorum Tridentinorum vindicibus, ac patronis damnandum. Ubi præsertim erectio ante vacationem fiat cum unione præbendæ proxime vacaturæ, unio ipsa vacationem antevertit, proindeque etiam reservationem, & hanc ob rem unionis notius habenda ratio est, quam reservationis.

Cum Viri Ecclesiastici populos debeant in fide, in religione, in universis Evangelii rigulis erudire, antiquissimus mos fuit in cœtibus Clericorum præsertim eorum, qui majores urbes incolerent, quo certi doctores, seu magistri præficerentur, quorum studio, & opera instituerentur Clerici inferiores, & in bonam munerum clericalium spem educarentur. Jam sua ætate doctores in Ecclesia fuisse, S. Paulus in suis epistolis testificatur. Orientalis Ecclesia, quam primum Apostoli instituerunt, in hac parte emicuit prioribus sæculis, in ea enim schola designata fuit, quam catecheticam appellabant, atque hanc regebat circa annum 181. Patænus Siculus, qui, ut scripsit Photius, iis usus fuit magistris, qui Apostolos viderant, & audiverant. Post ipsum claruit in eo munere Cle-

mens Alexandrinus ejus discipulus, inde Origines discipulus Clementis, qui, licet laicus, Episcopo Alexandrino, jubente sub finem tertii sæculi sacras literas explanavit. Origini successit Heraclas, aliique deinde numero plurimi. Memoro inter istos Cyrilum Hierosolymitanum, & Gregorium Nissenum; quorum primus Catecheses ad illuminatos, alter sermones Catecheticos edidit. Hæc causa fuit, quare priore illa ætate multi ex occidentali Ecclesia in orientem se conferrent, ut in sacris literis in orientali schola proficerent. Nondum tamen certa forma inita fuerat in methodo docendi, quæ esset scholasticæ rei accommodata. Primus certam methodum invexit Joannes Damascenus medio octavo sæculo, qui singulares edere cœpit tractationes, ut mysteria distingueret a mysteriis, ordinateque de singulis disputaret. Hinc libros edidit singulares de Deo uno, & Trino, de Verbi Incarnatione, de Christo, de Sacramentis, de Lege Dei, & peccatis. Ecquidem in Latina Ecclesia nonnullæ hujus generis institutiones editæ fuerunt a sanctis, eruditisque viris, quales inter cæteros laudari possunt Hilarius Pictaviensis, Ambrosius, & Augustinus. At eorum lucubrationes potius tendebant ad confutandos hæreticos, & instituendum fidelem populum, qui lectione eorum librorum delectabatur, quam ad erudiendos veluti in gymnasium collectos Clericos; unde nulla extant veterum scholarum in occidente institutarum memoria. Visa primum fuerunt hæc studia in Ecclesiis instituta temporibus Caroli Magni, instante præsertim Alcuino, ex quo tempore in clero scholæ erigi cœperunt, & commodius in Monasteriis, immo & fama est, quasdam publicas Academias ab eodem Carolo Magno erectas fuisse. In can. 3. Concilii Cabilonensis II. anni 813. statutum adparet, ut singulis Ecclesiis scholæ Theologicæ instituerentur, quod & testatur factum fuisse Ansegisus, necnon Jonas Aurelianensis; quod & a Conciliis probatum fuit, uti constat ex cap. 3. de vita & hon. Cleric., & a Pontificibus Maximis Eugenio II., & Leone IV. magis, magisque insinuatum, uti legitur in can. 12. dist. 37.. Sed paulo post refriguit scholasticorum ardor, & pene cessatum est a studio rerum sacrarum sub finem sæculi noni, toto etiam sæculo decimo, & magna in parte sæculi undecimi; donec clerus crassa ignoratione obrutus, debuit iterum ad capessenda literarum studia concitari. Primus illa ætate volvere hoc saxum cœpit Lanfrancus Cantuariensis, cui occasionem dederat Berengarius impia dogmata in vulgus effundens. Post Lanfrancum Petrus Abailardus libros proponere cœpit de Trinitate, de virtutibus Theologicis, aliosque complures. Horum operum subsidio instructus Petrus Lombardus libros sententiarum elucubravit, eumque secuti sunt Alexander Alensis, Thomas Aquinas, Bonaventura, Albertus Magnus, aliique plures, quo tempore discreta fuerunt studia sacrorum canonum a studiis Theologicis, immo & ipsa studia Theologorum distrahi visa sunt, & reddi variis sectis obnoxia. Interea ut reviviscerent inter Clericos sacræ literæ, caveri debuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ut saltem in Metropolitanis Ecclesiis ex præbendis Canonicalibus una adsignaretur Clerico, qui cæteros in bonam Ecclesiæ spem educatos in sacra Theologia erudiret; atque eam appellaverunt Præbendam Theologalem, quam qui obtinebat, non efficiebatur ex eo Canonicus, sed tantummodo redditibus præbendæ potiebatur, donec in officio maneret, cap. 4. de magistris. Concilium Basileense anni 1438. Lateranensis canonis sanctionem ad singulas Cathedrales Ecclesias prorrogavit, sess. 21. cap. 3., immo etiam adjecit, ut is, ad quem spectaret præbendas conferre, unam ex illis teneretur adsignare Canonico, qui illud munus in Cathedrali obiret. Sed cum Basileensis canon non esset ubique receptus, non fuit ubique institutum hujusmodi officium apud Canonicos, sed

aliquibus in locis hoc munus Canonicus suscepit, ex quo appellatus est Canonicus Theologus, sive præbendam obtinens Theologalem; alicubi constituta quidem fuit præbenda gratia Theologi, & Clericos instituentis extra Capitulum, præsertim quod in Concilio Tridentino nihil aliud inde statutum est, quam cum olim Concilium Lateranense decreverat. Sanctio Tridentini Concilii habetur in cap. 1. sess. 5. de Ref.. Immo in aliquibus locis neque executioni demandata est Conciliorum Lateranensis, & Tridentini constitutio; aut etiam designati Canonici Theologi ab officio destiterunt, propterea quod in civitatibus Collegia, atque Universitates studiorum extra Cathedrales Ecclesias institutæ sunt, satisque visum est, Clericos studiorum sacrorum gratia ad eadem Collegia, & Universitates mitti. Eadem fere dici possunt de Magisterio, & Scholasteria, quæ sane nomina unum, idemque Canonici officium significare videntur, illius scilicet, qui præficitur erudiendis adolescentibus Clericis in arte grammatica, cæterisque inferioribus disciplinis, cap. 22. de rescriptis, cap. 67. de appellat.. Hoc sane munus statim Canonicorum proprium factum est, ubi ipsi vitam communem duxerunt. Discissa communione, negligi a Canonicis officium idem visum est. Quamobrem in Concilio Lateranensi memorato statutum fuit, ut Magister, vel Scholasticus in unaquaque Cathedrali, & in aliis Ecclesiis, quarum facultates sufficerent, constitueretur, ipsi adsignata præbenda, vel beneficio, quin tamen opus esset eum inter Canonicos adnumerari, cap. 4. de magistris; atque idipsum fere renovatum est in Concilio Tridentino, dicta sess. 5. cap. 1. de Ref., quæ decreta ubique fortassis executioni demandata hodie dignosceremus, si frequens Collegiorum institutio, in quibus minores disciplinæ etiam juxta mentem Concilii traderentur, supervacaneam fere Canonicorum, aut illorum, qui a Canonicis designarentur, operam non demonstrasset.

Denique Plebania aliquando connumerari videtur inter Personatus Cathedralium Ecclesiarum, uti in cap. ult. ne Clerici, vel Monachi. Cæterum ut plurimum dicitur Plebania Parochiale beneficium in villulis, & pagis erectum, quasi cura animarum in plebibus. Quoties igitur plebanus aut in Collegiis, aut in Capitulis Cathedralibus extat, ejus nomine intelligemus eum, qui curam gerat animarum, vel actu solum, uti loquuntur nostri, remanente habituali cura penes Capitulum, vel Collegium; vel etiam habitu, ubi cura animarum ad Capitulum, vel Collegium minime pertinent, cui sane officio si & jurisdictio quædam adhæreat, nihil prohibebit, quominus etiam Plebania possit Collegii dignitatibus accenseri.

OBSERVATIO II.

De Beneficiis Regularibus.

Huc referri potest titulus 37. libr. 3.

MUlta a Monachis ad Clericos, a Monasteriis ad Ecclesias derivata fuerunt, quemadmodum notandum fuit in præcedente observatione. Multa etiam e converso a Clericis ad Monachos, ab Ecclesia ad Monasteria traducta sunt, uti modo adparebit, cum natura, & ratio regularium beneficiorum expenditur. Apud veteres Monachos, quemadmodum & hodie apud plures Regulares usuve-

nit, constituta semper fuerunt monastica officia ab aliquibus selectis Monachis necessario obeunda, quæ in administrationem bonorum ad Monasteria pertinentium consistunt. De cœnobitis loquor, sive de Monachis communem vitam ducentibus, ex quibus unus, vel plures bonis cœnobii quibuscumque administrandis præficiendi fuerunt. Atque in hac parte æquabilis erat ratio in cœnobiis, atque in Cathedralibus Ecclesiis, quousque in istis fuit vita communis Clericorum, & bona Ecclesiæ Œconomis, sive Diaconis commissa, quorum opera singulorum, & Collegii commodis consuleretur. Porro Monachi illi bonorum curatores, quousque pristinus in res divinas fervor acerrimus perseveravit, ægre admodum ad illa peragenda officia deveniebant, nisi quod exhibita superiori obedientia viris singulari demissione animi commendabilibus rei gerendæ acerbitatem temperabat. Sed ubi adauctis in dies Monasteriorum redditibus nonnulli solitariæ vitæ tædio affici cœperunt, rati posse se sine fraude monasticæ professionis prætextu monastici hujus generis officii frui cultu lautioris vitæ, ad ministeria illa capessenda impenso studio inhiarunt. Væ autem homini, si gliscenti minus rectæ adfectioni indulgere incipiat; paulatim enim inde gravfora emergunt, & pullulant, utinam non lethale vulnus infligant! Qui curandis Monasterii bonis inhiarunt, cum privatim delicatam vitam ducerent, tum de sodalibus in solitaria vita degentibus, & procul a terrenis curis orationi vacantibus parum solliciti esse cœperunt; immo & cum iidem privata peculia sibi constituerunt, tum sodalibus in solitudine, & oratione consistentibus occasionem, & exemplum præbuerunt, privata & singularia peculia sibi parandi, quibus dum curatores deessent, sibi consulerent. Eo alicubi redacta res fuit, ut transactione opus esset inter Monachos administratores, & Monachos cæteros, nimirum adsignarentur administratoribus certa bona, quibus iidem pro arbitrio uterentur instar beneficii ecclesiastici, dummodo a cæteris favore reliquorum Monachorum reservatis penitus abstinerent; atque hac in re similis quædam tributio facta est, qualis in Cathedralibus Ecclesiis inter majores administros, & Collegia Clericorum. En sinceram beneficiorum omnium regularium (si quædam excipias singulari jure instituta) originem, indolem, ac naturam, quæ primum apud Monachos obtinuerunt, ad Clericos deinde Regulares eadem ratione facile traducta, quæ & hodie in aliquibus sive Monasteriis, sive Collegiis Clericorum regularibus locum habent.

Dixi, excipienda esse beneficia quædam singulari jure instituta. Etenim in primis postquam Monachi sacris ordinibus initiari cœperunt, & certas publicas Ecclesias adnexas Monasteria habuerunt, demonstrari possunt aliqua beneficia ex fundatorum voluntate ita Monasteriis, seu Monasteriorum Ecclesiis adnexa, ut non per alios, quam per Monachos administrentur, sive commisso sacro officio alicui Monacho, redditibus autem Monasterio concessis, sive & officio, & singulari peculio etiam alicui Monacho in administrationem vel omnino, vel in parte dato. Item evenire aliquando potuit, ut beneficia, quæ clericalia, seu, ut vulgus appellat, sæcularia erant, singulari titulo, ex causa præscriptionis, regularia evaserint, eodem modo, quo beneficia regularia præscriptionis titulo fieri sæcularia queunt, cap. 5. de præbend. in 6., ubi cum Bonifacius VIII. legitimam tantum præscriptionem admiserit, tradunt Interpretes, necessariam esse præscriptionem quadraginta annorum, quam legitimam in rebus ecclesiasticis præstituerat idem Bonifacius in cap. 2. de præscript. in 6.. Excipe tamen casum, quo beneficium sæculare Regularibus concedi consueverit ex quadam dispensatione, puta ob defectum sæcularium Clericorum; tunc enim etiamsi longissimi temporis possessio proponeretur a Monachis,

hæc numquam sæcularis beneficii naturam immutaret, uti recte docet Rebuffus ad concordata tit. de collationibus §. *Volumus*, verbo *Regularia*. Præterea evenire potuit, ut beneficia sæcularia abierint in regularia, quotiscumque contigit, ut sæculares Ecclesiæ in Monasteria fuerint conversæ; quæ enim beneficia Ecclesiæ olim sæculari adhærebant, regularia sæpe effecta sunt ob administrationem illorum Regularibus concessam.

Singularem quoque naturam habent monastica illa beneficia, quæ Cappellæ nuncupantur. Primum apud Francos usurpatum fuisse Cappellæ nomen scribit Walafridus Strabo in cap. ul. de exordiis, & incrementis rerum ecclesiasticarum, ad significandum sacrum locum, in quo recondebatur Cappa S. Martini, quemadmodum & Cappellani dicti fuerunt Clerici, qui eamdem Cappam custodiebant. Deinde eisdem nominibus appellari consueverunt capsulæ, in quibus reliquiæ Martyrum ponerentur, & Clerici illarum cultui addicti, quemadmodum apud Evodium in libr. 1. de miraculis S. Stephani. Itaque Monachi in illis, quibus Monasteria ditabantur, prædiis, ecclesiolas quasdam jamdiu erectas, vel etiam oratoria reliquiis Sanctorum in capsulis inclusis ornabant, aut ipsi, quas similiter ornarent, erigebant sub nomine Cappellarum, quibus singulis singuli quoque Monachi e Monasteriis prodeuntes addici solebant, utentes redditibus prædiorum, quasi eorumdem curatores, in quibus Cappellæ sitæ erant; aliquando etiam a fidelibus prædiorum finitimorum cultoribus decimas, & oblationes percipientes, ex iis tamen observationibus Monasterio, a quo ipsi pendebant censum persolventes, quemadmodum fieri solebat a Clericis sæcularibus, qui sæcularibus similiter erectis Cappellis præficiebantur sub Ecclesiis Parochialibus, sive Baptismalibus, can. 54. caus. 16. quæst. 1.. Amplius progressa est hujusmodi disciplina; siquidem quandoque obtinuit, ut in iis Cappellis cura animarum exerceretur, præsertim ubi Monasteria cum prædiis suis essent exempta abs jurisdictione Episcoporum, ac Parochorum potestate. Nimirum in iis adjunctis Monachus Cappellanus Sacramenta rusticis prædia monastica excolentibus instar proprii Parochi ministrabat, juribus etiam Parochialibus in eosdem rusticos utebatur. Quicumque autem fuerit ab initio fructus, quæcumque etiam in bonum publicum emergerent emolumenta ex istarum Cappellarum institutione, tandem experientia docuit, Monachos iis Cappellis addictos negligere omnino professionem suam, quam adjecisse videbantur, dum solitudinem reliquissent. Hinc Monachi diutius non constituerunt in Cappellis, ad sua Monasteria revocati auctoritate Concilii Lateranensis, cap. 2. de statu Monachorum, quod & recentiores Pontifices urgere visi sunt, dum statuerunt, eas Cappellas custodiri potius a Clericis, quos Monasteria nominarent, atque Episcopo præsentarent instituendos, præsertim cum Cappellis illis cura animarum adnexa proponeretur, cap. 1. 3, & 4. de Cappellis Monach., cap. und. eod. tit. in 6..

Liquet his omnibus generaliter observatis, triplex secerni posse beneficiorum regularium genus. Primum est, quod non distinguuntur ab officiis, & muneribus monasticis, qualis est Abbatia, vel Prioratus, utut instar beneficiorum redacta officia fuerint, separatione facta reddituum inter officiales, & Monasteria, seu Collegium Monachorum. Alterum genus agnoscitur in singularibus beneficiis, quæ successione temporum adnexa fuerunt Monasteriorum Ecclesiis publicis, quæ sane beneficia eamdem fere naturam habent, qualem habuerunt beneficia clericalia instituta olim gratia Clericorum in communi viventium Tertium genus spectat Monachorum Cappellas sitas extra monasteria, in quibus hodie Monachi ministrare prohibentur in sacris officiis, translata spirituali cura in Clericos, & retento penes monasterium,

& Monachos certo jure, quod patronatui simile est, & præcipue in Clericorum electione, nominatione, ac præsentatione consistit.

Sic exposita beneficiorum regularium indole, adjectis etiam variis eorumdem beneficiorum qualitatibus, duo consectaria colliguntur. Primum est, eatenus beneficia regularia probari posse, quatenus nihil inde emergat in regularis conditionis detrimentum. Alterum est, eadem beneficia regularia penitus improbari, quoties Monachus regulari beneficio præficiendus occasionem inde arriperet delinquendi contra monasticum institutum. Quamobrem tria in proposito observanda sunt, quæ Monachus semper præ oculis habere debet, etiam si regulare beneficium obtinuerit. Primum est perpetua consistentia in Monasterio, & solitariæ vitæ custodia, aliena prorsus a sæcularibus negotiis, nisi forte Monasterii, & generalis Monachorum in communi viventium utilitas quidquam postulet. Alterum est obedientia Superiori debita, quam Monachus quisque elicito etiam voto pollicitus est. Postremum est paupertas, quam singuli Monachi profitentur, & expresso voto apud Deum spondent, se perpetuo servaturos. Sunt hæc monasticæ professionis veluti bases, & fundamenta, contra quæ professus est Innocentius III. in fine capituli 6. de statu Monach., *nec Summum Pontificem posse licentiam indulgere*, & cum Honorio III. propositum fuisset, singularia privilegia contra ea Sedis Apostolicæ auctaritate fuisse concessa, rescripsit prudentissimus Pontifex in cap. 3. de Cappell. Monach. *hujusmodi literas ab Apostolica Sede non credimus emanasse.* Jungatur his capitulum 2. de statu Monach. adjectis iis, quæ ad ejus interpretationem tradidit Fagnanus n. 59.. Eo sane minus dispensatio ulla admittetur, quam Monachus se a Superiore Regulari obtinuisse allegaret. Perspicue id tradidit Concilium Tridentinum, ita de Superioribus Monasteriorum decernens in sess. 25. de Regular. cap. 1. *Compertum est, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari; si enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis disciplinæ, recte non fuerint conservata, totum corruat ædificium, necesse est. Nemini igitur* (sequor Tridentinos Patres in cap. 2.) *Regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis adquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possideri, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu conventuum ad solos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.* Itaque ex eo, quod in primis Monachus perpetuo in Monasterio consistere debeat, & solitudini vacare, vetitum est, ne Monachi soli habitent in Cappellis, etiam prætextu ministrandi in divinis, & exercendi curam animarum, uti modo superius tradebam. Quod si forte necessitas, vel utilitas Monasterii postulet, ut Monachus temporalibus Monasteriis bonis curandis addictus e Monasterio egrediatur, bona eadem curaturus, eatenus id sibi permissum intelligat, quatenus bonum Monasterii efflagitet, & præterea nihil sibi indultum esse confidat. Deinde ex eo, quod Monachus obedientiæ voto adstringatur, debet ipse intelligere, se ita beneficium regulare obtinere, ut in ipsius etiam administratione, ac retentione Superiori suo pareat, unde profluit, beneficia omnia regularia ex sui natura manualia existere, quemadmodum superius in prima dissertatione traditum est. Denique ex eo, quod Monachus paupertatem sponte professus est, deducitur, eum, quodcumque beneficium possideat monasticum, omnia teneri in Monasterii utilitatem convertere, cum beneficia monastica, quæcumque illa sint, in commodum potius Monasterii, quam beneficiarii Monachi instituta deprehendantur, quin blandiri sibi posset ea de causa, quod mensam habeat a mensa Monasterii separatam; quacumque enim

ratione facta separatio proponatur, illud certo certius est, Monachum ex elicito paupertatis voto nullum sibi adquirere peculium posse, sed quidquid adquirit, adquirere Monasterio. Immo nec sibi blandiri posset eo prætextu, quod vel a Monasterio *ipso*, vel a præfecto Monasterii certam singularem facultatem acceperit, cum in hac re nulla Superioris dispensatio admittatur juxta Sacros Canones, & laudata Concilii Tridentini decreta.

Quotiescumque erectum fuisse beneficium constet, sed dubitetur, an regulare sit, an sæculare, vulgaris traditio est, illud sæculare præsumi, ita, ut qui allegat illud esse regulare, probationis onere teneatur, & eo non probante, tanquam sæculare beneficium habeatur. Nec immerito; nam in dubio unumquodque beneficium verum, & proprium beneficium existimandum est, non improprium, quale esset beneficium regulare. Excipiuntur tamen Cappellaniæ, quæ erectæ præseferantur vel in Monasterio, vel in locis sive sacris, sive religiosis Monasterio adnexis; nam vel ex hac adnexione res non omnino dubia esse videtur, immo conjectura gravis oritur beneficii regularis, uti tradit Rebuffus in praxi beneficiaria parte 1. tit. *Quotuplex si beneficium* numero 6.. Adderem ego similem exceptionem in Abbatiis, Prioratibus, & similibus beneficiis, in quibus si præsertim antiquæ sint, & nullæ in contrarium conjecturæ urgeant, qualitatem regularis beneficii agnoscendam esse, ipsa nominis qualitas, primigeniæ sane regularium officiorum institutioni conveniens, suadere videtur.

Regula generalis est, sicut sæcularia sæcularibus, ita regularia beneficia regularibus esse concedenda, cap. 5. & 32. §. *Prohibemus* de præbend. in 6., Clem. un. de suppl. neglig. Prælat., cap. 27. de elect., Concilio Tridentino sess. 14. de Ref. cap. 10.. Hac tamen in re observandum est, aliqua ex beneficiis regularibus concedi omnino debere illis, qui actu regularem vitam professi sunt, alia vero conferri etiam sæcularibus posse, dummodo qui beneficia hujusmodi adipiscuntur, animum habeant profitendi monasticam vitam, & postquam illa adepti fuerint, intra annum Monasterium ingrediantur, & professionem religiosam emittant. Id aperte decreverunt Tridentini Patres in dicto cap. 10. sess. 14. de Ref. ibi: *Religiosa beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta... Religiosis tantum illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis... conferantur.* In conspectu Tridentini hujus decreti duplex oritur dubitatio. Primum explicationem desiderant illa Tridentini Concilii verba, quibus traditur, beneficia monastica conferri oportere Monachis *illius ordinis*; etenim contingere potest, quosdam prætextu ejusdem regulæ, quam profitentur, ad ea beneficia inhiare, quamvis illius ordinis minime sint. Verum attendenda sunt adamussim Tridentini verba, quibus attentis minime sufficit, quemquam eamdem regulam profiteri, sed requiritur, ut eidem ordini sit adscriptus, quemadmodum legimus receptum apud Fabrum in cod. de sacros. Eccles. defin. 77.. Major dubitatio oritur ex cæteris Tridentini Concilii verbis; neque enim ex iis satis, & aperte constat, quænam regularia beneficia actu professis, quænam professuris sint conferenda. Verum, vel ex juris communis generalis definitione, vel ex aliis Tridentini Concilii decretis, repetenda interpretatio est. Nimirum distinguendum inter beneficia regularia simplicia, & beneficia illa, quæ in Monasteriis certam habent jurisdictionem adnexam, quales sunt Abbatiæ, & Prioratus. Quæ adnexam jurisdictionem habent, & ex jure communi in cap. 49. de elect., & ex Tridentino Concilio in cap. 21. sess. 25. de Regular., non nisi actu professis concedi debent. Quænam ergo alia, quam simplicia, sunt illa beneficia regularia, quæ etiam professuris concedi possint ex dicto cap. 10. Tridentinæ sessionis 14.? Hæc interpretatio jamdiu probata, & recepta est, quemadmodum testatur Fagnanus in cap. *Cum cau-*

sum de electione num 38.. Cæterum illud insuper canonibus vetitum est, ne Regularis uni Monasterio addictus, alteri Monasterio præficiatur. Clem. 1. de electione.

Regula regulam trahit. Cum enim observatum sit, ad regularia beneficia Clericos sæculares admitti non posse, etiam observandum est, e converso beneficia sæcularia non esse Regularibus concedenda. Si ad hanc præstituendam regulam uti vellem monumentis recentioribus, qualia prostant in decretalibus, statim laudarem capitulum 5. de statu Monach., capitulum 9. de Regular., & capitulum 5. de præbend. in 6.. Sed altiora sunt hujus rei repetenda principia, sive quod vetus disciplina aliud ferebat, sive quod, etiam si post laudatas decretales abierit in generalem disciplinam, regulares arceri a sæcularibus beneficiis, non omnino tamen, & in singulis quibusque beneficiis hæc regula recepta est; quemadmodum adparet in beneficiis Episcopalibus, quandoque etiam in Parochialibus. Antiqua ætate, seu quousque beneficiorum collatio non fuit a collatione ordinum sejuncta, seu quousque idem & unum fuit ordinare Clericum, & conferre beneficium ordinato, eodem jure, quo Monachi ordinari in Ecclesiis auctoritate Antistitum poterant, valebant etiam beneficia ecclesiastica Clericis destinata adipisci. Siquidem cum Monachi ut plurimum sacris Ecclesiæ ordinibus initiati non essent, nisi forte quisquam ob Monasterii, & Monachorum necessitates Sacerdotio donaretur, & Ecclesiæ Monasterii adscriberetur; tunc idem erat ordinare Monachum, ac Monachum avocare a Monasterio, & a solitudine, eumdemque ad Ecclesias transferre. Hinc Hieronymus ad Rusticum Monachum ita scribebat: *Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis... Multo tempore disce, quæ postmodum doceas... Quod si populus, vel Episcopus te in Clericum elegerit, age ea, quæ Clerici sunt*, can. 26. juncto 27. caus. 16. quæst. 1.. Immo & ut Clerici in Ecclesiis ordinarentur, qui olim Monachi extitissent virtutibus jamdiu probati, veteres Pontifices, & Patres sæpe, ac sæpius exoptabant, can. 28. 29. 30. 31. 32. 34. caus. 16. quæst. 1.. Nec recta ratio huic Monachorum translationi obstabat, nec disciplina. Non recta ratio: quid enim in contrarium dici poterat, quam forte, Monachum votis se perpetuæ obedientiæ erga Abbatem, perpetuæ consistentiæ in Monasterio, ac perpetuæ paupertatis se obstrinxisse? quæ sane vota per ordinationem, seu beneficii collationem relaxari necesse erat. At vero cujuscumque generis vota in melius commutari posse; inconcussa traditio est, quando votum eatenus hominem Deo adstringit, quatenus res voto promissa quidquam honestius continet. Igitur statim ac sine ulla dubitatione vita clericalis utpote proxime Deo ministrans, & animarum saluti incumbens, excellentior erat, & dignior etiam apud Deum, quam vita monastica nihil oberat, quominus monasticum votum collatione sacri ordinis, & clericalis officii relaxaretur. Neque oberat disciplina. Siquidem olim nemo ordinabatur, nisi qui a populo, & Clero non tam electus publico suffragio esset, quam conquisitus, invitatus, rogatus, immo & aliquando compulsus. Eam ob rem perraro contingebat, ut sponte Monachi e Monasteriis prosilirent, & quasi tædio solitariæ vitæ adfecti se transferri ad Ecclesias postularent. His adjiciendum est, Monachis e Monasterio ad clericalia officia transeuntibus perpetuo insinuatum fuisse, ut, quoad fieri a Clerico posset, & quoad ministeria ecclesiastica ferrent, ab ipsis monastica regula servaretur, & vota elicita custodirentur. Hinc si forte Monachus inter minores Clericos adscriberetur, contrahere conjugium prohibebatur, etiam si conjugium aliis ejusdem ordinis Clericis permitteretur, Nov. 5. cap. 8.. Item, ut debita obedientia Prælato regulari servaretur, cautum sæpius fuit, ut Monachus a Monasterio in Ecclesiam transiturus veniam ab Abbate peteret, & bonum antea tæ vitæ testimonium impetraret, can. 28.

26. 33. & 34. caus. 16. quæst. 1.. Neque deerit Monacho, post adeptum clericatum paupertatem adhuc profiteri posse, si ita se in Ecclesia gesserit, ac se olim gerebat in Monasterio, seu, quod idem est, si ecclesiasticum peculium nomine Ecclesiæ administret in eos usus, qui a sacris canonibus præstituuntur. Huc pertinet sententia Innocentii I., quam Gratianus mutilatam descripsit, & perperam interpretatus est in can. 3. caus. 16. quæst. 1., ibidem enim Sanctus Pontifex, uti liquet ex ipso Epistolæ contextu, tradebat, Monachos in Clerum translatos a proposito continentiæ suscepto recedere nullo modo posse, quamquam Gratianus inde deduxerit, Monachos non posse Parochialibus Ecclesiis præfici; quod plane erat a sententia Innocentii alienum. Itaque diutius perseveravit consuetudo, juxta quam Monachi promovebantur ad Clerum, & sæcularium Clericorum officiis, seu beneficiis addicebantur. Eo tandem deventum est, ut collatio beneficiorum a collatione ordinum sejungeretur, quo etiam tempore factum est, ut beneficia in se viderentur quidquam commodi exhibere, & plurium ad se desideria traherent. Præsertim vero, si ageretur de beneficiis minoribus, quibus nec Episcopalis jurisdictio, nec cura animarum esset adnexa, cœperunt ista tradi petentibus sine populi, & Cleri suffragio, unde quotiescumque vacarent, multi ad eadem anhelabant. Interea Monachi provehi se ad eadem beneficia postulabant, veterem consuetudinem allegantes; neque eorum vota forte in irritum cecidissent, si alia non apparuisset postulantium voluntas, quam quæ tenderet in bonum Ecclesiæ, & in spiritualem profectum provehendorum. At nonnulli potius adducebantur ad petenda beneficia, aut ex tædio anteactæ monasticæ vitæ, aut ex cupiditate temporalis lucri, quod adipiscendo beneficio adhærebat, aut ex voluntate fruendi lautiore vita, qua frui Clericos numero plurimos beneficia possidentes intuebantur. In his adjunctis non dubito, quin Episcopi collatores beneficiorum caute procederent, & antequam Monachos ad Ecclesias transferrent, & beneficiis donarent, voluntatem Monachorum eorumdem postulantium explorarent, concessuri beneficia illis, quos sincera, & sine fraude prodita Ecclesiæ ministrandi voluntas concitavisset, cæteris simili voluntate destitutis beneficia denegaturi; eodem modo, quo veteres Monachorum Institutores quibusdam Monachis optime meritis, & sanctimonia conspicuis idemtidem permittebant, ut a cœnobio discederent, & procul a Prælatis constituti in eremis locis anachoriticam vitam traducerent; e contrario minime sinerent, quosdam e cœnobio recedere prætextu anachoriticæ inneundæ vitæ, si olim non fuisset laudabilis, & præclara vitæ ratio, & suspicio suborietur, ne ipsi potius obedientiæ tædio arbitrio suo relinqui se postularent, ut adnotavit S. Isidorus Hispalensis in libr. 2. de ecclesiasticis officis cap. 15.. Res hæc sensim arctioribus debuit finibus circumscribi; sive quod ut plurimum Monachi potius expectationem de se, suaque virtute conceptam fallebant, adjicientes disciplinam morum, qua olim in Monasterio videbantur ornati; sive quod collatores beneficiorum non satis caute voluntate Monachorum beneficia petentium explorarent; sive quod Monasteriorum Præfecti sine delectu passim dimitterent Monachos suos, in Ecclesias, & officia clericalia transferendos; sive denique quod vita Clericorum mediæ ætatis non adeo perfecta adparebat; qualis olim; & versæ quodammodo erant vices? scilicet olim Clerici Monachis sanctimonia æque, ac ordine præstabant, deinde vero Monachi utut ordine Clericis inferiores, doctrinæ tamen, & morum cultu supra Clericos eminere cœperunt. Primus Gratianus & ipse Monachus post dictum canonem 3. caus. 16. quæst. 1. tradere cœpit, non decere, Monachos ad Ecclesias, utut Parochiales promoveri. Verum hæc privata Gratiani doctrina utut ea tempes-

tate gravis videri posset, non statim ab omnibus probata, ac moribus recepta est, donec tandem in Concilio Lateranensi Alexandri III. probata est, & cautum, ut Monachi ad Ecclesias non transferrentur, sed perpetuo solitudini in Monasterio vacarent, cap. 2. de statu Monach.. At enim vero hinc novæ quæstiones emerserunt occasione Canonicorum Regularium, qui communem vitam instar Monachorum ducebant. Isti jampridem inter Clericos adscripti communem vitam, quam susceperant, laudabant, & dum Clericos cæteros, qui a communi eadem vita recesserant, aut nunquam susceperant, temnerent, videbantur monasticam vitam clericali adscivisse, unde & Monachorum privilegia sibi propria faciebant. Satis id fuit, ut Clerici cæteri exemplo Monachorum exclusos clamarent a beneficiis etiam Parochialibus Canonicos Regulares. Delata re ad Innocentium III., prudentissimus Pontifex in cap. 5. de statu Monach. definivit, in Lateranensi decreto Regulares Canonicos non comprehendi, proindeque ipsos idoneos esse ad Parochialia beneficia obtinenda. Et quidem elegans est, & solidæ jurisprudentiæ principiis innixum Innocentii rescriptum. Ait Innocentius, olim Monachos quoscumque potuisse ad ecclesiastica capessenda officia in Ecclesias advocari; ait, Lateranense decretum, quod sane novum erat, & adversus veterem disciplinam conceptum, ad solos Monachos pertinere; eaque de causa non esse ad alios extendendum, qui in decreto non essent expresse memorati, quales erant Canonici Regulares. Heic paulisper sisto, atque utiliter ad rem propositam noto, Monachos universos, eo ipso, quo exclusi erant a beneficiis Parochialibus, potiore jure exclusos fuisse a beneficiis cæteris minoribus, sive quod eadem ratio solitariæ vitæ nunquam abjiciendæ in cæteris minoribus beneficiis vigebat, sive quod non adeo in beneficiis cæteris minoribus quemquam urgere poterat ecclesiastica, & publica utilitas, ut dispensaretur a monastica disciplina, quemadmodum urgere in beneficiis Parochialibus, allegare Monachi potuissent. At si de Canonicis Regularibus loquamur, in conspectu Lateranensis decreti, ipsi neque a Parochialibus, neque a cæteris inferioribus beneficiis exclusi fuerant, cum de ipsis nulla mentio facta sit, quemadmodum Innocentius III. mox laudatus declaravit. Sed quando Canonici Regulares litem moverunt apud Innocentium de solis Parochialibus beneficiis, in ista potissimum intenti, dummodo in ea controversia minime caderent, contenti extiterunt; eamque ob rem ubi vacare beneficia Parochialia noverunt, eadem petierunt, cætera inferiora aut raro petierunt, aut omnino petere neglexerunt; ac potius facto suo, & moribus passi sunt, ut ab inferioribus beneficiis petendis fere excludantur. Redeamus in viam. Ex laudato Rescripto Innocentii III., quo Canonici Regulares ad Parochialia beneficia admittebantur, occasionem sumpserunt nonulli Monachi eludendi decretum Concilii Lateranensis. Nimirum curaverunt, transferri se a Monasteriis ad Collegia Canonicorum Regularium, non animo quidem permanendi in claustris Regularium Canonicorum, sed ut exinde ad beneficia Parochialia quasi Canonici Regulares admitterentur. Agnoverunt Tridentini Patres hanc quorumdam Monachorum fraudem adversus Lateranense Concilium admissam, quamobrem in sess. 14. cap. 11. vetuerunt, ne qui Monachi olim fuissent, quamquam inde ab Canonicos regulares transierint, ad Parochialia sæcularia beneficia promoverentur. Cæterum de Canonicis Regularibus, qui nusquam Monachi extiterunt, vetus disciplina perseveravit, cum nihil adpareat in Tridentino Concilio innovatum. Heic tamen non constiterunt universa. Siquidem absoluto Tridentino Concilio refert Fagnanus in cap. *quod Dei timorem* de statu Monach. num. 16. die 8. Julii 1581. decrevisse Gregorium XIII., *non licere istis Canonicis Regularibus etiam de licentia sui Generalis aos-*

que permissu Summi Pontificis assumere curam etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum in titulum. Subdit deinde Fagnanus: *& subinde cum Canonici regulares Lateranenses peterent, ut sibi liceret cum licentia sui Generalis obtinere officia curata in titulum, vel ad tempus, & res a Congregatione delata esset ad Sanctissimum, Sanctitas Sua abnuit*; ac postremo concludit, sua ætate etiam Canonicos regulares, non obstante dicto c. 5. de statu Mon., a beneficiis Parochialibus fuisse exclusos. Res omnino confecta fuisset, nisi alii, & quidem non contemnendi interpretes contra sensissent, duce Gabriele Pennoto libr. 2. historiæ tripartitæ Canonicorum regularium cap. 72., qui translatos quidem e monasteriis exclusit a Parochiis juxta mentem Tridentini Concilii, cæterosque tamen Canonicos regulares censuit admittendos. His nullum negotium facessit nuper commemoratum Gregorii XIII. decretum, utpote quod ajunt generaliter non fuisse executioni demandatum, immo & S. Caroli Mediolanensis exemplum proferunt, qui anno 1584., sive triennio post decretum Gregorii XIII., Canonico regulari ad concursum admisso Parochialem Ecclesiam conferre non dubitavit. Quid plura? idem Pennottus loco citato subdit, aliud in Romana Curia anno 1584. editum fuisse decretum, quo declaratum est, *decretis Tridentini Concilii Canonicum regularem non prohiberi obtinere beneficia curata sæcularia, nisi fuerit ex illis translatis, de quibus habetur cap. 11. sess. 14.*. Hinc diuturnæ fuere controversiæ, Canonicis regularibus petentibus, se ad concursus Parochialium Ecclesiarum admitti, illinc autem pluribus Episcopis eos repellentibus, aliquibus etiam tum demum admittentibus, cum necessitas postularet, sive cum deficerent Clerici sæculares idonei, qui Parochialibus Ecclesiis præficerentur; sic enim ut plurimum evenit, ut in transversum agantur homines, ubi certa decreta præseferuntur, quæ an executioni mandata sint, ignoratur, aut quæ non invicem sibi constant, aut quæ non nisi privatis interpretum testimoniis palam fiunt. Tandem aliquando anno 1745. rem totam definivit, & absolvit Benedictus XIV. in sua constitutione, quæ incipit: *Quod inscrutabili* 51. in tomo 3. ejusdem Bullarii; ante cujus editionem quæ esset sua sententia, privatim in scripto suo explicaverat idem Benedictus Papa, typis inde impresso in editione Rigantii tom. 3. ad calcem regulæ 43. Cancellariæ. Post hanc constitutionem receptum est, ut Canonici regulares æque, ac Monachi repellantur a quibuscumque beneficiis sæcularibus, etiam si ista curam animarum adnexam habeant. Quod si justa quædam causa postulat, ut quisquam ex Canonicis regularibus, aut Monachis ad hujus generis beneficia admittatur, postquam Canonicus regularis, aut Monachus veniam a Superiore Generali obtinuerit, non aliter beneficium adquirere poterit, quam si consensus Apostolicæ Sedis accesserit. Ubi vero hæc dispensatio sit impetranda, necessarium semper erit accedere bonum Monastici Superioris testimonium, can. 34. caus. 16. quæst. 1., argumento capitis 2. sess. 22. de Ref., & cap. 4. sess. 25. de regular. in Concilio Tridentino; immo & aliquando caveri solet, ne Canonicus regularis a Sede Apostolica dispensatus solus habitet in sæculari domo, sed jungitur illi Regularis alter ejusdem ordinis, qui de Beneficiarii moribus testificari valeat, cap. 2. & 3. de statu Monach., cap. 3. de Cappellis Monachorum. Quod dictum est de Parochialibus beneficiis, idipsum dicendum videtur de officio Confessarii sanctimonialium, ut vocant, ordinarii, cum hoc simile ad modum sit officio Parochi, & eadem prostet ratio, quæ in beneficio Parochiali, præsertim si Confessarius ratione suscepti muneris extra suum Monasterium degere deberet.

Hucusque consulto egi de Beneficiis sæcularibus Episcopatu minoribus. De Episcopatu, & cæteris dignitatibus Episcopali majoribus alia ratio semper habita fuit, atque etiam hodie habetur; quamobrem dummodo Monachus bonum ha-

beat sui Superioris testimonium, ex quo eum Episcopatu dignum esse comprobetur, Concilio Tridentino sess. 22. de Ref. cap. 2., nihil prohibet, quominus ad Episcopalem dignitatem, vel etiam majorem promoveatur. Id in primis recipi omnino jure potuit ante Concilium Lateranense Alexandri III., seu ante editum capitulum 2. de statu Monach., qui enim votis monasticis emissis, ad Episcopalem sedem e Monasterio transferebatur, non vota dimittere, sed in melius commutare, jure, ac merito videbatur. Deinde in conspectu Lateranensis decreti nihil est, quod novam disciplinam induxerit, neque enim istud ad dignitates Episcopales suscipiendas pertinet. Et revera in Episcopali dignitate nulla suspicio esse probabilis potest, nulla fraus, quando qui Episcopus eligitur, juxta jus commune suffragio clerici, & populi ad regendam Ecclesiam advocatur, exacto etiam adhibito scrutinio; immo & si ad hodiernam disciplinam nos convertamus, in Consistorio perpenduntur universæ electi qualitates. Quid plura? quando & Bonifacius VIII. in cap. 24. de elect. in 6., & Clemens V. in Clem. 1. de elect., & Concilium Tridentinum in dicto cap. 2. expresse admiserunt, Regulares quoscumque, consentiente Prælato suo, ad Episcopalia munera eligi posse. Dissimulare tamen non debeo duo monumenta, quæ sine germana interpretatione relinquenda non sunt. Primum extat in cap. 10. de voto; alterum in cap. 11. de renuntiat.. In conspectu dicti cap. 10. de voto torquentur Interpretes, quasi inde deducatur, electum ad Episcopalem dignitatem abdicare se potius Episcopatu debere, quam Religionis votum semel emissum frustrari, quod sane esset contra generalem canonum disciplinam, qua inspecta licet, votum in melius commutare, meliorem autem constat magisque acceptam esse Deo Episcopalem, quam monasticam professionem. Ut Innocentius III. rescriptum explicemus, facti species ponenda est. Quidam clericus solemni forma votum emiserat regularis ineundæ professionis in Ecclesia Gratianopolitana apud Episcopum; cum vero Romam ire meditaretur, spopondit, se impleturum, quod promiserat, intra duos menses, postquam ab urbe redisset. At vero utut jamdiu ab urbe reversus, & duobus a reditu suo jam elapsis mensibus, votum implere neglexit. Post hæc electus fuit a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Gebennensis tunc vacantis in Episcopum. Inter hæc adjuncta electus ante secutam confirmationem petiit ab Innocentio, quid sibi agendum foret, ut conscientiæ suæ consuleret. Rescripsit Innocentius, debere primum votum implere; quod si deinde *canonice* electus a Capitulo fuerit, electioni consentiret, & ad Gebennensem Ecclesiam regendam gradum faceret. Facti serie ita exposita, nihil video, quod generali officiat disciplinæ. Agitur de eo, qui voto apud Deum, & apud Ecclesiam gravissime obstringebatur, agitur de eo, qui voti transgressor, & reus, proindeque gravissimi criminis conscius erat: agitur de eo, cujus vix electio secuta fuerat, non solum nulla subsequente consecratione, sed ne confirmatione quidem Superioris, quæ diligenti scrutinio erat adhuc perficienda; forte etiam idem electus necdum electioni de se factæ consenserat, sed in iis adjunctis antequam consentiret, consilium Innocentii III. flagitaverat. Vereri sane poterat electus, ne si Superior confirmationis causa adiretur, crimen illud violati voti objiceretur, & electio tanquam indigni viri rejiceretur. Quamobrem prudentissime Innocentius respondit, *resignandum esse regimen Ecclesiæ*, id est, allegandam ab electo excusationem, qua profiteatur ipse, se tanquam reum haberi posse deserti voti, quousque illud non impleat, propterea-que se interea tuto consentire electioni non posse; hac prolata excusatione, electum eumdem debere votum implere; tum vero demum, si subsecuta fuerit nova electio, consentire eumdem posse. Notanda sane sunt illa verba: *Si Capitulum te postmodum canonice duxerit eligendum*, quasi

dixerit Innocentius, potuisse videri pristinam electionem non canonice factam, qua designatus Episcopus fuerat, qui reus erat gravis delicti, seu voti necdum impleti. Alias secuta professione, & voto impleto, nihil erat, quod in scrutinio causa confirmationis habendo proponi contra electum potuisset; aut si forte quidquam erat, non dolum exhibebat, sed quamdam desidiæ & negligentiæ speciem, cujus tanta ratio, quanta doli, haberi non poterat. Difficilius est interpretari alterum monumentum, sive capitulum 11. de renuntiat.. Tota, quæ ibidem traditur, Innocentii III. doctrina paucis perstringi potest: nimirum docetur, Episcopum relicta Ecclesia ad Monasterium transeuntem, & in eo regulam profitentem, tum demum ad Episcopatum aliquem redire non posse, cum ad agendam in Monasterio pœnitentiam ob grave admissum crimen dejectus fuerit, non vero quoties Monasterium adiverit vexatus injuria temporum, vel monasticam vitam elegerit, in qua magis in sacra doctrina proficeret, & magis idoneus redderetur, vel si demisso animo Cathedram dimisisset, ad quam pridem ex cupiditate parentum ignorans ipse adscendisset. Verum duo inde difficultatem faciunt. Primum est, quo diciturhanc doctrinam inniti Concilio Constantinopolitano, quod *sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelica Ecclesia veneratur.* Alterum est, quod probare videtur, tot subesse posse honestissimas causas, quibus Episcopus recte possit ab Ecclesia ad Monasterium transire, quasi vita monastica perfectior esse possit vita Episcopali. Prima observatio jamdiu a viris eruditis habita est, qui fassi candide sunt, Innocentium errore facti lapsum fuisse; etenim cum Innocentius laudaret canonem Concilii Photiani in urbe Constantinopolitana celebrati adversus S. Ignatium, putavit laudare se Concilium Generale secundum, nimirum Constantinopolitanum I.. Monumentum ejus Concilii extat apud Gratianum in can. 45. caus 7. quæst. 1.. Et non solum in eo Innocentius deceptus est, quod crediderit canonem illum esse revera Concilii Generalis secundi, sed & in eo, quod censuerit pertinere ad eam speciem, qua Episcopus pœnitentiæ causa dejectus in Monasterium fuerit. Arte Photii editus canon est; cum enim pridem Photius facto schismate ab Ecclesia Constantinopolitana dejecisset Ignatium, Ignatius fugiens iram Photii, cui omnia prospere cedebant, ad Monachos confugit, & apud illos diutius mansit, donec mutatis vicibus temporum redire potuit ad Episcopatum, ejecto Photio invasore. In his rerum adjunctis decessit ab hac vita Ignatius, & bono pacis Photius iterum ad eamdem sedem admissus est; in qua ut sibi tutius jura sua vindicaret, curavit, coacta Synodo, ut decerneretur, eum amplius Episcopum esse non posse, qui semel monasticam vitam elegisset; hac enim ratione censebat, persuaderi posse unicuique, se non nova inauguratione Episcopalem obtinuisse sedem, sed quasi postliminii jure retinuisse, unde Ignatii memoriæ non levis injuria fieret. Atque hic apud Innocentium facti error fuit: cæterum doctrina juris ab Innocentio tradita, in ea parte, qua dicitur, Episcopos pœnitentiæ causa in Monasteria ejectos non posse restitui, firmissima est, & Canonum sanctorum principiis consentanea. Succedit altera observatio, qua notamus Innocentium multos admisisse probabiles casus, quibus Episcopi interea Episcopali curæ cedant, & in Monasteria se transferant. Id quidem vetustæ disciplinæ non satis congruit, sed esse potuit Innocentii temporibus accommodatum. Nimirum quousque Episcopi fuere doctrina præclari, seu ii seligerentur, qui populo scientia, pietate, prudentiaque præirent, disciplina ecclesiastica postulabant, ut nulla Episcoporum cessio, vel seccessio admitteretur. At vero incidendum fuit in eam ætatem, qua obscuri etiam homines idemtidem ad Episcopalia munera eligebantur, qui sane si ab Ecclesia ad Monasteria transiissent, majorem sibi & doctrinæ, &

UAB Biblioteca de Ciències Socials

virtutum omnium suppellectilem sibi comparavisset. Quamobrem ætas Innocentii III. id ferebat, ut cæteris in casibus si non laudarentur omnes, non tamen improbarentur hujus generis secessiones. Viam huic disciplinæ jam straverat Isidorus Mercator in can. 11. caus. 7. quæst. 1. in iis verbis, *vel regulari mutatione*; faciliorem etiam reddiderat doctrina privatæ legis, quam Monachi plures jactabant sub nomine Urbani II. in can. 2. caus. 19. quæst. 2., & a qua Innocentius idem non videtur recessisse in cap. 18. de regularibus: tanti tunc temporis fiebat & Isidori Mercatoris auctoritas, et Gratiani.

Multa sane ex his omnibus colligi utilia possent, quæ tamen ad hoc unum caput facile rediguntur: videlicet in tanta disciplinæ varietate unum perpetuo servatum fuisse Ecclesiæ spiritum, & sententiam uniformem. Perpetuo Ecclesia optavit, ut ministri optimi seligerentur: perpetuo optavit, ut, qui optimi selecti essent, ab ecclesiasticis officiis non recederent. Hæc ratio fuit, quare olim viri in Monasteriis probatissimi ad sacra ministeria advocarentur. Si deinde mutata est disciplina, tribuitur abusui nonnullorum, qui animo vacandi otio, fruendique deliciis, a Monasteriis transferri se in Ecclesiam postulabant. Ea ipsa ratio fuit, quare olim ab officiis Ecclesiæ non sinerentur Clerici præsertim majores electione solitariæ vitæ operosam cleri curam evitare. Si deinde mutata est disciplina, tribuitur abusui nonnullorum, qui parum idonei constituti fuerunt in Ecclesia magistri, & plebium institutores. Beneficia ipsa, quæ veteribus Patribus grave quoddam onus habebantur, aliam formam habere recentioribus visa sunt, conversa in commodum, utilitatemque possidentium; unde retento semper Ecclesiæ spiritu, si quid mutatum est, mutatio ipsa ex ejusdem principiis recta profluebat.

Videor paulisper digressus, non tamen omnino extra rem, a beneficiis regularibus, de quibus adhuc superest investigare, a quonam conferri illa debeant? Paucis dicam, distinguenda esse beneficia a beneficiis. Et primo quidem sunt beneficia vel ab ipsa prima sui institutione vere regularia, quæ sita sunt in administratione redditnum ad Monasteria pertinentium, aut etiam in officiis domesticis erga Monachos exhibendis, qualia sunt Abbatiæ, Prioratus, cæteræque administrationes conventuales, quæ nullum habent adnexum clericalis ordinis ministerium. Hæc profecto aut a Prælato Regulari prævia Monachorum Capitulari electione, aut a Collegio ipso Monachorum vi electionis Capitularis conferuntur juxta statuta cujuscumque Ordinis; attenta etiam diversorum officiorum qualitate; unde passim tradi solet, regularia beneficia esse elective, Faber in codice de sacrosanctis Ecclesiis defin. 18., juncta defin. 65. & 77.. Sic in cap. ult. de instituit. ad Abbatem regularem dicitur pertinere officiorum omnium regularium institutionem; quod ipsum etiam traditur in Clement. un. de suppl. neglig. Prælat.. Singulare illud receptum fuit in Abbatibus, utpote quibus quasi Episcopalis jurisdictio in Monachos aliquando competiit, ut, electione secuta, & munere suscepto, petere tenerentur benedictionem ab Episcopo, cap. 1. de suppl. neglig. Prælat., quod tamen post inductas Monachorum exemptiones raro inde factum est, atque hodie, ubi quæstiones hujus generis emergant, ad singularia uniuscujusque Monasterii privilegia respicitur, item consuetudo attenditur, quæ tuta esse potest privilegiorum olim obtentorum interpres. Secundo alia sunt beneficia regularia, quæ Monasteriis jamdiu erectis accesserunt, scilicet cohærent Ecclesiis publicis Monasteriorum cum exercitione clericalis ordinis, quo Regulares initiati sunt, quin tamen habeant adnexam curam animarum in populum. In his beneficiorum collationibus nemo dubitat, quin olim, ubi collatio ordinis conjuncta erat colla-

tioni beneficiorum; eodem jure ad Episcopum pertineret collatio beneficii, quo pertinebat collatio ordinis Monachi gratia facienda. At disjunctis collationibus ordinis, & beneficii, statim ac Episcopus ordinavit Monachum, eo ipso Monachus ordinatus idoneus redditur, qui a Prælato suo prævia electione Monasterii, aut ab ipso Monasterio deputetur in Ecclesia in eo beneficio ministraturus, quod præsertim verum est, postquam Monachi exemptionum privilegia obtinuerunt. Tertio alia sunt regularia beneficia, quæ non solum cohærent Ecclesiis publicis, sed etiam curam animarum exercendam in populum adnexam habent. Si Ecclesiæ Parochiales hujus generis a Monasterio separatæ sunt, jam diu obtinuit, Monachos ad eas regendas non admitti, ne a Monasterio ipsi recedant, sed reservato Monachis jure præsentandi Clericum non regularem, institutio ad Episcopum pertinet, can. 6. caus. 16. quæst. 2., cap. 1. 3. & 4. de Cappell. Monach. At si cura animarum adhæret Ecclesiæ Monasterii, & cura ipsa per Monasterium exerceatur, sive habitu, sive etiam actu, obtinuit, ut, quoties habitu tantum Monasterium curam habet animarum, & perpetuus Vicarius ibidem sit constituendus, nominatio Vicarii ad Monasterium pertineat; adprobatio autem, & institutio nominati Episcopo reservetur; at quoties etiam actu Monasterium curam exerceat animarum, obtinuit, ut Monasterium pro arbitrio seligat unum ex Monachis, quem etiam pro arbitrio ab officio avocet, dummodo utroque in casu conscius reddatur Episcopus, & Monachus electus ab Episcopo adprobetur; siquidem in iis, quæ Parochialem animarum curam spectant, magna semper Episcoporum ratio habenda est, cap. 31. de præbend., c. 3. §. *In Ecclesiis* de privileg., cap. un. de Cappell. Monach. in 6., Concilio Tridentino sess. 21. de Ref. cap. 8.

OBSERVATIO III.

De Beneficiis Commendatis

SIngularis illa beneficiorum partitio, juxta quam alia dicuntur in titulum, alia in commendam concedi, occasionem mihi in præsentia præbet plura utilia observandi de beneficiis commendatis. Et quidem in hac re multa jamdiu a scriptoribus nostris tradita sunt, quorum alii adversus commendarum usum acri æque, ac fuso stylo plurima tradiderunt, alii commendis, ac Commendatariis facile indulserunt, utrique sane rem periculi plenam prosequentes, de qua cum diu tractassent Concilii Tridentini Antistites, non aliud ediderunt decretum, quam quod sobrietas, & prudentia suggessit his verbis conceptum in cap. 21. sess. 25. de Regular. *Cum pleraque Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Preposituræ, ex malo eorum, quibus commissa fuerint, administratione non levia passa fuerint tam in spiritualibus, quam in temporalibus detrimenta, cupit S. Synodus, ea ad congruam monasticæ vitæ disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura, difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi: ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis salubriter aliquando provideri possit, primum quidem confidit, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate, & prudentia curaturum quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conventus habent, regulares personæ, ejusdem ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur. Quæ vero in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur. Quoad ea vero Monasteria, quæ capita sunt, ac Pri-*

mates ordinum, sive Abbatiæ, sive Prioratus, filiæ illorum capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præsenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere, alias commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur. Ne autem in prædictis omnibus, & singulis fraus aliqua adhiberi possit, mandat sancta Synodus, ut in provisionibus dictorum Monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur; aliterque facta provisio subreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti possessione, etiam triennali, adjuvetur. Hæc quidem dispositio, uti videtur, ad solas Monasteriorum commendas pertinet; etenim de commendis Ecclesiarum jam pridem Tridentinum Concilium nonnulla salubria constituerat; nihilominus tamen cum inde liqueat, qualis recentioribus sæculis invaluerit commendarum usus, tum etiam inde colligitur, qua prudentia opus est, ut universa, quæ ad commendas pertinent, discutiantur, atque explicentur. Dabo ego operam, ut quæ pauca traditurus sum, & ordinate, & sobrie dicta videantur, semper autem juxta mentem Ecclesiæ, & sanctorum Canonum, immo & juxta generalia juris publici principia, quibus omnibus si quisque adhæreat, omne errandi periculum evitabit.

Si de commendarum indole, ac natura sermo habeatur, dixero, commendas nihil aliud esse, quam deposita rerum ecclesiasticarum, vel monasticarum, ubi istæ aut ordinariis administris destituuntur, aut publice interest, non ab ordinariis administris dirigi, ac curari. Id insinuat vel ipsum commendæ vocabulum, cum commendare nihil aliud sit, quam deponere, l. 24. ff. depositi, eamque ob rem sacri Canones cum de officio Episcoporum verba fecerunt, declaraverunt Episcopis *commendata* esse bona Ecclesiarum, ut in can. 52. caus. 12. quæst. 2., ut indicaretur, deponi apud Episcopum universa, ut in causas pias tribuerentur. Idipsum suadet generalis causa, & finis commendarum; neque enim scimus, initio aut alia de causa, aut alium ad finem institutas esse commendas, quam aut quia de dirutis Ecclesiis, vel Monasteriis ageretur, aut quia administratores ordinarii non rite suo munere fungerentur; & quod sperabatur de commendatariis futurum, ut ipsi dirutas Ecclesias, vel Monasteria restaurarent, vel utilius juxta mentem fundatorum res commendatas administrarent. Multa hinc deducuntur consectaria. Primum est, vacare ea beneficia, quæ commendantur; siquidem nemo est tempore commendationis, qui titulum beneficii possideant, quod tamen ita intelligitur, ut locum habeat, cum non certa tantum prædia, aut certi redditus beneficii, sed ipsum beneficium commendetur. Quamobrem eæ omnes regulæ, quæ de vacantibus beneficiis traduntur, fere locum habent in beneficiis commendatis. Ex hoc principio profluit, ut, quemadmodum vacante beneficio non potest induci legitima præscriptio, argumento capituli 1. ne Sede vacante, ita nec præscriptio ordinaria locum habeat adversus jura beneficii commendati. Secundum est, Commendatarium non solum nullum habere commendati beneficii dominium, quod ne beneficiario quidem conceditur, sed nec habere ullam proprie dictam beneficii possessionem; quamquam enim in possessione rerum beneficiariarum sit, non est tamen earumdem possessor, ut utar phrasi Jureconsulti in l. 15. §. 2. ff. qui satisdare cogantur; nimirum habet ipse meram bonorum beneficiariorum detentionem, custodiam, atque administrationem. Tertium est, non repugnare naturæ, atque indoli commendarum, ipsas etiam laicis concedi; quamquam enim laici idonei sint ad clericalia, sive hierarchica officia gerenda, non tamen idonei sunt ad exercendas bonorum Ecclesiæ temporalium curas, atque administrationes, intra quarum limites commendarum ratio continetur. Fateor quidem, recentioribus sæculis receptum fuisse, ut Ecclesiæ, & Monasteria, Clericis tantum, vel Religiosis viris commendarentur; at id potius ex

constitutionibus ecclesiasticis inductum est ad evitandos, qui irrepserant, graves abusus, quam postulaverit natura ipsa, atque indoles commendarum. Quartum est, Commendatarios, ne in minima quidem parte, ne præmii quidem, aut laboris prætextu, posse jure ordinario fructus facere suos; id enim postulat natura depositi, & custodia, quæ commendis inest. Atque his accedit originaria disciplina inducendarum commendarum, juxta quam Ecclesiæ, vel Monasteria commendata dignoscuntur viris & nobilibus, & divitibus, de quibus nulla omnino subesset suspicio, qua crederetur, aut prætextu laboris aliquid præmii, aut prætextu inopiæ aliquid alimentorum causa erogandum, ab illis vindicatum iri. Qua in re percipienda, multum interest conferre veteres Commendatarios cum beneficiariis. Beneficiariorum eligendorum causa, etiam si de Episcopatibus ageretur, nulla habebatur ratio aut nobilitatis, aut familiarium facultatum, propterea-quod quicumque beneficiarius esset, de rebus beneficiariis jure poterat sibi, suisque necessitatibus consulere. Secus contigit in commendis, in quibus Commendatarii ratio habebatur, ut primum mobilitate præclarus esset, quo validius bona vacantia tueretur, ut deinde opibus abundaret, quo tutius quidquid ex bonis Ecclesiæ redigeretur, totum in Ecclesiæ ejusdem utilitatem converteretur; quod clarius ex iis intelligetur, quæ modo inferius dicenda erunt.

Fuit hæc primigenia commendarum natura: at enim successione temporum plures emerserunt commendarum species, ex quibus, etsi quædam eamdem indolem retinuerunt, quædam tamen ab eadem indole aut multum, aut aliquantulum recesserunt. Hinc aliæ dictæ fuerunt commendæ propriæ, aliæ impropriæ. Propiæ sunt, quoties alicui bona Monasterii, vel Ecclesiæ certis in casibus commendantur, adeo ut in istis agnoscatur, bona primum fuisse libera penes Ecclesiam, vel Monasterium, sive fuisse in libera administratione Prælatorum aut ecclesiasticorum, aut regularium; & non nisi successione temporis transiisse in alicujus custodiam, sive commendam. Impropriæ sunt, quoties quisquam exemplo propriarum commendarum, sui gratia, aut etiam suorum, sive hæredum, sive filiorum, sive cujusque alterius de familia, aut agnatione certam commendam erexit, nimirum certa bona commendæ titulo possidenda, translato dominio in Monasterium, vel ordinem religiosum. Id obtinere cœpit, postquam nonnullis ordinibus militaribus commendari cœperunt bona Ecclesiarum, vel Monasteriorum, non quidem ut Ecclesiis, aut Monasteriis bonorum dominis occurreretur, sed ut militares ordinis certis subsidiis juvarentur; unde passim Equites militari ordini adscripti commendæ titulo bona earumdem Ecclesiarum, vel Monasteriorum possidebant. Hoc exemplo nonnulli, quo facilius, aut commodius militari ordini adscriberentur, certa bona patrimonialia in religiosum eumdem militarem ordinem transtulerunt, ea conditione, ut possessionem eorumdem bonorum non amitterent, vocatis insuper ad simile jus certis personarum gradibus, sub nomine commendæ. Commendæ hujus generis quamdam similitudinem habent cum feudis oblatis; quamdam etiam similitudinem cum patrimoniis clericalibus, quæ a Clericis constituuntur, gratia sacræ ordinationis, ubi ipsi beneficiario ordinationis titulo destituantur; hoc tantum inter patrimonia clericalia, & commendas hujus generis intercedente discrimine, quod patrimonia Clericorum, mortuo Clerico, ad pristinam naturam revertantur; sed commendæ utpote non tam religiosis militibus, quam militiæ ipsi adsignatæ, perpetuo in militiæ proprietate consistant, & penes eamdem militiam maneant, mortuo etiam institutore, & extincta linea vocatorum. Impropias autem appello commendas hujus generis, propterea-quod, saltem quousque a fundatoribus; nempe a vocatis a fundatore tenentur, non in-

meri depositi rerum alienarum fines continentur, immo in ipsis non solum usus, sed etiam ususfructus institutori Commendatario, & personis ab institutore vocatis reservatur; qua in re similitudo quædam inest inter has commendas, & beneficia Ecclesiastica laicæ fundationis cum reservationes jurispatronatus, sive activi, ut vocant, sive passivi. Commendæ propriæ iterum sunt in duplici genere; vel enim temporales sunt, vel perpetuæ. Temporales sunt, quæ omnino ad certum tempus fiunt, & omnino gratia Ecclesiarum, aut domuum religiosarum. Quid enim, si Cathedralis, vel Parochialis Ecclesia, vel aliud quodcumque beneficium vacet? Necessario commendanda alicui sunt bona vacantis Ecclesiæ, aut beneficii, donec successor in Ecclesia, & beneficio designetur. Quid, si belli, vel cladis occasione, vel Clerici ab Ecclesia, vel Monachi a Monasterio abscedant, vel alius non absimilis casus emergat, quo Ecclesia, vel Monasterium destituatur ordinariis administris? Etiam in his adjunctis bona Ecclesiæ, vel Monasterii commendantur, donec causa perdurat; & commenda cessat, sublata causa. Perpetuæ commendæ iterum sunt duplicis generis, vel enim dicuntur perpetuæ, qua alicui in perpetuum, id est, donec vivat, conceduntur; tum vero non gratia Ecclesiæ, sed gratia Commendatarii fiunt: nimirum contingit aliquando, ut præmio donandus sit quidam de Ecclesia optime meritus; atque tunc expedire aliquando visum est, ut bona Ecclesiæ, vel Monasterii eidem concedantur titulo commendæ, cujus concessionis is effectus est, ut Commendatarius bonis Ecclesiæ utatur, ac si verum beneficii titulum obtineret. Hac in specie verius diceretur, quemdam commendari Ecclesiæ, vel Monasterio, quam vel Ecclesiam, vel Monasterium alicui commendari; neque dubitarem dicere, beneficia ita commendata adhuc tanquam vacantia habenda esse, cum nullus titulus vere in Commendatarium transferatur. Vel dicuntur commendæ perpetuæ, quia non expedit amplius exerceri titulum, & bona Ecclesiæ, vel beneficii sub titulo commendæ perpetuo conceduntur pluribus invicem sibi succedentibus, ac si Commendatarii pro beneficiariis habeantur; tum vero adhuc dicitur proprie vacare beneficii titulus, & remanere penes Ecclesiam quasi sopitus, nisi tamen quamdam vacationis speciem in eo esse fingamus, quod, mortuo Commendatario, alius quisquam commendam veluti vacantem petere possit, atque impetrare. Videatur Faber in cod. de sacrosanctis Ecclesiis defin. 10..

Finis commendarum diversus est, prout diversæ sunt commendarum earumdem species, ac qualitates. Si de impropriis commendis loquamur, iis nimirum, quæ a privatis erectæ sunt causa religionis militaris profitendæ, retento a fundatoribus jure patronatus, istæ duplicem habent finem, in primis ut Religio ipsa, sive Ordo militaris amplificetur, deinde ut qui sibi juspatronatus, unde commendæ emolumenta retinentur, reservavit, Ordini militari facile adscribatur; atque ad istas commendas minime referuntur, quæ generaliter sacris canonibus de commendis Ecclesiarum, ac beneficiorum statuta sunt; cum potius instar fideicommissorum censeantur, quousque saltem a fundatore, & fundatoris successoribus retinentur. Cum vero nulli supersint a fundatore vocati, remanent illæ veluti quædam beneficiorum imagines, & recensentur inter bona militiæ propria, quæ ex Magni Magistri collatione, ac dispositione pendent. Alius est finis commendarum propriarum, & quidem dissimilis, prout modo temporalis, modo perpetua commenda est. In commenda temporali versatur utilitas una Ecclesiæ, vel Monasterii, veluti cum bona Ecclesiæ vacantis alicui commendantur, ut custodiantur, & successori reserventur, aut cum Ecclesiæ diruta reditus alicui commendantur, ut Ecclesia restituatur &c. Qua in specie non repugnat,

Commendatario nonnihil in præmium laboris, aut in vitæ subsidium concedi arbitrio illius, qui bona eadem commendavit, considerata qualitate reddituum, & operarum. In commenda perpetua, quæ fit gratia personæ alicujus optime de Ecclesia meritæ, cum eadem persona interitura, finis est, ut præmium Commendatario concedatur. Qua in re & potestas concedentis, & Ecclesiæ, vel Monasterii qualitas, & merita ipsa Commendatarii consideranda sunt, ut omnia rite, recteque, & sine fraude facta fuisse percipiantur; tum vero quoties nihil horum omnium desit, & quæratur de juribus Commendatarii, ex formula concessionis, sive indulti omnia dirimentur. In commenda perpetua ita constituta, ut de successore in successorem, quasi instar beneficii, & sub perpetuo commendæ titulo transferatur, finis alius honestus agnosci non potest, quam majoris publici boni contemplatio; propterea quod non interesse videatur, aut certam Ecclesiam cum adnexis beneficiis restaurari, aut renovari Manasterium semel dirutum, aut seu Ecclesiam, seu Monasterium multis redditibus abundare; sed satius ducatur vel integros redditus, vel certam reddituum partem sub commendæ titulo alicui concedi in alios usus, ex quibus major utilitas in rem publicam, & in Ecclesiam emergat. Hic sane agi videtur de jure publico, seu de potestate extra ordinem exercenda, de commutandis voluntatibus fundatorum, de re uni concessa in alterum transferenda, de auferendis juribus semel quæsitis; de quibus omnibus meum non esse videtur disputationem movere. Paucis tamen dicam, non dubitare me de auctoritate publica, quæ supremis & Reipublicæ, & Ecclesiæ administratoribus competit in hac parte; dummodo præ oculis semper habeantur & solemnitates, & causæ, serventurque fines abs jure publico positi in his, ac similibus speciebus. Immo non desinam commemorare, quid in hac parte moribus aliquando inductum fuerit, quid itidem legibus constitutum, qua in Cathedralibus Ecclesiis, qua in beneficiis minoribus, qua denique in Monasteriis; siquidem ex iis, quæ in facto consistunt, quid juris inde emergat, prudens quisque commode poterit intelligere.

Triplex aliquando fuit in Cathedralibus Ecclesiis commendæ genus, unum profecto altero antiquius. Vetustissimum est, & prope necessarium, quod obtinebat, dum Cathedralis Ecclesia vacaret, vel ubi Clerici Cathedrali addicti non satis opportune potestatem Episcopalem exercuissent, vel generaliter in iis Provinciis, in quibus ex consuetudine unus ex comprovincialibus, ut plurimum proximus, Episcopus ad administrandam vacantem Ecclesiam ex mandato Archiepiscopi, aut Concilii Provincialis accedebat. Is vocabatur interventor, vel intercessor, vel visitator, quemadmodum liquet ex can. 16. 17. & 19. dist. 61., can. 22. caus. 7. quæst 1., immo etiam liquet ex historia Schismatis in Romana Ecclesia suborti inter duos electos Symmachum, & Laurentium, quo tempore curante Theodorico Rege datus est Romanæ Ecclesiæ visitator Petrus Episcopus Altinensis. Nemo inde non colligit, commendas hujus generis directas fuisse tantummodo in utilitatem vacantis Ecclesiæ, & certo tempore circumscriptas; eamque ob rem electo Episcopo Successore evanuisse. Non tamen diutius constitit hæc disciplina, propterea quod nonnulli ex intercessoribus, seu interventoribus, seu visitatoribus facultate sibi concessa abuterentur, nimirum aut plus, quam par esset, redditus vacantis Ecclesiæ in suos usus converterent, aut negligentes essent in curanda novi Episcopi electione, argumento dicti canonis 22. caus. 7. quæst. 1., immo & aliquando contingeret, ut finitimus Episcopus visitator constitutus operam omnem impenderet, quo unionem vacantis Ecclesiæ cum Ecclesia sua impetraret, argumento canonis 48. caus. 16. quæst. 1.. Abiit ergo in generalem disciplinam, ut

vacante Cathedrali Ecclesia Capitulum ejusdem Ecclesiæ veluti commendata reciperet, ac custodiret jura Episcopalia; &, si forte certa adjuncta suadeant, aliquem visitatorem excluso Capitulo præfici, id non ab alio fiat, quam a Pontifice Maximo, nisi constituendus esset ob Capituli negligentiam, quo casu id Metropolitano non denegatur, cap. 4. de suppl. neglig. Prælat. in 6.. Porro in hac temporalis commendæ specie, qui administrat, omnia reservare debet Successori, nihil vindicare sibi, nisi forte Superioris auctoritate, aut legitima consuetudine, quidquam eidem veluti ad quamdam incommodi compensationem indulgeatur, dicto can. 22. caus. 7. quæst. 1., Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 16.. Aliud commendarum genus media Ecclesiæ ætate inolevit, quo nimirum tempore, ubi Sedis Episcopalis vacaret, nonnullorum invasione bona, & jura Episcopalia diripiebantur. Ut his incommodis obviam iretur, cœperunt viri potentes, præsertim fundatores, aut fundatorum successores, patrocinio suo bona vacantia tueri, ac vel custodire ipsi, vel allis custodienda mandere. Hinc qui eadem bona custodiebant, dicebantur *guardiam, seu custodiam* habere, cap. 23. de jurepatron. cap. 13. de elect. in 6., revera autem Commendatarii dici poterant, quorum officium continebatur intra fines administrationis rerum ecclesiasticarum temporalium, quousque successor vacanti Ecclesiæ daretur, adjecto onere, ut fructus omnes, atque obventiones successori eidem concederentur. Isthæc disciplina opportuna esse poterat in conspectu certarum personarum, quales sunt Religiosi Principes, apud quos numero plures adhuc hodie custoditur; verum ob novos quorumdam conatus, modum accepit a Lugdunensi Concilio sub Gregorio X. celebrata, uti liquet ex cap. 13. de elect. in 6.. Tertium commendæ genus antiquissimum etiam est, & diu in Ecclesia perduravit, constitutum in ea specie, qua Episcopus aut ejectus esset injuria temporum ab Ecclesia sua, aut simili temporum injuria impediretur, ne ad Ecclesiam suam accederet. His in adjunctis ejecto, vel impedito Episcopo permittebatur, ut ad aliam vacantem Ecclesiam Cathedralem transveheretur, retento prioris Ecclesiæ titulo, quasi posteriorem Ecclesiam commendationis nomine regeret, quemadmodum in specie canonis 5. & 6. caus. 21. quæst. 1., tum vero ego potius crederem, verius Episcopum Ecclesiæ, quam Ecclesiam Episcopo fuisse commendatam; hic enim modus erat, quo Episcopo necessitate presso ocurreretur, sive ut ex nova Ecclesia alimenta perciperet, sive ut in nova Ecclesia dignitatem Episcopalem exerceret, tamdiu ea commendatione duratura, quamdiu non potuisset Episcopus ad titularem Ecclesiam migrare. Quicumque hac ratione in certis Ecclesiis interea ministrabant, dicebantur in eadem Ecclesia *incardinari*, sive illius Ecclesiæ *Cardinales* administri, can. 4. & 5. dist. 71.. Romani Correctores ad hunc canonem 5. adnotaverunt, verbum *Cardinare* eamdem habere significationem cum verbo *transferre*; sed id viris recentioribus eruditis minime placuit, adnotantibus, in translatione penitus dissolvi vinculum, quod Clericus cum priore Ecclesia contraxisset; secus vero, ubi Clericus tantum esset certæ Ecclesiæ *incardinatus*, nam iste adhuc adstringitur prioris Ecclesiæ ministerio, cui præsto esse debeat, statim ac libere valet ad priorem Ecclesiam remeare. Et quidem hæc commendarum, sive *incardinationum* species maxime in usu fuit sæculo Ecclesiæ decimo tertio, postquam Græci Urbem Constantinopolitanam cum universis propemodum orientalibus Provinciis a Latinorum imperio eripuerunt. Consueverant Latini initio illius sæculi designare Latinos Episcopos in illis Urbibus; sed excussa potestate Latinorum Græci Latinos Episcopos exulare jusserunt, unde multi esse cœperunt, uti adhuc hodie designari solent, Episcopi titulares. Ejec-

ti Episcopi certas Episcopales administrandas Latinas Ecclesias, quasi *incardinatione* facta ex Pontificis Maximi indulto obtinuerunt; ac tum primum traditum est, non repugnare, duas habere Episcopales Ecclesias, unam in titulum, alteram in commendam, quod sub nomine Leonis IV. ex collectione Gratianea probatum esse dicebatur, can. 3. caus. 21. quæst. 1.. Immo & hac occasione nonnulli, qui a residentiæ legibus se exemptos dicebant, sæculis recentioribus plures Cathedrales Ecclesias obtinuerunt, allegantes modo, se ex una tantum Cathedrali Ecclesia opportuna alimenta habere non posse, modo, quasdam Ecclesias Cathedrales ita dirutas esse, aut destitutas, ut salubrius Episcopo jam designato in altera Ecclesia commendarentur; modo alias his similes causas. Id doluit Clemens V., & quidem gravissime, in extrav. 2. de præb. int. comm., qui licet hujus generis indulta dudum concessisset, eadem tamen, re maturius considerata, abrogavit, cassavit. Tandem deducta res fuit ad Tridentinum Concilium, in quo, cum firmata esset saluberrimis decretis lex residentiæ Episcopalis, cautum est, ut nemo duplicem Ecclesiam teneret, ne eo quidem prætextu, quod unam haberet in titulum, alteram in commendam, cap. 4. sess. 7., & cap. 24. sess. 17. de Reform..

Valet hæc argumentatio: commendari potuerunt Cathedrales Ecclesiæ: ergo potiore jure commendari potuerunt Ecclesiæ Parochiales, cæteraque beneficia aut Episcopali, aut Parochiali officio minora. Etenim cum commenda nihil aliud sit, quam custodia jurium, & bonorum in re vacante, omnia beneficia primum æque vacare poterant, & æque erant alicujus custodiæ committenda, deinde si, quamquam longe pluris interesset Cathedras Episcopales non diu vacantes relinqui, nihilominus hæ aliquando diu commendatæ fuerunt, non adeo indecorum multis videbatur, commendari inferiora beneficia, in quibus non adeo intererat, quantocius constitui successorem. At ex hac ipsa ratione non valuit hæc argumentatio e converso: abrogari omnino debuerunt commendæ Cathedralium Ecclesiarum, quæ gratia Commendatarii fierent, uti modo traditum est: ergo etiam similes commendæ abrogandæ fuerunt in beneficiis inferioribus universis. Siquidem in istis modo obtinuit, ut generalis disciplina induceretur ad supprimendam commendæ diuturnioris concessionem; modo, ut nonnihil a generali disciplina recederetur, prout interesse poterat, certa beneficia ordinario ministro non destitui, certa e contrario diu vacare, & penes aliquem interea deponi, deposito per longum tempus duraturo. Hinc liquet, in Ecclesiis Parochialibus, in beneficiis, & officiis Cathedralium, aut Collegialium Ecclesiarum consultius fuisse, diuturnas commendas gratia Commendatariorum non admitti, aut semel admissas aboleri; quamquam in beneficiis simplicibus non adeo custoditus fuerit ordinariæ disciplinæ rigor, in conspectu præsertim recentioris traditionis, juxta quam Clerici in hoc simplicium beneficiorum genere blanditi sibi sunt, sese a residentiæ lege liberos arbitrati, ratique se jure beneficii adhuc potiri jure posse, si per substitutos certa ministeria beneficio adnexa obeant; quid enim obest, quin & æque id Commendatarius quisque etiam perpetuus exequeretur? Itaque, ut de Parochialibus Ecclesiis primum dicam, facile est invenire in istis, eodem modo quo de Cathedralibus dictum est, triplex commendæ genus. Primum est, ubi Ecclesia Parochialis vacet, cui olim dicebatur dari visitator ab Episcopo, ut interea bona, & jura Parochialia administraret, donec successor in Parochiali beneficio designaretur, quod quantocius fiebat, can. 3. dist. 24.. Eodem fere modo, quo etiam hodie ex disciplina Tridentini Concilii œconomus constituitur, quæ consuetudo non tam saluberrima est, quam penitus necessasia. Alterum commendæ ge-

nus erat apud veteres, quod fieri dicebatur per *incardinationem*, argumento dicti canonis 3., quando scilicet Sacerdos quidam injuria temporum ejectus a Parochiali Ecclesia sua, alteri Parochiali Ecclesiæ vacanti præficiebatur, quousque ad Ecclesiam sui tituli reverti libere posset; quæ disciplina etiam probabilis erat, ut certa ratione Sacerdotum incolumitati, dignitatique consuleretur. Tertium commendæ genus inductum fuit, quo tempore Clerici plures augendo privato peculio inhiantes conquerebantur de tenuitate reddituum beneficii sui, atque ab Episcopis postulabant, ut præter beneficium, quod obtinebant, sibi alia beneficia concederentur sub nomine commendæ, quod fieri jure posse putabant in conspectu canonis 4. caus 21. quæst 1.. Id frequentius contingit in Archidiaconis; cum enim istorum officium olim esset, ut cum Parochialis Ecclesia vacaret, ad vacantem Ecclesiam pergerent curam jurium, bonorum, futuræque novi Parochi designationis habituri, can. 20. dist. 63. non omnem omnino diligentiam adhibebant, ut quamprimum successor Parochus constitueretur, identidem sibi diu retinentes Parochialia beneficia veluti suo officio commendata. Hinc in cap. 54. de electione species proponitur de Archidiacono plures Parochiales Ecclesias retinente. Hinc de hac ipsa custodia vacantium Parochialium Ecclesiarum lites aliquando emerserunt inter Episcopos, & Archidiaconos, cap. 6. de institution.. Hinc etiam sine delectu vel ab Episcopis, vel ab Archidiaconis custodia Parochialium vocantium committebatur, argumento capituli 12. de accusation.. Duo inde graves abusus emergebant; primus ex eo, quod custodia erat nimis diuturna, & qui custodem designaverant, non curabant electionem Parochi successoris; secundus etiam gravior ex eo, quod custodia perpetuo aut retineretur, aut alteri concederetur ad vitam, qui in Parochiali officio per custodem, alibi ut plurimum degentem, satisfieret. Gregorius X. in Concilio Lugdunensi statuit, ut vacans Parochialis Ecclesia a nemine custodienda concederetur ultra semestre tempus, & si secus fieret, commendæ concessio esset irrita ipso jure, & inanis, cap. 15. de elect. in 6., quod decretum maxime conveniet cum disciplina generali, quæ postulat, ne beneficia vacent ultra semestre tempus, sed debeant intra illud tempus omnino conferri. Insuper Concilium Tridentinum expræse vetuit, ne qui beneficium unum obtinuisset, alterum Parochiale beneficium obtineret, nec sub specioso quidem perpetuæ commendæ prætextu, cap. 4. sess. 7., & cap. 17. sess. 24. de Reform.. Quod de Parochialibus beneficiis dictum est, facile & cæteris accommodari potest. Siquidem & triplex eodem modo commendæ genus in cæteris invaluit olim, quousque tandem recipi debuit, ut commendæ nec ultra semestre tempus ab ordinariis fierent, dum beneficium vacaret, nec quis duo beneficia, unum in titulum, alterum in commendam perpetuo possideret, juxta laudatum decretum Lugdunensis Concilii sub Gregorio X., & juxta laudatas Concilii Tridentini constitutiones. Equidem fateor, decretum Concilii Lugdunensis in dicto cap. 15. de elect. in 6. de solis Parochialibus Ecclesiis expresse fuisse conceptum; quando tamen alias verum fuit, Episcopos vacantia quæcumque beneficia debuisse conferre intra semestre tempus, quo elapso, jure devolutionis fieret collatio a Superiore Prælato, facile evenit, ut Episcopi commendas amplius non concederent ultra semestre tempus in beneficiis quibuscumque. Hæc quidem omnia adamussim servata fuerunt in beneficiis, quæ personale officium postulant, & in quibus personalis residentia sine ulla contradictione sanciri severissimis legibus potuit, qualia sunt non solum Parochialia, sed etiam Canonicalia, aut Canonicalibus proxime accedentia in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis. At quoties de simplicibus beneficiis agatur, in quibus Clerici

ne residerent, sibi admodum blanditi fuerunt, rati, se posse substitutos officium beneficio cohærens exequi, aliquando rigor ejus disciplinæ relaxatus adparet gratia quorumdam Ordinum, seu Militiarum religiosarum, quarum egregia in Ecclesiam merita singularibus ornata sunt privilegiis, atque distincta; quales sunt Ordines Sanctorum Mauritii, & Lazari, Sancti Joannis Hierosolymitani, Sancti Stephani, aliique complures. Jamdiu cautum erat, ut laici homines etiam patroni Ecclesiarum, beneficiorum ab occupandis, retinendisque Ecclesiarum bonis abstinerent, cap. 23. de jurepatron., Concil. Trident. cap. 3. in fine sess. 24. de Reform.. Sed quæ de laicis hominibus statuta sunt, non adeo rigidæ etiam recipi debuerunt, ubi de viris Religiosis ageretur, quorum professio prope accederet ad clericalem conditionem, & quorum ex instituto certe derivabant in res ecclesiasticas utilitates. Hinc ex Pontificum Maximorum indultis, ac privilegiis obtinuit, ut certa ecclesiastica beneficia, præsertim simplicia, Religiosis eisdem in commendam concederentur, propterea quod in titulum concedi non poterant, quando viri laici utut religiosi sacra, & hierarchica, seu ex ordine pendentia ministeria obire nequibant; in commendam, inquam, ita, ut miles Religiosus bonis beneficii uteretur, ac si Clericus beneficiarius esset, sacra vero officia beneficio adnexa per Clericum impleri curaret. Huc pertinet singulare illud privilegium concessum Religioso Ordini Sanctorum Mauritii, & Lazari, cujus Magni Magistri piissimi Sabaudiæ Duces facultatem a Pio V. Pontifice Maximo obtinuerunt, beneficia omnia ecclesiastica de jurepatronatus laicorum, quæ personale Ecclesiarum servitium non requirunt, ejusdem Ordinis Equitibus patronis non dissentientibus commendandii. Videatur constitutio Pii V. quæ incipit: *Sicut bonus agricola*, quam recens interpretatus est, immo etiam ampliorem reddidit Benedictus XIV. in sua constitutione, quæ incipit: *Fructuosa*. Notandi profecto sunt fines, quibus hujus generis privilegia contineri solent. Nimirum commendari facilius obtinuit beneficia jurispatronatus laicorum, quæ personale Ecclesiarum servitium non requirunt. Versatur in hac re commutatio quædam voluntatis fundatorum publica auctoritate facienda. Porro in hoc beneficiorum genere non adeo publica Ecclesiæ utilitas versatur, quando talia beneficia sunt, quæ personale non adeo postulant in Ecclesia ministerium. Potius in iis sollicitus fuit fundator, vel de singularibus orationibus pro se fundendis apud Deum, vel de liberalitate exercenda in Clericum familiæ suæ, vel a successoribus designandum. Ubi interveniat auctoritas publica Pontificis Maximi, apud quem suprema est piarum voluntatum sollicitudo, ubi Princeps non dissentiat, quibus etiam cohæret cura executionum piarum voluntatum, ubi Patroni, veluti defensores voluntatis fundatorum, idipsum adprobent, nihil est, in quo ea voluntatis immutatio reprobetur, quando ipse fundatorum finis, si non in omnibus adjunctis, saltem in genere suo ex gravi suadente utilitate, obtinetur. Non ita facile in cæteris beneficiis dispensatum est, in iis videlicet, quæ directo instituta fuerunt ob utilitatem publicam ecclesiasticam, a qua prætextu utilitatis in alio genere constitutæ non æque recedendum persuasum fuit, quousque major ratio non adpareat unius a fundatore non attentæ, quam alterius a fundatori contemplatæ publicæ utilitatis.

Magna fuit priscorum religiosa pietas in ædificandis, ditandisque Monasteriis gratia monasticorum Ordinum, & Monachorum; sive quod Monasteria nihil aliud essent, quam secessus quidam hominum libere in solitudine divinarum rerum contemplationi, atque orationi vacantium, sive quod Monasteria essent veluti seminaria Clericorum, in quibus & studia colerentur, & virtutes quæquumque optime exercerentur; unde quemad-

modum ex erectione eorumdem pii fundatores bene apud Deum, Ecclesiamque merebant, ita ex orationibus Monachorum, quasi suffragiis, et viventes adhuc & defuncti juvabantur. Sed res humanæ etiam optime constitutæ non diu consistere solent, modo ex injuria temporum, modo ex vicissitudinibus prudentiæ publicæ omnia aurigantis, modo ex inconstanti voluntate illorum, qui rebus eisdem utuntur, vel similibus de causis. Per varias labentes ætates Monasteria magnifice, splendideque ditata quibusdam occasionem invidiæ dederunt; invidiam pone secuta est indignatio adversus quosdam Monachos, qui rerum quæsitarum minime contenti, ad ulteriora in dies anhelabant; atque hæc indignatio justas, aut æquas aliquando causas, quibus aut protegeretur, aut excusaretur, invenit, ubi allegari, demonstrarique cœpit, Monachos jamdiu plures a pristina regulæ custodia deflexisse, quasi sancte, pieque olim, in paupertate, aut sobrietate vixissent, opulentia dein luxum amavissent, & in luxu pericula gravissima invenissent. Concitatus hic etiam fuit clericalis ordo, quod prætextu liberalitatis in Monasteria, & Monachos exercendæ, Ecclesiæ clericales, Clericique viliscerent, modo redditibus Ecclesiarum in Monasteria translatis, modo oblationibus, & decimis ad Monachorum manus devenientibus ex laicorum offerentium voluntate. Immo & ipsi publici boni curatores, ubi tam amplas Monasteriorum facultates, & patrimonia circumspexerunt, certis finibus ea concludere meditati sunt, præsertim quod Monachi ipsi non esse viderentur pares ad tot excolenda prædia, quot jamdiu fuerant Monasteriis adquisita. Hæc prima fuerunt Monasteriorum commendandorum initia, aut saltem originariæ causæ. Jam temporibus Gregorii Magni non solum monastica bona quædam facile a Monasteriis avocabantur, can. 41. caus. 17. quæst. 4., sed etiam Monasteria ipsa aut ad Clericorum, aut ad laicorum potestatem transibant, can. 26. caus. 18. quæst. 2.. Id quidem Gregorius vetuit, quod insuper vetuit non multo postea Trullanum Concilium in can. 49., unde argumentum desumitur, in orientali æque, ac in occidentali Ecclesia fuisse a laicis occupata bona Monasteriorum. Adhuc tamen in Oriente percrebuisse abusum temporibus Concilii Nicæni II., demonstrat apertissime canon 13. ejusdem Concilii; sed in occidentali Ecclesia adhuc graviorem extitisse probant plura Concilia sæculo octavo, & nono celebrata, in quibus cautum est modo, ut Abbates, & Monachi in custodia regulæ suæ consistant, modo ut res a Monasteriis, & Monachis ablatæ eisdem restituantur. Videatur canon 24. & 25. Concilii Turonensis anni 813., can. 9. & 10. Concilii Meldensis ejusdem anni, & Concilii Parisiensis VI. cap. 18. libr. 3.. In Capitulari Vernensi anni 755. can. 10. hujusmodi commendarum fit mentio, ibi: *Et si talis causa evenerit, quod absit, quod ille Abbas sic remissus, vel negligens inveniatur, ut in manus laicorum ipsum monasterium veniat &c.* Item in Capitulari anni 823. cap. 8. relato in libro 2. Capitular. Francor. cap. 8. ita legitur: *Abbatibus quoque, & Laicis specialiter jubemus, ut in Monasteriis, quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio, & documento ea, quæ ad religionem Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium pertinent, peragant &c* In libr. 1. Capitular. cap. 110. cautum legimus: *Ut Laici non sint Præpositi Monachorum*; & in libr. 6. cap. 427., quod depromptum est ex cap. 4. Concilii Troslejani, res hæc acerrimis verbis urgetur, ibi: *Omnibus, nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus, ut nullus Laicus homo, vel Imperator, vel Rex, aut aliquis Præfectorum, vel Comitum, sæculari potestate fultus sibi per violentiam rapiat, aut a nobis competere, vel quocumquemodo invadere præsumat Monasterium, aut prædia, vel quascumque res de potestate Episcopi, vel Abbatis, aut Abbatissæ, & incipiat ipse vice Abbatis regere, & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi Sanguine comparata.. Talem hominem an-*

tiqui Patres nominabant raptorem, & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli intrantem in ovile Christi, & maxime anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi &c. Innumera propemodum sunt sæculi octavi, & noni monumenta, ex quibus demonstrari posset, laicos passim bona Monasteriorum occupavisse, & audiri tunc passim consuevisse nomen *Abbicomitum*, qui, uti notat Du-Cange in Glossario, & Comites erant in militia constituti, & Commendatarii Monasteriorum Abbates. Quantus, & quam perniciosus regularium conditioni hic abusus fuerit, demonstrant Troslejani Antistites in can. 3. relato a Baluzio in notis ad Capitularia tomo 2. pag. 1127. ibi: *Nunc autem in Monasteriis Deo dicatis Monachorum, Canonicorum, & Sanctimonialium, Abbates laici cum suis uxoribus, filiis, & filiabus cum militibus morantur, & canibus.* Unde in Capitulis, quæ miserunt Episcopi provinciarum Rhemensis, & Rothomagensis Ludovico Regi anno 858., inter cætera hoc habetur, referente Pithæo in Glossario ad libros Capitularium tomo 2. pag. 732. Baluzianæ editionis: *Monasteria etiam religiosa, atque præcipua Canonicorum, & Monachorum, atque Sanctimonialium habitacula, quæ ab antiquo tempore parentes vestri sub religioso habitu constituerunt, ac frater vester Dominus noster, innuente partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione, etiam & nimia necessitate, quia dicebant petitores, nisi eis illa loca sacra donaret, ab eo deficerent; & ipse aliquando per vos, sicut nunc patet, aliquando per fratrem vestrum regno destitutus, ab eis penderet, talibus, sicut scitis, personis commisit, debito privilegio restituite.* Non eadem profecto fuit causa, aut occasio, qua aut variis ætatibus, aut diversis in provinciis bona Abbatiarum, aut Monasteriorum a laicis occuparentur. Quæ primum visa sunt hujus occupationis exempla, pertinent ea ad certa adjuncta temporum, quibus universum propemodum & orientale, & occidentale Imperium bellis hostilibus turbabatur, ac quassabatur, tunc enim victores utplurimum minus religiosi homines diripiebant bona Ecclesiarum æque, ac Monasteriorum, ac præsertim Monasteria ipsa invadebant, propterea quod plurimi perterriti cives ad eadem Monasteria secessissent, ad eadem deferentes una cum familia sua facultates universas familiares. Recentiora octavi præsertim, & noni sæculi, exempla aliam causam habuerunt. Jam tum Abbates Monasteriorum cœperunt habere singulare peculium, & quidem non mediocre, sub nomine mensæ separatæ a Monasterio; unde vitam communem passim negligebant, quasi extra monasterium revera viverent, licet in Monasterio adhuc consistere viderentur. His accesserat, Abbates post factam plurium feudorum concessionem gratia Monasteriorum, cœpisse affectare aulica munera, immo & se comites adjunxisse exercituum ducibus, & clypeos adcommodavisse cucullis; uno verbo, ea omnia seu in pace, seu in bello gessisse, quæ feudatarii universi gerebant, quod & aliquando in Abbatissis visum est, uti conjicere juvat ex salubri Bonifacii VIII. providentia in cap. un. vers. *Verum quando Abbatissa* de statu regul. in 6.. In his adjunctis laici homines intuentes, Abbatum dignitates in re bellica, in re aulica, in re etiam judiciaria, & regimine populorum, & in administratione ingentis peculii consistere, veluti sibi propias facere non erubuerunt, rati, sufficere ad Monachorum utilitatem curandam, regulares Priores in Monasteriis degere, dum ipsi Abbatum dignitate, & munere fungerentur in exterioribus, & publicis rebus. Potiore etiam jure sibi laici vindicabant bona Monasteriorum dirutorum quasi vacantia, ut plurimum ex liberalitate Principum, veluti præmia concessa iis, qui bene de Republica meriti fuerant, commutatione facta voluntatis fundatorum, ubi Monasteria in pristinum statum restitui non expediret. Deventum est ad sæculum Ecclesiæ undecimum, quo & vita monastica excoli melius cœpit, & plura Monasteria ædificata sunt ad

cultum doctrinarum, quæ propemodum interierant, quod insuper Clerici ad vitam communem ineundam ecclesiasticis decretis concitati fuerunt, ad corrigendos mores, & licentiam vitæ, quæ pridem viris in Dei sortem vocatis dedecori fuerat. Tum vero aut bona Monasteriorum iterum Monasteriis restituta sunt, aut veluti transactione facta Clericis concessa fuerunt, modo ita, ut pro Monasteriis ædificarentur Ecclesiæ, & qui Ecclesiæ ministrarent, redditibus Monasteriorum uterentur, modo ita, ut Clerici bona Monasteriorum veluti sibi commendata reciperent, sponsione facta, qua Clerici commendatarii iterum Monasterium ædificarent, monasticam conditionem instaurarent, & Monachos ipsos ad sequendam regulam concitarent. Et quidem hanc spem conceptam, veluti optimam habitam fuisse, nemo non videt; quamquam eventus non satis ex proposito cesserit: nimirum commendatarii Clerici diu bona Monosteriorum detinuerunt; & vita functis eisdem similiter constituti successores parili eventu illa administrarunt. Displicuit sane Pontificibus Maximis hæc disciplinæ regularis relaxatio, qui vetuerunt, ne quis in Abbatem eligeretur, nisi monasticam professionem elicuisset, cap. 37. 38. & 49. de elect., cap. 28. eod. in 6., Clement. 1. eod tit. Clemens V. postquam Clericis nonnullis dignitate præclaris Monasteriorum commendas concessisset, ubi indulta sua singularia maturiore consilio expendit, eadem omnia revocavit, uti liquet ex extravag. 2. de præbend. int. comm.. Benedictus XII. in secundo, quod habuit, consistorio commendas omnes etiam revocavit, quas Prædecessores concesserant, iis tantum exceptis, quas obtinuerant Cardinales, aut Patriarchæ, uti refert Raynaldus ad annum 1335. Cumque Clemens VI. iterum plures commendas Monasteriorum contulisset, easdem revocavit Innocentius VI., uti iterum tradit Raynaldus ad annum 1353., & Platina de vitis Pontificum. Varia interea esse cœpit disciplina, uti adparet, modo institutis, modo revocatis Monasteriorum commendis; cum enim ea tempestate turbarent Romanam Ecclesiam importuna schismata usque ad Martinum V., vix aptum potuit excogitari, nunquam autem adferri remedium gliscenti in dies nonnullorum rebus Monasticis abutentium corruptelæ. Leo X. hanc materiam finiendam obtulit Concilio Lateranensi anni 1514. sess. 9., in quo utrinque acerrime disputatum est, aliis pro Monasteriorum commendis, aliis contra easdem pugnantibus; unde cavendum interea fuit, ut Monasteria eousque commendata apud Commendatarios quidem ipsos consisterent, ut post illorum obitum non aliis, quam *Cardinalibus, ac personis qualificatis, & benemeritis* commendarentur; utiliores vero Monasteriorum commendæ non fierent adjecta tamen hac clausula, *nisi pro conservatione auctoritatis Apostolicæ Sedis, & ad occurrendum militiis eam impugnantium pro temporum qualitate aliter Summo Pontifici de fratrum suorum consilio visum fuerit expedire.* Additum præterea fuit, hujusmodi Commendatarios, cujuscumque conditionis existerent, etiam Cardinales, si mensam habuerint separatam a mensa conventuali, quartam suæ mensæ partem pro instauratione fabricæ, sacrorum ornamentorum cultu, & pauperum alimentis; si vero mensa communis fuerit, tertiam omnium fructuum Monasterii partem pro ferendis supradictis oneribus, & sustentatione Monachorum conferre; hinc in literis commendarum Monasticarum in Curia expediendis hanc saluberrimam clausulam exprimi debere, unde Lateranensis decreti memores essent Commendatarii; qua clausula non expressa, nullius momenti commendæ concessio haberetur. Rursum hæc commendarum materies proposita fuit Patribus Tridentini Concilii, qui generaliter in primis decreverunt, nemini concedendam esse commendam, qui jam beneficium ecclesiasticum possideret, cap. 4. sess. 7. de Ref.. Deinde in sess. 21. cap. 8. de Ref. ca-

verunt, ut Episcopi commendata Monasteria; ipsas etiam Abbatias, Prioratus, & Præposituras, *in quibus non viget regularis observantia*, visitent, & curent congruentibus remediis, ut, quæ renovatione indigent, aut restauratione, reficiantur, nisi agatur de commendatis Monasteriis, quæ subjecta sunt Abbatibus capitubus ordinum ab Episcopali jurisdictione prorsus exemptis; horum enim Monasteriorum visitatio, & cura eisdem Abbatibus fuit demandata, cap. 20. sess. 25. de regular.. Denique iidem Tridentini Patres in sess. 25. de regular. cap. 21. respicientes ad Monasteriorum commendas, expositis, quæ exinde proficiscebantur, incommodis, professi sunt, se ob difficilem temporum conditionem, nec statim, nec commune ubique adhibere remedium posse; interea vero confidere se prudentia, ac pietate Romani Pontificis, quem curaturum sperabant, quantum tempora ferre posse viderit, ut Monasteriis, quæ jam commendata reperirentur, quæque suos conventus haberent, regulares personæ, ejusdemque ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire, & præesse possent, præficiantur; quæ vero in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur.. Quoad vero ea Monasteria, quæ capita sunt ordinum, decreverunt, teneri illos, qui ea in commendam tenerent, infra sex menses, aut religionem illorum profiteri, aut illis cedere; alias commendas ipsas, tanquam ipso jure vacantes haberi; mandantes denique, ut in provisionibus dictorum Monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur, aliterque facta provisio subreptia esse censeatur, nullaque subsequente possessione, ne triennali quidem, adjuvetur. *Multa sane ex his* omnibus consectaria colliguntur. Et primo, *commendæ Monasteriorum visæ* fuerunt, veluti extraordinarium remedium ad constituendos in officio Monachos, statumque regularium reformandum, ad quod plane *numquam deveniri* consuevit, *nisi ubi ordinaria remedia* deficerent; unde commendæ non facile interpretatione juvantur, eamque ob causam laudati Tridentini Patres, cum de commendis monasticis agerent, rem totam in Pontificis Maximi pietatem, ac prudentiam contulerunt. Secundo, quoniam commendarum monasticarum jura extra ordinem sunt invecta, receptum est, ut commendæ non nisi Pontificis Maximi auctoritate instituantur, præsertim postquam Monasteria exempta fuerunt abs jurisdictione Ordinariorum, subjecta, uti loquuntur, immediate Apostolicæ Sedi. Faber in codice de sacros. Eccles. definit. 9.. Tertio, ubi aut Monasterium, aut mensa Abbatialis est commendata, dicitur semper aut Monasterium, aut mensa Abbatialis vacare; etenim quousque commenda consistit, titulus nemini conceditur; ita exigente generali commendarum natura, quemadmodum initio præfabar. Quarto, *si* de jurisdictione quæratur ab Abbate Commendatario exercenda, dandus erit locus distinctionibus inter varia genera commendarum. Aliquando enim commendantur universa Monasterii jura, veluti cum universum Monasterium dirutum est, vel penitus Monachis destitutum, tum vero Abbas Commendatarius ea omnia exercet, quæ exerceret, si existeret, Abbas titularis, utens etiam iis privilegiis, & exemptionibus, quæ Monasterio concessæ demonstrentur. Aliquando adhuc existente Monasterio, & Monachis in Monasterio degentibus, Abbatia est commendata; tum vero iterum distinguendum est inter Abbates Commendatarios, qui habent mensam singularem, & separatam, & Abbates Commendatarios, quibus non est mensa separata a mensa Monasterii. Quoties Abbates Commendatarii mensam habuerint separatam, tunc ipsi omnia jura Abbatialia exercent; *in eos* enim tota Abbatia cum suis juribus translata videtur. Sic & habent ipsi jurisdictionem in foro externo in populum, si quis populus Monasterio subjacet, & in-

Monachos ipsos, quasi Abbas Commendatarius successerit in hac parte Abbati Regulari primitivo, ejusdemque locum teneat; & si quis adhuc in Monasterio sit Abbas Regularis, iste in conspectu Abbatis Commendatarii loco Prioris Claustralis habebitur, qui scilicet jurisdictionem in Monachos exerceat quidem, sed sub Abbate constitutus. Quoties autem Abbates Commendatarii mensam separatam non habeant, minore jure donati censentur, habenturque quasi Commendatarii non dignitatis, & officii Abbatialis, sed rerum ad Monasteria pertinentium proindeque in iis quidem, quæ ad percipiendas monasticos redditus pertinent, liberam habebunt administrationem, dummodo observent sanctionem laudati Concilii Lateranensis sub Leone X., a cæteris autem, quæ ad monasticam disciplinam, & spiritualem jurisdictionem pertinent, gerendis abstinebunt, eademque gerenda Abbati titulari, & regulari relinquent. Quotiescumque hujus generis controversiæ emergant, utile semper erit ad primigenias tabulas confugere, quibus primum commendari cœperant Monasterii bona, vel ipsa monastica jura, quia nimirum in illis Commendatarii jura definiri consueverunt: utile quoque erit in diuturnum usum inquirere, (observantiam Pragmatici vocant), cum is optimus sit gestorum interpres. Denique ubi quæratur de usu fructuum, quo Commendatarius gaudet, passim traditur, hodie Commendatarios in hac parte, ubi commendæ perpetuæ sunt, beneficiariis titularibus æquiparari. Ego tamen adhuc in causam institutæ commendæ inquirendum arbitrarer. Potest contingere in primis, ut non alia fuerit, neque alia perseveret commendæ causa, quam quod Monasterium dirutum sit, aut Monachi ad exiguum admodum numerum redacti fuerint, atque adhuc exoptetur cum bona spe futurum, ut Commendatarius Monasterium restituat, sarciatque, Monachorumque numerum inducat; atque hac in specie commendam intra meri depositi, & administrationis limites coercendam censerem, nihilque omnino a Commendatario jure commendæ posse vindicari. Id perspicue insinuat natura depositi, & causa institutæ commendæ. Potest e converso contingere, ut vel ab initio cum instituta commenda fuit, vel progressu temporis, publice videatur non interesse, aut iterum renovari dirutum Monasterium, aut reduci Monasterium ad pristinum numerum Monachorum. Atque hac in specie versamur in commutatione voluntatis fundatorum, quæ ad eum casum devenerit, quo aut omnino, aut in parte executioni nequeat demandari. Hinc igitur speciei ea accommodentur principia, quæ generaliter obtinent commutationibus ultimarum voluntatum facienda ab iis, qui hanc habent in republica potestatem. Nimirum ita executioni omnia demandentur, uti meliore quadam ratione consulendum videatur: non careant defuncti & meritis, & suffragiis apud Deum, quorum spem olim maximam habuerunt: fluat ex commutatione voluntatis in rempublicam major utilitas, quam quæ ex reparato, restitutoque Monasterio speraretur, aut saltem commoda paria referantur; augeatur ex commutatione voluntatis divinus cultus, promoveatur pietas, ac religio; tum erit, quod, meo judicio, probari non possit. Ubi hæc desint, quemadmodum ego vererer ne quidquam contra generalia juris cujuscumque principia agatur, ita verererer maxime, ne & Commendatariis, & commendarum institutoribus grave periculum animarum immineat. Hæc mihi fuisse videtur germana Ecclesiæ sententia, uti liquere facile poterit unicuique, sedulo rem hanc pensanti, in conspectu præsertim monumentorum sacrorum, quæ superius commemoravi.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

DISSERTATIO TERTIA

DE BENEFICIIS ERIGENDIS, RESTAURANDIS, UNIENDIS, VEL DIVIDENDIS.

Huc referendus est titulus 48. libr. 3.

BEneficiorum erectio, restauratio, unio, aut divisio maximam habet adfinitatem cum erectione, restauratione, unione, aut divisione Ecclesiarum; eædem enim regulæ fere utrobique servantur, eadem quoque utrimque colliguntur consectaria. Quamobrem uti in hac parte facile ab Ecclesiis ad beneficia, & vicissim a beneficiis ad Ecclesias argumentantur jure optimo scriptores nostri, ita velim, quæ de beneficiis infra dicentur, de Ecclesiis etiam dicta, commoda, atque æquabili collatione facta, intelligantur.

CAPUT I.

De Beneficiorum erectione.

QUÆ superius de generali beneficiorum disciplina, qua & beneficiorum natura, & proprietates, insuper variæ qualitates agnoscerentur, tradita sunt, facilem viam paraverunt ad ea expendenda, quæ spectant beneficiorum erectionem, de qua initio posui tria veluti summa principia possunt. Primum est, nullum esse, aut dici ecclesiasticum beneficium posse, nisi erectum auctoritate Ecclesiæ proponatur; alterum est, nihil referre, an tacita, an expressa, an in actu, an ante actum, an demum post actum erectionis ecclesiastica auctoritas intercedat; postremum est, in vetustis beneficiis auctoritatem Ecclesiæ intercessisse præsumi. Et quidem in primis certum est, non esse beneficium, nisi quod sit erectum ecclesiastica auctoritate; quamquam enim ea simplici pollicitatione Deo, & Ecclesiæ facta proficiscatur obligatio, qua quis ad implendum, quod pollicitus est, teneatur, non inde tamen sequitur, exitu inspecto jam opus ecclesiasticum illud haberi, quod in pollicitationem simplicem venit. Id operatur gratia Ecclesiæ pollicitatio, quod opetatur contractus rei cujusdam præstandæ gratia privatorum; atqui in contractibus, in quos certæ rei præstatio deducitur gratia privatorum, quæcumque nata inde fuerit obligatio, nondum tamen dominia transferuntur, nisi traditione secuta: ergo in pollicitationibus gratia Ecclesiæ factis, res in pollicitationem deducta nondum ecclesiastica fit, quousque juribus Ecclesiæ ex consensu ejusdem Ecclesiæ non adcenseatur. Atque, ut propius ad rem accedam, si verum est, pollicitationem loci cujusdam Deo dicandi, non efficere locum sacrum, quousque iste non fuerit auctoritate Ecclesiæ dedicatus,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

can. 44. caus. 16. quæst. 1., can. 9. de cons. dist. 1., cap. 8. de consecr. Eccl., vel Alt., cap. 25. de jurepatr., cur non idipsum obtinebit in pollicitatione certi peculii, beneficii erigendi causa in Ecclesiam transferendi? Immo & idipsum suadere videtur ecclesiastici beneficii indoles, ac natura. Siquidem si qui beneficium erigi mandat, eo ipso ab Ecclesia postulat, ut certa sacra munera ab eodem fundatore designata ab Ecclesia ipsa præstentur, eademque a Clerico instituendo obeantur; nemo non videt, qua ratione Ecclesia fundatori obligetur, nisi & Ecclesia ipsa consentiat.

Dixi secundo loco, nihil interesse, an expressa, an tacita Ecclesiæ auctoritas intercedat; neque enim novum est, ubi præsertim Ecclesiæ versetur utilitas, expresso tacitum comparari, argumento cap. 2. & 3. de his, quæ fiunt a Præl.. Tacitum consensum intelligo actum quemdam non solius fundatoris, qui ad Ecclesiæ consensum referatur, sed actum Prælati, quo adprobata beneficii erectio præsumatur. Hinc ad demonstrandum, intercessisse ecclesiasticam auctoritatem, minime sufficeret, si dignosceretur fundator beneficium erigendum proposuisse, adjecta conditione, ut Clericus ab Episcopo instituatur, quousque nulla Episcopi institutio, aut ratihabitio accesserit, quemadmodum apud omnes receptissimum esse testatur Pyrrhus Corradus libr. 1. praxis beneficiariæ cap. 2., & Cabassutius libr. 2., theoriæ, & praxis cap. 1. num. 2.. Tum vero demum tacitus Prælati consensus præsumetur, cum etiam sine expressa fundatoris acceptatione Prælatus alicui Clerico beneficium contulisset, vel alio simili facto voluntatem suam demonstravisset. Adjeci insuper, nihil interesse, an ecclesiastica auctoritas in ipso actu interveniat, an ante actum exhibita proponatur, an actui jam edito accedat; agitur enim de eo consensu, qui eatenus necessarius est, quatenus inde demonstretur, Ecclesiæ placere, vel placuisse, quod pius fundator faciendum mandavit. Non ingnoro, quosdam esse actus, quorum forma postulat, ut subsequens ratihabitio non sufficiat, ubi is, quem interesse mandatur a lege publica, præsens in ipso actu non fuerit. Exemplum Romani Juris cultores suppeditant in interventu tutoris in negotiis pupillaribus, ut omittam exemplum testamenti condendi, quod unico contextu fieri debet. Simile exemplum suppeditant cultores Juris ecclesiastici in conjugio, cujus forma cum exigat Parochi præsentiam, in causa erit, ut si Parochus præsens non sit in actu celebrationis, quamquam deinde ratam celebrationem habeat, matrimonium nullius momenti esse dicatur. Verum hæc omnia neutiquam accommodantur quæstioni propositæ; non quod de testamentis dicitur, id enim originem habet, & causam ex subtilitatibus Romanorum non facile trahendis in exemplum de specie ad speciem; non quod dicitur de auctoritate tutoris in negotiis pupillaribus, aut de præsentia Parochi in matrimonii celebratione; hæc enim pertinent ad formam actus, uti scholæ loquuntur, substantialem, quæ forma si initio desit, actum ipsum corruere necesse est.

Dixi tertio loco, in vetustis beneficiis auctoritatem Ecclesiæ intercessisse præsumi; quod & tradidit Barbosa in libr. 3. jur. eccles. cap. 4. num. 33.. Vel enim ipsa beneficii designatio, quam secutæ fuerunt identidem Prælatorum collationes, argumento est tacitæ ecclesiasticæ auctoritatis. Neque negotium ullum facessit canon 16. & 18. de consecr. dist. 1., ubi cum sermo fiat de Ecclesiæ consecratione, & dubitatio emergat de Ecclesia vetere, quam non constat esse consecratam, definitur, in dubio consecrandam esse. Num vero ex quo non consecrata Ecclesia præsumitur, quasi a simili ducto argumento, concludetur, beneficio veteri nullam intercessisse ecclesiasticam auctoritatem? Nullius sunt momenti in hac parte hujus generis argumenta. Etenim, ut omittam, non adeo frequentem

esse solere in Ecclesiarum ædificationibus solemnem dedicationem, quemadmodum frequens est assensus in erectionibus beneficiorum; ut omittam præterea, non adeo facile superesse posse conjecturas factæ consecrationis, quemadmodum prostant conjecturæ consensus Prælati in erectione beneficii; singularia quædam agnoscenda sunt in consecratione Ecclesiarum, ad erectiones beneficiorum non in omni parte extendenda. Veteres Ecclesiæ Patres in consecratione Ecclesiarum quoddam veluti symbolum constituerunt animæ Deo dicatæ in Sacramento Baptismatis, & Comfirmationis. Quemadmodum enim & benedictione, & inunctione facta sacrarum ædium, sacræ ipsæ ædes fieri intelliguntur speciale Summi Numinis habitaculum; ita signa sunt sensibilia, eademque perennia Divini Spiritus inhabitantis in homine baptizato, ac confirmato. Hinc fit, ut ad instituendam, persequendamque analogiam, o tinerent ea in consecratione Ecclesiarum, quæ in Baptismate obtinent. Porro cautum sæpe fuit, ut ii, de quorum Baptismate dubitaretur, baptizarentur. Cur ergo cavendum non similiter fuerat, Ecclesias consecrandas esse, quarum consecrationis nullum monumentum existeret? His plane principiis non innititur erectio beneficiorum, quæ, si ecclesiasticam auctoritatem exposcit, ex eo exposcit, quod invita, vel ignorante Ecclesia nihil esse, aut dici possit inter jura Ecclesiastica adnumeratum.

Nomine ecclesiasticæ auctoritatis in beneficiis erigendis necessariæ, intelligo auctoritatem Ordinarii, sive ille Episcopus sit, sive Prælatus quisque inferior, quasi Episcopalem jurisdictionem exercens. Et quidem id demonstrari facile potest ex antiquissima Ecclesiæ disciplina, cui vix derogatum aliquando fuisse constat, statim ac enim certa diœcesis adsignata Episcopo fuit, illud potissimum mandatum Episcopo est, ut ipse ibidem Clericos ordinaret, inter ordinatos sacra officia, & ministeria distribueret, redditus Ecclesiarum inter ministrantes divideret, portionesque singulis debitas adsignaret, quæ omnia, si perpetuam habeant causam, cur non beneficiorum erectiones appellaverimus? Recolantur hoc in loco, quæ tractationis initio præfabar de origine, & forma beneficiorum; atque id statim erit in aperto lumine collocatum. Videlicet cum primum per quatuor, aut quinque sæcula Clerici fidelium oblationibus alerentur, propria erat potestas Episcoporum ordinare Clericos, peculiumque tribuere, immo & Episcopi ipsi sponte Archidiaconos, sive Œconomos tributores peculii constituebant; quod si adparet aliquando præceptum Episcopis, ut sibi Œconomos adjungerent, id spectat ad urgendos, adigendosque Episcopos causa exercendæ potestatis, non ad ipsam veluti singularem faciendam Episcopis potestatem. Interea Clerici sub Episcopo constituti instar sacri Collegii erant, & quidem ita probati, ut coire collegium posset, & bona ex largitione fidelium adquirere, & exposcenti Episcopo consilium, ac suffragium ferre, quemadmodum sexcenta demonstrare valerent & juris, & Historiæ Ecclesiasticæ monumenta. Ubi vero deventum est ad communionem & bonorum ecclesiasticorum, & vitæ a Clericis ineundæ apud Cathedrales præsertim Ecclesias, hujus communionis, & ecclesiastici Collegii institutio auctores eosdem Episcopos habuit; immo & Episcopali auctoritate discretæ, distributæque fuerunt variæ classes, ita ut Clericis in communi viventibus Præpositus, vel Decanus communem ipsam vitam foveret, ac proveheret, Presbyteros regeret Archipresbyter, Diaconos Archidiaconus, Notarios Primicerius, scholam Psallentium Cantor, aliique hujusce generis administri. Quidquid inde plura Concilia recentioris ætatis non permiserunt quidem, facta veluti indulgentia, sed jusserunt Episcopis, ut Canonicos, Theologos, Pœnitentiarios, Scholasticos crearent, nisi eam inesse penes Episcopum potestatem agno-

vissent? Quæ enim in obligationem veniunt, & præcepto comprehenduntur, potestatem jam inesse supponunt. Quod si tandem ad ea Ecclesiarum Chatedralium adjuncta respiciamus, quibus dissociata bonorum, & vitæ communione, sive in Cathedralibus Ecclesiis distributa officia sunt, constitutæque præbendæ singulares, sive in Ecclesiis diœcesanis modo Parochialia officia instituta sunt una cum aliis muneribus in Parochorum adjutorium erectis, modo certus cœtus Clericorum exemplo Capituli Cathedralis Ecclesiæ designatus, unde Collegiales Ecclesiæ plurimæ emicuerunt; in universis agnoscemus Episcopalem sollicitudinem, æque, ac auctoritatem. Hæc cum ita sint, nulla dubitatio erit, quin Episcopus si in ea diœcesi inveniatur, in qua necdum Capitulum sit erectum, possit sibi Capitulum erigere, veluti Collegium illud in Episcopalis sollicitudinis adjutorium advocandum. Nulla quoque dubitatio erit, quin possit in eadem Ecclesia Cathedrali novas dignitates erigere, non tam ad majus Ecclesiæ decus, & ornamentum, quam ad juvandam majoribus officiis, curandamque magis in dies Ecclesiæ utilitatem. Nulla item dubitatio, quin possit in diœcesi Collegia Clericorum instituere, inque Collegiis non tantum Canonicorum numerum designare, verum etiam dignitates præficere; uno verbo, ea omnia gerere, quæ honesta, quæ decora, quæ opportuna, quæ utilia diœcesanis Ecclesiis videantur. Nulla denique dubitatio, quin novas Parochias ex causa erigere valeat, novisque erigendis beneficiis inferioribus auctoritatem suam accommodare. Paucis universa colligamus. Ipsa antiquissima erectio Collegiorum seu in Cathedrali Ecclesia, seu in diœcesanis Ecclesiis Episcoporum fuit. Hanc auctoritatem Episcoporum adseruerunt, immo & laudaverunt concilia, ac Pontifices Maximi. Sic in can. 73. caus. 12. quæst. 2. simplex Ecclesia in Collegium converti potuisse dicitur auctoritate Episcopali, cui jungi possunt canones 12. & 13. caus. 18. quæst. 2. Sic in cap 9. de vita, & honest. Cleric.. Clerici jubentur in unum Collegium convenire ex Episcopi sui mandato. Sic de solo diœcesani assensu fit mentio in cap. 25. de jurepatron., ubi & de simplici, & de conventuali Ecclesia sermo instituitur. Sic in cap. 5. de Eccles. ædif., quum quidam privatus vellet Collegium in diœcesi Episcopi instituere, id voluit Urbanus III. ex diœcesani consensu pendere. Sic in cap. 8. de constitut. dignitatis suppressio æque, ac instauratio libere Cathedralium Ecclesiarum administris adseritur. Recentioribus sæculis nulla expressa reservatio adparet, ex qua Diœcesani ab hac potestate explicanda semoti fuerint. Quid igitur obstat, quominus Ordinarii eadem facultate libere uti pergant? Ad hanc generalem regulam ego unam tantum exceptionem adjicio in ea specie, qua agatur de nova Cathedrali Ecclesia erigenda, in qua & nova constituenda sit Episcopalis dignitas, & novum una cum Episcopali dignitate Capitulum sit erigendum; tunc enim, quidquid olim vigeret, quemadmodum erectio novi Episcopatus hodie reservatur Pontifici Maximo, hodie etiam Capitulum ejusdem Cathedralis Ecclesiæ novæ ab eodem Pontifice Maximo erigeretur. Dixi *quidquid olim vigeret*, etenim nemo ignorat, antiquos Metropolitanos jure suo novas Cathedrales Ecclesias in provincia erexisse, can. 50. & 51. caus. 16. quæst. 1., cap. 16. de major. & obedient., quæ tamen potestas sublata fuit primum ex interpretatione capituli 4. de offic. Leg., ubi, cum Innocentius III. eam facultatem tamquam unam ex majoribus denegaverit Legato suo etiam a Latere, Glossographi tradere cœperunt, reservari Pontifici Maximo, etiam exclusis Metropolitanis; deinde ex consuetudine generali, postquam Joannes XXII. edidit extravagantem 5. & 6. de præb. int. comm..

At enim quid in hac reservationum materie non commenti fuerunt Interpretes præsertim sequioris ætatis, quorum

aliqui eousque devenerunt, ut Ordinariorum potestatem pene extinctam, seu intra levissimas causas coercitam exhiberent? Collegia omnia Clericorum, quascumque etiam dignitates erigi non posse auctoritate Ordinariorum, nonnulli scripserunt, relinquentes tantum potestati Episcoporum erectionem minorum beneficiorum, &, quod mirum est, conquirentes speciosa argumenta, canones dixerunt, se proferre posse perspicuos ad eam rem demonstrandam. Veluti fundamentum solidum opinionis suæ in medium prodiderunt canonem 1. dist. 22., ubi omnes dignitates ecclesiasticæ dicuntur fuisse ab una Sede Apostolica institutæ. Clarius id apparere dixerunt ex cap. 6. de consuetud., ubi Innocentius III. profitetur, se Londonensi Episcopo *licentiam concessisse* ordinandi in Londonensi Ecclesia Præcentoreſh. Miror ego, quod Interpretes hujus generis non omnium beneficiorum, & Ecclesiarum erectiones ab Ordinariorum auctoritate subtraxerint, quando si hujus generis argumenta conquirebant, invenissent facile canones 4. 5. & 6. de consecr. dist. 1., in quibus statuitur, neminem ex Episcopis posse dedicare Ecclesias sine speciali Sedis Apostolicæ auctoritate. Forte visum fuit ipsis, hac ratione se posse universam Ordinariorum potestatem extinguere, si eousque progressi fuissent, nec satis tutam esse posse adeo provectarum reservationum disciplinam. Cæterum non defuerunt Interpretes, qui pro Ordinariorum auctoritate pugnaverunt etiam in erectione Capitulorum, Collegiorum, ac Dignitatum. Quando vero inter dimicantes Interpretes nonnulli extiterunt, qui se medios, ita dixerim, constituerunt, inventis quibusdam distinctionibus arbitrantes, se omnia facile componere facta quodammodo transactione, quin germanam canonum sententiam investigarent, atque proponerent; isti modo dixerunt, distinguendum inter dignitates, quæ olim in certa Ecclesia extitissent, quæ que deinde suppressæ forent; & dignitates, quæ nunquam in certa Ecclesia extiterunt, illas restaurari posse, atque iterum erigi ordinaria auctoritate dixerunt, istas erectioni Pontificis Maximi reservari: modo dixerunt, distinguendum inter dignitates generaliter in Ecclesia notas, seu in multis Ecclesiis jam receptas, quales sunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Primiceriatus, & similes, atque dignitates, quarum novum esset, & necdum cognitum nomen, ac officium; priores asserentes Episcopalem auctoritatem non effugere, posteriores Pontificiæ erectionis existere. Has ego puto transactiones, quæ laudari possent, ubi jus dubium foret, & quidem ex æquo, & bono sanciendæ inter consentientes ad auferendas disputationes; parum tamen, meo judicio, opportunas ad eliciendam, proferendamque germanam canonum disciplinam Ordinariorum auctoritati suffragantem. Quamobrem conandum est, ut laudati canones lucem suam accipiant, atque ita interpretatione commoda illustrentur, ut nihil negotii amplius facessant illis, qui potestatem ordinariam tueantur, quousque non constet de sigulari reservatione. Itaque adfertur in primis in contrarium canon 1. dist. 22. in illis verbis: *Omnes dignitates instituit Romana Ecclesia.* Monumentum istud falso Nicolao I. adscriptum est, verius adscribendum Petro Damiano, qui legatione fungebatur Nicolai II. apud Mediolanenses, quorum mores tunc temporis erant inquinati. Homiliam ad populum habuit Petrus, qua suadebat, mores fidelium universorum exigendos esse ad disciplinam, ac doctrinam Romanæ Ecclesiæ ab ipso Christo Domino per S. Petrum Apostolorum Principem edoctæ, qua in re ajebat, *Dignitates omnes a Romana Ecclesia institutas fuisse*, id est, edoctas, atque in disciplina morum recte eruditas. Bone Deus! Quid hæc commune habent cum proposita disputatione? Adeo desipuerunt, qui hoc monumento abusi sunt, nisi forte venia concedatur illis, qui verbis Gratianeorum monumentorum inhærebant, quin monumenta ipsa in suis au-

ographis scrutarentur, eorumdemque spiritum ex contextu, & ex scopo hauriendum arriperent. Quod spectat capitulum 6. de consuetudine verum ecquidem est, Londonensem Episcopum confugisse ad auctoritatem Innocentii III., ut Præcentorem ordinaret; eumdemque Innocentium ordinandi Præcentoris *licentiam concessisse*. quid inde? Non est hæc certa juris dispositio, quæ reservationem inducat. Potius factum ibidem proponitur Episcopi rogantis de ea re, quam agere vi sui muneris potuisset, & quam maluit agere Apostolicæ Sedis auctoritate, ea potissimum de causa, quod cum Præcentorem ordinaturus esset; dubitabat, qualia jura in concursu aliarum dignitatum Præcentori decernerent, quemadmodum ex rescripti contextu adparet. His adjiciendum est, Londonensem Episcopum si ordinario jure Præcentorem ordinavisset, debuisse exquirere consensum Capituli sui. At consensum Capituli obtinere eousque non potuerat, quemadmodum liquet ex integri rescripti lectione, ubi dicitur inter cætera, Decanum, & quosdam alios personatus in Capitulo habentes *suam* Apostolicæ sedi *transmisisse querelam*: atque eam ob causam optaverat Londonensis Episcopus, ut intercedens auctoritas Apostolicæ Sedis defectum solemnitatis illius, sive consensus Capituli omnino suppleret; quod & jamdiu Gonzalezius adnotavit ad dictum capitulum 6.. Jamdudum obtinuerat, ut auctoritas Pontificis Maximi solemnitates suppleret, argumento capituli 1. de transact., argumento ducto ex libr. 19. cod. de testamentis. Immo & in hac ipsa specie consensus Capitularis, idem Innocentius III. disciplinam sui temporis etiam in Anglia receptam commonstrat ad Episcopum Heliensem in Anglia rescribens in cap. 9. de his, quæ fiunt a Præl., ubi inquit, Episcopum non posse certa negotia peragere præter Capituli sui voluntatem, *nisi de licentia Romani Pontificis*, quodque opportunum est, ad eum ipsum Heliensem Episcopum directum est rescriptum relatum in dicto cap. 6. de consuetudine. Cum hæc ita sint, concludetur quidem, Episcopum jure ordinario non posse novam in Ecclesia sua dignitatem erigere sine consensu Capituli sui, quod verissimum est, & generali disciplinæ canonum accommodatum, non vero deducetur, id facere non posse, servatis solemnitatibus abs jure præstitutis. Post hæc omnia, num singularia quædam adjicienda erunt ad intepretationem dictorum canonum 4. 5. & 6. de consecr. dist. 1.? Jamdudum Interpretes, quibus crassa minerva non fuit, agnoverunt omnes, ibi aut singularem & Gelasianis temporibus, & Romonæ Provinciæ accommodatam disciplinam contineri, aut agi de Episcopis, qui extra propriam diœcesim erigere, & consecrare Ecclesias vellent, quod & facile ex canonum eorumdem verbis demonstratur, & ego jam demonstravi in meis lucubrationibus in Codicem Gratianeum. Unum tantum adjiciam, quod spectat Pragmaticos illos, qui putant, vetitum esse Episcopis Collegia Clericorum instituere, propterea quod jure Quiritium Collegiorum erectio erat Principi reservata, l. 1. & passim ff. de Colleg. & Corpor.. Quod ut Clericorum Collegiis accommodent, supponunt, id ipsum referri posse ad Pontificem Maximum, veluti summum Ecclesiæ Principem in Ecclesia. Hoc argumentandi genus in primis si valeret, ad Collegia illicita pertineret, & quæ tendere possent in Reipublicæ detrimentum, de quibus sermo fit in toto tit. ff. de Collegiis, quæ propterea generatim erigi non possunt, nisi primum petita venia a Summo Imperante, cujus interest disquirere, an ex erectione novi Collegii damna in Rempublicam derivent. An id accommodari possit Collegiis Clericorum, videat unusquisque, qui noverit, quanta sit, & quam sæpe agnita fuerit horum Collegiorum utilitas, ad quæ instauranda crebro non tam invitati sunt, quam pene obligati Antistites Ecclesiarum. Deinde Principis locum in hac parte tenuerant Episcopi universi, qui

ab ipsa diœceseon divisione suum sibi Clericorum Collegium perenni Ecclesiæ lege probatum sibi adscivisse, nulla ad id petita a Superiore Antistite venia, demonstraretur, adeo ut, etiam si ageretur olim de Collegiis Monachorum, quorum cœtus distincti erant a Collegiis Clericorum, integra esset etiam in hac parte, & sufficiens Ordinariorum auctoritas, can. 12. & 13. caus. 18. quæst. 2.. Quod si in recente disciplina tantum consistere velimus, nonne quotidiana experientia docet, Collegia religiosa, qualia sunt Sodalitia laicorum erigi passim in Ecclesiis Ordinariorum auctoritate, quemadmodum in prima parte dissert. 4. c. 7. dictum est? Quæ sane hodierna disciplina tota corrueret, si verum esset, ea omnia, quæ in Romano jure traduntur de Collegiis unius Summi Imperantis auctoritate probandis, valere ad inducendam singularem reservationem gratia Romani Antistitis in erectione cœtuum ecclesiasticorum.

Non in omnibus beneficiis, Ecclesiisve erigendis eædem requiruntur solemnitates. Siquidem aliqua sunt beneficia, quorum erectio non adeo publici juris est, ut inter graviora negotia recenseatur, uti liquet in beneficiis præsertim simplicibus. In his receptum est, ut dummodo ex una parte constet de fundatoris voluntate, constet insuper de sufficienti dotatione, ex altera parte intercedat Ordinarii auctoritas, beneficium rite erectum esse intelligatur. Alia beneficia, & Ecclesiæ sunt, quorum erectio facienda, vel non facienda, vel reipublicæ, vel universitatis interesse potest, qualia sunt beneficia Episcopalia, Parochialia, & Conventualia: in his autem quatuor necessario sunt fere observanda. Primum est vocatio illorum, quorum interest; alterum est locus erigendæ Ecclesiæ, vel beneficii; tertium est causa erectionis, postremum est congrua dos Ecclesiæ, vel beneficio adsignanda. Et quidem in primis vocandi sunt illi, quorum interest, ne forte singularia detrimenta in quosdam emergant ex novi beneficii, vel novæ Ecclesiæ erectione Quid enim, si nova Dignitas, aut novus Canonicatus in Cathedrali, vel Collegiali Ecclesia esset erigendus? Capituli consensus erit tunc explorandis. Quid, si nova Parochialis, aut Cathedralis Ecclesia sit instituenda? Vicinorum Parochorum, aut Antistitum jura eisdem vocatis discutienda tunc erunt. Immo & si finitimæ Ecclesiæ sint patronatæ, Patroni quoque earumdem erunt audiendi; atque id non tam ob difficultates, quæ in designanda perpetua Ecclesiæ, vel beneficii dote concitari possent, sed etiam, ne ex controversiis Rectorum, aut Patronorum vicinarum, ac vetustiorum Ecclesiarum ad contentiones Reipublicæ Christianæ valde perniciosas deveniatur, argumento canonis 44. caus. 16. quæst. 1., capituli ultimi de major. & obed., capituli 13. de Eccles. ædific., ad cujus interpretationem Fagnus num. 30. definitum refert, nullius momenti existere, novæ Parochialis Ecclesiæ erectionem, non citato veteris Ecclesiæ Rectore. Quæ tamen omnia ita intelligenda sunt, non quidem ut eos, quorum interesse potest, consentire necesse sit; sed ita ut spretis, & non auditis eisdem ad erectionem non procedatur. Itaque onus erit Episcopi, eos advocatos audire, eorum jura discutere; & quemadmodum abstinebit Episcopus ab erectione facienda, quotiescumque probabiles ad impediendam erectionem causæ allegentur, ita ad erectionem jure suo procede, etiam refragantibus vocatis, quotiescumque inania sint obsistendi argumenta. Eodem modo sese res habet in proposito, atque se habet in ea specie, qua Episcopus conferre velit beneficium, a quo quis ipso jure ceciderit. Vocandus erit in judicium, qui beneficii possessor erat; ac nihilominus ad successoris institutionem procedetur, si, qui possidebat, probabilem non alleget causam, quare nequeat a sua possessione turbari, c. 28. de præbend. in 6..

De loco, in quo publicæ Ecclesiæ erigantur, nihil definitum adparet, dummodo excipiamus Cathedrales Ecclesias,

quas in Civitatibus tantum, vel in Oppidis frequentioribus institui mandatum est, can. 3. 4. 5. dist. 80., can. 53. caus. 16. quæst. 1., cap. 1. de privil., quod quidem initio factum fuit, ne vilesceret dignitas Episcopalis; deinde magis in dies probari debuit ex eo, quod in foro Episcopali multæ contentiones agitari cœperunt, quas multo facilius erat dirimere in urbibus, sive in locis, ubi copia eruditorum adesset. Præterea ubi de novis erigendis Parochialibus Ecclesiis agatur, voluit Concilium Tridentinum in sess. 24. de Reform. cap. 13. in fine, eas ubicumque, id est, in omnibus Civitatibus, aut locis constitui, si necdum constitutæ deprehendantur; quemadmodum etiam voluit, ut certi fines designarentur, ubi necdum designati adparerent, ne in administratione Sacramentorum aut confusio emergeret, aut negligentiæ occasio præberetur. In vulgarem abiit traditionem ad Parochiam novam erigendam in certo loco requiri, ut ibidem decem saltem familiæ degant. At si fundamentum hujus traditionis inquiratur, meo judicio, in inani positum esse videtur, nimirum in prava interpretatione canonis 3. caus. 10. quæst. 3., in quo cautum legitur, *ut Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem; quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis.* Ego sane non possum nomine *mancipiorum* familias Parochorum, uti passim interpretantur, intelligere, quando mancipii nomen aliud latine sonat, item nunquam legitur in canonibus Ecclesiasticis ea significatione usurpatum, argumento capituli 3. & 4. de rer. permut.. Potius puto, Toletanum illud decretum spectare ad dotem Parochiali Ecclesiæ constituendam; cum enim mancipiorum usus olim frequentissimus esset, uti constat ex libr. 3. legum Longobardarum tit. 1. cap. 46., redditus ecclesiastici facile ad mancipiorum numeros, & notas reducebantur. Hinc non dubito, rem hanc totam esse in prudenti Ordinarii arbitrio collatam ita, ut Ordinarius eo in loco erigi posse Parochialem Ecclesiam decernat, in quo futurum existimet Parochi singularis officium opportunum.

Causæ erigendorum beneficiorum sunt necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, incrementum Divini cultus, pietatis, ac religionis exercitia, & similia. Hinc cavendum est, ne aut ad æmulationem vicinarum Ecclesiarum novæ erigantur Ecclesiæ, item ne turpis avaritia causam erectioni præbeat; jamdudum enim decretum est, ne propter quæstum novæ Basilicæ fiant, can. 10. de consecrat. dist. 1.. Iterum hac in parte versabitur prudens Episcopi arbitrium, quo ipse causas discutiat, discussisque, vel probet, vel rejiciat erectionem. Singularia quædam in erectione novarum Parochiarum constituta videntur canonibus ecclesiasticis; quoniam vero novæ Parochiæ non nisi per divisionem plebium erigi solent, satis erit id hoc in loco indicavisse, cum de hac re opportunius agendum sit inferius, ubi de beneficiis dividendis sermo instituetur.

Denique in Ecclesiis, aut beneficiis erigendis solerter investigandum est, an Rectori, vel Beneficiario designati sint redditus, unde congruus honestæ vitæ cultus habeatur, can. 9. de consecr. dist. 1.. Qua in re iterum locus fit prudenti Ordinariorum arbitrio, propterea quod ubique locorum eadem, & una definiri portio nequit ad Clericorum sustentationem, Faber in codice de sacrosanct. Eccles. def. 52.. In Ecclesiis Parochialibus Hispaniæ olim videbatur constitutus certus redditus, infra quem si dos adsignaretur, ad Ecclesiæ erectionem deveniri non posset, nimirum redditus decem mancipiorum, can. 3. caus. 10. quæst. 3., quemadmodum superius adnotabam; item in Ecclesiis Galliæ, ac Germaniæ designabatur redditus unius *mansi*, uti legitur in can. 24. & 25. caus 23. quæst. 8.. Redditum decem mancipiorum ego ita intelligo, ut tanta esset dotis quantitas, quanta decem mancipiorum pretio penderetur, quod aliquando reductum scio ad

aureos viginti pro mancipiis singulis, l. 31. ff. de min., leg. 1. cod. de com. serv. manum., aliquando ad duodecim solidos, can. 18. dist. 54. *Mansum* ita intelligo, ut eo nomine veniat quædam agri portio ita dicta a manendo, quod in ea villicus unus manere commode posset, constans ut plurimum duodecim jugeribus, quod jam adnotavi in meis lucubrationibus in Gratianum. Recentioribus sæculis, sive quod memorati canones ad certas tantum Provincias pertinerent, sive quod varietas ætatum varias disciplinas induxerit, ab arbitrio erigentis designatio dotis pendere cœpit, atque etiam hodie pendet. Neque hac in re video quidquam definitum in Tridentino Concilio session. 24. de Reformat. capit. 13. a principio usque ad §. *ad hæc.* Quod si Tridentini Patres in dicto §. *ad hæc* decreverunt, ut nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum gravari possint Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt; non tamen exinde congruam dotem definiverunt in Ecclesiis Cathedralibus, aut Parochialibus, videlicet in illis mille, in istis centum ducatorum; tantum ex his norma quædam statui potest ad dirigendum erigentis arbitrium, cui adhuc hodie locum esse posse non dubito, habita semper ratione locorum, temporum, ac dignitatum instituendarum, ita ut omnibus recte pensatis adpareat, ex collata dote Beneficiarium & posse exhibere, & posse susceptis oneribus satisfacere.

CAPUT II.

De Beneficiorum Restauratione.

UT plurimum erectio Ecclesiarum, aut beneficiorum utilitatis est, at restauratio necessitatis. Quod utile sit erigere, decuit, semper, ad id excitare quod fideles; necessarium sit restaurare, decuit plurimos obligare. At enim hæc obligatio inesse consuevit, ubi agitur præsertim de Parochialibus Ecclesiis, quas interest Reipublicæ sartas, tectasque tueri; in aliis autem Ecclesiis, vel beneficiis inferioribus non tanta fuit canonum sollicitudo, proptereaque earum intuitu monendi quidem sunt illi, quorum interest, nunquam vero compellendi, nisi de iis agatur, qui cum a fundatore bona acceperint, tum se data fide vel expressa, vel tacita ad restaurandum obligaverunt. Hæc ut certo ordine persequar, distinguendum puto triplex obligationis genus; ex eo enim non solum de obligationis causa facile constat, verum etiam percipitur, qui, & qualis sit obligatorum ordo, quorum alii primo, alii secundo loco obligantur, alii denique in subsidium, & extra ordinem, cæteris deficientibus. Primum obligationis genus ex re ipsa proficiscitur, unde realis obligatio dici potest: alterum genus est obligationis personalis, quasi ex contractu quodam dimanantis; postremum genus est obligationis subsidiariæ, ex qua non nascitur proprie actio, sed potius fit locus querelæ apud Judicem proponendæ, vi cujus Judex ex officio potius procedere intelligitur, quam actor quidquam condicere, aut vindicare. In concursu harum omnium obligationum nemo non videt, realem esse cæteris arctiorem, quemadmodum mitior est cæteris omnibus ea, quæ in subsidium datur, & cui tum demum fit locus, cum cæteræ deficiunt. Itaque initio certum est, ubi Ecclesiæ præsertim Parochiales, & beneficia prope in interitum vergunt, penes quosdam ut plurimum inesse reparandi obligationem; unde reparatio Ecclesiarum apud Pragmaticos dicitur causa majore favore digna, quam erectio, argumento cap. 7. de Judæis, atque Ordinarii locorum non

solum causa restaurandæ Ecclesiæ, vel beneficii jure, ac merito potuerunt consentire, sed etiam tenebuntur, nisi causa quædam gravis aliud suadeat, Concilio Tridentino sess. 21. de Reform. cap. 7.. Ubi deinde deveniendum sit ad urgendos eos, qui ad restaurationem obligantur, ratio in primis habenda erit realis, deinde personalis obligationis, denique in subsidium ii compellendi, de quorum agitatur utilitate.

Realis obligatio illis inhæret, qui dotem Ecclesiæ, vel beneficii possident. Cum enim dos ab initio constituta non solum tendat ad alendos ecclesiasticos administros, sed etiam ad cultum Ecclesiæ, & ad causas pias fovendas, inter quas procul dubio est, immo & Ecclesiæ ipsi, beneficioque cohærens restauratio, jura clamant, ut dos ipsa in hunc finem impendatur. Hæc causa est, quare juxta veterum canonum sanctiones in quatuor partes tribui deberet peculium ecclesiasticum, ex quibus cum tres cederent sustentationi Clericorum, Episcopali mensæ, & indigentibus universis, quarta restaurationibus fabricarum addicebatur, can. 10. caus. 10. quæst. 1., can. 2. 3. caus. 10. quæst. 3., canon. 30. 31. caus. 12. quæst. 2., cap. 1. de Eccl. ædif.. Et quidem cum olim Episcopi universum ecclesiasticum, & clericali peculium administrarent, onus penes Episcopos imminebat restaurationum universarum, quippe qui quartam tantum Clericorum usibus concederent, cæteras quartas, quarum una fabricis debebatur, administrabant. At postquam Episcopi Ecclesiarum, & beneficiorum inferiorum redditus a sua potestate abdicaverunt, eosdemque administrandos beneficiariis Clericis concesserunt, onus idem una cum redditibus in eosdem Clericos transtulerunt, quemadmodum expresse definitum deprehenditur in can. 3. caus. 10. quæst. 3.. Ex hoc ipso principio fuit, eos omnes simili obligatione adstringi ad restaurationem, qui bona Ecclesiæ etiam extra titulum beneficii possident, quales essent, qui pensionem ex Ecclesiæ, aut beneficii redditibus haurirent, qui jura decimarum Ecclesiis debita habuerint quocumque titulo; siquidem de onere reali agitur, quod transit una cum bonis Ecclesiæ in quoscumque possessores. Sunt, qui putant, id verum esse tum demum, cum redditibus Ecclesiæ abundant, arbitrati, ab eo onere exemptum esse beneficiarium, si ei vix congrua dos supersit, quemadmodum interpretantur capitulum 4. de Eccles. ædific.. Nollem ego movere nominis quæstionem, cum de portione congrua disputatur. Si nomine congruæ portionis intelligatur, quod tantum alendo beneficiario suppetit, ita ut totum alendo beneficiario necessarium sit, non repugno; etenim cum potissima causa, quæ in Ecclesia, vel beneficio consideratur, sint divina ministeria a beneficiario præstanda, potissima etiam erit causa alimentorum Clerico beneficiario concedendorum, sine quibus beneficiarius munera implere non posset, ac proinde hæc causa cedit alteri causæ restaurationis Ecclesiæ, vel beneficii; immo ubi in Ecclesia, vel beneficio vis adparet, redditum constitutum esse ad alendum administrum cessat illa ratio generalis dividendi peculii in quatuor partes, quarum una fabricis, & restaurationibus earumdem cedat. At si nomine congruæ portionis intelligitur ea peculii quantitas, qua minor non admitteretur ab Ordinario in erectione Ecclesiæ, vel beneficii, mihi ea non placet opinio, quemadmodum nec aliis placuit prudentissimis judicibus apud Defargna post partem 6. de jure patron. pag. mihi 213.. Revera congrua dos beneficii ea appellatur, quæ non tantum sufficiat alendo administro, sed & quæ par esse possit cæteris ferendis oneribus, inter quæ sane restauratio non minimum locum tenet, argumento canonis 9. de consecr. dist. 1.. Quod si res hæc exigenda sit ad laudatum capitulum 4. de Eccles. ædific., adparet non quidem constitutum, Clericos teneri tum

demum ad restaurandum, si redditus habeant congrua portione uberiores, sed constitutum, eosdem teneri, *si eis supersint*, quod idem est, ac dicere, Clericos, etiam si tantum habeant congruam portionem, si tamen ex ea aliquid præter necessaria vitæ subsidia supersit, adhuc teneri istud ipsum in restaurationem impendere.

Succedunt his, qui obligatione personali tenentur, ea nimirum obligatione, quæ ex quodam quasi contractu proficiscitur. Sunt autem Patroni Ecclesiarum; etenim ipsi, quoties deficiunt Ecclesiarum, aut beneficiorum bona, ad restaurandum tenentur duplici de causa; primum quia initio, dum erigeretur Ecclesia, vel beneficium, non ea omnia contulissent facto, ex quibus Ecclesia, vel beneficium diu essent, ac perpetuo duratura; unde intelliguntur, hanc ipsam obligationem in se recepisse, etiam in successores transituram. Simili propemodum ratione voluerunt veteres Jureconsulti, pertinere refectionem parietis ad eum, qui promisisset servitutem ferendi oneris, propterea quod initio pactum esset, *paries uti nunc est, ita sit*, l. 33. ff. de servit. urban., l. 6. §. 2. ff. si serv. vindic., etsi id videretur contra generalem servitutum naturam, argumento l. 15. §. 1. ff. de servit.. Altera causa est, quia Patroni onus in se susceperunt Ecclesiæ, beneficiive tuendi, atque jura Patronorum in onere æque, atque in honore consistunt. Quod si correlativorum, uti passim traditur, eadem ratio esse solet, quando Ecclesia, vel beneficium tenentur gratia patroni facultatibus labentis, etiam versa vice tenebitur Patronus gratia Ecclesiæ, vel beneficii, ubi ista in interitum vergant. Non dubito tamen, quin Patronatus eximere sese ab ea obligatione valeat, renuntiando juripatronatus, argumento dictæ l. 6. §. 2. ff. si servitus vindicetur.

Deficientibus etiam patronis, postremo obligatio devolvitur ad eos, quorum commodo erecta fuit Ecclesia, & beneficium, ubi expediat publice, beneficium, vel Ecclesiam sartam, tectamque tueri, quod viget præsertim in Ecclesiis Parochialibus, ad quarum suppressionem nisi gravissimis de causis deveniri non potest. Itaque respectu Parochialis Ecclesiæ, & beneficii, fideles quicumque in Parochia degentes obligabuntur, proposita a Parocho querela apud judicem, si Parochiani obsistant; cum æquum non sit, Parochianos postulare a Parocho, ut in Parochia ministret sacra, quando nec apta est ad administrandum Parochialis Ecclesia, nec ipse Parochus ali ex beneficii redditibus potest. Supremum hoc, & subsidiarium remedium est ex æquo, & bono proficiscens, quod etiam publica utilitas maxime expostulat. Quod si tanta sit etiam Parochianorum egestas, ut nulla superesse videatur commodæ restaurationis spes, ad matrices, sive ad viciniores Ecclesias auctoritate Ordinarii translatio Ecclesiæ, & beneficii fiet, quemadmodum id quoque observabitur in Ecclesiis minoribus, quarum jura cum beneficiis ibidem erectis transferri ad Parochialem Ecclesiam debent, ubi alia ratione dirutæ Ecclesiæ prospici nequeant, data tunc facultate, locum ipsum in profanos usus, non tamen sordidos, convertendi, erecta ibidem cruce, in perpetuum loci olim sacri monumentum. Visus in his omnibus sum expendisse decretum Concilii Tridentini in cap. 7. sess. 21. de Ref., cujus verba ob oculos ponere juvat, utpote quæ paucis exhibent, quæ modo tradita sunt. Statuunt Tridentini Antistites: *Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quæ sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant, & ex hominum memoria excidant, Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam juripatronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices, aut alias Ecclesias locorum eorumdem, seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem Ecclesiis erigant altaria, vel cappellas sub eisdem invoca-*

tionibus; vel in jam erecta altaria, vel cappellas transferat, cum omnibus emolumentis, & oneribus prioribus Ecclesiis impositis. Parochiales vero Ecclesias, etiam si juris-patronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquot ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt; aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate, tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

Non semper aut solidior quædam philosophia, aut sagax jurisprudentia occasionem dedit invehendæ, confirmandæque ecclesiasticæ disciplinæ; sed aliquando ad id contulerunt mysticæ, quædam figuræ ab Asceticis potius hominibus singulari studio excogitatæ publice deinde præpositæ, tanquam acommodatæ ad augendam pietatem in Deum, ac religionem. Ita contigit in consecratione aut erectarum, aut restauratarum Ecclesiarum, de quibus hoc in loco adhuc superest opportune disserendum. Ecquidem hac in re non dedignata fuit Ecclesia sequi generalia illa principia, quæ gentes peræque omnes posuerant. Nimirum universæ gentes loca sacra consueverunt certis ritibus, statisque formulis dicare, quibus cum ab humano commercio exempta, tum divini juris esse dicerentur. Quod si hunc ipsum morem excoluerunt judæi veteres, consonum etiam Ecclesiæ fuit, eadem vestigia sequi, dummodo abolerentur superstitiones omnes, immo & judaicæ figuræ evangelica fide minus dignæ; & novi quidam ritus evangelicæ legi accommodati superinducerentur. Hanc ob rem cum ex rebus sensibilibus homo facilius ad divina elevetur, omnia fuere adumbrata figuris, symbolisque sacris, atque ex hac adumbratione, veluti ex regula generali, inducta sunt certa consectaria. Si finem sacrarum construendarum ædium spectemus, nihil aliud statui posset, quam certa loca designanda esse, in quibus publicæ funderentur orationes ad Deum, sacra omnia fierent, præ cæteris autem sacrificia, unde aræ, sive altaria apud omnes collocari in templis consueverunt. Sed post invecta symbola, multa accesserunt ad firmandam certis rationibus disciplinam. Distinguere cœperunt veteres altare ab Ecclesia. Altare sic dictum ex doctrina Isidori Hispalensis, quasi alta ara, cœpit haberi tanquam symbolum Christi Domini, & quidem non injuria, quando Christus & Hostia est, & Sacrificium, & Sacerdos, cujus unum Sacerdotium in Episcopos, Presbyterosque derivat. Ad rem Rupertus in libr. 5. de divinis officiis cap. 30. scribebat: *Sic altare in templo, quomodo Christus toti Ecclesiæ præeminet.* Hæc ratio erat, quare apud veteres in singulis Ecclesiis non nisi unum altare collocaretur, ad significandam Christi unitatem; quare insuper altare in altiore, ac digniore loco collocaretur, ad significandum Christi Principatum; quare itidem ad altare per quosdam gradus ascenderetur, ad significandum fidelium conatum in Christi imitationem; quare præterea altare lapideum formaretur, ad significandam Christi firmitatem, ex eo etiam quod in sacris literis Christus lapis angulariis dicitur, & petra Ecclesiæ; quare denique non scissum, non divisum, non compactum erigeretur, ad significandam Christi integritatem ingenitam. Ecclesiam ita appellatam, quasi locum ad continendos intra certum ambitum fideles omnes, dixerunt, figuram esse fidelium universorum spirituali vinculo cum Christo capite conjunctorum. Hæc ratio erat, quare in Ecclesia diversæ tributæ, adsignatæque in sacris ædibus stationes, hinc pro Clericis, hibi-

ta etiam singulorum ordinum ratione, illinc pro laicis, quorum discreti etiam fuere gradus, vel eorum, quibus integra communio erat, vel eorum, qui pœnitentiis multimodis expiabantur; quare item in Ecclesia nemini olim concederetur sedem habere, quod fidelium cœtus Ecclesiam militantem constitueret, sine requie, & laboribus undique fatigatam. Paulo aliter symbolis hanc ipsam rem adumbraverunt alii ecclesiastici viri, inter quos laudare possum Ivonem Carnotensem, qui in suis Epistolis, præsertim 72. & 80., in solo Ecclesiæ, & in altari fidei symbolum collocavit, veluti cæterarum virtutum fundamentum; in parietibus symbolum spei, quæ sursum, & in cœlum elevatur; in tectorio, quod omnia ambitu suo complectitur, symbolum charitatis nectentis universa. Post hasce delineatas pene dixerim artificiosas figuras, *consectaria* quædam deducta sunt, quæ tamen non perpetua, nec constantissima fuerunt; neque enim ita constans est in rebus mysticis voluntas hominum, ut ab iis recedere nequeat, ubi aliud suadeat utilitas publica, aut etiam vaga ipsa, & flexilis adprehensio symbolorum; adeo ut non mirum sit, in canonibus antiquissimis modo hanc, modo illam disciplinam constitutam agnosci. Traditio est, per quatuor priora Ecclesiæ sæcula altaria non fuisse consecrata, quasi, si consecrata fuissent, videretur consecrari Christus ipse Dominus, cujus figura altare erat, quod indecorum visum fuisset. Quinto sæculo induci cœpit consecratio altarium. Quæris causam? Ego conjicio, per quatuor priora sæcula abstinuisse Antistites a consecratione altarium, propterea quod solliciti erant in asserenda Christi divinitate, ac præsertim contra Arianos, atque in iis adjunctis facto suo testabantur Christum Deum, ubi altare symbolum Christi non dedicabant, quasi ex natura sua Deo sacrum, atque divinum. Firmata fide docente Christum esse Deum, posterioribus sæculis, quibus variæ hæreses adortæ fuerant Christi humanitatem, docendus erat populus in hac parte; tum vero dicata fuere altaria, ad significandum, humanitatem Christi consecratione quadam indiguisse per ipsummet Deum, ut elevaretur ad conjunctionem cum divina natura in unitate personæ. Accessit his novus ritus consecrandi altaria per sacras Martyrum reliquias, juxta illam phrasim Apocalypsis cap. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum.* Quamobrem licet symbolum Christi non videretur consecrandum, veluti symbolum impollutæ hostiæ, ac Sacerdotis, consecratio tamen visa tum fuit consentanea, ubi prope Christum etiam fideles Martyres recondebantur. Antiquior plane fuit consecratio Ecclesiæ; etenim cum ambitus parietum cætum ipsum fidelium, ipsas etiam fidelium animas veluti symbolo exhiberet, iisdem fere ritibus dedicari cœperunt, quibus ex institutione divina fidelium animæ Deo dedicantur. Hinc benedictiones aquæ aspersione factæ ad quamdam baptismatis; hinc inunctiones sacri chrismatis ad quamdam confirmationis analogiam. Hinc benedictio Ecclesiarum a consecratione distincta, uti Sacramentum baptismatis a Sacramento confirmationis distinguitur. Hinc consecratio per chrismationem facta nunquam repetita fuit, exemplo confirmationis; quod si Ecclesia pollura aqua iterum aspergitur, non est hæc symbolum renovati baptismatis, sed potius symbolum Sacramenti pœnitentiæ, cujus renovatio est in Ecclesia salutaris. Et quando sacra unctio in parietibus facta semper est, recipi necessario debuit, ut eadem unctio repeteretur in novis parietibus erectis; contra nova consecratione non esset opus, ubi collapsum fuisset tectorium, sive quod nunquam inungi tectorium consueverit, sive quod in eo esset agnitum symbolum charitatis, qua amissa virtute non ideo minus quis dicitur esse in Ecclesia. Hinc denique factum est, ut, etiam si receptum fuerit

post quintum seculum consecrari altaria, ex consecratione tamen altaris non intelligeretur ipso jure consecrata Ecclesia, proptereaquod non sufficiat fidelibus Christum esse Deum, sed requiritur singulare ministerium in unoquoque, ut Christo jungantur, id est, ministerium baptismatis, quod inde perficitur ministerio confirmationis.

Nunc intelligemus multos Ecclesiæ canones, multa insuper, quæ hodie obtinent juxta receptam disciplinam. In cap. 1. de cons. Eccl., vel alt. statuitur, non censeri amplius consecratum altare, quod motum fuerit, id est, divisum, proptereaquod symbolum esse desinit Christi Domini, cujus unitatem æque, ac sanctitatem Ecclesia colit; eademque ratione si fractus fuerit lapis, supra quem Eucharistia in sacrificio celebratur; is enim lapis, si portatilis est, ipse unus altare constituit; si altari cohæret, tanquam præcipua altaris pars consideratur. Ibidem quoque statuitur, fracto sigillo, quo reliquiæ Sanctorum Martyrum custodiuntur, lapidem denuo consecrandum esse, quasi ibi desinat esse consecratio, ubi merita Sanctorum Martyrum a meritis Christi Domini discindantur. Statuitur præterea, non ideo iterandam consecrationem Ecclesiæ, quod altare desierit esse consecratum, proptereaquod, uti superius observabam, non pendet consecratio Ecclesiæ a consecratione altaris. Cum vero adjicitur, *licet id quidam canones innuere videantur*, verba hæc referuntur ad canonem 19. de cons. dist. 1, falso tributum Hygino, cum quo jungi potest Epistola Anselmi Cantuariensis ad Guillelmum Abbatem, libr. 3. Epist. 159., & Epistola Ivonis Carnotensis 72. & 80.. In cap. 3. de consecrat. Eccles. vel alt. eadem fere repetuntur, quæ in cap. 1. eod. decreta fuerant. In cap. 4. subsequente, ubi mentio fit de reconciliatione Ecclesiæ, quæ multum a consecratione distinguitur, dicitur, ob flagitia quædam in Ecclesia admissa adhuc consecrationem remanere, quamquam purgatio quædam sit habenda, exemplo fidelium delinquentium, qui pœnitentiis expiantur, non iterum baptizantur, & consecrantur; proptereaque hanc benedictionem facilius repeti expiationis causa receptum est, quam ad novam consecrationem deveniri, can. 20. de consecr. dist. 1., dicta Epist. 159. Anselmi Cantuariensis. In cap. 6. de consecr. Eccles. vel altar. decernitur primum, ligneo elapso tectorio, non esse deveniendum ad novam consecrationem, cujus rei ratio superius explicata fuit, dummodo tamen parietes in sua integritate permanserint. Siquidem cum parietibus dicatur consecratio adhærere, tum demum nova consecratione parietes indigent, cum novum quodammodo ædificium ex restauratione videatur, non vero quotiescumque portio quædam restauretur, etsi forte diversis temporibus per varias separatas partes ædificium pene totum restauratum fuisse adpareat, argumento l. 10. §. 1. ff. quib. mod. ususfr. amitt. cum similibus. In cap. 7. de consecr. Eccles. vel altar. dicitur, facile æquiparari benedictiones cœmeteriorum cum consecrationibus, vel reconciliationibus Ecclesiarum. Erant habenda cœmeteria instar Ecclesiæ, quia defuncti ad cœtum fidelium pertinent, adhucque juncti cum Christo censentur propter spem, quam de illorum salute retinemus; proindeque ubi aut in Ecclesiam; aut in cœmeterium cadavera excommunicatorum illata sunt, & Ecclesia, & cœmeterium polluta dicuntur, proptereaquod excommunicati intra Ecclesiam existere nequeunt. In cap. 9. de consecr. Eccles. vel altar. decernitur, reconciliationem Ecclesiarum consecratarum Episcopis reservari ob analogiam, quam hæc reconciliatio habet cum reconciliatione publica pœnitentium, quæ olim inter munera Episcopalia recensebatur. Non persequor amplius, quæ de pollutione Ecclesiarum, & de pollutionis causis tradi solent; de his enim

sermo instituetur ad interpretationem libri 5. Decretalium, ubi agendum erit de cultu debito Ecclesiis, & Sacramentis. Sufficiat interea generalia quædam de consecratione, aut de reconciliatione attigisse.

CAPUT III.

De Beneficiorum unione, vel divisione.

QUemadmodum novus contractus dicitur non solum, qui nunc primum celebretur, verum etiam qui novas qualitates adsumit, unde dicitur una obligatio novatione facta in aliam commutari; ita beneficium non erigi tantum videtur, vel cum primum erigitur, vel cum restauratur, sed & cum immutatur, ac veluti transformatur. Id fit per unionem, vel divisionem, quarum regulæ hoc in loco veluti opportuno subnectuntur, propterea quod ad fines sunt regulæ erectionum, ac restaurationum. Non hic sermonem instituto de unione, vel divisione beneficiorum personali, quæ ad vitam, & gratia alicujus Clerici fiat, de his enim jam superius auctum est, potius de reali, quæ maxime differt a personali in eo, quod personalis causam habeat in privatorum utilitate, realis in utilitate publica Ecclesiarum; unde dimanat receptissima regula, quæ docet, quoties de unione, vel divisione quidem constet, sed de illarum qualitate non satis liqueat, illas in dubio non personales, sed reales præsumi, argumento cap. 1. ne Sede vacante. Realis Ecclesiarum unio triplici modo fieri potest; in primis cum ex duabus Ecclesiis, vel beneficiis una, vel unum fiunt æque principaliter. Finge ex. gr. duas finitimas plebes hostili impetu, aut alia de causa adeo defatigatas, ut exhibendis duobus Parochis, & duabus Ecclesiis sartis, tectisque tuendis pares non amplius sint, duæ illæ Parochiæ ita uniendæ erunt, ut neutra alteram supprimat, sed dum ex duabus una coalescit, utraque adhuc æquis rationibus consistere videatur. Finge præterea, duabus Ecclesiis manentibus, unum perpetuo Antistitem designari, ut is utriusque Rector æque dicatur, quemadmodum in specie dicti capituli 1., æque principalis etiam unio appellabitur. Hujus unionis effectus est, ut consuetudines, & privilegia, quæ uni beneficio, vel Ecclesiæ competebant, in alteram, vel alterum illi unitum derivent, quasi facta communione bonorum, & jurium, ex quibus, quoties incompatibilia sint, honestiora, & favorabiliora dumtaxat remanebunt, uti tradunt Fagnanus ad dictum cap. 1., & Rebuffus in praxi de unionibus numero 11. Alter modus est, quum una Ecclesia, aut beneficium supprimitur, translatione ejus facta in aliam Ecclesiam, vel beneficium; qua in specie jura omnia suppressæ Ecclesiæ, vel beneficii, alteri Ecclesiæ, vel beneficio adcrescent. Denique uniuntur Ecclesiæ, vel beneficia, cum una Ecclesia, vel beneficium subjicitur alteri, quam unionem nostri *subjectionem*, sive *accesoriam* vocant: qua in specie Ecclesia subjecta non amittit jura sua, sed servat; immo nec transeunt ista in Ecclesiam principalem, quod non satis decorum videatur, Ecclesiam principalem a subjecta mutuari privilegia, & honores; quamquam e converso ecclesia ipsa subjecta gaudere, atque uti possit juribus Ecclesiæ principalis. Fingamus vero beneficium, aut Ecclesiam unius uniri beneficio, aut Ecclesiæ alterius diœceseos, tanquam principali: Num subjectum beneficium, vel Ecclesia abs jurisdictione diœcesani exempta censebitur, & obnoxia facta diœcesano principalis? Quæstionem hanc definivit Gregorius in cap. 2. de relig. dom. statuens, ut nihilominus sua unicuique Episcopo jura integra om-

mino serventur. Hodie hæc quæstio supervacanea est, quando Concilium Tridentinum expresse prohibuit, ne beneficia, aut Ecclesiæ unius diœceseos beneficiis, aut Ecclesiis alterius diœceseos uniantur, sess. 14. de Ref. cap. 9.. Quæ de unione dicta sunt, ut etiam facile divisioni Ecclesiarum (idem dicas de beneficiis), accommodes, duplicem agnosces Ecclesiarum dividendarum modum; nam in primis æque principaliter divisio fieri potest, quin una ex divisis Ecclesiis ab altera pendeat; quæ divisio hunc habet effectum, recens erecta Ecclesia jure novæ omnino Ecclesiæ censeatur, nec privilegiis alterius uti valeat. Secunda divisio ita fieri potest, ut divisa Ecclesia ab altera pendeat, a qua sejungitur. Hujus divisionis effectus est, ut Ecclesia divisa uti valeat privilegiis, & juribus principalis, cum adhuc consideretur, tanquam matricis Ecclesiæ portio. Cæterum hac in re erunt adamussim considerandæ formulæ tabularum, quibus factæ unionis, aut divisionis modus exprimitur.

Sæpe contingit ex divisione Parochiarum, ut una Parochialis Ecclesia matrix dicatur, altera filialis; nimirum matrix, a qua divisio fit; filialis, quæ nova ex divisione erigitur. Qua tamen in re non est confundenda qualitas dignioris cum qualitate matricis Ecclesiæ, cum evenire possit, ut aliqua Ecclesia matrix sit, & non dignior, aliqua e converso dignior, & non matrix. Finge enim vero, dividi Parochialem Ecclesiam, novam Ecclesiam ex divisione erectam fieri Collegialem. Ista ex qualitate Collegialis Ecclesiæ in conspectu Ecclesiæ simplicis, a qua divisio facta sit, filialis erit, simul & dignior. Fateor quidem, Ecclesias digniores in urbe, vel in oppido *matrices* vulgo appellari; at non id semper proprie dicitur, cum non semper omnes Ecclesiæ a digniore originem sumpserint; tum enim matrices dicuntur ex eo, quod in multis certi honores debentur, exemplo matricum Ecclesiarum; non quod vere matrices existant. Videatur Pittonius disceptat. Eccl. tom. 3. disc. 106. & Barbosa de offic. Paroch. cap. 9. num. 10.. Evenit etiam quandoque, ut non ratione dignitatis, sed ratione antiquitatis una Ecclesia alteri præemineat, qua in specie nec proprie quidem Ecclesia antiquior dicitur matrix, quemadmodum nec minus antiqua dicitur filialis, quamquam improprie vulgo hoc nomine appellantur, propterea quod minus antiqua deferre antiquiori debeat certos honores. Videatur Cardinalis de Luca de decimis disc. 12. num 13.. Præterea monet idem Cardinalis dict. disc. 12. numero 12., neque proprie aut matrices, aut filiales Ecclesias dici, ubi nulla proprie facta est Ecclesiæ divisio, sed tantum intra fines alicujus Parochiæ erecta est aliqua Ecclesia in adjutorium Parochialis, & in hac constitutus certus Vicarius omnino a Parocho pendens, manente semper Parochialis Ecclesiæ unitate, dummodo non nomine tenus, sed reipsa unitas servetur; videlicet Vicarius a Parocho designetur, & a Parocho congruam portionem percipiat, maneatque penes Parochum integrum officium Parochiale. Neque enim fingi possunt vera hæc nomina matricis, & filialis Ecclesiæ, ubi inter Ecclesias nulla distinctio illata est. Proprie dicuntur matrices, & filiales Ecclesiæ, ubi nova Parochialis Ecclesia erecta est, divisione facta ab antiqua, instituto in nova vero officio Parochiali, & remanente in antiqua, una cum officio Parochiali intra contractiores limites, tantum certo honore respectu divisæ plebis. Quod ut percipiatur, notandum erit, Parochis tria inesse, onera, emolumenta, & honores. Ubi tantum apud antiquum Parochum honores manent respectu novæ Ecclesiæ, actum autem de oneribus, atque de emolumentis est, potest dici quidem antiquior Parochia matrix esse, recentior filialis; cessat autem qualitas matricis, vel filialis Ecclesiæ, ubi penes antiquum Parochum omnia jura, & onera adhuc inte-

gra sunt, quasi tunc nulla facta vero divisio extiterit, sed tantum nova Ecclesia veteri *in* adjutorium data. Honores isti non semper iidem sunt in omnibus matricibus Ecclesiis, cum in divisionibus Ecclesiarum modo plures, modo pauciores soleant reservari.

Unio, vel divisio Parochiarum, quoties non æque principaliter fiat, causam præbere solet duplici Parochialium Ecclesiarum, vel beneficiorum generi, unde cura animarum modo actualis, modo habitualis a Pragmaticis appellatur. Quid enim ex. gr., si Parochiale beneficium in una Ecclesia constitu•im, deficiente, aut decrescente populo, ad vicinam alteram Parochialem Ecclesiam transferatur, manentibus tamen sacris ædibus Ecclesiæ Parochialis? Suppressum quidem Parochiale beneficium dicetur, sed sacræ ædes adhuc consistentes habitu erunt Parochiales, argumento capituli 6. de præbend. in 6.. Quid, si in Ecclesia Parochiali suppræssa, post jura in aliam translata, Vicarius constituatur? Potiore jure eadem Parochialis appellabitur, argumento Clementinæ un. de offic. Vicar.. Idem obtinebit, si divisio quædam fiat Parochialis Ecclesiæ & altera Ecclesia Parochialis erigatur distinctis finibus administrationibus, in nova erecta Ecclesia constituto non proprie Parocho, sed Vicario vel temporali, vel perpetuo, quod ex prudenti arbitrio dividentis Episcopi pendet, Concilio Tridentino sess. 7. de Ref. cap. 7.. Enim tunc Ecclesia, a qua plebis divisio quodammodo facta est, habitu Parochialia adhuc juria retinere intelligetur, dicta Clem. un. de offic. Vicar., cap. 30. de præbendis. Frequentius vere contingit, ut quædam Parochialia beneficia aut Episcopali mensæ, aut Capitulis, aut Monasteriis sint unita, quo casu, ut plurimum, remanente habituali cura penes Episcopum, Capitulum, vel Monasterium, deputabitur Vicarius, qui actu curam animarum exerceat. Ut Parochiales Ecclesiæ unirentur mensæ Episcopali, pluribus de causis evenire potuit; primum ex eo, quod jam ab antiquissima ætate, dum passim in diœcesi constituerentur Parochi ab Episcopo, Episcopus idem suæ administrationi certam plebem reservaveris, quo casu non proprie unio facta videtur, sed ita sese res habet pene, ac si nunquam singularis Parochia constituta fuerit, retineatque Episcopus ea omnia jura in eadem plebe, quæ olim exercebat in plebibus universis diœcesanis ante constitutionem, tributionemque Parochiarum. Secundo evenire potuit ex eo, quod in certa Parochia vel ex corruptis populi moribus, vel ex locorum, temporum, aut personarum adjunctis expedire judicaverit Episcopus, in fidem suam, ac sollicitudinem omnem recipere curam animarum, sibi persuadens, ea ratione honestius, & opportunius utilitati populi consultum iri. Tertio evenire potuit ex eo, quod mensæ Episcopali redditus certo tempore valde fuerint imminuti, nec aliter occurri potuerit ad restaurandam mensam, quam per unionem alicujus Ecclesiæ Parochialis mensæ eidem faciendam. Non absimiles causæ fuerunt, ob quas Parochialis cura modo Collegiis Clericorum, modo Monasteriis cohæreret. Quid enim, si ab initio dum Parochia instituta fuit, aut Collegio, aut Monasterio commissa deprehendatur? Quid, si in pessum eunte administratione Parochialis officii consultius visum fuerit, ut ipsa Collegio, vel Monasterio commendetur? Quid denique, si ob tenuitatem reddituum Collegii, vel Monasterii, judicatum fuerit, occurri necessitatibus Canonicorum, vel Monachorum, per unionem Ecclesiæ Parochialis? In his omnibus casibus, cum Episcopus, Capitulum, vel Monasterium curam exerceat per Vicarium, dicentes, habitualem curam penes Episcopum, Capitulum, vel Monasterium remanere, actualem penes Vicarium.

Ad præcavendas hallucinationes, quæ in hac re subrepere possent, notandum est, multum discriminis intercedere in-

ter Parochiales Ecclesias, seu munera Parochialia unita Monasteriis, vel Capitulis, & inter Parochiales Ecclesias, quarum juspatronatus tantummodo competat Monasteriis, vel Capitulis. Etenim ubi tantum juspatronatus Capitulo, vel Monasterio competit, tantum datur locus nominationi, & præsentationi, quam deinde subsequitur institutio Ordinarii; ubi vero cura animarum Capitulo, vel Monasterio cohæret, deputatio Vicarii etiam perpetui a Capitulo pendet, reservata tantum Episcopo adprobatione. Quæ discrimina ut agnoscantur, semper respiciendum erit ad tabulas aut fundationis, aut unionis beneficii; quod si tabulæ deficiant, usus rerum gestarum demonstravit, quænam sint jura Capituli, vel Monasterii, an nimirum intra meros jurispatronatus fines contineantur, an etiam ad ipsam Parochialem curam exercendam extendantur. His animadversionibus lucem adferent notiones quædam Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ originem cepit a sæculo octavo, vel nono, & quæ per plura subsequentia sæcula obtinuit. Ea ætate laici plures occupaverant jura Ecclesiarum, seu colore jurispatronatus, seu advocatiæ, seu custodiæ prætextu, multi etiam quasi in feudum accepta possidebant, & in suos hæredes transmittebant, adeo ut eadem jura quandoque inter plures hæredes dividerentur. Non erant ab hac occupatione immunia ipsa loca sacra, sive Ecclesiæ, & Altaria, quæ modo dividebantur in partes, modo venumdabantur instar rerum familiarium, quemadmodum refert Franciscus Florens ad cap. 1. & 2. de jurepatron.. Nemo non videt, quot, & quanta ex hoc provecto abusu scandala emergerent, cumque prudentissimi Ecclesiæ Patres hæc omnia detestarentur, præ cæteris autem sacrorum Altarium venditiones, ac divisiones hæreditarias, occasionem arripuerunt laici distinguendi inter Ecclesiam, & Altare, ita ut Altare liberum Episcopali potestati concederent, Ecclesiam vero cum suis bonis eodem jure, quo antea tenebant, pergerent possidere, vendere, dividere, uno verbo pro voluntate disponere. Ita scribebat ætate sua ad Rege S Galliarum S. Abbo Floriacensis Abbas: *Est etiam alius error gravissimus, quo fertur, Altare esse Episcopi, & Ecclesiam alterius cujuslibet Domini, cum ex domo consecrata, & Altari unum quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia; sicut unus homo constat ex corpore, & anima. Videte, æquissimi Principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit charitas.* Hinc igtur a Patribus Ecclesiæ clamatum est adversus laicos, quo isti & Ecclesias ipsas, & jura Ecclesiarum Clericis regenda, administrandaque omnino relinquerent; sed non ubique respondit eventus, laicis ut plurimum causantibus depravatos Clericorum mores, de quibus præterea nullam fiduciam se habere posse dicebant, futurum, ut omnia cum publicæ Ecclesiæ utilitate optime cederent. Et quidem hæc laicorum querela ferreis illis sæculis non temere habebatur, uti nemo vel paulum in historia ecclesiastica eruditus ignorat. Interea concitati Ecclesiarum Antistites, ac præ cæteris Pontifices Maximi vitam communem in clerum induci curaverunt, unde pluribus in locis Collegia Clericorum erecta sunt, atque horum exemplo plura Monasteria, in quibus conviventium vita omnibus præibat exemplo virtutum, atque doctrinæ. In his adjunctis laici possessores Ecclesiarum, & bonorum ad Ecclesias pertinentium ab Episcopis commoniti, cœperunt bona non antiquis Ecclesiarum Rectoribus, & Parochis restituere, sed Monasteriis, vel Collegiis Clericorum concedere; quod facile permiserunt Antistites, ut ea ratione de laicorum manibus Ecclesiæ vindicarentur; unde tunc temporis passim traditum est a Canonibus definitum, ut bona Ecclesiarum Monasteriis concedi possent, dummodo, Episcopi auctoritate accedente, id fieret. Profecto ubi Collegiis Clericorum donatæ Ecclesiæ una cum bonis fuerunt, Collegia ipsa Clericorum

sacra omnia officia gerebant, modo in communi, modo constituto Vicario, qui nomine Capituli Sacramenta ministraret, & Parochialia, si quæ gerenda essent, munera exerceret. Sed ubi de Monasteriis ageretur, non adeo facile dirimi omnes controversiæ potuerunt, propterea quod Monachi utut religiosi sacris ordinibus insigniti non erant, nec propterea poterant sacra quæcumque officia gerere. Hinc Monachi distinctionem illam a laicis dudum inventam inter Altaria, & Ecclesias allegaverunt; Altaria, sive sacra officia Sacerdotibus mandantes, sive vero Ecclesias retinentes. Immo neque hic constiterunt, ut etiam pleno jure sibi collationem Altarium vindicarent. Pacisci cœperunt cum Episcopis, ut quotiescumque Monachi certum Sacerdotem Altari addicerent, in hac ipsa Vicarii successiva mutatione certum censum Episcopo luerent, dummodo liberum Monachis esset Altaria ipsa conferre, quem actum *redemptionem Altarium* appellaverunt; quod tamen veluti simoniacum improbatum fuit in can. 4. caus. 1. quæst. 3., quem ego, utut paucis, expendi in meis lucubrationibus in Gratianum. Sublata necessitate redimendi oblata pecunia, libere potuerunt Monachi Sacerdotes in Ecclesiis designare, sive ad vitam Sacerdotum, sive ad certum tempus, sive ad incertum, & quousque Monachis placuisset; & quamquam summo jure nihil aliud adquisitum videri posset Monachis, quam juspatronatus, quod unum uti apud laicos olim erat, ita poterat ex donatione laicorum in Monasteria transferri, tamen ex indulgentia Episcoporum etiam illa collatio beneficii concessa visa est, ut facilius, & sine laicorum controversia jura collationis, quæ olim laici usurpaverant, dimitterentur; nisi tamen de laicis ageretur, qui non adeo contumaces erant, quique propterea dum Altaria, & Ecclesias gratia Monasteriorum dimitterent, tantum fatebantur, se dimittere una cum bonis etiam jus præsentandi, reservata Episcopis institutione. Et propterea varias inductas consuetudines, ex quibus modo Monasteriis tantum adquisitum jus præsentandi, modo etiam jus instituendi. Interea vero Monachi Sacerdotali ordine insigniri cœperunt, unde & ipsi, præsertim ubi jus instituendi haberent, præficiebantur altari & curæ animarum exercendæ. Non diu potuerunt hoc jure uti, quoties Ecclesiæ essent a Monasterio separatæ, propterea quod a Pontificibus Maximis, & Conciliis generalibus ab his Ecclesiis avocati fuere Monachi ad Monasteria, ne a solitaria vita, quam professi fuerant, recederent, quemadmodum superius de beneficiis regularibus adnotabam. Sed in Ecclesiis, quæ Monasteriis adnexæ erant, perrexerunt Altaribus ministrare, &, si qua esset, curam gerere animarum. Quamobrem & Capitula, & Monasteria in hac specie ita sese gesserunt, ac si beneficia etiam curam animarum adnexant habentia essent vel capitulis, vel Monasteriis pleno jure unita.

Huc spectant plura Concilii Tridentini decreta. Primum extat in cap. 7. sess. 7. de Ref., quo statutum est, ut Ordinarii in beneficiis ecclesiasticis curatis, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita sunt, sollicitæ providere procurent, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum portione, etiam super re certa adsignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur; quin obstare valleat aut appellatio, aut exemptio, aut privilegium quodcumque, quod & confirmatum fuit in cap. 13. sess. 24. de Ref.. Alterum decretum extat in cap. 9. sess. 14. de Ref., ubi præcipitur, ea, quæ de non uniendo beneficio unius beneficio alterius diœcesis statuta sunt, observari etiam debere in vicariis, quæ Capi-

tulis, vel Monosteriis uniantur. Tertium decretum extat in cap. 11. sess. 25. de Regular., ubi postquam statutum est, Vicarios a Monasteriis constitutos causa gerendæ curæ animarum in eadem animorum cura Episcopis subeese, adjicitur, neminem Vicarium etiam ad nutum amovibilem deputari posse, nisi de Episcoporum consensu, ac prævio examine per Episcopos, vel per Episcopales Vicarios faciendo, excepto Monasterio Cluniacensi, aliisque, in quibus sedem ordinariam habent Abbates Generales, seu Capita Ordinum, vel in quibus constituti sunt Abbates, vel Prælati Regulares exercentes in Parochos, & Parochianos jurisdictionem quasi Episcopalem, integris nihilominus manentibus juribus Episcoporum illorum, qui majorem in ea loca, vel personas jurisdictionem exercent. Postremum decretum extat in cap. 16. sess. 25. de Ref., ubi urgere perrexerunt Tridentini Patres Vicariorum constitutionem, statuens, ut, si Vicarius perpetuus alicubi designatus fuisset, congrua portio quamprimum, & ad minus intra annum a fine Concilii designaretur; quod si non fieret, post cessum, vel decessum Vicarii constituti, beneficium curam animarum reciperet, & vicariæ nomine cessante, in antiquum statutum restitueretur.

In conspectu horum decretorum plura proficiscuntur consectaria. Primum est, fuisse collatum in Ordinariorum arbitrium prudens, modo temporalem, modo perpetuum Vicarium causa animarum curæ exercendæ constituere, dicto cap. 7. sess. 6.. Secundum est, ubi Episcopus judicaverit, Vicarium perpetuum esse constituendum, primum procedendum esse ad erigendam ipsam vicariam, quæ erectio in hoc consistit, ut actualis animarum cura vicariæ ipsi adsignetur, certaque reddituum portio addicatur, sive hæc portio consistat in fructibus prædiorum vicariæ adsignandorum, sive consistat in juribus decimarum, aut similibus obventionibus, cap. 12. 30. & 33. de præbendis, cap. 2. §. *Ubi autem* de decimis in 6. cap. 9. de his, quæ fiunt a Præl., Clem. 1. de jure patron.. Qua in re licet Concilium Tridentinum in dicto cap. 7. sess. 7. edixerit, ut tertia pars, vel major, vel minor arbitrio Ordinarii conferretur, tamen Pius V., ut intra certos terminos Ordinarii arbitrium coerceret, in sua constitutione *Ad exequendum* anni 1567. Cal. Novembris, statuit, ut congrua portio Vicarii non excederet quantitatem centum, nec minor esset quantitate quinquaginta scutorum. Quid vero, si post semel factam legitimam congruæ adsignationem, eadem congrua aut in torum, aut pro parte perierit? Non dubito, quin Collegium, vel Monasterium, aut in integrum novam congruam adsignare debeat, vel supplere, quod deest. Est enim hæc obligatio realis, proficiscens ex possessione bonorum, quæ unitæ Parochiæ competunt, a qua obligatione non potest ulla ratione se Collegium, vel Monasterium excusare. Non tamen e converso censerem, si vicariæ aliqua adcrescant ex fidelium largitate, hæc potius reducenda esse in Collegii, vel Monasterii potestatem; agitur enim de vicaria semel constituta, quæ augmenti capax est, & adquirendi rerum dominii; agitur insuper de voluntate donantium, qui dum vicariæ, non Capitulo, aut Monasterio donant, in ea mente sunt, ut bona donata apud Vicarium remaneant, non in Capitulum, aut Monasterium transferantur. Tertium consectarium est, vicariam perpetuam semel constitutam, tanquam beneficium ecclesiasticum haberi. Præterquamquod enim in ipsa adparet viri beneficii natura, coalescens ex designatione certi muneris sacri, & ex designatione certarum obventionum, adparent etiam veri beneficii proprietates. Est ipsa instituta auctoritate Ordinarii: quum ipsa vacet, debet novus Vicarius ab Episcopo probari, & institui, & quamquam nominetur a Collegio, vel Capitulo, id

tamen non est contra beneficii naturam, cum idipsum in patronatis beneficiis observetur. Est ipsa individua, cum Collegium, vel Monasterium neque exercere sacra munera possit, neque in portione adsignata communionem habere. Est ipsa perpetua, quæ retractationi non subjacet. Impedit ipsa, ne Vicarius aliud beneficium possit obtinere, cap 1. & 2. de offic. Vicar.. Impedit quoque, ne Vicarius semel designatus, a Capitulo, vel Monasterio removeatur, cap. 3. eod. tit.. Denique in Clementina un. eod. Vicariis perpetuis imminere dicuntur, quæ de Parochis generali jure constituta fuerunt. An vero vicaria hæc Parochialis concursui obnoxia sit, infra discutietur, ubi sermo erit de forma collationis Parochialium Ecclesiarum. Quartum consectarium est, Vicarium perpetuum regulariter instituendum esse ab Episcopo, prævia nominatione Capituli, vel Collegii; item in exercitione officii sui ab Episcopo pendere, sicut Parochi universi pendent; atque, ubi opus fuerit, ab uno Episcopo posse destitui, cap. 1. de Cappell. Monach.. Postremum consectarium est, in Collegiis Monachorum facilius permissum esse, ut Vicarius temporalis, non perpetuus, instituatur in Ecclesiis Parochialibus, quæ cohærent Monasteriis, quam instituatur temporalis, non perpetuus in Collegiis Canonicorum, propterea quod Monachi passim in Ecclesiis Parochialibus cohærentibus Monasterio adamaverint, unum ex Regularibus de eodem Monasterio eligi; alias autem Monacho ita electo conveniebat, non perpetuam vicariam concedere juxta naturam beneficiorum regularium, quæ manualia esse solent; nunquam vero permissum, ut Monachi instituantur in Parochiis, quæ Monasteriis unitæ quidem sunt, sed Monasteriis non cohærent, ne eo prætextu Monachi a suis Cœnobiis avocentur. Denique observandum est, quod attinet ad jura, vel onera Vicarii seu temporalis, seu perpetui, hæc omnia definiri juxta modum in tabulis divisionis, aut unionis adjectum, vel si de eo non constet, ex usu rerum gestarum æquissimo actorum interprete; atque ubi de certo usu non constet, ex qualitate vicariæ pro modo perpetuæ, vel temporalis erectionis, omnia dirimi; nimirum ut plus concedatur Vicario perpetuo, quam temporali; siquidem ubi perpetuus Vicarius est, is uti habet vicariam separatam, ita quasi verus Parochus intelligetur; e converso, cum Vicarius ad tempus a Capitulo, vel Monasterio deputandus est, non tanta erunt argumenta divisionis, sive in gerendo officio, sive in redditibus administrandis.

Instituta sunt, ac tributa beneficia, ita suadente necessitate, aut utilitate Ecclesiarum. Hinc profecto recta fluit, non posse beneficia novam formam accipere, nisi hanc suadeat vel necessitas, vel utilitas Ecclesiarum; seu, quod idem est, non posse sine hac causa beneficia dividi, vel uniri, can. 48. 53. caus. 16. quæst. 1., cap. 33. de præbend., cap. 2. de relig. dom.. Sunt hæc generalia ecclesiastici juris principia, quæ certam formam in jure acceperunt, quo facilius, ubi res incideret, emergentitibus negotiis accommodarentur, non quidem ita, ut in singulis beneficiis singulares unionis, vel divisionis causæ designarentur, quibus intervenientibus procedi ad unionem, vel divisionem possit, deficientibus, ab unione, vel divisione abstineatur, neque enim ita singulis adjunctis consuli poterat certa lege; sed ita, ut quorumdam beneficiorum, in quibus major habenda est ratio publicæ utilitatis, uniones, vel divisiones certis regulis consisterent, aut etiam certæ causæ, ex quibus aut ambitui, aut avaritiæ pallium induci quandoque posset, improbarentur. Itaque sit loco regulæ generalis, relictum esse arbitrio illorum, qui uniendi, vel dividendi facultate pollent, in causas inquirere, easdem probare, vel reprobare, eisdemque probatis ad divisionem, vel unionem devenire; nisi quid-

quam singulare in jure cautum adpareat, quo intra certos limites eorum jurisdictio coercita deprehendatur. Hac posita regula, nihil aliud superest, quam investigare, quidnam singulare cautum canonibus fuerit, sive in causis divisionum, sive in causis unionum; quo demonstrato, in cæteris concludatur, prudenti Ordinariorum arbitrio causas esse relictas.

Ut de divisione primum dicam, nihil aliud apparet singulari jure constitutum, quam quoties de dividendis Parochialibus Ecclesiis, vel beneficiis agatur. Olim dubitandum non est, quin Episcopi possent novas Parochias, divisione plebium facta, erigere prudenti arbitrio suo, neque enim in specie causæ designari poterant, quibus demum accedentibus divisio fieret. Ita constitutæ fuerunt Parochiæ ab initio, non solum tributione plurium facta, quoties locorum distantia id suaderet, sed etiam quoties in una urbe, vel oppido ita populus multiplicatus existeret, ut unus Parochus par omnium curæ, & regimini non videretur. Perpendebatur tunc temporis, an expediret, novam ex divissione Parochiam erigi, & adaucto Parochorum numero, consuli populorum utilitati; an insuper novo constituto Parocho certa suppeterent emolumenta; ex quibus sustentari idem posset; ubi hæc concurrerent, facile Ordinarii ad divisionem deveniebant. Sed paulatim receptum est, ut non omnes causæ sufficerent, ne semel constituti Parochiarum fines facile mutarentur, & in minora in dies frustula Parochorum potestas discinderetur; quod tamen ego puto invaluisse potius ex consuetudine, aut non omnino exacta juris scripti interpretatione, quam ex certa, & perspicua scripti juris providentia, donec in Concilio Tridentino, aut inducta consuetudo, aut illa minus exacta juris scripti interpretatio consuetudini recepta juncta visa fuit adprobari. Propositum fuerat Alexandro III., quamdam villam tantum ab Ecclesia Parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviæ inundarent, non possent Parœciani sine magna difficultate ipsam adire, unde non valerent congruo tempore ecclesiasticis officiis interesse. Adjectum fuerat, Parochialem Ecclesiam redditibus abundare, adeo ut etiam sine villæ proventibus Parochus sustentari valeret. Mandavit in his adjunctis Alexander, ut nova Ecclesia in ea villa ædificaretur, divisione facta ab Ecclesia Parochiali, ita ut vetus Ecclesia Parochialis jura quædam retineret ad augmentum, & honorem Ecclesiæ matricis, nimirum novi Parochi præsentatio pertineret ad Parochum Ecclesiæ matricis, & si quis esset fundator novæ Ecclesiæ, aut dotator, iste Parochiali præsentationi consentiret; cæterum Ecclesia per divisionem erecta vere Parochialis haberetur, & novus Parochus in ea constitutus & villæ ejusdem obventionibus aleretur, & ea perciperet, quæ ex singulari fundatoris largitione accessissent. Sagax sane, & prudens fuit Alexandri III. providentia, qua utilitate fidelium procul a Parochiali Ecclesia degentium consulebatur. Non tam utilis erat, quam necessaria divisio. Juribus Parochialis Ecclesiæ non detrahebatur, quando Parochiali Ecclesiæ congrua dos supererat, immo & honor certus reservabatur eidem in jure præsentandi consistens. Quamobrem non ait Alexander III., se causam divisionis probare tantum, sed insuper *mandare* se, ut ad divisionem deveniretur, & quidem *sublato appellationis obstaculo*, quod indicat, contentiones emersisse inter eos, quorum interesse poterat, quas contentiones auctoritate sua dirimere, Alexander opportunum duxit. Fuit hæc disciplina vetustissima, juxta quam non solum locorum distantia divisioni occasionem præbebat, sed etiam vicinitas unioni, can. 48. caus. 16. quæst. 1.. Id denique expresso generali decreto confirmavit Concilium Tridentinum in sess. 21. de Reform. cap. 4. vers. *in iis vero*, insuper

adjiciens, ut Episcopus dividens possit pro arbitrio suo etiam in ea specie certam fructuum portionem detrahere a matrice Ecclesia, ut nonæ Ecclesiæ Parochiali addicatur, quod sane intelligendum est, ubi matrix Ecclesia redditibus superaffluat; immo & adjiciens, cogi posse divisam plebem ad ea subministranda, quæ novo Parocho sint necessaria, ubi aliter consuli novæ Parochiæ nequeat. Post editas Gregorii IX. decretales, & post instaurata Interpretum studia, ubi accesserunt Interpretes ad dictum capitulum 3. de Eccles. ædific., passim docere cœperunt, tradi in eo jus singulare, quasi in ea specie concessum Episcopo sit ad divisionem Parochiarum devenire, in cæteris denegatum. Quid ergo? Num ex Interpretum sententia fieri non potuit locus divisioni, ubi causa allegaretur non distantiæ locorum, sed tantum multiplicati populi? Nosse quidem potuissent, hanc etiam causam idoneam olim peremni disciplina fuisse, etiam si de dividendis Episcopatibus ageretur, can. 50. & 53. caus. 16. quæst. 1.. Sed consistentes in una dicti capituli 3. interpretatione non aliam agnoverunt causam divisionis, quam quæ in specie ejusdem rescripti proferebatur. Quicumque apprime calleat regulas accuratæ interpretationis, diceret, ibi præseferri singulare rescriptum, in quo cum Alexander III. responderit juxta principia juris generalis, nihil aliud decernebatur, quam in proposita locorum distantia ideo deveniendum esse ad divisionem, quia divisio futura erat utilis Ecclesiæ, immo & necessaria videbatur; proptereaque nec denegabatur Episcopis similis facultas dividendi, ubi ex aliis adjunctis Ecclesiæ necessitas, vel utilitas erueretur. Diceret insuper, ibi agi de præcepto Alexandri, quo jubebatur Episcopus, ut in proposita specie Ecclesiam divideret; non vero agi de facultate Episcopo concessa in eadem specie, quæ singularis facultas esset, ad alios casus minime proroganda. Diceret denique non adeo facile induci generale interdictum in re semper antiquo jure Episcopis concessa, neque interdictum induci per simplex rescriptum ad unum Episcopum directum, in quo insuper nihil tale inderectum adpiret. Video tamen, quid causæ Interpretibus fuerit, quare ita Alexandri rescriptum intra speciem Alexandro propositam continerent. Præ oculis habentes canonem Concilii Lateranensis relatum in cap. 14. de offic. Jud. ordin., agnoverunt ex eo, non permitti divisiones Episcopatuum, seu constitutiones plurium Episcoporum ex una fidelis populi multiplicatione, aut varietate; ex quo similem disciplinam in Parochiis recipiendam esse concluserunt. Utinam & in interpretatione hujus capituli 14. ad adjuncta temporum, & locorum respexissent; tum enim cum intellexissent, singularem in eo adparere prudentiam locis, & temporibus accommodatam, uti jam superius observavi in cap. 4. primæ Dissertationis, tum etiam cautiores facti fuissent, ne ex eo canone generalem disciplinam educerent; eove minus produxissent ad Parochorum personas, quæ de Episcopis statuta fuerant. Amplius progressi fuerunt Interpretes in conspectu dicti capituli 8. de Eccles. ædific.. Observaverunt ipsi, Alexandrum III. morem gessisse divisioni Parochialis Ecclesiæ, quia Parochiani in certa villa constituti non possent accedere ob loci distantiam, & ob viarum asperitatem *sine magna difficultate*. Hinc causam dividendæ Parochiæ in eadem *magna* difficultate constituerunt, si enim gravis esset difficultas, non tamen magna, & digna Episcopali miseratione, ac indulgentia, illam non satis idoneam causam esse arbitrati fuerunt; quamquam an magna dicenda sit, an minus, istud judicium prudentiæ Episcopi reservaverint. Quidquid tamen sit de hoc interpretationum genere, vulgo, & passim id receptum fuit: quid enim non operantur in foro traditiones Interpretum, ubi præ-

sertim vulgares sunt, atque communes? Emersit hinc consuetudo, juxta quam ex una causa adaucti populi non valeat Ordinarius ad Parochiarum divisionem procedere; quod hodie certum est, postquam consuetudo visa fuit probata in Concilio Tridentino dicto cap. 4. sess. 21. de Ref., ubi statum fuit, ut, quoties populus ita numero excreverit, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo, Episcopi cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinent, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. Factum hinc est, ut divisio Parochiarum inter res odiosas a Pragmaticis recenseatur, ad quam propterea non nisi extra ordinem deveniri possit, nimirum non nisi emergentibus causis expressis in dicto cap. 3. de Eccl. ædific., & quidem stricta semper accedente interpretatione, adeo ut etiam si difficultas itineris, & viarum magna sit, alias autem alio remedio ocurri possit, puta erigendo Ecclesiam subsidiariam, & in ea constituendo Sacerdotem Parochi adjutorem, non facile ad Ecclesiam divisionem deveniatur. Dicta hæc sint non eo animo, ut hæc disciplina a me improbetur; novi enim, præsertim hodie interesse, ne facile Parochiæ dividantur, quia, ut plurimum ex divisione Parochiarum proficisci solent contentiones, dissidia, & schismata populorum, unde consuetudo hæc æquitate maxima innititur; sed dicta sint eo animo, ut indicetur, disciplinam istam non jure scripto definitam fuisse; ut etiam indicetur, qua ratione inducta fuerit, & moribus confirmata.

Nonnulla quoque singularia constituta sunt de causis unionis beneficiorum. Primum spectat uniones beneficiorum, quas Episcopus faceret mensæ suæ; alterum uniones, quas Episcopus faceret mensæ Capituli; postremum uniones faciendas gratia Seminariorum. Si generale jus spectemus, nulla dubitatio est, quin Episcopus valeat uniones facere beneficiorum, ubi tenues redditus unius beneficii sint, & nequeat ex eo beneficio Ecclesiasticus administer sustentari, cap. 36. de præbend., & si tenues sint Capituli redditus, item tenues redditus mensæ Episcopalis, hæc ipsa causa eo magis idonea adparebit ad uniendum, quo opportunius est in Ecclesia ali majores administros, quales Episcopi sunt, & Canonici in Cathedrali Ecclesia unum corpus cum Episcopo constituentes. Sed suspicio fraudis, cui occasionem dederunt minus providæ quorumdam uniones, salubrem canonum providentiam postulavit. Quando enim ex generali juris dispositione uniones beneficiorum ab Episcopo fiunt, consentiente Capitulo, aliquando evenit, ut Episcopi, vel Capitula prætexerent causas imminutionis suorum reddituum, ut mensæ suæ beneficia unirent, quando alias redditus sufficientes haberent; incongruum autem videbatur, ut ipsi in re sua de causa cognoscerent, & auctoritatem interponerent. Hæc ratio est, quare Clemens V. statuerit, ut Capitulum, & Episcopus de causa cognoscant, cognitamque causam probent, ubi unire voluerint certam Ecclesiam, vel beneficium alteri dignitati, vel beneficio; si tamen agatur de unione faciendæ mensæ Episcopali, vel Capitulo, uniendi auctoritate & Episcopus, & Capitulum destituerentur, & si ad unionem processerint, unio nihilominus irrita habeatur, Clement. 2. de reb. Eccles. non alien.. Hanc tamen Clementis V. constitutionem ita interpretaberis ex Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 15., ut nihilominus liceat Episcopo cum consensu Capituli alia beneficia, dummodo non regularia, unire singularibus præbendis, quarum redditus admodum sint imminuti; aut etiam, si ea ratione consuli nequeas, nonnullas præbendas supprimere, quarum redditus aliis præbendis uniantur cum aliud sit augere redditus capitulares; qua in specie Capitulum Episco-

po consentiens, in re sua auctoritatem præstare videretur contra laudatam Clementinam constitutionem; aliud sit certas, & singulares Præbendas a redditibus Capitularibus disjunctas augere. De Seminariis Clericorum expressa extat Tridentina constitutio in cap. 18. sess. 23. de Ref.. Agnita fuit a Tridentinis Patribus maxima utilitas in erigendis Seminariis Clericorum: quamobrem cum decernendum esset, ut universi fere Episcopi in singulis diœcesibus Seminarium erigerent, nec aliter effectum habere dispositio posset, quam si sufficientes redditus adsignarentur, cautum fuit, ut certa beneficia simplicia, vel præstimonia, seu præstimoniales portiones, ubi opus esset, Seminario eidem per Episcopos unirentur. Ad avertendas autem quascumque fraudes, quæ in hac unione admitti quandoque possent, singularis forma fuit eidem unioni præstituta. Nimirum, ut locus unioni fiat, necessitas uniendi adesse debebit, neque enim sufficeret sola causa commodioris Clericorum sustentationis. Item quatuor viri a Concilio deputati, id est, duo de gremio Capituli, duo alii de gremio Cleri intervenient, quorum vel consensum Episcopus sequetur, vel saltem consilium petet. Præterea non primum ad hujusmodi unionem deveniendum erit, quam præcesserit taxatio, seu dismembratio fructuum Ecclesiæ Cathedralis, & aliorum beneficiorum in Ecclesia constitutorum, quam taxationem jam Concilium ipsum Tridentinum induxit, deinde in certam formam redigit Benedictus XIII. in sua constitutione *Creditæ nobis*, anni 1725. 7. idus Maii data ad Episcopos Italiæ, atque Insularum adjacentium. Denique nec ad eam unionem devenietur, antequam Seminarium sit erectum, videlicet admissi in eo jam sint adolescentes, constitutique Rectores. Videantur ad hanc rem, quæ tradidit de Fargna parte 5. de jurepatron. can. 6.

Quemadmodum in civili hominum societate, ita & in Christiana communione nihil æquius est, nihil ad res bene gerendas opportunius, quam ut suus honos singulis quibusque servetur. Quando vero ad duo summa capita referri honos potest, primo ad jurisdictionem, & potestatem, secundo ad jura, semper enitendum est, ut qui certa jurisdictione pollent, eadem uti sinantur, quousque aliud lege cautum non adpareat, & qui certis juribus gaudent, eisdem uti pergant. Hæc ipsa principia suum locum quoque habent in unione, ac divisione beneficiorum; ita enim ad has deveniendum est, ut is uniat, vel dividat, qui ordinaria pollet potestate, quo pertinet jurisdictio; deinde ut iis intervenientibus uniatur, vel dividatur, quorum interesse potest, quo pertinet tuitio jurium singulorum. Perspicua est Cœlestini III. doctrina in cap. 8. de excess. Prælat., ex qua liqueat, ad quosnam beneficiorum uniendorum, vel dividendorum facultas pertineat ibi: *Sicut unire Episcopatum, atque potestati subjiceret alienæ, ad summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum suæ diœcesis unio, & subjectio earumdem.* Itaque duobus veluti principiis tota res innititur. Primum principium est, unionem, vel divisionem Episcopatuum Pontifici Maximo reservari. Immo & ego adjicio reservari uniones illas Pontifici Maximo, quæ singulari jure fieri ab Episcopis nequeunt. Ut exemplum tradam, Episcopi, ne consensu quidem Capituli accedente, nequeunt unire beneficia minora mensæ vel Episcopali, vel Capitulari, uti superius observandum fuit ex Clem. 2. de reb. Eccles. non alien.. Quod si certa adjuncta suadeant hujus generis uniones, declaravit Concilium Tridentinum in sess. 21. de Ref. cap. 13., causam esse in Provinciali Synodo examinandam, atque apud Romanum. Antistitem referendam, ut ipse, cum opportunum duxerit, ad unionem deveniat. Alterum principium est, unionem, vel divisionem beneficiorum inferiorum, quæ in diœcesi sunt, speciem esse ordinariæ Episcoporum jurisdictionis, can. 3. caus. 10. quæst. 3.

cap. 36. de præbend., cap. 7. de donat., Concil. Trident. sess. 7. de Ref. cap. 6.. Huic generali Episcoporum potestati certæ exceptiones adjectæ fuerunt. Primum denegatum est Episcopis beneficia regularia unire præbendis Canonicorum etiam Cathedralium, vel Collegiatarum insignium, aut etiam Parochialibus Ecclesiis, sess. 24. de Ref. cap. 13. & 15.. Præterea cautum fuit, ne Parochiales Ecclesiæ unirentur ab Episcopis aut Monasteriis, aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel etiam Ecclesiæ Collegiatæ, sive aliis simplicibus beneficiis, aut Hospitalibus, vel Militiis, dicto capite 13. sess. 24. Tridentini Concilii; quæ tamen decreta spectant uniones post idem Concilium faciendas, non uniones ante Concilium legitime factas. De beneficiis exemptis nulla est dubitatio, quin eadem nequeant ab Episcopis dividi, vel uniri; cum enim unio actus sit jurisdictionis, sicut & divisio, alias autem beneficia exempta non subsint Episcoporum jurisdictioni, frustra de hac uniendi, vel dividendi potestate disputaretur. Quid vero, si beneficia non quidem exempta essent, sed collationi Sedis Apostolicæ vel reservata, vel affecta proponerentur? Si seclusis quibuscumque præjudiciis, semotaque quacumque fraude, quæstio fiat, non dubitant nostri, unionem adhuc, vel divisionem ab Ordinariis fieri posse, propterea quod unio a collatione distinguatur, & reservata collatione non ideo censeatur reservata unio, vel divisio; eadem ratione, qua si de beneficiis ageretur, quorum collatio esset ad superiorem Prælatum devoluta; quo casu nihilominus uniri ab Ordinario possunt. Ad rem scribit Barbosa in libr. 3. juris universi cap. 16. num. 31., alio jure devolvi beneficia, alio uniri, hac adjecta ratione: *Devolutio enim concernit titulum, impeditque, ne Episcopus illud in titulum dare valeat, unio autem respicit proprietatem.* Revera Tridentinum Concilium id expresse declaravit, sive in cap. 5. sess. 21. de Reform., sive in cap. 18. sess. 23. de Ref., sive in cap. 15. sess. 24. de Reform., quibus in locis, dum urgerentur Episcopi certis in casibus ad unienda beneficia, adjectum est, nullam reservationem obesse unioni valere. Equidem non ignoro, apud Romanos Magistratus aliquando receptum fuisse, ut decreta Concilii Tridentini modo laudata singularia haberentur, quæ nimirum continerentur intra species unionum, de quibus ibi fit mentio, nullo autem modo ad alias unionum causas referrentur. Sic traditum fuit, Episcopum non posse unire beneficia reservata aut Pœnitentiariæ, aut Theologali a se erectæ juxta decreta Tridentini Concilii sess. 5. cap. 1., & sess. 24. cap. 8. de Reform, propterea quod in his decretis non habetur expressa mentio de beneficiis reservatis, quemadmodum expressa mentio facta fuit in aliis speciebus, nimirum dicti capitis 5. sess. 21., dicti capitis 18. sess. 53., & dicti capitis 15. sess. 24., quod refert Rigantius in Commentario ad regulam 13. Cancellariæ num. 163., & sequentibus. Verum istæ observationes non adeo inspecta generali jurisprudentia valent, ut cum generalibus interpretationis regulis consonent; ac, si probentur, auctoritate accedente potius novam legem inducunt, quam legem explicent Tridentinam. Siquidem Tridentini Patres æque in certis decretis dicere potuerunt, etiam ad reservata beneficia unionem extendi, quasi ut clarius exprimeretur, quod jam lege continebatur, ac dicere potuerunt, extendi ad ea beneficia unionem, quasi, si nihil tale diceretur, nulla Episcopis competeret uniendi potestas. Ut alterum definiatur, id pendet ex eo, an reservatio collationis unionem excludat, quod nemo facile probabit, cum aliud sit unire, aliud conferre. Igitur concessa expresse unione gratia erigendæ vel Pœnitentiariæ, vel Theologalis, non opus erat expresse adjicere unionem referri etiam ad beneficia reservata. Quod si Tridentini Patres in aliis speciebus id expresse adje-

cerent, argumento est, non singularis facultatis Episcopo concesæ, sed clarioris significationis illius juris, quod tacite inerat. Quamobrem laudanda est Benedicti XII. prudentia, qui, quasi insuper habitis Romanorum Magistratuum decretis, in sua constitutione *Pastoralis* anni 1725. 14. Cal. Junii, voluit etiam uniri posse & Pœnitentiariæ,&Theologali beneficia reservata; quæ constitutio licet edita sit respectu Italiæ, & Insularum adjacentium, optandum est, ut facile ad alias Provincias traducatur. Utinam autem Episcopi universi in unionibus beneficiorum reservatorum, quæ fuerunt expresse in Tridentino Concilio probatæ, nullam unquam fraudem admisissent! In dicto cap. 5. sess. 21. generaliter in casibus omnibus abs jure permissis probatum fuit, ut Episcopi possent vel Parochiales Ecclesias, vel alia beneficia curatis beneficiis, nulla obstante reservatione, unire. In dicto cap. 5. sess. 24. probatæ fuerunt uniones etiam reservatorum beneficiorum, ubi de augendis tenuibus præbendis ageretur; & in dicto cap. 18. sess. 23. cautum fuit, ut gratia Seminariorum unirentur beneficia quædam, etiam reservata. At Episcopi quidam, absoluto Concilio, cum certa beneficia vacarent, quæ ad sui liberam collationem pertinebant, Concilii voto insuper habito, ab unione utut vel necessaria, vel maxime utili abstinebant, ac tum demum ad unionem deveniebant, cum vacaret beneficium Sedi Apostolicæ reservatum; quasi de publica utilitate solliciti tantum viderentur eo casu, quo nihil eorum privatim intererat. Id conquesti fuerunt Pontifices Maximi Pius V., & Gregorius XIII., qui proinde ad evitandas fraudes decreverunt, ut tum demum valerent uniones reservatorum beneficiorum gratia Seminarii, cum ante vacationes beneficiorum factæ fuissent. Hæc decreta refert Garcias de beneficiis parte 12. cap. 12. num. 102. & seq.. Post hæc ad novas artes confugerunt, qui fraudi studere cœperant. Nimirum ocultos conjiciebant in ea beneficia, quæ quocumque tempore vacavissent, reservata erant collationi Sedis Apostolicæ, eademque etiam ante vacationem uniebant, ut sic suæ collationis beneficia, cui placeret, conferrent. Id vetuit Clemens VIII. anno 1602. die 16. Februar., quemadmodum refert Fagnanus ad dictum cap. *Sicut unire* de excess. Prælat. num. 37., atque ex eo tempore, ubi ea decreta publicata sunt, Episcopi abstinere debuerunt a beneficiis uniendis reservatis, quæ vel jam vacarent, vel ante vacationem reservata erant, perpetua, sive certa reservatione. In his adjunctis quæstio emersit de Cardinalibus, aut aliis Episcopis, qui indultum impetraverant conferendi beneficia Sedi Apostolicæ reservata. Proponebant isti, se nullam fraudem admittere, sive quod generaliter omnes beneficiorum, quæ inituri essent, liberam ex indulto collationem haberent; sive quod qui Cardinales erant, non censerentur in commemoratis decretis comprehensi. Hanc quæstionem auctoritate sua derimendam censuit Urbanus VIII. in sua constitutione *Quamvis*, quam loco citato num. 49. exhibet integram Fagnanus. Itaque ubi recepta sunt omnia ista decreta, distingui solet inter beneficia reservata jam vacantia, & non vacantia. Quoties jam vacent, sublata est Episcopis uniendi facultas. Quod si necdum vacent, iterum distingui solet inter beneficia, quæ habent certam, & personalem reservationem, & quibus vacantibus certo scitur, collationem ad Pontificem Maximum pertinere, tum vero etiam Episcopi abstinere debent ab unione; atque inter beneficia, quæ non habent certam reservationem, veluti eam, quæ dicitur ex causa temporis omnino pendens ab eventu; tum vero unire Episcopi poterunt, unione semper subsistente, etiam si deinde vacaverint mense reservato, cum ad hanc speciem non pertineant memorata decreta. Hanc distinctionem communem appellat Rigantius ad regulam 13. Cancellariæ num. 110.. Tantum observat

Cardinalis de Luca, adhuc prohiberi unionem in ea specie, qua Episcopus velit unire beneficium, cujus vacatio proxima est, & quidem in mense reservato; quasi hæc species fraudem quamdam redoleat, propterea que, si non verbis, saltem sententia dictorum decretorum contineatur. Ita ille de beneficiis disc. 6. num. 7..

Jam vero modos, & formas, ac solemnitates illas investigemus, quæ necessariæ sunt, ut rite, recteque Ordinarii ad beneficiorum unionem, vel divisionem deveniant. Vix memoro vulgatam illam, & necessariam solemnitatem expetendi consensus Capituli, juxta generalem Juris Ecclesiastici disciplinam, cap. 2. & sequentibus de his, quæ fiunt a Prælatis. Tantum dicam, in unione, quæ fiat gratia Seminarii ex sæpe laudato Tridentino decreto, hanc remissam fuisse solemnitatem, vice cujus alia solemnitas substituta est, ut nimirum interveniant quatuor deputati, duo de Capitulo, & totidem de Clero, de quibus conceptum est cap. 18. sess. 23. de Ref.. Præterea, si de beneficiis patronatis agatur, exspectandus erit patroni consensus, immo, si plures patroni sint, nec majoris quidem partis consensus sufficiet, sed omnes ad unum usque consentire oportebit, argumento capituli 7. de donation., & capitis 15. sess. 24. de Ref. in Concilio Tridentino. Huc pertinet, quod definitum legitur apud Fabrum in codice libr. 1. tit. 2. def. 48., ubi postquam traditum est, sine consensu patroni laici unionem factam non valere, ita subjicitur. *Quod si Patronus sit Clericus, nemo dubitat, quin Summus Pontifex potestate ordinaria derogare possit juripatronatus Clericorum; etsi autem derogare etiam potest quum vult, juripatronatus laicorum pro ea vice; fallit tamen hoc in unionibus, quia perpetuo durant. Sed & Procuratorem Principis generalem vocari, & adiri necesse est, non tolum si juspatronatus ad Principem pertineat, quod in dubio præsumendum est, cum beneficium habeat dignitatem, sed etiam si ad alium, nempe ratione publicæ utilitatis, & ad hoc ipsum dispiciendum, an publice utilis futura sit unio, an inutilis, tum pro tuenda Principis auctoritate, ad quam sane pertinet, ut beneficiorum omnium, quæ in territorio sunt, protector, & conservator existimetur; unde illud etiam est, quod de beneficiorum possessione soli judices Principes cognoscunt. Itaque si non vocato Procuratore generali unio facta sit, potest, & solet ille ab ea, tanquam ab abusu provocare, semperque ea provocatio admittitur, etiam post centum annos, quia unio semper, & perpetuo gravat.* Itaque generaliter vocandi erunt ii omnes, quorum interest, uti expresse docet Concilium Tridentinum in cap. 6. sess. 7. de Ref.. Interest autem maxime illorum, qui possident beneficia, de quorum unione, vel divisione agitur, quamobrem & ipsi vocandi erunt. Sic in integro canone Carthaginensis Concilii canone 50. caus. 16. quæst. 1. dicitur, ad divisionem Episcopatus procedi posse *voluntate ejus, in cujus potestate est diœcesis constituta*; quamquam aliquando deveniri ad divisionem possit, non quidem non vocato beneficii possessore, sed eo non consentiente; quoties nimirum possessor vocatus nullas allegent, ac probet æquas causas, quare ad divisionem non sit deveniendum; alias autem utilitas, vel necessitas Ecclesiæ divisionem efflagitet, cap. 3. in fine de Eccles. ædific.. Eadem ratio erit de unione, cujus causa vocandi erunt utriusque beneficii possessores, ut, si quas forte causas habent, propter quas deveniendum non sit ad unionem, discutiendas proponant, ita ut, si legitimæ sint, ab unione abstineatur, si improbabiles, nihilominus ad unionem Episcopus progrediatur. Qua tamen in specie unio statim fieri intelligetur, sed unionis effectus tum demum locum habebit, cum alterutrum beneficium vacavit, ne illud sequatur absurdum, ut vel duo Clerici unum idemque beneficium possideant, vel alteruter beneficiarius suo beneficio spolietur, cap. 4. de donationib. quod & insinuaverunt Tridentini Patres in cap. 5. sess. 21. de Ref. caventes, ut non

aliter deveniretur ad beneficiorum uniones, *quam sine præjudicio obtinentium.* Huc pertinet Clementina 2. de reb. Eccles. non alien., ubi duo definiuntur. Primum est, vacante Ecclesia, vel beneficio, unionem fieri ab Episcopo posse, etiam nullo constituto defensore ejusdem Ecclesiæ, vel beneficii vacantis. Id verum est in quacumque unionis specie; etenim etiam tempore vacationis Ecclesiæ, vel beneficii semper adest ordinarius defensor Ecclesiarum, & Beneficiorum omnium diœcesanorum, nimirum Episcopus, cui non opus est alium extra ordinem defensorem adjungere. Aliud sane viget in unione Cathedralis Ecclesiæ vacantis, quæ unio ideo dicitur non valere, quia Ecclesia defensore ordinario caret, in cap. 1. ne sede vacante. Alterum est, Ecclesia, vel beneficio non vacante adhuc sustineri unionem, etiam si rector Ecclesiæ, vel beneficii non fuerit vocatus. Id ego puto locum tantum habere in unione accessoria, vel subjectiva, non autem in unione vel extinctiva, vel translativa tituli; propterea quod in unione accessoria, vel subjectiva aut nihil, aut parum rectoris interesse possit, alias in unione extinctiva, vel translativa tituli multum rectoris ejusdem interesse videatur. Singularia quædam constituta sunt in Tridentino Concilio causa unionis beneficiorum gratia Seminarii, dicto cap. 18. sess. 23. de Ref.. Primum remissa fuit Episcopo necessitas expetendi consilium, vel consensum Capituli, aliaque in locum istius subrogata est solemnitas, nimirum expetendi consilium, vel consensum quatuor deputatorum, quorum duo a Capitulo, duo alii a Clero nominandi sunt. Secundo unionem beneficiorum præcedere debet taxatio, ex qua beneficiarii omnes, ne ipso quidem excluso Episcopo, concurrant, collatione facta partis fructuum, ad Seminarium erigendum, alendosque eos, qui in Seminarium sint recipiendi, juxta constitutionem Benedicti XIII. superius commemoratam. Tertio non fieri potest unio, antequam Seminarium omnino sit erectum, quemadmodum etiam superius observandum fuit. Quarto unio ista fieri debet aliquot tantum beneficiorum; neque enim aut omnia, aut numero plurima diœcesana beneficia uniri valerent, uti manifeste liquet ex verbis Tridentini Concilii. Quinto denique hæc unio non nisi in subsidium faciendæ est, nimirum ubi alias erectioni Seminarii locus esse non posset; eamque ob rem, unione etiam secuta, eadem unio rescindenda erit, quoties alias, Seminarium ea adquirat, quæ eidem sufficiant ad alendos adolescentes, atque excolendos.

Unio, ac divisio semel legitime facta variis de causis rescindi potest; immo cum facilis sit uniuscujusque rei ad sua principia regressus, revocatio in pristinum beneficii, vel Ecclesiæ statum, plurimum est adjuvanda. Causæ rescissionis sunt, primum, si ea cesset ratio, propter quam fuit olim ad divisionem, vel unionem deveniendum, uti tradit Rebuffus in praxi beneficiaria de unionis revocatione numero 1. & 2.. Hinc ex. gr. si unio Ecclesiarum facta fuerit ob inopiam fidelium, numero etiam pauciorum, adauctis illorum facultatibus, & numero, unio rescindetur, iterumque ad duas erigendas Ecclesias devenietur. Secundo, si nova emergant adjuncta, unde unio, vel divisio rescindenda videatur, nimirum si facta unio, vel divisio olim utilis, deinde esse cœperit perniciosa. Regula enim est, non posse retineri in detrimentum Ecclesiæ, quod ipsius gratia inductum fuerat, ac probatum, argumento capituli 61. de regular. jur. in 6.. Hinc quoties per unionem factam dissolvi religio videretur, eleemosyna, & hospitalitas tolli, unionem revocari debere, definivit Innocentius III. in cap. 1. ne sede vac.. Cæterum observandum generaliter est, ea, quæ dixi custodienda in faciendis unionibus, vel divisionibus, sive quoad auctoritatem Episcoporum, sive quoad solemnitates, servanda etiam fere omnia esse in eisdem unionibus, vel divi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sionibus rescindendis ex notissima regula, quæ docet, unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, cap. 1. de reg. juris. Denique observandum est ex regula 13. Cancellariæ solere Pontifices Maximos tempore suæ inaugurationis revocare omnes uniones, ac divisiones vel a suis prædecessoribus, vel ab aliis factas, nondum tamen effectum suum sortitas, nisi factæ fuerint auctoritate Concilii Tridentini, vel pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum piorum, & religiosorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum. Secuti sunt in hac parte Pontifices Maximi Tridentini Concilii prudentiam, juxta quam non adeo facile probari potuerunt uniones, vel divisiones factæ, argumento cap. 6. sess. 7. de Ref.. Qui plura desiderat ad interpretationem laudatæ Regulæ Cancellariæ, apud Pragmaticos facile inveniet.

DISSERTATIO QUARTA

DE JURIBUS PATRONORUM.

Huc referendus est titulus 38. libr. 3.

CAPUT I.

Quid sit Juspatronatus.

VEtera Romanorum jura Patroni nomine eum appellaverunt, qui servum manumisisset; atque ita juspatronatus esse dixerunt illud, quod manumissoribus, eorumque filiis, competebat. Latini Scriptores ut plurimum nomine Patroni usi sunt ad significandum defensorem, vel provinciæ, vel civitatis, vel singularis alicujus causæ. Aliter ecclesiasticorum monumentorum auctores, qui præsertim post duodecimum Ecclesiæ sæculum scripsere; nimirum Patronos nominaverunt fundatores Ecclesiarum, aut beneficiorum, immo etiam illos, qui a fundatoribus causam haberent, quemadmodum jus eisdem competens nominaverunt juspatronatus. Sed præterea aut ad idem, aut ad simile jus significandum alia invecta jampridem fuerunt nomina, qualia sunt advocatiæ, & advocatorum, vicedominorum, custodum, & *Guardias* habentium. Advocatiæ aliquando, & jurispatronatus, quemadmodum advocatorum, & patronorum nomina promiscua sumpta fuisse, non ignoro, cap. 6. & 24. de jurepatron., aliquando tamen patroni ab advocatis distinguebantur, can. 9. eod. tit., canon. 1. caus. 17. quæst. 2.. Siquidem proprie patronus appellabatur, qui omnibus juribus gauderet fundatori decretis, iisdemque oneribus, quibus fundator suberat, subjaceret; advocatus vero, qui tantum patrocinio suo tueretur Ecclesias, & Ecclesiarum bona, etsi nec Ecclesias fundavisset, nec bona donasset, argumento dicti capituli 9. de jurepatron., quamquam ex eo, quod fundatores, & fundatorum successores iidemmet tuerentur. Ecclesias a se erectas, ideo etiam advocati earumdem Ecclesiarum appella-

ri potuerint. Ut paucis dicam, fundatores omnes, & qui in jure patronatus fundatoribus succedebant, advocationis jure gaudebant; non e converso advocati omnes jurepatronatus potiebantur. Erant olim constituti in Romano Imperio defensores civitatum quinquennali concesso officio ad tuendas easdem civitates in iis causis, quæ neque adeo graves essent, neque judicialem figuram exposcerent, l. 1. & sequentibus cod. de defensor. civit., immo & religionis causa apud Æthnicos seligi solebant ex cœtu advocatorum, qui templa, & templorum jura curarent, ac patrocinio tuerentur, qui etiam ex eo officio *Sacerdotes* appellabantur, l. 46., juncta l. 112. cod. Theodos. de decurionib., & l. 20. cod. Theodos. de Paganis. Id præsertim in Africa obtinebat; qua in provincia paulatim evanescente Æthnicorum superstitione, Episcopi Ecclesiæ postularunt a piis Imperatoribus, ut defensores simili quadam ratione darentur Ecclesiis, can. 10. caus. 23. quæst. 4., quod post breve tempus impetraverunt, uti liquet ex l. 38. cod. Theod. de Episc., & Cler.. In aliis provinciis liquet etiam constitutos fuisse varios defensores auctoritate Pontificum Maximorum sæculo sexto, & septimo, ut plurimum ex ordine Subdiaconorum electos. Successione temporum post res bellicas universam fere Europam turbantes, & occasione injuriarum, quas Ecclesiæ, & Monasteria patiebantur, consuevere & Ecclesiam, & Monasteria quosdam sibi viros probos eligere, ut plurimum ex optimatibus, qui in fidem suam recepta Ecclesiarum, & Monasteriorum jura tuerentur, quos propterea advocatos nominaverunt. De his frequens fit mentio in Capitularibus Francorum, & in aliis variarum nationum legibus mediæ ætatis, qui si forte jurisdictionem, seu potestatem publicam exercebant, judicabant etiam de causis realibus Ecclesiarum, & Monasteriorum, quo pertinent verba illa canonis 8. caus. 1. quæst. 3. *defensoris nomine advocatum, sive castaldum, & judicem.* Ob hæc officia identidem advocatis salaria constituta sunt ex ecclesiastico peculio non solum pro operis, quas illi in Ecclesiarum commoda impendebant, sed etiam pro operis subadvocatorum, & exactorum, quos quandoque in adjutorium sui vocabant. Vicedomini ut plurimum erant vel Clerici, vel Laici, qui ab Episcopis, aliisve Ecclesiarum Prælatis veluti Curatores, & Œconomi Ecclesiarum constituebantur, & prædiorum ecclesiasticorum curam gerebant, can. 2. 3. & 5. dist. 89., derivato nomine ab officio tutorum, vel curatorum res pupilli, vel minoris administrantium; qui dominorum vice esse dicuntur in l. 137. ff. de reg. jur. Custodiam, sive *Guardiam* habere dicebantur, qui tempore vacationis beneficiorum custodiebant bona a beneficiario defuncto olim possessa, aliquando fructus exinde præceptos successori, quasi data depositi fide, servaturi: aliquando etiam jure potiti fructus ipsos interea susceptos, vel fructuum partem in suos usus convertendi, can. 48. caus. 10. quæst. 2., cap. 6. de instit., cap. 13. de elect. in 6.. Sed hæc, & similia jura, quæ quamdam cum juribus Patronorum affinitatem habere videntur, fere exoleverunt, de quibus propterea pauca hæc sufficiat attigisse.

Si jus illud, quod proprie patronatum vocamus, definire velimus, dicemus, esse jus quoddam singulare certis in honoribus, commodisve consistens, cui etiam certa onera cohærent, concessum iis, qui templa, vel beneficia erexerunt, dotarunt, aut restituerunt, vel etiam iis, qui ab eisdem causam habent. Videbitur fortasse nonnullis nimium vaga, & late admodum patens definitio, utpote qua nec honorum, nec commodorum, neque onerum qualitas exprimatur. Sed hanc ipsam ob rem ego illam aptissimam puto, quum vaga, & inconstans semper fuerit patronatus natura, nimirum pro temporum, locorumque diversitate secum trahens diversa commoda, & diversos honores, quæ omnia etiam

diversa onera sequerentur. Revera apud veteres vix receptum scimus, ut fundatoribus liceret in Ecclesiis sua adscribere nomina, unde Basilicæ distinguebantur nomine suorum fundatorum, dicebanturque ex. gr. Basilica Constantiniana, Titulus Damasi, Titulus Eudoxiæ, Titulus Lucinæ, templa illa, vel religiosa loca, quæ a Constantino, a Damaso, ab Eudoxia, a Lucina constituta fuerunt; & non nisi paulatim, & veluti per gradus eo deventum est, ut fundatoris, & causam a fundatoribus habentes Clericos constructæ Ecclesiæ, aut erecto beneficio addicendos Episcopis commendarent, jura sepulcrorum obtinerent, familiaria insignia ponerent, & alia his similia jura explicarent, de quibus inferius agendum erit. Hic quamquam hodie vulgo promiscui usurpetur juspatronatus cum jure præsentandi, revera tamen invicem distinguuntur; cum adhuc sine jure præsentandi possit juspatronatus existere, dummodo in aliis juribus patronatus exerceatur, argumento cap. 25. de jurepatronatus.

Ut magis, magisque exprimatur jurispatronatus indoles, ac natura, observandum est, hoc ipsum jus considerari bifariam posse; & primo, ratione habita Ecclesiæ, vel beneficii, quod patronatui subesse dicitur; secundo, ratione habita fundatoris, vel illorum, qui fundatori succedunt, & idem jus in Ecclesiam, vel beneficium explicant. Abiit in vulgarem traditionem, juspatronatus ratione habita Ecclesiæ, vel beneficii censeri veluti quamdam servitutem Ecclesiæ, vel beneficio impositam; quasi posito patronatu, nec Ecclesia, nec beneficium libertate potiantur. Ita scribere Interpretes, & Pragmatici consueverunt; verum, ut arbitror, minus concinne; si enim Ecclesiæ, & beneficia, quæ jura sacra sunt, a commerciis exempta necessario dici debent ex ipsa rei natura, non video, quomodo servitus in eisdem imponi possit. Equidem verum est, singulares honores fundatoribus, & fundatorum successoribus in Ecclesia, aut beneficio concedi: at diversa hæc sunt, honores alicui dari, & servitutem alicujus gratia imponi: honos enim & a superiore inferiori deferri potest, servitus e contrario non nisi ab inferiore debetur. Quod si Ecclesia, vel beneficium juripatronatus obnoxium non omnino liberum dicitur, id improprie traditur, atque eo sensu, quod beneficium non sit liberæ collationis Ordinarii, quod Prælati pati debeant, Patronos jure sibi ex canonum indulgentia concesso experiri; indecorum autem esset dicere, ex ea causa servitutem Ecclesiis, & beneficiis impositam fore. Nullæ olim dignitates, nulla ecclesiastica munera conferebantur, nisi suffragia populi postularentur. Indene quisquam colligeret, dignitates, & munera ecclesiastica in quamdam populi servitutem redacta fuisse? Jure decretalium nec institui, nec destitui ab Episcopo Clerici possunt, nisi consentiente Collegio Canonicorum. Indene quisquam colligeret, beneficia in quamdam redacta fuisse Collegiorum Canonicalium servitutem? Sunt isti omnes honores passim tributi, publica suadente utilitate, qui sane longe distant a servitutis constitutione.

Ratione habita fundatoris, vel illorum, qui a fundatoribus causam habent, vulgaris traditio est, juspatronatus tanquam jus spirituale censeri, ad quod laici non alias admitti possint, quam si singulare privilegium demonstretur, propterea quod laici dicantur jurium spiritualium incapaces. Quidquam etiam est in hac parte, quod non undecumque placere potest. Fateor quidem, juspatronatus jus spirituale dici, propterea quod rebus corporalibus minime accenseatur; dixerim amplius propterea quod in christiana communione fundamentum habeat, etiam sacrorum quoquo modo appellari. At enim, num exinde sequitur, laicos fideles esse ejusdem juris penitus incapaces, & tum demum capaces fieri ex singulari privilegio contra rei, deque agitur, naturam concesso? Ex rebus spi-

ritualibus, quæ in christiana communione fundamentum habent, tres ego distinguo species. Aliæ sunt functiones mere hierarchicæ, quæ Clericos a laicis vel ex divina, vel ex ecclesiastica constitutione distinguunt; ex divina, veluti collatio Sacramentorum, ex ecclesiastica, veluti collatio beneficiorum, aut pensionum in redditibus beneficiariis, & similia: aliæ sunt functiones communes & laicis, et Clericis universis, veluti jus Sacramenta percipiendi, jus etiam ipsum generale communionis christianæ; aliæ denique sunt veluti in medio constitutæ, quæ necdum ad hierarchiam spectant, sed ad disponendam, tribuendamque hierarchiam quoquo modo referuntur, non proxime quidem, sed remote. Quum autem dicitur, laicos spiritualis juris esse incapaces, id verissimum est, si de hierarchicis functionibus exercendis agatur, quales sunt, quæ a sacro ordine pendent; at si de cæteris juribus extra hierarchiam positis sermo sit, nemo non videt, quam falsa foret generalis illa traditio, ex qua sequeretur, laicos utut in Christianam communionem receptos, a Sacramentorum susceptione, quasi a spirituali jure, esse semotos. Juspatronatus tale jus est, quod in medio quodam collocatur. Non spectat illud ad hierarchicum munus; neque enim in eo versatur collatio ordinis, vel beneficii. Non spectat illud ad jura generalia communionis christianæ, ne forte admittatur, ad jura patronis tantum concessa omnes vocari, qui in christiana communione consistunt. Medium quoddam est, quod refertur ad viam sternendam causa futuræ ordinationis, & collationis beneficiariæ a Prælato ecclesiastico peragendæ; hujus autem juris non adeo incapaces dici laici possunt; quando scimus, apud veteres bonum testimonium etiam plebis desiderari consuevisse, ut quis ad sacros ordines, & ad sacra ministeria proveheretur, quemadmodum etiam hodie jus unicuique laico competit, & quidem spirituale, opponendi adversus ordinationem illius, qui gravis criminis reus, aut irregularitate notatus ad sacros ordines aspiraret. Est hoc jus, aliaque similia, vere jus spirituale, eo sensu ut in commercium sine simoniæ labe venire non possit, ut supponat jura christianæ communionis in eo, qui velit idem jus exercere, ut in pœnam admissi alicujus gravioris auferri ecclesiastica lege possit; non tamen eo in genere est constitutum, quo laicus credatur penitus incapax, & non nisi quadam legum generalium dispensatione reddatur idoneus. Quod si ad juspatronatus obtinendum opus fuit generali sanctione canonum, qua singularis habita fuit ratio fundatorum, aut eorum, qui a fundatoribus causam habent, hæc canonum sanctio opportuna eatenus fuit, quatenus modi designarentur, quibus juspatronatus alias vicissitudinibus variis obnoxium definiretur; non vero, ut opus esset dispensatione quadam, qua laici idonei ad quædam explicanda ejus generis jura redderentur.

CAPUT II.

De variis Patronatus speciebus.

REceptissimæ hodie sunt duæ juris-patronatus species; aliud enim ecclesiasticum dicitur, aliud laicale. Qua in re non inspicitur aut fundatorum, aut eorum, qui fundatori succedunt, qualitas, sive conditio, quasi, si illi ecclesiastici viri sint, ecclesiasticum, si laici, laicale juspatronatus appelletur; sed potius inspicitur qualitas bonorum, ex quibus erectum fuit beneficium, vel Ecclesia, ita ut si bona ecclesiastica sunt, utut a laico viro collata, adhuc juspatronatus ec-

clesiasticum sit, si vero bona laicalia sint, sive patrimonialia, tunc juspatronatus laicale dicatur, quamquam Clericus fuerit, qui bona eadem contulisset. Finge enim vero, laicum possidere bona Ecclesiæ, vel commendæ, vel alia simili titulo, atque ex iis bonis erigere Ecclesiam, vel beneficium, non aliud juspatronatus fundator adquiret, quam ecclesiasticum. Finge e contrario, Clericum erigere beneficium, vel Ecclesiam ex bonis familiaribus, aut patrimonialibus, juspatronatus laicale a fundatore utut Clerico adquiretur. Hujus rei ratio evidens est, siquidem cum patronatus sit quædam veluti Ecclesiæ remuneratio, & beneficii repensatio, qualitas donatarum rerum attenditur, ut conjiciatur ejusdem repensationis conditio; alias autem si personæ qualitas inspiceretur, insuper habita qualitate bonorum jus ipsum patronatus pro modo possessorum sibi invicem succedentium novas sæpe qualitates adsumeret, & modo ecclesiasticum, modo laicale fieret, prout modo a Clerico, modo a laico possideretur; quod sane repugnat, quum qualitas rei cohæreat ipsi rei, immo ex Stoicorum philosophia a re ipsa minime distinguatur. Hinc fit, ut in patronatu ecclesiastico, qui causa bonorum ecclesiasticorum in erectionem beneficii, vel sacræ ædis collatorum adquiritur, succedat post fundatorem quicumque erit successor in beneficio administrando, cujus bona collata sunt in novam Ecclesiam, vel beneficium erigendum; at in patronatu laicali ii succedant, qui vel tacite, vel expresse fuerint a fundatore pro arbitrio vocati. Perspicua hæc sunt, si juspatronatus competat ex fundatione, vel dotatione: Quid tamen, si fuerit ex privilegio adquisitum? In hac specie erit perpendenda privilegii causa, ac finis, & observandum, an is, qui privilegio patronatum concessit, potius voluerit distinguere dignitatem, & officium Clericale, an potius personam patroni; adeo ut si dignitatem, & officium distinguendum, ornandumque privilegio consueverit, ecclesiasticum sit juspatronatus; & vice versa laicale sit, si merita singularia vel personæ, vel familiæ occasionem privilegio dederint; quæ omnia intellige, quotiescumque nihil singulare in privilegio exprimatur; ubi enim aliud suadeant privilegii verba, istis erit sine discrimine inhærendum. His jurispatronatus speciebus addere possumus tertiam quamdam speciem patronatus, quem mixtum Pragmatici vocant, videlicet partim laicalem, partim ecclesiasticum. Exemplum est, quoties adquiritur patronatus a duobus, quorum unus ecclesiastica bona possidens, portionem istorum bonorum conferat in beneficii erectionem, alter vero conferat portionem bonorum patrimonialium sui juris. Similiter quod in duabus personis, idipsum & in una contingere potest, si nimirum unicus fundator sit, & partim ex bonis Ecclesiæ, partim ex patrimonialibus Ecclesiam, vel beneficium erigat. Præterea & illud fundatori laico indulgetur, ut etiam, si bona sui juris, & laicalia ad erectionem beneficii contulerit, possit hanc formam patronatui indere, ut in parte concedatur cuidam ecclesiasticæ dignitati, in parte reservetur hæredibus, vel familiæ, qua in specie juspatronatus etiam mixtum erit. Idem dicas de patronatu, qui concessus privilegio fuerit; neque enim repugnat, quin is, qui privilegium concessit mixtum juspatronatus plurium gratia constituat, id est, & gratia dignitatis ecclesiasticæ, & gratia alicujus familiæ, vel personæ, & hæredum. In his omnibus speciebus obtinuit, ut, quando alia sunt jurispatronatus laici, alia ecclesiastici jura, & rationes, quod adparet in reservationibus, in numero mensium, in facultate variandi, & similibus, jura hæc facile communicentur, ita ut, quod amplius uni competit, illud ipsum alteri accedat, & in conflictum duorum jurium, quorum alterum ab altera excludatur, illius habeatur ratio, quod potius est, atque præstantius. Si quæratur, quale habendum sit juspatronatus competens Monas-

tertio, jamdiu receptum fuisse scimus, tanquam ecclesiasticum censeri, saltem quod spectat jus præsentandi, cap. 1. de jurepatron. in 6.. Quid vero si laicorum confraternitati competat jus patronatus? Ex principiis modo præjactis omnis facile diluitur difficultas. Neque enim dubitandum est, quin laicale dicendum sit, quoties ex bonis laicis, etiam si hæc ad ipsum confratrum Collegium pertineant, erectum beneficium, aut Ecclesia proponatur; etenim si Collegium ipsum laicale est sui natura, etiam laicalia sunt ejusdem Collegii bona. Erit autem ecclesiasticum juspatronatus, quoties erectum foret beneficium, vel Ecclesia ex bonis ecclesiasticis confraternitati administrationis causa concessis. Porro nec repugnat, juspatronatus, quod semel laicale fuerit, progressu temporis ecclesiasticum fieri, veluti si Patronus laicus jus suum ecclesiasticæ cuidam dignitati, vel officio, vel capitulo, vel Monasterio cedat, dicto cap. un. de jurepatron. in 6.. Disputant Interpretes, quale censendum sit juspatronatus, ubi dubitatio emergat, & constare non possit, an laicale sit, an ecclesiasticum. Deficientibus tabulis fundationum, aut nullis existentibus conjecturis, ex quibus certa patronatus qualitas eliciatur, scripserunt aliqui, juspatronatus laicale præsumi; primum ex eo, quod in dubio bona esse laicalia, & Clerici juxta Sancti Augustini institutiones nihil habere proprium, præsumantur, can. 10. 11. 18. caus. 12. quæst. 1., deinde ex eo, quod jurapatronatus laicalia sint ecclesiasticis vetustiora. Addere potuissent argumentum, quod deduci potest ex capitulo 41. de testibus, ubi solliciti fuere Antistites de commendanda literis libertate Ecclesiæ, quasi libertas probari debeat ab allegante. Verum hæc non satis mihi placere possunt, observanti, juspatronatus inter jura privilegiaria recenseri, nec facile præsumi privilegia, nisi apertis probationibus demonstrentur. Equidem fateor, privilegium istud, quod patronatum vocat, insertum esse juri communi; verum quando jus communi illud concessit certo tantum personarum generi, ex. gr. fundatoribus Ecclesiarum; qui illud privilegium allegat, licet expressum privilegium exhibere non teneatur, quasi elevetur onus probandi ex disciplina juris generalis; demonstrare tamen debet, se esse de illo personarum genere, quod jus commune ad privilegium vocat; cum enim id in facto consistat, & quidem singulari, præsumi non potest. Addo, in dubio favorabilem esse debere Ecclesiæ, & beneficii causam, & majorem beneficiorum libertatem, quoad fieri possit, adseri oportere, quod sane argumentum ab iis vehementius urgeretur, qui tradunt, juspatronatus esse quandam velut Ecclesiæ servitutem, non facile adjuvandam aut interpretatione, aut præsumptione. Neque dicas, in hac specie disputari, non de jurepatronatus, sed de jurispatronatus qualitate; etiam semper idem, aut simile viget argumentum. Cum juspatronatus laicale est, nihil aliud superest ecclesiasticis viris, seu Ecclesiæ Prælatis, quam institutio, & quidem præsentanti, qui, dummodo sit idoneus, necessario est instituendus, ait in jurepatronatus ecclesiastico sive præsentatio, sive institutio semper penes viros ecclesiasticos inest, unde magis libera remanent jura Ecclesiæ in designatione sacrorum ministrorum, quæ libertas est in dubio adjuvanda. Restat nunc, ut, qua contra sentientibus proponuntur, diluantur. Ajunt ipsi in primis, bona in dubio laicalia præsumi. Oppono ego, in dubio præsumi libertatem; Præsumptio præsumptionem elidit; ac propterea res reducitur ad generalia principia, quæ postulant, ea, quæ facti sunt, probari oportere. Deinde non quærimus, an bona laicalia extiterint, an ecclesiastica; sed an laicus de bonis suis beneficium erexerit; an Clericus de bonis ecclesiasticis. Æque præsumitur laicus erexisse de bonis suis, ac Clericus de bonis Ecclesiæ. Subjicitur, qui contra sentiunt, Clericos non præsumi quidquam possidere

juxta regulas Sancti Augustini. Esto, id verum sit: ergo Clerici quidquid possident, nomine Ecclesiæ possident: ergo si beneficia erexerunt, cum de aliis bonis erigere non potuerint, quam de ecclesiasticis, ecclesiasticum juspatronatus adquisivisse censebuntur. Hoc unum est, quod fluit ex eo principio consectarium. Si exinde probatum putant, qui contra sentiunt, Clericos non præsumi erexisse, oportet, ut ulterius doceant, ex regula Sancti Augustini, ne Ecclesiæ quidem bona a Clericis fuisse possessa. At enim, quid provocant ad præcepta Sancti Augustini exigentia a Clericis paupertatem, quando ea paupertatis clericalis disciplina intra fines Hipponensis diœcesis sub Augustino vigebat, quando etiam Augustinus eam paupertatis institutionem non diu potuit a Clericis obtinere, dicto can. 18. caus. 12. quæst. 1.? Profecto in dubio non eousque redigenda res est, ut referatur ad disciplinam antiquissimam, quæ vix per aliquot annos obtinere potuit in una, aut etiam altera Africana diœcesi. Insistunt, qui contra sentiunt, & ajunt, jurapatronatus laicalia esse ecclesiasticis antiquiora. Quid si ego id inficias iverim? Non deesset antiquissimum monumentum, quo demonstrarem, primum viris ecclesiasticis concessum fuisse jus præsentandi Clericum in beneficio a se erecto, & antequam laicis fundatoribus concederetur, can. 1. caus. 16. quæst. 5., dummodo hic canon non Nicolao I., uti legitur apud Gratianum, sed auctoribus suis vetustissimis tribuatur. Deinde in dubio non res adeo antiquissima præsumitur, ut multa sæcula transcendat, illa, inquam, multa, quibus jamdiu recepta sunt jurapatronus ecclesiastica. Denique quod ex capitulo 41. de testibus depromitur argumentum, infirmum admodum esset. Agitur ibidem de laico fundatore, qui in limine fundationis quodcumque juspatronatus abs se abdicaverat. Constabat de fundatione: Si aliud non adpareret, pro jurepatronatus, & quidem laicali, pronuntianda sententia fuisset: Fundator idem juspatronatus abdicavit: Hæc abdicatio veluti in facto consistens probanda erat ab Ecclesia; ac proinde solliciti esse debebant Antistites in curando perpetuo abdicationis monumento. Res eodem fere modo se habet, ac si quis fateretur, se mutuam habuisse pecuniam, & curaret restitutæ pecuniæ probationem scripto commendari. Non præsumitur obligatio mutui: sed probata obligatione mutui non præsumitur solutio gratia debitoris; inde vero debitores constituti solliciti fiunt de monumento factæ solutionis.

Altera jurispatronatus divisio est, qua aliud simplex dicitur, aliud reale. Reale illud dicitur, quod alicui competit intuitu vel certæ rei, vel certi juris ita, ut semper transeat in quemcumque ejusdem rei, vel juris possessorem, quemadmodum simplex illud est, quod in rem non concipitur, sed vel certæ personæ, vel certo personarum generi concessum adparet. Hinc sane liquet, juspatronatus ecclesiasticum semper reale existere, utpote quod cohæreat dignitati, vel officio ecclesiastico, & transeat de possessore dignitatis, vel officii in eos omnes, qui in eadem dignitate, vel beneficio succedunt. Id adeo verum est, ut qui allegat, juspatronatus ecclesiasticum esse, non teneatur probare, juspatronatus esse reale, cum qualitas realis patronatus ex natura Patronatus ecclesiastici proficiscatur. Non idipsum contingit in jurepatronatus laicali, utpote quod suapte natura personale potius est, nec reale censetur, nisi hæc qualitas demonstretur. Sane intelligetur reale juspatronatus Ecclesiæ, quotiescumque Ecclesia sit erecta in certo fundo, vel villa ad commodum fundatoris etiam singulare, ut dum fundum, vel villam possidet, eadem Ecclesia causa exercendæ religionis utatur, argumento cap. 7. de jurepatron.: eadem ratione dicendum videtur, juspatronatus feudo adnexum censeri, quotiescumque Ecclesia erecta proponatur intra mœnia castri vallata, in quibus feudatarius habitet. Item

si beneficium erectum sit a Vasallo de bonis feudalibus, nulla quoque dubitatio erit, quin juspatronatus exinde competens reale censeatur, & feudo adnexum. Ubi probationes, & hujus generis argumenta deficiant, ex usu rerum gestarum desumentur conjecturæ, quæ si graves existant, in causa erunt, ut juspatronatus reale censeatur. Quid enim ex. gr., si liqueat, præsentationes Clericorum semper ab iis factas fuisse, qui feudum possederunt, utut diversi Vasalli fuissent, feudo modo uni, modo alteri familiæ ex domini directi providentia concesso? Quid, si plures sint feudi possessores, & unusquisque Vasallus pro virili, quam habeat, feudi portione, etiam juspatronatus exercuerit? Sunt hæc argumenta gravissima, ex quibus juspatronatus veluti feudo adnexum demonstretur. E contrario non erit sufficiens conjectura ad probandum feudale juspatronatus, quoties Patronatus in actis præsentationis se castri dominum nominaverit; etenim istæ denominationes fieri solent ad demonstrandam qualitatem, conditionem, nobilitatemque personæ, non semper ad indicandam jurispatronatus naturam. Itaque certum erit, in dubio juspatronatus tamquam simplex pronuntiari oportere, ut censeatur a feudo, a prædio, aut simili re sejunctum, nec transeat facile in singulares successores, in feudo, ac prædio, sed ad eos mortuo patrono devolvatur, qui vel sint patroni hæredes, vel alia ratione sint ad juspatronatus vocati.

Tertia, & quidem vulgaris; proponi hodie solet jurispatronatus partitio, juxta quam aliud hereditarium, aliud familiare, vel gentilitium nuncupatur. Hæreditarium illud est, quod pro possessoris arbitrio transit in hæredes quoscumque, dummodo isti alias sint ejusdem juris adquirendi capaces. Familiare, vel gentilitium est, ad quod vocati sunt *ii* tantum, qui sunt de familia, vel de gente fundatoris. Dixi de familia, vel gente, etenim familia a gente distinguitur, cum familia ea dicatur, quæ a fundatore descendit per personas masculini sexus; gens autem nuncupetur, quæ complectitur omnes fundatoris agnatos etiam collaterales, argumento l. 195. de verbor. signific.. Apud Pragmaticos non satis de verborum proprietate sollicitos, & gentis, & familiæ nomina promiscue sumuntur, etenim gentilitium patronatum etiam familiarem nuncupant; qua tamen in re coacti fuerunt duplex familiæ genus agnoscere, aliam vocantes familiam effectivam, quasi a fundatore effectam, sive progenitam, quæ sane proprie familia est, aliam vocantes familiam contentivam, quasi eam, in qua & ipse fundator continetur, quam proprie gentem, sive gentilitium, & agnatorum complexionem dixissent. Sed & quædam aliæ species sunt jurispatronatus, quæ cum modo memoratis quamdam analogiam habent. Hujusmodi est patronatus primogenialis, qui competit tantum primogenitis de certa familia, vel agnatione, cæteris exclusis: hujusmodi est patronatus linealis, qui primum ad certam lineam familiæ, vel agnationis defertur, qua demum deficiente, ad aliam lineam devolvitur: hujusmodi est patronatus descendentalis, ad quem vocantur descendentes a fundatore, sive sint in familia, sive extra familiam, etiam si masculi, exclusis feminis, ad illum vocati fuerint, qua in specie etiam vocati censentur masculi e feminis descendentes: hujusmodi denique est patronatus mixtus, ad quem vocantur, qui sunt de familia, aut de gente, aut de descendentibus fundatoris, dummodo isti fundatori hæredes extiterint, qua in specie duplex qualitas contemplatur, nimirum, & qualitas hæredis, & qualitas vel familiaris, vel gentilitia, vel descendentalis. Hæ sane omnes patronatuum qualitates ex verborum formulis, quas fundator in limine fundationis expresserit, deduci solent; atque hanc ob rem multum interest, an fundator pro hæredibus omnibus, an pro consanguineis, an pro filiis, ac descendentibus quibuscumque sine sexus discrimine, an pro filiis, ac descendentibus tantum masculis, an denique pro fi-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

liis, aut descendentibus simul, & hæredibus patronatum reservaverit, ut semper servetur ea qualitas, quæ initio a fundatore juripatronatus indita fuerit. Et quidem ubi fundator familiæ nomen usurpaverit, nulla dubitatio esse potest, quin patronatus familiaris sit, ad quem vocati censeantur, qui sunt in familia fundatoris, sive illi, qui, si fundator viveret, in ejus potestate consisterent; qua in specie exclusi sunt descendentes ex feminis. Quod si fundator agnatos vocaverit universos, juspatronatus gentilitium erit, quasi ad agnatos omnes etiam collaterales pertineat. Si vero vocaverit descendentes, nec ratio familiæ, nec ratio agnationis locum habebit, & patronatus ad omnes devolvetur, qui progeniti sint a fundatore, sive per masculos, sive per feminas. Cæterum in interpretandis fundationum formulis non una, aut altera vocabulorum usurpatio attendenda est, sed integer tabularum contextus, ex quo commodius intelligitur voluntas fundatoris. Quid tamen, si non adpareat de mente fundatoris, veluti si nihil omnino dixerit de *iis*, qui in patronatu sint successuri, vel tales formulas adhibuerit, quæ æque hæredibus, ac iis de familia, vel de descendentibus accommodari possunt? Plane in hac specie juspatronatus intelligeretur esse hæreditarium, ex generali juris regula, qua quisque præsumitur cum sibi, tum hæredibus suis prospicere voluisse. Fateor, hanc regulam locum non habere, quotiescumque aliud postulet natura rei, de qua agitur, veluti cum de successione feudali disputatur. At vero natura jurispatronatus etiam primigenia hæc est, ut ad illud hæredes quicumque vocentur, l. 15. cod. de sacros. Eccles., Nov. 123. cap. 18.. Hæc uberius, & clarius demonstrabuntur in cap. 5. ex sequentibus. Igitur potiore jure hæreditarium habebitur juspatronatus, si expresse fundator hæredes vocaverit. Immo & illud hodie recipiendum censeo, ut hæreditarius patronatus existimetur, etiam si fundator dixisset, se ad illum hæredes *suos* vocare. Siquidem licet apud veteres Jureconsultos *suorum* nomen de iis tantum intelligeretur, qui in familia alicujus existerent; ex vulgari tamen nominis significatione passim hodie recepta, non aliter quis suum hæredem nominat, quam ut eum designet, qui sibi hæres existat; nec novum est etiam jure Romano, recedi a stricta significatione verborum, quam latina locutio indidit, quoties vulgus eam inflexisse, aut etiam detorsisse deprehendatur; sunt enim istæ species, in quibus errorem jus facere, scribebat Paulus in l. 3. in fine ff. de supellectile legata. Simili de causa dixero hæreditarium patronatum, cum vocati sint ad illum, qui fundatori fuerint successores; etenim & successoris nomen belle de hærede dicitur, quemadmodum hæreditas successio appellari solet, l. 24. & 170. ff. de verb. signif., quod potiore jure recipiendum est, ubi fundator vocet hæredes, & successores; nam in hac specie designatione hæredum clarius indicavit fundator, quos successorum nomine designaverit; proindeque si dixisset fundator, vocare se descendentes, & successores, contra sentirem, quasi hoc casu cum fundator descendentes nominaverit, tum etiam successores dixisse censeretur illos, qui a se progeniti forent. Quandoque contingit, ut quod ab initio juspatronatus hæreditarium fuit, gentilitium, vel familiare fiat, & e converso: quod tamen an semper ex recta juris interpretatione profectum fuerit, an ex Pragmaticorum placitis, maxime dubitaverim. In jure nihil aliud statutum invenio, quam patronum posse concedere juspatronatus laicale, quo gaudet, alicui Ecclesiæ, vel loco religioso, cap. 8. de jurepatron., cap. un. eod. tit. in 6., cujus rei ea ratio reddi potest, quod ex hac immutatione jurispatronatus, quod de laicali fit ecclesiasticum, utilitas, & major quædam libertas in Ecclesiam emergit. Exinde recta interpretatione colligi potest, immutari posse jurispatronatus qualitatem semel inditam, quotiescumque interesse Ecclesiæ videatur.

At enim si hæc vera sunt, nullam aliam causam probabilem invenio, quare gentilitius, vel familiaris patronatus in hæreditarium convertatur, & e converso, nisi quod identidem ea commutatio utilis esse potest Ecclesiæ, sive ecclesiasticæ libertati. Ajunt Pragmatici, juspatronatus gentilitium, vel familiare in ultimo ex agnatis, vel de familia hæreditarium fieri; de qua re quamquam olim disputaretur, tamen post Ancharani consilium 18., omnes in unam coivere sententiam, novam illam qualitatem hæreditariam adprobantes, duobus tantum exceptis casibus: primo, si fundator dixisset, se *tantum* familiam suam, vel agnationem vocare, indicans se velle, liberam Ecclesiam fieri, extincta linea, vel agnatione; secundo si juspatronatus competat certæ familiæ, vel genti ex privilegio, cujus interpretatio semper angustis finibus circumscribitur. Quousque in hisce terminis consisterent Scriptores, non improbabilis videretur illorum opinio. Etenim observari posset, juspatronatus suapte natura hæreditarium esse, proindeque, nisi aliud fundatori placeat, patronatum in hæredes traduci. Ex hoc forte conjiceretur, fundatorem, agnatos vel descendentes suos vocando, non voluisse quidem ab hæredibus suis patronatus auferri, sed potius in concursu hæredum extraneorum, atque agnotorum, vel descendentium, agnotos, vel descendentes hæredibus præferri. Quando vero Pragmatici ulterius docent, licere hæredibus fundatoris, vel fundatori ipsi patronatum hæreditarium semel adquisitum in familiarem, vel gentilitium commutare, adjecta ratione, quod utilior fiat Ecclesiæ causa, ob spem libertatis, quam habet Ecclesia, extincta familia, vel agnatione, non video sane, quomodo iidem Pragmatici sibi constent; quin potius videntur in hac posteriore specie evertere, quod in priore adstruxerunt. Hæc sunt dura emblemata, quibus identidem obvolvuntur, quicumque sine certis principiis huc illuc evagantur, inanibus ut plurimum ratiocinationibus quandoque etiam studio illarum partium, quibus serviunt, ducti. Igitur utcumque passim has vulgares opiniones receptas noverim, forte etiam quorumdam tribunalium, apud quæ plurimum valere consuevit Pragmaticorum auctoritas, definitionibus comprobatas, liceat nihilominus mihi libere, fidenterque, quod sentio, aperire. In primis pro certo habeo, licere fundatori, vel Patrono meliorem facere Ecclesiæ causam, dicto cap. 8. de jurepatron. dicto cap. un. eod. tit. in 6., Deinde collegio, non licere fundatori, patrono cuicumque, patronatum familiarem, aut gentilitium in hæreditarium commutare. Etenim hac admissa commutatione, non solum nihil utilitatis in Ecclesiam derivat, sed potius non leve detrimentum. Statim ac enim Ecclesia initio certum Patronorum genus in limine fundationis designatam agnovit, eidem Patronorum generi se totam Ecclesia commendavit; non expedit autem, invita, vel ignorante Ecclesia genus semel electum commutare: quasi ignotus quisque suffici pro arbitrio possit patrocinii suscipiendi causa illi, de quo, cum designeretur, optimam spem Ecclesia ipsa concepit. Neque dicas, liberum fuisse initio fundatori hæredes quoscumque extraneos ad patronatum vocare. Id non inficior: at quæstio non est, an vocare potuerit, sed an vocaverit. Si vocavisset hæredes quoscumque, Ecclesia in limine erectionis consensisset in patrocinium ab hærede quocumque suscipiendum, nihilque esset, de quo Ecclesia post hunc consensum conqueri posset. At post electam semel Patroni personam pacto inito inter fundatorem & Ecclesiam, incivile est, fraudem Ecclesiæ fieri, & unum pro alio Patronum obtrudi. Neque insistas, ajendo, voluntatem fundatoris eo collatam fuisse, non ut extranei hæredes excluderentur, sed ut extraneis hæredibus præferrentur filii, vel agnati. Etenim in primis, hanc fuisse fundatoris voluntatem probari oporteret, propterea quod de patronatu agitur, quod jus singulare est,

& privilegiarium, in quo non adeo ampla, & liberalis interpretatio locum habet. Deinde si agatur de hærede fundatoris, non video, quomodo fundator præferre voluerit filios, aut agnatos hæredibus extraneis, quando in hæredes extraneos majorem exhibuit benevolentiam, dum eos hæredes instituit; & si Patronatum filiis exhæredatis, aut agnatis præteritis contulit, Patronatum ipsum potius inter honores, quam inter jura recensuit, alias autem honores, qui personales esse solent in genere suo, juribus hæreditariis non accensentur. Quod si agatur de hæredibus non fundatoris, sed succedentium Patronorum, tanta istorum non videtur habita ratio a fundatore; utpote qui erant fundatori eidem ignoti; immo si fundatori ipsi hæreditarium facere patronatum, qui semel gentilitius, aut familiaris erat, non licet, quomodo id licere potest illi, qui fundatori successerit? Neque dicas denique, si hæc admittantur, facile repelli fundatores ab erigendis Ecclesiis; etenim nihil inde admittitur, quod absterrere valeat ab erigendis Ecclesiis fundatores, quibus licet in limine fundationis aliter explicare voluntatem suam, expresse profitendo, vocare se post extinctam familiam, vel gentem eos, qui ultimo de familia, vel gente sint hæredes extituri. Post hæc ego concludo, licere e converso Patronis Patronatum hæreditarium in familiarem, vel gentilitium commutare; etenim positis hisce principiis facile liquet, hanc commutationem esse magis Ecclesiæ utilem ob spem conceptam futuræ libertatis in ultimo de gente, vel de familia, quod ipsi Pragmatici facile admiserunt.

Postrema jurispatronatus partitio passim traditur, dum dici solet, alius esse jurispatronatus activum, aliud passivum. Activum illud est, quod superius in capite primo definitum fuit, & ad quod tota fere pertinet hæc dissertatio. Passivum appellaverunt, quod competit certis personis, aut certo personatum Generi, consistens in jure eisdem a fundatore concesso; quo ipsi tantum in adeptione alicujus beneficii admittantur, aut saltem ad adipiscendum beneficium cæteris præferantur, veluti si fundator dixerit, se vocare ad beneficii a se erecti consecutionem filios suos, aut agnatos, aut alios quoscumque extraneos. Differt sane quam maxime ab activo hic patronatus, sive natura sua, cum activus in honore quodam, & onere consistat, in passivo sola versetur privata vocatorum utilitas; sive ratione rei, cui adhæret, nam activus æque in Ecclesia, ac in beneficio esse potest, passivus tantum in beneficio; sive ratione personarum, quia activi etiam feminæ, & infantes capaces sunt, non passivi; sive denique ratione finis, quia patronatus activus imminuit quodammodo Ecclesiæ, vel beneficii libertatem, at passivus imminuit jus, & libertatem illius, qui jure-patronatus activo gaudet. Dicam amplius juspatronatus passivum ne jurispatronatus quidem nomine donari recte posset, cum non ex privilegio, & jure singulari canonum concedatur, sed totum pendeat ex voluntate fundatoris; immo nihil aliud sit, quam nominatio a fundatore facta illorum, qui sint in erecto, & patronato beneficio instituendi. Quædam inde fluunt consectaria. Primum est, requiri ad inducendum patronatum passivum, expressam fundatoris reservationem. Ratio hujus rei evidens est, quia cum is patronatus nihil aliud sit, quam nominatio a fundatore facta, nulla supponi potest nominatio, nisi gratia ejus, qui expresse designetur. Hinc fit, ut reservato favore certæ familiæ jure patronatus activo, non tacite intelligatur reservatum passivum, præsertim quod si juspatronatus passivum constitutum intelligeretur, eo ipso, quo fundator constituisset activum patronatum, hunc eumdem diminuisset. Alterum est, in patronatu passivo nullo modo posse recipi, quod ex laudata Pragmaticorum opinione apud quosdam invaluit in activo, nimirum juspatronatus familiare in util-

modo de familia hæreditarium fieri; sive quod, uti adnotabam, non satis ea opinio convenire potest optimæ disciplinæ, sive quod, extincta familia nulla amplius fingi potest Fundatoris tacita nominatio, quod & iidem Pragmatici communi suffragio admiserunt. Tertium est, in patronatu passivo primogeniali primogenitum facti, sive seniorem ætate, præferendum esse primogenito juris, quamquam contrarium vigeat in activo, propterea quod activus patronatus honorificum jus est, qua in re primogeniti dignitas, non ætas spectatur; ac patronatus passivus tendit ad addicendum certum Clericum Ecclesiæ ministeriis, qua in specie ætatis gravioris & maturioris ratio prudenter habetur. Quartum est, eum, qui gaudet jurepatronatus passivo, petere posse institutionem ab Episcopo, quasi jam nominatum a fundatore; quod si qui juspatronatus activum habet, adhuc uti potest jure suo, vel hoc jus consistit in gerendo vices fundatoris, vel consistit in præsentatione, illa, inquam præsentatione, quæ meri facti est, & quæ a nominatione secernitur, juxta ea, quæ inferius suo loco tradentur; adeo ut, si Patronus præsentare negligat nominatum a Fundatore, nominatus idem petere ab Ordinario possit, ut in beneficio instituatur.

CAPUT II.

De iis, qui juspatronatus adquirere possunt, vel semel adquisitum retinere.

ANtequam agam de causis, quibus juspatronatus adquiratur, ponendæ sunt quædam regulæ, quibus definiatur, quinam sint ejusdem juris adquirendi capaces, vel retinendi. Et quidem initio dico, juspatronatus, veluti jus spirituale, aut spiritualibus cohærens, tanquam suum fundamentum habere christianam communionem. Quomodo enim aut tutor, aut defensor Ecclesiæ dici potest, qui aut Ecclesiam non agnoscit, aut ab Ecclesia abscisus proponitur? Quomodo rite admittetur ad Clerici præsentationem, qui in ipso præsentationis actu præsumi non potest, provide, prudenterque Ecclesiæ consulere? Uno verbo: juspatronatus est singulare privilegium alicui concessum ob singularia exhibita in Ecclesiam merita; at qui Ecclesiæ repugnat, tantum abest, ut singulari dignus privilegio sit, & singularia merita in Ecclesiam exhibuerit, quin potius justa Ecclesiæ indignatione, aut aversione dignus est. His principiis Toletani Patres, dum prima gratia fundatorum jura invexerunt in can. 30. caus. 16. quæst. 7., de iis tantum mentionem fecerunt, qui *fideles* essent, et *devotione propriæ* facultates suas Ecclesiæ contulissent. Hinc liquet, abs jurepatronatus arceri judæos, paganos, infideles omnes, atque hæreticos universos. Quæri solet de excommunicatis. Nulla sane dubitatio esse potest de iis, qui minore tantum excommunicatione notantur, siquidem ad hæc auferenda jura minor excommunicatio minime pertinet; atque jam cautum est, eum, ad quem spectat jus eligendi, nullo modo cadere ab eodem jure, si minore excommunicatione plectatur, cap. ult. de Cler. excomm. ministr.. Redigitur quæstio ad excommunicatos majore, ut ajunt, excommunicatione. Horum duplex genus est. Vel enim excommunicati sunt lata in ipsos censura, qua terreantur, ut quantocius Ecclesiæ obediant, & satisfaciant; interea tamen necdum omnino pugnaces sunt, id est, ut Pragmaticorum formulis utar, necdum insordescentiam contraxerunt; vel pugnaces diu in excommunicatione perstiterunt, & insordescentes habentur; aut etiam ab initio non excom-

municati tantum, sed mortali anathemate perculsi sunt, quasi spem fere omnem de eorum pœnitentia Ecclesia abjecerit. Qui in hoc posteriore statu sunt, id est, vel excommunicati insordescentes, vel anathemati obnoxii, ii sane ab omni patronatus jure, si quod olim habebant, ceciderunt, & minus idonei sunt ad simile jus adquirendum, propterea quod hæreticis æquiparentur, cap. ult. de pœnis, cap. 13. §. *Qui autem* de hæreticis, cap. 7. eod. tit. in 6.. Qui vero sunt in priore statu, nimirum excommunicationis censuræ subjacent, nondum tamen insordescentiam contraxerunt, arcentur quidem interea ab exercitione patronatus, quemadmodum ab exercitione cæterorum jurium christianæ communionis, adhuc tamen retinent, quod olim adquisiverant, jus patronatus; sicut cæteria jura christianæ communionis in radice, ut loquar, pergunt retinere; neque enim isti adhuc tanquam hæretici, & omnino ab Ecclesia extorres habentur, argumento dicti cap. ult. 13. & 7., juncto can. 36. & 37. caus. 11. quæst. 3., eadem fere ratione, qua Clerici beneficiarii censura notati non nisi post insordescentiam beneficio exuuntur, cap. 8. de ætat. qual. & ord. præfic., quamquam etiam ante insordescentiam nihilominus a perceptione beneficiariorum fructuum arceantur, cap. 53. in fine de appellation.. Ut paucis dicam: hoc excommunicationis genere damnati jure non videntur tales existere, quales facto sunt exemplo relegatorum, qui facto a Civitate absunt, quamquam jure adhuc civibus adnumerentur; & tum demum Civitatem amittunt, qui non tam relegati sint, quam deportati. Sed de hac re uberius agendum erit in interpretatione libr. 5. decretalium, ubi naturam censurarum, pœnarumque ecclesiasticarum expendam.

Itaque, quicumque est extra christianam communionem, ab adquirendo, vel retinendo patronatu repellitur. E converso certa regula est, unumquemque admitti ad juspatronatus adquirendum, ac retinendum, qui in christiana communione consistit; quemadmodum suadere videntur ampla, & generalia canonum verba, can. 30. 31. 32. caus. 16. quæst. 7., cap. 6. de jurepatron., juncta l. 1. ff. de verb. signif.. Id adeo verum est, ut non solum pueri, & infantes, verum etiam feminæ generali lege comprehendantur, cap. ult. de concess. præb., quod tamen ita velim intelligas, ut mulier admittatur quidem ad præsentationem Clerici, item petere possit alimenta sibi inopi necessaria ab Ecclesia, necnon teneatur ipsa vel per se, vel per procuratorem Ecclesiam tueri; non vero ita ut ipsa in Ecclesia maximos postulet sibi deferendos honores, qualis esset honor sedis, thuris, aut alius quisquam similis, nisi agatur de femina illustri, quemadmodum Pragmatici communiter tradunt. Præterea Universitates, Communitates, Collegia, Capitula, & alia hujus generis corpora juspatronatus adquirere, & retinere possunt; quæ tamen si titulum fundationis, vel dotationis allegent, tum demum juspatronatus illinc adquisivisse censebuntur, quum Ecclesia, aut beneficium non de singulorum bonis, sed de bonis ejusdem Universitatis, Communitatis, Collegii, Capituli, alteriusve corporis erectum fuerit, vel dotatum; immo etiam si ex eleemosynis erectionis causa collectis beneficium, & Ecclesia erigantur, & beneficium, & Ecclesia libera penitus habebuntur.

Singularis est de Monachis disputatio, utrum aut adquirere juspatronatus possint, aut semel adquisitum retinere; sive agatur de viris, sive agatur de feminis religiosis. Certa ab incertis separemus. Certum est, & in jure probatum, Monasteria ipsa Monachorum, aut Sanctimonialium jure patronatus uti posse, cap. 7. & 13. de jurepatron.. Igitur ad singulares Monachorum personas tota pertinet quæstio. Qua in re sejungere juvat speciem a specie. Primum observandum est, frustra quæri de Monacho professo, an primum adquirere juspatronatus possit ex fundatione, vel do-

tatione, quum ipse nihil habere præsumatur, quod in Ecclesiam, aut in beneficium conferat, voto paupertatis impediente; & si forte quidquam facto conferret, cum intelligeretur nomine potius Monasterii contulise, tum juspatronatus Monasterio adquireretur. Secundo notandum, quo casu juspatronatus reale est, etiam repugnare Monacho adquiri juspatronatus, quemadmodum repugnat, Monachum fieri villæ, prædii, aut feudi, cui patronatus cohæreat, possessorem. Tertio, si proponeretur quisquam habere patronatum natura sui hæreditarium, & patronum eumdem fieri Monachum, translatis juribus universis tempore professionis in alium, neque dubitandum erit, quin una cum universitate bonorum Monachus idem juspatronatus amittat, non quidem quasi Monachus incapax sit jurispatronatus retinendo, sed quia ita postulat natura ejusdem juris hæreditarii, quod una cum universitate bonorum in alios transfertur. Quarto, si professurus juspatronatus sibi competens alteri donavisset, dummodo donatio rite facta sit, tum etiam Monachus amisisse patronatum dicetur. Quinto, si ad Monachum, professum devolveretur hæreditas, cui juspatronatus adhæret, quibus in provinciis adhuc recipitur, ut recta eadem hæreditas, in Monasteria transeat, eodem jure Monasterio patronatus adquiretur, non quidem ex eo, quod Monachus inidoneus habeatur sed ex natura juris, quod sequitur hæreditatem, cui cohæret tanquam in bonorum universitate contentum. Quid vero, si Monacho jam professo ex singulari Ecclesiæ privilegio juspatronatus concedatur? quid, si ipse patronatum hæreditarium sibi reservaverit, cum dimissis gratia alicujus cæteris bonis, quæ possidebat, monasticam religionem professus fuit? Quid, si agatur de Patronatu familiari, vel gentilitio, quod a Monachi agnatis possideretur, & agnatis defunctis proximus esset Monachus ad Patronatum a fundatore vocatus, qui sine dubio succederet, quoties adhuc in sæculo viveret? Istæ sunt species, in quibus proposita disputatio locum habet. Itaque ego puto, Monachum in his, aut similibus casibus, non esse ad juspatronatus adquirendum, vel retinendum inidoneum. Quid enim Monacho obesse potest? Num votum obedientiæ, quam superiori debet? At nihil est aut in retentione, aut in exercitione illius juris, quod obedientiæ erga Abbatem, vel Prælatum suum exhibendæ repugnet. Num votum paupertatis? At nec adquisitio, nec retentio jurispatronatus inter jura illa temporalia recensetur, quæ paupertati repugnant. Num perpetua, quam Monachus vovet, in Monasterio consistentia? Nihil ita Monachum distrahit in jurepatronatus, ut valeat Monachum a solitudine avocare. Sunt profecto quædam jura incorporalia, quorum adhuc capax Monachus est in persona sua, quæ aut retinet, dum monasticam professionem facit, aut etiam post eamdem factam jure adquirit. Nonne enim ipse adhuc retinet jura civitatis, quorum effectus is est, ut testis in testamentis esse possit? Nonne adhuc retinet jura familiæ, saltem quoad eum effectum, ut testis esse nequeat in testamento paterno? Agnatio ipsa etiam retinetur, cum nemo eam propria voluntate valeat repudiare, l. 34. ff. de pactis. Jus eligendi Prælatum Monasterii nonne proprium est singulorum Monachorum, quibus ex ipsa regulæ ordinatione conceditur? Jus inaugurandi doctores, vel prolytas renuntiandi nonne proprium, & singulare Monachi esse potest, si Monachus Professoris munere in certo Athenæo fungatur? Idipsum ego dicerem, si Monacho sacræ reliquiæ donentur, quarum ipse possessionem proprio nomine caperet, ac retineret. Quare igitur jurispatronatus incapax ipse dicatur, cum eadem sit hujus juris, ac cæterorum modo memoratorum natura; id est, spirituale jus sit, & non repugnans monasticæ professioni? Dicant nunc, qui contra sentiunt, Monachum pro mortuo haberi; ego repono, hanc esse fictionem juris,

quæ tantum locorum habet in casibus, qui jure definiti fuerunt; & si pro mortuo non habetur, cum testis est in testamento, cum repellitur a testimonio ferendo in testamento paterno, cum suum Prælatum eligit, aut in similibus, poterit etiam non haberi pro mortuo, cum jurepatronatus fruitur, ac potitur: neque enim idem, & unum sunt mortuum esse, & pro mortuo certis in casibus considerari. Neque iterum dicant, a beneficio cadere Clericum, qui Monachus fiat, ut inde similem etiam disciplinam servandam tradant in jurepatronatus; siquidem observo, beneficii possessionem adversari monasticæ professioni, cum Beneficiarius debeat perpetuo in Ecclesia residere, & sacris officiis in Ecclesia incumbere, quod impediret, ne Monachus perpetuo consisteret in Monasterio; quæ locum non habent, cum Monachus juspatronatus obtineat. Neque rursus opponant, juspatronatus continere etiam jus petendi alimenta ab Ecclesia; etenim id verum est non ordinario jure, sed extra ordinem; nimirum quo casu patronus ad inopiam redigatur, non quidem ad inopiam voluntariam, qualem Monachus profitetur, sed ad eam, quæ fato contingat. Sunt, qui putant, Monachum retinere quidem jurispatronatus titulum, sed hunc esse a Monasterio exercendum, quod præsertim asserunt vigere in patronatu familiari, vel gentilitio, cujus titulum adquirere Monasterium nequit, ne alias videantur jura agnationis in Monasterium translata, & ne alias titulus patronatus familiaris, vel gentilitii semel Monasterio quæsitus perpetuo in Monasterio perseveret, exclusis etiam post mortem monachi agnatis. Mihi placere non potest ista traditio, dum observo, minus repugnare, Monachum habere usum alicujus juris, quam jus ipsum, & titulum, utpote qui magis ad proprietatem accedit. Sic videmus, Monachos nomine Monasterii etiam uti posse bonis temporalibus ad Monasterium pertinentibus, quamquam a proprietate bonorum habenda penitus excludantur. Deinde etiam observo, ea, quæ facti sunt, potius cohærere personæ, utut hæc sit incapax juris, quemadmodum obtinet in servo, qui stipulatus fuerit, in certo fundo sibi licere ire agere, quo casu ire agere servo licet, non domino, quamquam jus, ut liceat servo ire agere, domino adquiratur, §. 2. instit. de stipulat. servor.. Hinc si Monacho concessum est, ut Clericum beneficii obtinendi causa præsentet, non Monasterium nomine Monachi præsentabit, sed Monachus ipse, qui alias ad præsentandum, sicut ad eligendum, idoneus habetur, can. 35. dist. 63., cap. 50. de electione. Hæc si vera sunt, uti ego vera censeo, satisfieri posse alteri quæstioni, utrum Monasteria illa, quæ summam paupertatem profitentur, adeo ut ne in communi quidem bona possideant, jurispatronatus adquirendi, retinendive capacia haberi debeant. Cum juspatronatus minime repugnet paupertati singulari alicujus Monachi, nec repugnabit paupertati cuicumque, quam Monasterium profiteatur. Excipi casus debet, quo regulæ Monasteriorum id amplius exigant, ut nequeant Monasteria quæcumque jura etiam extra causam rerum temporalium possidere. Potiore autem jure juspatronatus a novitio adquiretur, aut retinebitur, quando scimus, vel ipsa ecclesiastica beneficia retineri a novitio posse, cap. 4. de regular. in 6.. Neque ea recipienda doctrina est, quæ a Glossographo traditur ad dictum capitulum 4. adnotante, novitium esse de statu suo dubium, proindeque incapacem jurium ecclesiasticorum, quemadmodum jure Romanorum a militia arcebantur, qui de statu suo dubitabant, argumento l. 8. ff. de re militari, & l. 29. ff. de liberali causa; quoniam longe distat dubietas status, qualis apud Jurisconsultos consideratur, ab incerta novitii voluntate, quæ inconstans esse potest, usquedum novitius idem monasticam professionem emittat.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

CAPUT IV.

De causis, quibus juspatronatus constituitur, & primum adquiritur.

IN vulgari prudentia positum est, tres esse causas, quibus juspatronatus sive in Ecclesiis, sive in beneficiis constituitur, & primum adquiritur, nimirum propriam, ut vocant, fundationem, præscriptionem, ac privilegium. In primis certum est, potiorem titulum præ cæteris esse, fundationem, sive quod vetustissimæ leges, quibus prima patronatus delineamenta designata sunt, de fundatoribus conceptæ fuerunt, sive quod vel ipsa naturalis æquitas suggerit, patronatum iis esse concedendum, quorum largitate beneficia erecta fuerunt, vel Ecclesiæ institutæ. Tria sunt hac in re perpendenda; primum est, quid nomine fundationis veniat; alterum, non ipso jure, & sine expressa reservatione juspatronatus fundatoribus competat; postremum, num æqualis sit in omnibus Ecclesiis recipienda disciplina. Passim vulgo profertur, veluti adagium, *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*; quod tamen non est ita generaliter accipiendum, uti verba sonare videntur. Distinguere oportet inter fundationem Ecclesiæ, & fundationem beneficii; neque enim qui fundavit Ecclesiam, non beneficium in Ecclesia institutum, etiam in beneficio patronatum habebit, sed in Ecclesia tantum, ita ut valeat ex. gr. sua nomina inscribere, vel gentilitia stemmata loco nominum ponere in Ecclesia, item in eadem Ecclesia sedem honorificam habere, sepulcrum excavere, & similia, quæ solo, & ædificio cohærent, facere, non vero præsentare Clericum in beneficio instituendum, a beneficiario alimenta petere, si ad inopiam ipse vergat, & similia, quibus demonstrentur certa jura in beneficium, vel beneficiarii personam. E converso qui beneficium, non Ecclesiam fundavit, poterit jura Patrono concessa exercere ratione habita beneficii tantum, non Ecclesiæ. Tum demum autem & in beneficio, & in Ecclesia patronatus nanciscetur, cum & beneficium, & Ecclesiam erexerit. Deinde observandum est, aliter dici fundationem Ecclesiæ causa adquirendi juspatronatus, ac dicatur fundatio beneficii. Siquidem in erigendo beneficio fundationis nomine intelligitur actus illius, qui certa bona Ecclesiæ donet, ut in eisdem unus ex Clericis Ecclesiastico munere functurus instituatur. In Ecclesia vero erigenda tria intelligi possunt: & primo actus illius, qui fundum, id est, solum, dat ædificandæ Ecclesiæ causa; secundo actus illius, qui vel in solo suo, vel in solo ex alterius donatione Ecclesiæ quæsito templum propriis impendiis adificat; tertio actus illius, qui ædificato templo sive propriis, sive alienis impendiis, sive in proprio, sive in alieno solo Ecclesiæ quæsito, dotem constituit, quæ sive ad cultum sacrorum, sive ad Clericos exhibendos sufficiat pro modo ministerii sacri in eadem Ecclesia præstandi. Itaque in beneficio certum est, fundatorem, sive eum, qui bona donavit, ex quibus beneficium ecclesiastica auctoritate erigeretur, juspatronatus adquirere, &, si plures pro parte contulerint, omnes in solidum ad juspatronatus admitti. In Ecclesia vero certum quidem est, eum, qui & fundum, sive solum, in quo templum ædificaretur, dedit, & templum suis ædificavit impendiis, dotem etiam adsignavit, patronum fieri; at non generaliter dixerim, ob unam soli donationem, vel ob unam templi constructionem, vel ob unam dotis constitutionem, juspatronatus adquiri. Equidem si tres

concurrant, quorum unus solum donet, alter ædificet, tertius dotem conferat, omnes in solidum patroni dicentur, quasi isti unius vice fungantur. Sed longe aberrare videretur a recta Canonum interpretatione, qui nomine fundationis, vel constructionis, quarum causa patronatus ex canonum sanctione conceditur, nudam fundi collationem, aut nudam ædificii constructionem intelligeret; etenim sacri canones dum fundationem, vel constructionem commemorant, illam commemoratam volunt, quæ sit undecumque perfecta, cui propterea etiam congrua dotatio accesserit, unde nihil amplius ad sacra peragenda ministeria desideretur, juxta canonem 9. de consecr. dist. 1.. Itaque qui fundum tantummodo ad templi ædificationem dedit, aut qui tantummodo templum construxit, non dotavit, aut qui certa tantum bona dotis nomine Ecclesiæ jam constructæ contulit, Ecclesiæ benefactor appellabitur, non patronus, quemadmodum nemo dubitat, quin etiam benefactor tantummodo dicatur is, qui partem tantum fundi, aut impensarum ædificii causa tribuisset. Ad summum dici posset, hujus generis benefactoribus petentibus concedi Episcoporum arbitrio posse in ipso donationis actu singularia quædam jura patronatui similia, naturæ rei gestæ accommodata; veluti si qui solum dedit, peteret, ut sibi liceret sepulcrum sui, suorumque gratia excavare, aut scamnum in certo loco figere; si qui ædificavit, peteret, ut sua nomina ædibus inscriberentur, vel loco nominum pingerentur gentilitia stemmata; aut si qui dotem dedit, peteret, ut sibi ex abundantibus Ecclesiæ redditibus alimenta suppeditarentur, quoties ad inopiam vergeret.

At enim adhuc deliberandum censeo in hac postrema specie, nimirum in dotatione Ecclesiæ, vel beneficii erecti eo casu, quod aut Ecclesiæ nulla dos ab initio constituta fuisset; aut sive Ecclesiæ, sive beneficio constituta quidem fuisset, sed insufficiens; aut etiam ab initio sufficiens, quæ tamen postea sive in totum, sive pro parte perierit, adde his causam necessariæ restaurationis Ecclesiæ prope ruentis, vel dirutæ: hæc enim omnia quibusdam adhuc sunt difficultatibus obvoluta. Arbitror, in his speciebus dotatorem, aut restauratorem non aliter adquirere juspatronatus posse, quam si ad Superiorem ecclesiasticum confugiant, & de jurepatronatus adquirendo, dum dotem constituit, augetve, vel reædificaturus est Ecclesiam, expresse caveat, & obtineat. Qua in re Superioris ecclesiastici munus erit investigare, quid Ecclesiæ expediat, ne forte contingat aliquando, ut ex levioribus causis liberæ Ecclesiæ, aut libera beneficia in quamdam, ut loquuntur, servitutis speciem redigantur. Hinc juxta Concilii Tridentini constitutionem in cap. 12. sess. 14. de Ref., ubi de dotatione agitur, probandum erit ab eo, qui adquisiturus est juspatronatus, in primis, beneficium, vel Ecclesiam sufficientem dotem non habere, deinde competentem dotem esse, quam ipse confert. Immo Tridentini iidem Patres ad novas constructiones Ecclesiarum, item augmenta dotium sive in Ecclesiis, sive in beneficiis causa adquirendi jurispatronatus, non aliter deveniendum esse sanxerunt, quam *ob maxime evidentem Ecclesiæ, vel beneficii necessitatem*, sess. 25. de Ref. cap. 9. in fine, eademque ratione, ubi agatur de restauranda pene ruente, vel diruta Ecclesia, probandum erit, alias non facile sperari posse restaurationem. Quando vero ex augmento dotis adquirere quisquam vult juspatronatus in Ecclesia, vel beneficio, cujus dos proponatur, probeturque admodum tenuis, atque insufficiens, recipi consuevit, ut augmentum dotis dimidium saltem residuæ dotis attingat. Sæculo decimo quinto concedi consueverant jurapatronatus ex quocumque modico dotis augmento; atque has concessiones revocavit anno 1485. Innocentius VIII. in sua constitutione, quæ incipit: *Cum ab Apostolica Sede*, excepto

tantum casu, quo augmenta dimidium valoris beneficiariæ dotis attingant. Sed post Innocentium VIII. iterum nova privilegia etiam ex modico augmento dotis impetrata fuerunt, præsertim Pontificatum maximum gerente Leone X., quod occasionem dedit Hadriano VI. anno 1522. edendi constitutionem, quæ incipit: *Accepto*, qua revocavit omnia privilegia concessi patronatus, nisi in beneficiis majoribus Cathedralium, Regularium, & Conventualium Ecclesiarum, aut in cæteris electivis talis impensa fuerit opera ab eo, qui patronatum obtinuit, ut eadem beneficia, & Ecclesiæ fuerint de manibus infidelium ereptæ, ac vindicatæ; in beneficiis autem minoribus augmentum dotis dimidium saltem residuæ dotis æquaverit. Verum adhuc adnotant Interpretes, ac Pragmatici, ubi augmentum dotis occasionem, aut causam dedit adquirendo juripatronatus, adhuc juspatronatus haberi, ac si penitus ex privilegio concessum sit, propterea-que adhuc illud subjici Apostolicis reservationibus, nisi augmentum dotis tale fuerit, quod æquet omnino, aut superet Ecclesiæ, vel beneficii dotem, uti post alios bene multos tradit Rigantius ad regulam 9. Cancellariæ §. 2. num. 333. & sequentibus; notans, aucta dote ita, ut tantumdem collatum in Ecclesiam, vel beneficium fuerit, veram beneficii, vel Ecclesiæ dotationem fingi posse; ad summum autem æque ex justitia, atque ex gratia juspatronatus concessum videri; potiorem vero, ubi qualis sit causa, habendam esse justitiæ, quam gratiæ, rationem. Præterea ad obtinendum juspatronatus ex causa augmenti dotis, necessarium est, ut, quæ conferuntur, expresse tiulo dotis conferri dicantur, ne potius donatio quædam gratuita, quam donatio habeatur. Quod si agatur de Ecclesia, aut beneficio patronato ob necessariam causam restituendo, aut dotando, necessarium insuper erit vocare patronum, qui si voluerit aut restituere Ecclesiam, vel beneficium, aut dotem tenuem augere, cæteris erit præferendus, utpote in ea re, quæ ad ejus onus, & officium pertinet, argumento capit. 28. de præb. in 6.. Si autem patronus vocatus patiatur extraneum supplere, quæ necessaria sunt, sufficienter dotata Ecclesia, vel beneficium dicatur, extraneus ipse in consortium juripatronatus facile admittetur. Finge nunc, Ecclesiam esse liberam, & cum diruta fuerit, Rectorem ejusdem Ecclesiæ paratum fore ad reædificationem, dummodo illi juspatronatus indulgeatur; id erit a Superiore ecclesiastico denegandum, propterea quod jam aliunde Rectori ipsi reparationis onus immineat, quemadmodum jam definitum fertur a sacra Congregatione Concilii Tridentini die 23. Martii anno 1697.. Quæri ad hanc rem solet, quisnam agnoscendus sit tanquam legitimus superior ecclesiasticus in hac materie, ut Ecclesia, vel beneficium, quæ libera sint, ex restauratione, vel redotatione, vel augmento dotis in patronatum alicujus deducantur. In Ecclesiis restaurandis, certum est apud omnes, sufficere consensum Ordinarii, quia non tam de vetere restituenda, quam de nova erigenda Ecclesia agi videtur. At in redotatione, vel augmento dotis faciendo, sive ad beneficiorum, sive ad Ecclesiarum patronatum adquirendum necessarium esse Sedis Apostolicæ beneplacitum, Scriptorum nostrorum plurimi tradiderunt, propterea quod in hac adquisitione jurispatronatus agnoverunt quamdam bonorum, seu ecclesiasticorum jurium, sive, ut clarius loquar, libertatis ecclesiasticæ alienationem, ad quam non obtenta Sedis Apostolicæ dispensatione deveniri nequit, argumento extrv. un. de reb. Eccles. non alien. inter comm. Ego sane in hac re adhæreo principiis Tridentini Concilii, sive in cap. 12. sess. 14., sive in cap. 9. sess. 25. de Ref., ubi mandatum est Episcopis, ut tum demum adprobent jurapatronatus ex redotatione beneficii, vel Ecclesiæ, cum dos insufficiens fuerit, & maxime evidens redota-

tionis utilitas, in conspectu quorum decretorum videtur redotatio cum reservatione jurispatronatus in iis adjunctis Episcoporum arbitrio relicta; neque ad hanc speciem dicta extravagans unica referri potest. Quod si evidens non sit necessitas beneficii, aut Ecclesiæ redotandæ, sive augendæ dotis, sub conditione adquirendi jurispatronatus aut a redotante, aut ab augente dotem; tum ea potestas Episcopo denegabitur ob perspicuam ejusdem Trid. Conc. Episcopis factam prohibitionem.

Succedit altera disquisitio, num qui erexit Ecclesiam, vel beneficium, ipso jure, id est, nulla expresse facta jurispatronatus *reservatione*, juspatronatus adquirat. Id jam definitum fuisse videtur auctoritate Clementis III. in cap. 25. de jurepatron., qui dum interrogatus fuisset, an aliquis *sola constructione* efficiatur patronus, id est, sine expressa reservatione jurispatronatus, rescripsit, eum, qui Ecclesiam cum assensu diœcesam construxit, *ex eo*, id est, ipsa erectione Ecclesiæ, juspatronatus adquirere. Consonat his Innocentius III. in cap. 41. de testibus, ubi cum proponeretur, fundatores in ipso fundationis limine volentes Ecclesiam liberam existere, expresse juripatronatus renuntiavisse, omnem sollicitudinem adhiberi mandatum est, ut renuntiatio in publicum instrumentum redigeretur, quod sane inutile fuisset, si ad fundatorem generaliter exspectaret onus probandi, juspatronatus fuisse initio servatum. Quod si hæc quæstio non ad singulares rescriptorum definitiones, sed ad generalia juris principia exigatur, observo, juspatronatus competere fundatoribus, & ab eis causam habentibus, non quidem ex eorumdem fundatorum voluntate, sed ex juris generalis præscripto, propterea quod generales ipsæ leges hoc jus fundatoribus concesserunt. Neque enim sanxere leges, ut fundatoribus competeret facultas sibi reservandi juspatronatus, sed potius sanxerunt, ut fundatoribus ipsum juspatronatus competeret. At in illis, quæ ex juris sanctione proficiscuntur, non opus est hominis voluntate. Quod si ita non esset, non distingueretur juspatronatus a cæteris conditionibus, quas fundatores etiam in limine fundationis adjicere possunt, utut juri contrarias, dummodo non turpes, non inhonestas; quando scimus, conditiones hujus generis non aliter servari posse, quam si expresse fundator in tabulis fundationis de iis mentionem fecerit, atque ab Episcopo eas impletum iri impetraverit.

Ita postulant generales regulæ quæ locum habent non tantum in Cappellaniis aut laicalibus, aut ecclesiasticis, verum etiam in beneficiis, & Ecclesiis quibuscumque simplicibus. Exceptio passim proponitur in Ecclesiis Conventualibus, de quibus duo traduntur; primum est, fundatori Conventualis Ecclesiæ non competere jus nominandi Prælatum, nisi fundator hoc jus sibi in fundationis limine reservaverit; quod deducunt ex dicto cap. 25. de jurepatr. vers. *Cæterum*: alterum est, ne expressam quidem reservationem illius juris sufficere, nisi consensus Sedis Apostolicæ accedat. Conventualem Ecclesiam eam dices, in qua sit vel Canonicorum, vel Monachorum Collegium, sive sæculare, sive regulare, sub Episcopo, vel alio quocumquæ Prælato. Quo posito, non est una quæstio cum altera confundenda. Nimirum aliud est quærere, utrum qui Ecclesiam conventualem erexerit, adquirat sine expressa reservatione jus præsentandi, seu nominandi: aliud est quærere, an adquirat juspatronatus, siquidem adhuc juspatronatus sine jure præsentandi consistere potest, quod attinet ad cætera jura, quemadmodum vetustissimis temporibus, quando necdum fundatoribus concessum erat jus præsentandi, in aliis tamen quibusdam juribus consistebat patronatus, veluti in inscriptione nominum, in alimentis petendis, & similibus. Si de jure singulari præsentandi agatur, non est dubitandum, quin in Conventuali Ecclesia istud denegetur fundatori, seclusa speciali reservatione; at-

que huc pertinet definitio dicti capituli 25. vers. *Cæterum* in illis verbis, *nisi aliter de sua jurisdictione obtineat*, quod idem est, ac si diceretur, nisi expresse jus præsentandi sibi reservaverit. Hujus rei causa in eo consistit, quod qui Conventualem Ecclesiam erigit, nisi aliud exprimat, in ea mente esse videtur, ut eam erigat juxta specialem formam Conventualium Ecclesiarum. Quando vero in Conventualibus Ecclesiis ea est singularis disciplina, ut a Collegio Prælatus eligatur, can. 3. & passim caus. 18. quæst. 2., cap. 1. & toto fere titulo de electione, fundator, nisi aliud exprimat, præsumitur, Capitulo electionem Prælati liberam reliquisse. Neque vero quid simile deprehenditur in Ecclesiis simplicibus, in quibus ordinario jure collatio beneficiorum ad Episcopum pertinet. Forte enim quisquam observaret, æque in simplicibus beneficiis spectare liberam collationem ad Episcopum, ac in Conventualibus spectare liberam electionem ad Collegium; ac propterea si, ubi aliud non exprimatur, censetur fundator in Conventuali Ecclesia liberam reliquisse electionem gratia Collegii, etiam in simplice beneficio censeri fundatorem reliquisse liberam collationem gratia Episcopi. Sunt hæc valde diformia. Siquidem ubi Patronus cum Episcopo liberam collationem vindicante concurrit, Patronus jure singulari utitur adversus Episcopum jus commune allegantem; regula autem est, singularia generalibus derogare: ast ubi Patronus concurrit cum Collegio vindicante sibi liberam Prælati sui electionem, æque & Patronus, & Collegium jure singulari innituntur; Patronus jure privilegiis, & honoris sibi legibus delati, Collegium jure constitutionum, ex quibus Conventuales Ecclesiæ formam accipiunt; regula autem est, singularia non adeo facile singularibus derogare; alias insuper adversus Patronum interpretatio capienda est, qui cum posset sui gratia aliam legem dicere, minime dixit, quam si dixisset, servari opus esset, propterea quod adversus honestatem minime sit, eos, qui non sunt de Gremio Capituli, vel Monasterii, adhuc ad electionem admitti, cap. 3. de caus. possess., & propriet., cap. 47. & 50. de elect.. Cæterum etiam si fundator jure præsentandi non gaudeat, adhuc tamen patronatum quoad cæteros effectus adquirit. Quæ enim impedimento sunt juri præsentandi, non simile cæteris exercendis juribus impedimentum adferunt. Quidquid in dicto cap. 25. vers. *Cæterum* adhuc quia a præsentatione repellitur, patroni nomine appellatur? Quidquid in fine ejusdem capituli indiscriminatim in quibuscumque Ecclesiis dicitur fundatori & honorem processionis servari, &, si ad inopiam vergat, modeste succurri? Quidquid etiam in ea parte, qua fundator dicitur repelli a præsentatione in Conventuali Ecclesia reservata electione Collegio, adhuc tamen subjicitur, fundatoris tanquam patroni assensum postulari post factam electionem? Hunc sane consensum a Patrono præstandum, ne omnino inutilis vedeatur, talem jure dixeris, ut valeat ille, si quas habuerit justas dissentiendi causas, coram eo allegare, ad quem electionis confirmatio pertinet, argumento cap. 16. de accusation., atque ita interpretari quisquam posset canonem. 4. caus. 18. quæst. 2., ubi dicitur possessionis Domini voluntatem una cum electione Monachorum in ordinatione Abbatis regularis locum habere, quoties, quod alias ego tradidi, non reciperet, nimirum haberet istum canonem tamquam genuinum Pelagii Pontificis monumentum. Similia fere tradidit Innocentius III. in cap. 8. de consuet., ubi cum rescriberet, Monasterii fundatorem non esse admittendum ad electionem Abbatis, adhuc tamen ipsum Monasterii patronum appellat. Similia leguntur apud Gregorium IX. in cap. 51. de elect., ubi postquam definitum est, fundatorem non posse Abbatem Monasterii eligere, subjicitur, ejusdem tamquam pa-

troni honestum assensum requiri. Ex his omnibus puto, facile definiri posse alteram quæstionem, num quo casu Ecclesia Conventualis successu temporis Conventualis esse desierit, & simplex esse incipiat, patronus liberam habeat Rectoris nominationem, ac præsentationem? Quando enim fundator Ecclesiæ Conventualis etiam sine expressa reservatione juspatronatus adquirit, omnia etiam jura adquirit, quæ patronatum sequuntur, qualis est nominatio, ac præsentatio, ad quam devenire semper possit, nisi singulari aliqua causa impediatur. Impeditur autem ex singulari causa, quousque Ecclesia Conventualis manet, nimirum impeditur a Collegio, cujus est electio Prælati. At statim ac Ecclesia Conventualis esse desinit, impedimentum etiam cessat, eamque ob rem libera emergit jurispatronatus indoles; neque enim amplius concurrit Patronus cum Collegio jure singulari munito, sed concurrere incipit cum Episcopo, cui jus commune, & ordinarium conferendi titulum præberet; jus, inquam, commune, & ordinarium, quod jure singulari fundatoris, & patroni facile superatur. Adhuc inquirendum superest in hac re, num ad adquirendum jus præsentandi Prælatum in Ecclesia Conventuali gratia fundatoris, præter expressam ejus juris reservationem requiratur insuper Sedis Apostolicæ beneplacitum. Passim tradere solent Pragmatici, hoc insuper beneplacitum requiri, quæ traditio jam recepta fuisse videtur temporibus Innocentii VII., uti liquet ex ejus constitutione *Cum ab Apostolica Sede* anni 1485. ibi: *Nos igitur attendentes, quod juxta canonicas sanctiones juspatronatus præsentandi ad regimina Monasteriorum, Prioratus, Præposituras, & alias Conventuales, necnon in Cathedralibus, & Metropolitanis, & Collegiatis Ecclesiis hujusmodi dignitates (ad quas personæ idoneæ per Conventas, & Capitula illarum, seu illorum, dum pro tempore vacant, eligi consueverunt) in laicum nullo modo cadere potest, nisi ex speciali Sedis prædictæ privilegio, quod non nisi ex maximis, & urgentibus causis alicui per Sedem eamdem concedi consuevit &c.* At hæc traditio utut communis, non videtur solidis fundamentis innixa. Obstat ipsi generalis disciplina, quæ suadet permitti unicuique fundatori, dum de re sua in limine fundationis disponit, quascumque adjicere conditiones, dummodo non turpes, atque inhonestas, etiam si juri communi repugnent. Cur non æque permittetur fundatori talem conditionem adjicere, qua singulari juri, quod Collegiis competit in Ecclesia Conventuali, derogetur? Quod si eadem traditio exigatur ad jus scriptum, nullum aliud ecclesiastici juris monumentum Pragmatici proferunt, quam capitulum 25. de jurepatron., & canonem 39. caus. 16. quæst. 1.. At enim in dicto cap. 25. ne verbum quidem de Apostolico privilegio habetur. In dicto autem can. 39. species erat de Monasterio erecto in Civitate Augustodunensi a Syagrio ejusdem urbis Episcopo, item a Brunichilde Galliarum Regina. Mixtum erat, ut liquet, juspatronatus, partim ecclesiasticum, partim laicale. Gregorius Magnus dum plura privilegia Monasterio illi concederet, inter cætera voluit, ut Abbas a Rege Provinciæ cum consensu Monachorum eligeretur. Minime constat, fundatores initio sibi reservavisse jus nominandi Abbatem: cur non privilegium eo spectaret, ut non obstante hujus generis fundatione, in qua nihil erat de reservatione dictum, adhuc Regi competeret jus eligendi? Quod si ita est, nihil exiaedeprobatur, ad concl udendum, non prodesse reservationem in limine fundationis factam, nisi beneplacitum Sedis Apostolicæ accesserit. Cur non privilegium eo etiam spectare potuisset, ut soli Regi Brunichildis successori, excluso Augustodunensi Episcopo æque fundatore, ac patrono, jus eligendi concederetur? Immo adnotandum insuper est, canonem illum alia verborum formula a Gratiano expressum fuisse ab ea, quæ apud Grego-

rium concipitur; atque inter cætera apud Gregorium minime leguntur ea Gratiani verba, *quod privilegium ita est illius Ecclesiæ ut communem legem Regibus, vel Abbatibus omnino dare non possit.* Denique parum valeret in hanc rem traducere verba superius descripta ex constitutione Innocentii VIII., neque enim in ipsa constitutione sermo fit de jurepatonatus adquesito ex fundatione, sed de jurepatronatus ex gratia, atque mero privilegio adquirendo. Cæterum hæc omnia, quæ de Ecclesiis Conventualibus dicuntur, sive de expressa reservatione juris præsentandi juxta generalem canonum disciplinam, sive de privilegio Apostolicæ Sedis juxta receptam Pragmaticorum opinionem, obtinent quidem in electione Prelati Ecclesiæ Conventualis, quæ etiam tum magis obtinere cœperunt, cum Conventuales dignitates reservari cœperunt collationi Apostolicæ Sedis; non vero obtinent, ubi agatur de minoribus beneficiis in Conventuali Ecclesia erectis, eove minus de beneficiis erectis in Ecclesiis simplicibus, utut istæ simplices Ecclesiæ pendeant ab Ecclesia Conventuali.

Altera causa, ex qua jspatronatus constituitur, & primum adquiritur, est præscriptio. Id facile deducitur ex cap. 11. de jurepatron., ubi licet prohibeatur Clericis, ac Monachis, ne Ecclesias sibi vindicent ex donatione laicorum, propterea quod nullum sit penes laicos donantes jus Ecclesiarum in donatarios transferendum, id tamen admittitur, quotiescumque vindicaturus non tam donationem sibi factam alleget, quam legitima fuerit præscriptione munitus. Non agitur ibidem de jure singulari alicui in Ecclesia quæsito, atque in alterum transferendo, quasi præscriptio sit contra tertium possessorem, non adversus Ecclesiam opponatur sed agitur de Ecclesia libera, in quam donatores nullum omnino jus explicabant, uti ex integro contextu liquet. Atque ob hanc rem observatu dignum est, etiam præscriptionem admitti adversus Ecclesiæ, seu beneficii libertatem. Equidem non ignoro, nonnullos extare qui omnem præscriptionis speciem adversus Ecclesiæ libertatem laicis denegant, quamquam admittant præscriptionem laici adversus laicum, ubi Ecclesia jam patronata supponatur; neque dubitant isti ita interpretari dictum capitulum 11.. Asserunt autem, præscriptionem nemini suffragari, qui non sit ad adquirendum idoneus; idoneum vero putant laicum, secluso singulari privilegio, quod tantum fundatoribus competit ex generali canonum disciplina, quia, ut ajunt, juspatronatus jus spirituale est, cujus laici sunt ex rei natura incapaces. Verum hæc observatio parum, meo judicio, constat; ut enim prætermittam, juspatronatus potius dici jus spiritualibus adnexum, quam merum jus spirituale, cap. 16. hoc tit.; cap. 3. de judic., &, quamquam esset jus spirituale, minime pertinere ad jura spiritualia hierarchica, quemadmodum superius in cap. 1. adnotandum fuit; unde fit, laicos non omnino esse ab eo jure adquirendo remotos; satis erit hujus generis scriptores ex eorumdemmet principiis conficere. Quoties enim ipsi præter fundatorum, & a fundatoribus causam habentium personas veluti singulari privilegio munita, neminem ad adquirendum juspatronatus idoneum esse arbitrantur, frustra laicum nec fundatorem, nec a fundatore causam habentem, admitterent ad præscribendum patronatum adversus patronum; nemo enim potest præscribere jus, cujus adquirendi sit incapax; aut si præscriptio admittitur gratia illius, qui capax est adquirendi juris, ubi adversus patronum præscribat, nihil prohibet, quominus admittantur, ubi præscribat adversus Ecclesiæ libertatem. Videant igitur, qui contra sentiunt, ne, dum laicum a præscribendo repellunt, ubi adversus Ecclesiam præscriberet, eumdem etiam repellant a præscribendo, ubi præscriberet adversus laicum patronum. Num forte dicent, non adeo probari præscriptionem libertatis ecclesiasticæ, ac probetur præs-

criptio alicui patronatus, propterea quod parum Ecclesia intersit, vel hunc, vel illum patronum habere? Equidem hæc observatio in causa erit, ut alius præscribendi modus, alia forma in duabus istis præscriptionis speciebus recipiatur ac nihil commune habet cum proposito, seu quum dicunt, laicum jurispatronatus esse incapacem. Itaque non dubitabimus, quin præscriptio etiam adversus Ecclesiæ libertatem in adquirendo jurepatronatus locum habeat non Clericorum tantum gratia, sed etiam laicorum.

Difficilius est investigare, qualisnam sit admittenda præscriptio. Qua in re frustra de triennali usucaptione disputaretur, utpote quæ civili Romanorum jure tantum in rebus mobilibus recepta fuit; frustra etiam de præscriptione decem, vel viginti annorum, utpote quæ eodem Romanorum jure tantum recepta est in rebus corporalibus immobilibus; ad quas res corporales, seu immobiles, seu mobiles referri nequit juspatronatus. Tantum quæri potest de præscriptione tricenaria, quadragenaria, centenaria, & immemoriali. Olim ad præscribenda jura universa incorporalia & requirebatur, & sufficiebat præscriptio triginta annorum, l. 3. cod. de præscript. 30. vel 40. annor., nisi tamen quædam jura essent, quæ majore privilegio donata jure fuissent, qualia erant inter cæterea, jura minoribus competentia. Interea tamen recipiebatur, ut, quæ præscriptioni triginta annorum non subjacerent, quadraginta annis præscriberentur, l. 4. eod. tit.. Ecclesiarum bona, & jura quousque singulari privilegio in hac parte munita non fuerunt, ordinariæ etiam triginta annorum præscriptioni subjacebant, cujus rei multa extant apud Gratianum antiqua monumenta, in quibus hæc triginta annorum præscriptio comprobatur, can. 1. 2. 3. 4. 8. 9. 10. caus. 16. quæst. 3.. Primum Justinianus hoc Ecclesiis privilegium concessit, ut adversus ipsas sola centum annorum præscriptio objici valeret, l. 23. cod. de sacros. Eccles., Nov. 9.. Sed deinde nova lege hoc privilegium coercuit, statuens ut sola quadraginta annorum præscriptio opponi libere posset, Nov. 111. cap. 1., Nov. 131. cap. 6., quod etiam Pontificibus Maximis placuit, uti liquet ex can. 1. & 2. juncto 3. caus. 16. quæst. 4., cap. 4. 5. 6. & passim de præscription., quamquam tamen deinde Innocentius III. in cap. 13. & 14. eod. tit., cui consonat Bonifacius VIII., in cap. 2. eod. in 6., statuerit, contra Romanam Ecclesiam solam centenariam præscriptionem opponi posse, tantum adversus inferiores Ecclesias retenta quadragenaria, contra quam rescripsisset Urbanus II. in can. 2. caus. 16. quæst. 4. qui ab aliis possessa per annos quadraginta, voluit eisdem legitime quæsita, *etiam si quid Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit.* Itaque in conspectu hujus disciplinæ facile colligitur, eum, qui per annos quadraginta patronatum possedisse, vel quasi possedisse, deprehenditur, jure juspatronatus adquirere, uno tantum excepto casu, quo contra libertatem Romanæ Ecclesiæ præscriberetur, uti liquet ex monumentis modo laudatis, quibus addi potest capitulum 15. de privilegiis. At enim huc spectat Bonifacii VIII. doctrina, qui in cap. 1. de præscript. in 6. tradidit, distinguendam esse præscriptionem, quæ juri communi adversetur, a præscriptione, cui non est jus commune contrarium. Ubi præscriptio communi juri adversetur, docuit Bonifacius, non sufficere possessionem quadraginta annorum, cui etiam bona fides juncta fuerit, sed requiri præterea, ut certus titulus allegetur, ac probetur, quamquam, ubi juri communi non adversetur præscriptio, sufficiat sine allegatione tituli possessio quadraginta annorum, quam non inquinet mala fides. Igitur quicumque velit demonstrare adversus Ecclesiam sibi adquisitum esse juspatronatus ex præscriptione, non facile obtinebit, nisi præter possessionem quadraginta annorum bonæ fidei innixam, titulum etiam suæ possessionis alleget,

& ostendat, cum adversus jus commune contendat, videlicet adversus liberam beneficii collationem. Hinc facile intelligemus capitulum 25. de jurepatron., ubi patronus repellitur ab electione Prælati in Ecclesia Conventuali, *tametsi de longa consuetudine allegaverit, se electioni interesse debere*, uti legimus in adjecto ejusdem capituli fragmento, exceptione adposita, *nisi aliter de sua jurisdictione obtineat*; id est, nisi præter longam consuetudinem titulum etiam ostendat. Quod de quadragenaria præscriptione dictum est, idipsum recipiendum dixeris in centenaria, cum centenaria in jure majorem vim non acceperit, quam quadragenaria; nisi forte dixeris, in centenaria facilius bonam fidem præsumi, nec adeo claras requiri tituli probationes, dummodo quoquo modo allegatus titulus probari possit; ne forte hinc fraus fiat libertati Ecclesiarum, illinc gravis præsumptio elevetur, quæ prodest longissimi temporis possessori. Major sane vis est præscriptionis immemorialis, cujus scilicet initii nulla extat memoria; siquidem ipsa immemorialis possessio loco tituli est, & causam præbet, qua optimus quisque titulus præsumatur, dicto cap. 1. in fine de præscript. in 6., argumento capituli 36. de verbor. significatione.

Perspicua hæc esse demonstrantur in conspectu juris Decretalium. Negotium tamen facessere videntur Concilii Tridentini decreta. Ita statutum legitur in cap. 12. sess. 14. de Ref. *Nemo, etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticæ, vel sæcularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut cappellam de novo fundaverit, & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, juspatronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat.* Num igitur actum erit de vi quadragenariæ præscriptionis? Non puto, hanc fuisse Tridentinorum Patrum mentem, qui tantum voluerunt, ne extra causas fundationis, dotationis, aut necessariæ restaurationis, ex privilegio singulari juspatronatus facile concederetur, uti reducitur ex verbis *impetrare*, vel *obtinere*, quibus iidem Tridentini Patres usi fuerunt; non autem voluerunt, omnes adquirendi jurispatronatus modos delere, illos præsertim, qui ex legis potestate proficiscuntur, qualis est præscriptio quadraginta annorum, justo titulo accedente, cui etiam insit bona fides, eove magis præscriptio immemorialis. Id facile constat observanti causam, quare Tridentinum Concilium ad decretum illud sanciendum fuerit concitatum; ut enim observavit Cardinalis de Luca de jurepatron. disc. 11. numer. 10., & post eum Rigantius ad I. partem regulæ 9. Cancellariæ §. 2. numer. 342., ante tempora Concilii Tridentini etiam apud Sedem Apostolicam, atque ad ejus imitationem apud Ordinarios, frequens inoleverat usus facile concedendi in Ecclesiis liberis patronatum, etiam ex levioribus causis, quibus Ecclesiarum incommodis non satis consulere potuerat aut constitutio Innocentii VIII. anni 1485., aut constitutio Hadriani VI. anni 1522., consulendum autem censuerunt laudato decreto Tridentini Patres. Neque insuper aliam fuisse mentem Tridentinorum Antistitum, puto in conspectu capitis 9. de Ref. sess. 25.. Profitentur initio, se nolle *legitima* Patronorum jura violare, sed tantum velle curare, ne sub colore legitimi adepti juris beneficia in quamdam veluti servitutem rediganter. Plane *legitima* patronorum jura ea sunt, quæ a generali lege firmitatem habent; generalis autem lex juspatronatus concedit fundatoribus, sive illis, quos constat revera fundavisse, sive illis, quos fundavisse ex lapsu longi temporis præsumitur, & qui sui gratia allegant, & probant præscriptionem. Prosequuntur, & decernunt, ut *titulus jurispatronatus sit ex fundatione, vel donatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostenditur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispositionem.* Hæc verba non solum manifeste

admittunt immemorialem præscriptionem, immo non excludant quadragenariam justo titulo munitam, dum causæ admittuntur præter fundationem, vel dotationem, præter præscriptionem immemorialem, etiam illæ, quæ sunt *secundum juris dispositionem.* Quænam jurapatronatus excludantur, perspicue traditur in §. *Reliqui patronatus*, ubi tantum abrogantur patronatus ex singulari facultate, & privilegio concessi, quin ulla mentio fiat legitimæ præscriptionis. Quod si in vers. *In iis vero personis* adjectum fuit, nec sufficere quidem immemorialem præscriptionem quibusdam personis, vel universitatibus, nisi præter possessionem authenticis scripturis probentur præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quadraginta annorum spatio, & quidem omnes effectum sortitæ, id non ad abroganda legitimæ præscriptionis jura pertinet, sed ad inducendam difficiliorem probandi formam in iis personis, aut universitatibus, de quibus facilis esse potest præsumptio usurpationis, uti verba ipsa Tridentina demonstrant. Porro aliud est præscriptionem undecumque legitimam aboleri, aliud non adeo facile admitti præscriptionem, sed tum demum, cum aperte probatum fuerit, eam undecumque legitimam existere. Solet ordinario jure bona fides in præscribente præsumi: ubi suspicio est usurpationis, cessat bonæ fidei præsumptio; ac propterea qui bonam fidem allegat, certa exhibere in judicio debet bonæ fidei argumenta. His formam dedit Concilium Tridentinum, non vero legitimam præscriptionem penitus abolevit; quemadmodum etiam Tridentinum Concilium, cum de personis ageret, in quibus usurpationis suspicio est, etiam si immemorialem possessionem allegent, rigidiorem probationem exegit in dicto §. *In iis vero personis*, quamquam in §. præcedente inter causas juris patronatus adquirendi immemorialis præscriptio recenseatur. De hac probandi jurispatronatus ratione sermo inferius instituetur in cap. 6..

Postremam adquirendi jurispatronatus causam dixi esse privilegium; atque id generaliter verum olim fuit, sive ab Ordinariis, sive a Pontifice Maximo privilegium hujusmodi impetratum proponeretur. At ex Concilio Tridentino, quod, ut nuper tradidi, jurapatronatus fere omnia abrogavit, quæ non consisterent ex fundatione, vel dotatione, vel ex immemoriali præscriptione, vel ex aliis modis generali lege comprobatis, privilegia hujusmodi sublata videntur. Hodie frustra disputaretur de potestate Ordinariorum, quibus imminet executio Tridentinorum decretorum, nulla autem superest potestas concedendi privilegia contra Tridentina decreta id prohibentia. Ante Concilium Tridentinum ea facultate utebantur passim Antistites, uti adnotavit superius laudatus Cardinalis de Luca de jurepatron. disc. 11. num. 10., neque enim putabant Episcopi, hisce concessionibus se bona, aut jura Ecclesiarum alienare, aut has concessiones haberi inter alienationes, de quibus mentio fit in extrav. un. de reb. Eccl. non alien. int. comm.. Sed quod ad Sedem Apostolicam attinet, in primis observandum est, in ipso Tridentino decreto cap. 9. sess. 25. de Ref., cum omnia jurapatronatus ex privilegio concessa abrogarentur, singularem adjectam fuisse exceptionem his verbis: *Exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes jura imperii in dominiis suis habentes, pertinent.* Deinde observandum est, Pontifices Maximos, utut agnoverint salvam semper intelligi in Tridentinis decretis auctoritatem suam, uti legitur in sess. 25. de Ref. cap. ult., nihilominus abstinuisse a concedendis patronatuum privilegiis, quæ meram gratiam continerent. Quando vero non singularis quarumdam personarum favor, sed Ecclesiarum utilitas certum privilegium concedendum suadeat, tum privilegio concedendo locum fieri quandoque existimarunt. Plane uti-

litatem Ecclesiæ agnoscunt, ubi qui velit patronatum adquirere, paratum sese exhibet ad augendam Ecclesiæ, vel beneficii dotem; saltem usque ad dimidium constitutæ dotis, firmius etiam ubi tantumdem, quod æquet, aut excedat constitutam dotem, conferatur, juxta ea, quæ superius tradidi. Qua in re prudentiam imitantur prædecessorum Innocentii VIII. & Hadriani VI. superius commemoratorum, qui dum ante Tridentinum Concilium privilegiaria jurapatronatus abolerunt, hanc causam privilegii onerosi ad effectum adquirendi jurispatronatus ex augmento dotis expresse adprobaverunt, dicta constitutione *Cum ab Apostolica* anni 1485., & dicta constitutione *Accepto* anni 1522.

CAPUT V.

De modis, quibus juspatronatus semel adquisitum in alios transfertur.

JUspatronatus semel alicui jure quæsitum, quidquid olim certis in provinciis obtineret, hodie perpetuum habetur, & transfertur ab adquisitore in successores, vel juxta juris ejusdem naturam, vel juxta modos initio præstitutos. Dixi, quidquid olim certis in provinciis obtineret; etenim a sexto quidem Ecclesiæ sæculo certum esse generaliter potest, perpetuum juspatronatus fuisse; an vero ante idem sæculo id reciperetur, an etiam a sexto sæculo id statim receptum ubique fuerit, dubitari posset in conspectu canonis. 1. caus. 16. quæst. 5. & canonis 32. caus. 16. quæst. 7.. Laudatus canon 1. referendus est ad caput 10. Arausicani Concilii anni 441., non ad monumenta Nicolai Pontificis, quemadmodum Romani Correctores adnotaverunt: at enim constare non potest, quinto sæculo jam fuisse concessum fundatoribus jus nominandi Clericos in Ecclesia instituendos, quod jus in eo primum canone ædificatori Episcopo reservatur; quod nec forte in successorem Episcopum transferretur. Quod si ita sit, dici posset, perpetuum quidem fuisse patronatum, destitutum tamen nominandi jure, quod non nisi recentiore ætate concessum est. Immo etsi quis adhuc contendere velit, ut jus nominandi adserat successori, nec impinget quidem in sententiam canonis, cujus auctores non solliciti erant de successione juris nominandi definienda, sed potius de definiendo jure, quod tributim competeret & Episcopo ædificatori, & Episcopo diœcesano, quasi dicerent, institutionem in Ecclesia, una cum regimine sacrorum diœcesano cedere, jus nominandi ædificatori, non exclusis ædificatoris successoribus, indulgeretur. Insuper laudatus canon 32. qui est Toletani Concilii anni 655., pertinet ad singularem Hispanicarum provinciarum disciplinam, quæ provinciæ jamdiu bellorum injuria quassatæ, & Romano Græco Imperio divisæ non communi cum cæteris jure utebantur, quemadmodum adhuc erit inferius observandum. Præterea, uti liquet ex integro canonis contextu, qualis adparet in actis ejusdem Concilii, canon ille conceptus est de Monasteriis, & Parochialibus Ecclesiis, quæ *quorumdam Episcoporum vel insolentia, vel incuria horrendam decidebant in ruinam*, de quo ædificatores ipsi querelam ad Concilium detulerant; unde nihil mirum, si illarum sollicitudo commissa fuerit fundatoribus ipsis, *quandiu in hac vita superstites extiterint*; ex ex quibus colligitur, non tam ordinaria jura in iis adjunctis concessa fuisse fundatoribus, quale erat jus nominandi Clericos, sed etiam alia extra ordinem, ad

quæ ea clausula, *quamdiu in hac vita superstites extiterint*, referretur. Porro, quæcumque hac in temporum, & canonum obscuritate accommodanda sit interpretatio, certum est, successione temporum non penes unam fundatorum personam constitisse juspatronatus, sed etiam in successores post fundatorum obitum commeavisse. Et quidem in jurepatronatus Ecclesiastico, quicumque successor est in dignitate, vel beneficio, cui patronatus cohæret, is patronatum nanciscitur. Eadem ratione in patronatu reali, is perenni successione patronatu gaudet, qui rem possidet. De patronatu, uti vocant, passivo, vix sermonem habeo; cum hic proprie patronatus non sit, sed nominatio plurium Clericorum sibi invicem in beneficio succedentium a fundatore facta, in quo non tam successio, & succedendi ratio inspicitur, quam singularis designatio fundatoris. Quæ disputari possunt, pertinent præcipue ad juspatronatus, uti vocant, activum, qui verus patronatus est, prout illud modo hæreditarium est, modo gentilitium, aut familiare. Passim tradi generaliter solet, in ordine successionis in hoc jurepatronatus easdem leges esse observandas, quæ in fideicommissis, in pluribus etiam, quæ in feudis a Pragmaticis custodiuntur. Sed nonnihil juvabit, aliqua specialiter adnotare.

Itaque cum primum juspatronatus in Ecclesia receptum est, illud haberi decuit, veluti suapte natura hæreditarium, nisi aliud a fundatore specialiter expressum fuisset. Siquidem cum juspatronatus quædam sit honorifica repensatio bonorum in Ecclesiam collatorum, eorum gratia fieri repensationem decebat, qui ex collatione bonorum sua jura imminui sentiebant, quales erant hæredes. His accedit, hæredes ipsos coactos identidem fuisse ad perficiendum pium, sacrumve opus, quod a defunctis institutoribus cœptum erat, non undecumque perfectum, quod jam olim statuerat Zeno Imperator in l. 15. cod. de sacros. Eccles., excepta ex Nomocanone Photii in tit. 2. *de extruendis Ecclesiis*; ac propterea passim & hæredibus nomen conveniebat fundatorum. Eisdem sane principiis adhæsit Justinianus Imperator, seu in l. 46. cod. de Episc. & Cler., cum definivit, oportere, ut hæredes impleant, quod a defuncto cœptum est in utilitatem Ecclesiæ, seu in Nov. 123. cap. 18., cum *ordinationem*, id est, designationem, *Clericorum* aut fundatori, aut ejus hæredibus adseruit, seu denique in Nov. 131. cap. 7. & 10., cum religiosa loca jam a fundatoribus cœpta voluit ab hæredibus perfici. Hæc ipsa confirmata sunt canonibus in Ecclesia editis, can. 35. & 36. caus. 16. quæst. 7., cap. 1. & 3. de jurepatron.. Negotium sane nemini facessere debent aut canon 30., aut canon 31. caus. 16. quæst. 7., in quibus mentio singularis facta videtur *de filiis, nepotibus, ac honestioribus propinquis*. Forte enim verba hæc eo spectant, non ut filii, nepotes, & propinqui præferantur hæredibus, sed eo, ut ideo filii, nepotes, aut propinqui ad juspatronatus admittantur, quod ipsi ut plurimum fundatoribus hæredes existant; & revera in dicto can. 31. promiscue filii, nepotes, & propinqui, etiam hæredes appellantur ibi, *ipsi tamen hæredibus*. Forte etiam dici potest, in Hispania singularem disciplinam fuisse, juxta quam is honor, non hæredibus, sed filiis, nepotibus, ac propinquis deferretur, etsi hæredes non essent, in Hispania inquam, ad quam non nisi serius pervenit Justinianeus codex, in quo clarius definita ea jurisprudentia generalis fuit, & ad quam nec pervenire adhuc potuit laudata antiquior constitutio Zenonis, quæ desideratur in codice Theodosiano, quo uno Hispani utebantur. Ex his facile infertur, ordinario jure hæredes universos fundatori in patronatu succedere; & hanc ipsam ob causam, ubi singularibus constitutionibus receptum est, ut in legitimis successoribus feminæ a masculis concurrentibus excludantur, juspatronatus

etiam devolvi cum hæreditate ad masculos, exclusis feminis; similique ratione fundatoris, vel patroni filium ad juspatronatus minime admitti, nisi aut institutus hæres fuerit, aut hæres extiterit; neque enim in hæreditario patronatu filius admitteretur, qui a paterna hæreditate abstinuisset.

Res perspicua esse videtur, ubi fundatori, aut fundatoris hæredi unus tantum hæres existat. Quid vero, si plures hæredes fuerint, vel æquali, vel inæquali tributa inter ipsos portione? Juspatronatus in his speciebus semper indivisum manebit, can. 35. & 36. caus. 16. quæst. 7., Clem. 2. de jurepatron.. Jamdiu enim aboliti abusus fuere, qui gliscere cœperunt ferreis Ecclesiæ sæculis, quum plures Ecclesiarum patroni inter se partiebantur non solum Ecclesias, verum etiam Altaria, & unusquisque singulos Clericos designabat Altari ministraturos, unde aliquando eveniebat, ut omnes simul designati Clerici sacra facerent in eodem Altari, & dum unus Missarum solemnia celebrare inciperet, alter jam Eucharistiam conficeret, postremus ad finem vergeret: quibus corruptelis non aliter olim mederi potuit, quam Episcopali mandato, quo sacræ reliquiæ ab Ecclesiis, & ab Altaribus asportarentur, & clauderentur ostia Ecclesiarum, dicto can. 35. & 36., cap. 1. & 2. de jurepatron.. Hodie firmata indole patronatus, tanquam juris individui, plures fundatoris, vel patroni hæredes loco unius habentur. Quamobrem frustra quæreretur, an jus adcrescendi locum inter ipsos cohæredes haberet, quoties unus ex hæredibus juri suo cederet: nimirum cum Ecclesia non possit esse in parte patronata, in parte libera, cohæres, qui juri suo non cessit, integrum potius juspatronatus, quod habebat, dicendus est retinuisse, & liberius exercere ex cohæredis refutatione, quam partem adquisivisse. Ita sese res habet in proposito, ac si de servitute reali ageretur, quam si quis stipulatus fuisset, & pluribus relictis hæredibus decessisset, a singulis hæredibus solida petitio esset, adeo ut acceptilatio ab uno hærede pro parte facta inutilis haberetur, l. 17. ff. de servit., 4. §. 4. ff. si servit. vindic., l. 72. ff. de verb. oblig., l. 13. §. 1. ff. de acceptilat.. Simile quidquam adparet in onere evictionis, quæ species defensionis est, quod sane & ipsum semel ab uno susceptum non dividitur inter ejus hæredes, l. 62. §. 1. ff. de eviction., l. 85. §. penult. ff. de verb. obligat.. Quamobrem juspatronatus adhuc distat in hac parte abs jure dominicæ potestatis, quod domini in servos suos habebant, cujus ratione, si duo domini essent, cedente uno jus suum, alter jure adcrescendi eam, quæ sibi deerat, dominii partem adquirebat, §. 4. instit. de donation., Paulus libr. 4. sentent. tit. 12. §. 1., licet enim servus divisionem minime pateretur, divisio tamen quædam animo concipiebatur, argumento l. 2. princ. cod. de comm. serv. man., quod satis erat ad inducendum jus adcrescendi; at honor patronatus in Ecclesia, aut beneficio, nec dividuus in se est, neque dividuus fingi potest, ne exitu inspecto quodammodo divisus videatur. Insuper notandum est, in juribus quibusdam individuis aliquando receptum fuisse, ut uno hærede suum jus remittente, alter jus suum remittere teneretur, recepto certo pretio, quemadmodum contingebat apud Romanos in servo communi, juxta speciem leg. 16. ff. de Senatuscons. Silaniano, & ex constitutione Justiniani in l. 2. cod. de servo comm. manum., juncto dicto §. 4. instit. de donat., juxta quas leges libertate a condomino data servus plenam libertatem facile consequebatur. At hæc disciplina, preterquamquod variis disputationibus fuit apud veteres obnoxia, uti idem Justinianus testatus est in dicto §., propterea que non firma fuit, nisi post expressam Imperatoris constitutionem in dicta l. [illegible] facilius recipi potuit, quoties ageretur de re, quæ pretio æstimari valeret. Non est

igitur traducenda ad juspatronatus Ecclesiarum, in quo nulla pretii æstimatio admittitur, in quo nulla est singularis constitutio adeo favens libertati Ecclesiarum, ut juribus semel alicui quæsitis, & ab ipsa Ecclesia concessis fraus, & diminutio fit. Magna erant digni apud Romanos miseratione servi, qui non voluntarie, sed fato, aut necessitate in eam conditionem turpissimam redacti fuerant. Non tanta autem est habenda ratio juris-patronatus in Ecclesia constituti, quod ex liberalitate Ecclesiæ concessum est, & ex quo non magnum sentit Ecclesia detrimentum, quin potius aliquando præsidium, ac non contemnendum patrocinium. Quod si juspatronatus voluntate hæredum dividi nequit, eamdem ob causam nec dividi poterit judicio familiæ erciscundæ; immo si quæreretur, an in hoc judicio possit abs Judice juspatronatus uni potius hæredi, cæteris exclusis, adjudicari; probabilior mihi videretur opinio asserentium, hanc facultatem Judici denegandam esse, cum Judex ea tantum adjudicare possit uni; in quibus compensatio gratia alterius locum habeat, l. 19. & 20. §. 5. ff. famil. ercisc.; ac compensatio in jurepatronatus, quod naturam induit spiritualis juris, non est admittenda; atque ob hanc rationem Jureconsultus in l. 30. ff. famil. ercisc. respondit, jus religiosi loci, utpote exempti ab humano commercio, in illud judicium non venire. Id adeo verum puto, ut licet in eadem hæreditate plura sint jurapatronatus, quorum unum uni, alterum alteri cohæredi adsignare Judex vellet, huic divisioni locus non fiat, quia nusquam dici potest compensatio facta in ea re, quæ compensationem refugit; præsertim etiam quod interesse Ecclesiæ possit, plures potius, quam unum habere patronum, ab uno potius, quam ab alio defendi.

Nondum tamen confecta res est, nisi præterea distinguatur juspatronatus ab juris ejusdem patronatus exercitione. Jus quidem patronatus per se consideratum individuum est; fieri tamen potest, ut exercitio partes recipiat aut æquales, aut inæquales, aut ex voluntate fundatorum, aut ex arbitrio possidentium. Id vel ipsa utilitas publica suasit, ut fundatoribus, vel patronis liceret omnem, quoad fieri posset, dissentiendi, vel dimicandi occasionem avertere. Finge in primis, fundatorem decessisse duobus relictis hæredibus, quorum prior unum, posterior plures hæredes habuerit: licet omnes patroni sint, atque individuum jus una possideant, quasi solidum, tamen in exercitione juris ita habebuntur, ac si fundatori successerint omnes non quidem in capita, sed in stirpes, ut, quoad fieri valeat, servetur æqualitas inter hæredes fundatoris, quos æquo jure fundator ipse vocavit, Clement. 2. de jurepatron.. Secundo poterunt quoque cohæredes pro diviso, sive facta commoda temporis distributione, jure suo experiri, ex. gr. alternis vicibus Clericum præstando, ad quam tamen distributionem non aliter deveniri potest, quam si patroni singuli consentiant, ita ut ne major quidem patronorum pars minorem partem, etsi ad unum redactam, vincere possit; immo & singulorum consensus libere præstandus erit; ac propterea si patroni forte in jure suo exercendo discordent, Episcopus eos ex. gr. ad alternas præsentationes Clericorum faciendas cogere non poterit; atque hoc est, quod statuit Summus Pontifex in Clementina 2. hoc tit., dum inquit *Patronos non ipsos inter se posse libere convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando*; neque enim ante Clementem V. scimus, hac auctoritate usos unquam fuisse Episcopos, qui, quoties Patronos minime concordes agnoscerent, eo potius quandoque deveniebant, ut ostia clauderent Ecclesiarum, & reliquias adsportarent, cap. 1. & 2. de jurepatron.. Fateor, aliquando contingere, juxta juris Romani principia, in juribus individuis exercendis, in quibus dissidia oriri inter plures possent, auctoritate Judicis tempora dividi, quibus jus exerceatur, argumen-

to l. 7. §. 10. ff. communi divid., l. 4. & 5. ff. de aq. quot. & æst.. Hæc tamen vera sunt, ubi nullum aliud superest ordinarium juris remedium ad pacandos animos; qua in specie extra ordinem partes suas Judex interponit. Sed ubi agitur de jurepatronatus, ordinarium remedium est, quod spectat ad jus præsentationis: nimirum si patroni in præsentando dissentiant, nec aliquem communibus suffragiis præsentent, ad Episcopum libera devolvitur beneficii collatio, si præsentatio facta non sit, aut Episcopus unum alteri libere præponit, ubi plures a pluribus patronis fuerint præsentati, cap. 3. de jurepatron.. Singularis exceptio est in quibusdam juribus, quæ fundatores sibi reservaverint, & quæ per plures expleri non possunt, in quibus propterea non nisi extraordinario remedio, id est, auctoritati Judicis locus esse potest. Quod ex. gr. contingeret, si fundator sibi initio reservaverit jus, & honorem habendi stato die, ac ritu candelam benedictam; etenim pluribus deinde existentibus fundatoris hæredibus præcipi abs Judice potest, ut patiantur, alternis vicibus sibi candelam tribui, quoties alia ratione fieri satis omnibus nequeat.

Singulares quoque sunt leges dictæ successioni in jurepatronatus gentilitio, vel familiari, in quo qualitas tantum gentis, vel familæ, non qualitas hæreditaria inspicitur, adeo ut, ne testamento quidem, patronus filios, aut agnatos excludere non valeat, contra legem dictam a fundatore, cui parere omnino debet. Et quamquam sint, qui saltem fundatori hanc facultatem concedendam putent; ego tamen arbitror, non licere ipsi novam in detrimentum Ecclesiæ indere semel constituto patronatui qualitatem; cum Ecclesiæ aliquando interesse possint, potius fundatoris agnatos, aut liberos, in limine propterea fundationis admissos, quam ignotos quosdam extraneos patronos habere. Aliud dicendum est, si fundator ipse, non fundatoris successor, consensum Episcopi impetret, ut legem ab initio dictam retractet, & alios sibi successores, quam liberos, vel agnatos designet. Siquidem in proposito agitur de eo, quod Ecclesiæ interest; quodque propterea ecclesiastici Prælati accedente consensu facile transformatur. Neque conqueri possunt aut liberi, aut agnati in limine fundationis vocati, quod deinde excludantur, mutata a fundatore sententia; siquidem isti cum necdum certum jus adquisiverint, potius nihil accepisse, quam jure suo spoliati fuisse a fundatore videntur, argumento l. 3. ff. de interdictis, & relegatis. Immo ex hac ratione concedetur fundatori, non tamen fundatoris successori, facultas libere eligendi unam lineam vel liberorum, vel agnatorum ex pluribus ab initio vocatis, in qua una juspatronatus concludatur, etiam non accedente Episcopi consensione, propterea quod licet mutetur forma initio indita patronatui, de hac tamen immutatione conqueri Ecclesia nequit, utpote ex qua utilitatem sentit, spe concepta futurum, ut facilius libera evadat; alias autem semper verum est, cæteras lineas ab initio vocatas conqueri non posse, quia liberum erat fundatori illas aut vocare, aut non vocare. Qua vero ratione liberi, agnative omnes in patronatus familiaris, vel gentilitii successione admittantur, nequit generaliter definiri; sed distinguere oportet varias istorum patronatuum formas, quarum diversitas agnosci solet ex verborum conceptionibus, quibus fundationum tabulæ constant. Prima species est patronatus, uti vocant, gradualis, in quo veluti par gradus jus ipsum descendit de patre in filium, de filio in nepotem, & sic successive in descendentes omnes. Hæc patronatus qualitas in dubio præsumitur, dummodo alias in genere constet, patronatum familiarem esse, argumento l. 32. §. 6., & l. 69. §. 3. de legat. 2., atque in ea ad jura patronorum explicanda, numquam aut filius cum patre, aut cum filio nepos admittitur; sed qui proximus fundatori est, interea remotiorem excludit, quemad-

modum, si plures in eodem gradu sint, omnes æque admittuntur. Altera species est patronatus linealis, in quo ex agnatione non omnes simul lineæ vocantur, sed successive, & quasi per gradus; atque in ea specie nunquam admittitur linea ulterius vocata, quousque extant ex iis, qui in linea anterius vocata consistunt, etiam si forte qui in ulteriore linea extant, sint fundatori propinquiores. Tertia species est patronatus primogenialis, qui scilicet de primogenito vocatæ lineæ, vel familiæ in primogenitum quasi per gradus traducitur; qua in specie probabilior videtur opinio asserentium, primogenitum juris præferendum esse primogenito facti, ita ut ex. gr. filius primogeniti patruum, seu fratrem patris secundogenitum, utut nepote seniorem, excludat. Agitur in hac re de honore familiæ concesso; honor autem, & splendor familiæ ex usu gentium in primogenitis, & primogenitorum filiis convenientius servatur; unde vulgares sunt in hac, & simili materie regulæ, quibus, cum inter plures ad primogenium vocatos fit controversia, primo consideranda est linea, secundo gradus, tertio sexus, quarto denique ætas. Non ita dicendum est in patronatu, uti vocant, passivo; in quo, cum proprie juspatronatus non sit, sed nominatio a fundatore facta, ac propterea dirigatur non ad honorem familiæ, sed ad designandum in certa familia gratia Ecclesiæ administrum, primogenitus facti, sive senior, primogenito juris anteferretur, cum per seniorem administrum melius Ecclesiæ, & beneficio consulatur. Exceptio tamen erit in jurepatronatus activo, si ex conjecturis aliter colligatur sensisse fundatorem; veluti si fundator dixisset, se vocare ad patronatum non primogenitum quidem, sed majorem natu, vel seniorem ex agnatis; hæc enim verba, nisi aliter usus aliquarum regionum ferat, vulgo non ad juris, sed ad facti primogenitos referuntur; ex quibus propterea constitutum Pragmatici adserunt saltuarium patronatum, quasi patronatus prosiliat de una in alteram lineam familiæ, vel agnationis, ut semper in seniore resideat. At si inter duos geminos natos de primogeniali patronatu controversia oriatur, hæc erit potius controversia facti, quam juris, ut ait jureconsulsus in specie legis 15. & 16. ff. de statu hominum. Disputent quidem Physici, quis genitus primum fuerit, Jureconsultus eum primo genitum vocat, quem primo editum fuisse natura demonstrat, proindeque eum admittit ad primogenialem patronatum, qui primum natus fuerit. Difficilius lis dirimeretur, quoties non satis constaret, uter de geminis natis primo editus fuerit, uti contingeret, cum enixa mulier morbo gravata, aut quicumque gravatæ mulieri prospiciunt, sollicitam curam non habuerunt, ut unum filium ab altero secernerent. Ego putarem, in hac dubitatione nonnihil concedendum esse patriæ potestati, ac tanquam primogenitum eum habendum esse, quem tamquam primogenitum pater habuerit, quasi jam paterno judicio in possessione primogenii constitutum, a qua dejici nequeat, nisi ab eo, qui manifestis probationibus se primogenitum esse demonstret. Postrema species jurispatronatus seu gentilitii, seu familiaris est, cum plures, vel omnes de gente, vel familia ad modum Collegii expresse vocantur; atque in hac specie obtinet, ut filius etiam cum patre concurrat, siatque propterea totidem constituti patroni, quot existunt capita; & vulgo juspatronatus collegiale appellatur.

Qualecumque autem sit ex quatuor superius explicatis speciebus juspatronatus, semper distinguendæ erunt duplicis generis lineæ; aliam enim Pragmatici vocant lineam effectivam, aliam contentivam. Effectivam dicunt, in qua continentur solum descendentes a fundatore; contentivam quasi eam, in qua continetur ipse fundator, quæ etiam complectitur agnatos collaterales; atque inter utramque lineam discrimen intercedit, quod numquam contentiva linea ad pa-

tronatum vocata censeatur, nisi expresse, aut saltem ex gravibus conjecturis, constet de ejusdem vocatione. Quæri solet, an feminæ ad patronatum familiarem, vel gentilitium admittantur. Improbandum non puto hac in re Pragmaticorum opinionem, qui illas demum admittunt, deficientibus masculis: quia licet feminæ ad familiam pertineant, non tamen æque per ipsas familia servatur, cum in alias ipsæ familias per nuptias traducantur, l. 195. in fine, & l. 196. ff. de verbor. signific.. Quod tamen ita velim intelligatur, ut feminæ a fundatore descendentes postponantur quidem agnatis a fundatore pariter descendentibus, & qui dicuntur esse in familia effectiva; non autem postponantur agnatis fundatori collateralibus, & qui dicuntur esse in familia contentiva, etiam si agnati collaterales in defectu agnotorum descendentium expresse vocati fuissent a fundatore, argumento tituli 18. libr. 2. feudorum. De feminarum filiis alia habenda erit ratio, quotiescumque fundator, aut agnatos tantum vocaverit, aut agnationis unius habendam esse voluerit rationem; cum feminarum filii ad familiam, & agnationem minime pertineant, dicta l. 196. ff. de verb. signific.. Quod si fundator aut de agnatione, familiave expresse non meminit, aut eam contemplatus fuisse non adparet ex conjecturis; sed tantum ex. gr. dixeris, se vocare ad juspatronatus nepotes, & descendentes suos, & masculos; hac in specie cum non videatur institutus agnatitius, vel familiaris patronatus, sed potius descendentium masculorum gratia, quid prohibebit, quominus ad illum etiam masculi e femina descendentes, matre tamen exclusa, admittantur, etiam concurrentibus masculorum filiis, l. 4. cod. de liberis præteritis? Ne autem liberi illegitimi gentilitium, aut familiare juspatronatus adquirant, manifesta juris ratio prohibet, sive quod præsumendum non est, de istis cogitavisse fundatorem; sive quod Ecclesia ab honoribus ecclesiasticis spurios arcere consueverit, etiam si forte legitimati proponantur, nisi specialis etiam in hac parte dispensatio accesserit, qua ipsi ad adquirendum juspatronatus idonei declarentur.

Sunt etiam aliæ singulares observandæ leges in translatione jurispatronatus realis, quod nimirum villæ, feudo, vel fundo cohæret: siquidem istud transit in eos omnes, ad quos feudi, villæ, vel fundi possessio transferatur. Hæc regula perspicua æque, ac certa est, ubi agitur de pleno translato dominio rei, veluti donatione, venditione, legato, aliisque similibus titulis ad dominium transferendum idoneis. Quandoque tamen contingit, ut non plenum rei dominium transferatur, sed tantum vel dominium utile, vel aliud jus reale dominio utili proximum; atque in his casibus dubitari solet, num hoc jure reali translatio etiam censeatur translatum juspatronatus. Species est a specie sejungenda. In primis dubitandum non est, quin Vassallus, emphyteuta, & is qui bona, non locationis brevi tempore circumscriptæ causa, sed, uti vocant, *ad firmam*, id est, vel ad vitam, vel ad longissimum tempus, puta centum annorum, possidenda accepit, jurepatronatus potiatur, cap. 7. & 13. de jurepatron.; etenim isti omnes dominium utile nasciscuntur. Atque ex hac ipsa ratione etiam ad juspatronatus exercendum admittetur fructuarius, utpote qui quodammodo prædii dominus dici potest, l. 4. ff. de usufr. & quemadmodum. Neque in hac re probari debent quorumdam Interpretum adnotationes, qui scripserunt, ideo denegandum esse fructuario jus istud, propterea quod non possit accenseri fructibus, qui singulis annis renascuntur. Nam fructuario non solum fructus rei fructuariæ cedunt, sed etiam quidquid obvenit occasione fructuariæ rei, quemadmodum commode deduci potest ex l. 13. §. 8. ff. de damno infecto. Potiore sane jure translatum juspatro-

tus dicetur in maritum, quoties illud dotali fundo cohæreat, quum maritus dotalis fundi dominus habeatur, princip. instit. quib. alien. lic.. Bonæ fidei possessorem certum est ad patronatum admitti; nam hic jure saltem prætorio dominium habet, atque apud omnes tanquam verus dominus consideratur. Aliud sane dici debet de creditore, qui pignoris, hypothecæve nomine bona possideat; uti enim creditor, licet possessionem habeat, tamen possessor non est, quemadmodum eleganter scribebat Macer in l. 15. §. 2. ff. qui satisd. cogant; nec jus habet dominio proximum, ita debet abs jurispatronatus exercitione repelli. Præterea finis constituendi pignoris est, ut creditor fructus, & obventiones percipiat nomine debitoris in sortem computandos, cap. 6. de pignor., cap. 1. & 2. de usur., immo & finis idem pignoris intra eos limites continetur, quos postulat securitas creditoris. Quomodo autem aut fructibus accenseri, vel inter obventiones referri, vel computari in sortem a creditore poterit, ex. gr. Clerici præsentatio ad beneficium, atque alia similia jurispatronatus jura, quæ & pretio æstimari non possunt, & nihil commune habent cum securitate creditori præstanda? Potius censeo, jurispatronatus exercitionem concedendam esse, non quidem simplici depositario, qui non possessionem habet, sed meram custodiam; sed sequestri, penes quem fundi, alteriusve rei litigiosæ, cui patronatus adhæreat, possessio quædam, sive detentio auctoritate Judicis habeatur; quum enim juspatronatus exercendum aliquando sit, & sine mora, nemo alius eodem jure experiri posset sine litigantium detrimento, quorum interest, a sequestre patronalia jura exerceri, dum ipsi exercitione interdicuntur, ne alias possessionem patronatus a se abjecisse videantur; quæ sententia maxime congruit definitioni Clementis V. in Clement. un. de sequestrat. possess. & propriet., ajentis, etiam rerum beneficiariarum sequestrem illarum omnium curam gerere & posse, & debere.

Qualecumque sit juspatronatus, nec per se vendi, nec cum re aliqua permutari potest, cap. 6. & 16. de jurepatron. per se inquam; neque enim repugnat, vendi universitatem bonorum, ita ut cum illa patronatus transeat in emptorem, argumento l. 30. ff. famil. ercisc. in illis verbis, *cum universitatem emere non possim*; eodem modo, quo contingit in jurepatronatus reali re vendita. Non erit ista patronatus venditio, sed potius venditio universitatis, aut rei, quam ex accidenti sequitur patronatus, quemadmodum Imperatorum statuæ, & religiosa loca ab humano commercio exempta, apud veteres vendito fundo, cui adhærebant, non vendi quidem per se dicebantur, sed cum re vendita in emptorem transire, l. 22. 23. 24. ff. de contrah. empt., l. 53. §. 1. ff. de action. empti, juncta l. 62. ff. de adquir. rer. domin., unde Tacitus libr. 1. annalium cap. 73. ajebat, nihil contra religionem fieri, cum Augusti effigies, & alia Numinum simulacra hortorum, & domuum venditionibus accederent. Hinc sequitur, venditori non licere augere rerum venditarum pretium, ex eo quod rebus venditis patronatus cohæreat, cum simoniæ species sit, temporale quidpiam pro jure spirituali, vel quod proxime accedit spirituali, exigere. Immo simoniacum etiam crediderim illum, qui in contractu venditionis faciat jurispatronatus mentionem, hac ex. gr. formula usus, vendo fundum cum omnibus juribus, actionibus, servitutibus, jurepatronatus &c. Siquidem singularis hæc jurispatronatus mentio animum vendentis indicare videtur. Neque dicas, non obesse eam exprimi formulam, quæ adhuc tacite inest, quoties non exprimeretur: nam novum non est, aliquando expressa nocere, quæ non expressa non nocent, l. 52. ff. de condition. & demonstrat., quod & adparet in ea legati specie, qua testator fundum duobus leget, adjecta particula *æquis partibus*; quæ sane particula licet tacite legato inesse videatur, expressa ta-

men habet singularem effectum, & impedit jus adcrescendi, cui locus fieret, si non exprimeretur. Excipe tamen casum, quo mentio fieret jurispatronatus, non tanquam rei obnoxiæ venditioni, sed velut admonitio quædam specialis facta emptori, ut nimirum ipse intelligat, quænam sint jura, quæ rem venditam sequantur, possitque illorum conscius factus eadem facile exercere, quæ sane venditoris mens ex conjecturis elicietur, veluti si adpareret, fundi pretium occasione jurispatronatus adauctum non fuisse, aliisque similibus augmentis. Quæri adhuc solet, num vendi saltem actio possit, qua emptor coram judice experiatur ad petendum juspatronatus, de quo sit controversia. Verius arbitror, neque hanc venditionem esse admittendam, quum actio ad rem petendam induat eamdem naturam, quam habet res ipsa, argumento l. 18. ff. de auctoritate tut., & l. 16. eod. de usufr., & nihil interesse videatur an quis rem habeat ipsam, an actionem ad rem petendam, l. 15. ff. de Reg. jur., l. 52. ff. de adquir. rer. dom., l. 17. ff. de adquir. possess.. His accedit admissa hac venditione, variis statim collusionibus præbitum iri occasionem, & passim eventurum, ut sub specie probatæ venditionis actionis ad juspatronatus consequendum, jura ipsa patronatus veniant in detestabilem mercaturam.

Si de jurispatronatus donatione quæratur, distinguendum in primis est inter laicum, & ecclesiasticum patronatum. Qui ecclesiastico jurepatronatus gaudet, non nisi in iis casibus donare illud poterit, quibus aut jura, aut res sui beneficii alienare potest, immo & ipsa donatione eas omnes intercedere oportebit solemnitates, quæ generaliter in alienatione jurium, & rerum ecclesiasticarum sunt custodiendæ, præsertim juxta extravagantem unic. de rebus Eccles. non alien. int. comm.. Si vero quisquam laicum habeat patronatum, iterum distinguendum est, an donaturus sit vel eidem, vel alteri Ecclesiæ, vel loco religioso, vel alteri laico. Cum Ecclesiæ, vel loco religioso donetur, donatio tamquam Ecclesiæ utilis, etiam non accedente Episcopi consensione, valebit, cap. 7. de donat., cap. 8. &. 14. de jurepatron. cap. un. eod. tit. in 6.: cum fiat alteri laico, non valebit, nisi Ordinarii accedat auctoritas, dicto cap. 7. 8. 14. & unico. Sunt, qui putant, sufficere in proposito, ut expetatur Ordinarii consensus, quasi Ordinarius ipse aut cogatur consensum præstare, aut si invitus sit, nihilominus ad donationem rite deveniatur. Quoniam vero qui ita opinantur, non aliud, quoad ipse noverim, præferunt argumentum, quam quod deducitur ex cap. 17. de jurepatron., istud autem nihil habeat cum proposita specie commune, non video, qua ratione cogi Episcopus possit ad præstandum consensum, quasi novum patronum, quem nec fundatoris tabulæ expresserunt, neque natura patronatus exposcit, nulla id suadente utili causa, invita Ecclesia recipere teneatur. Memoratum Alexandri III. rescriptum pertinet ad salubrem illam providentiam, quæ ejusdem Pontificis ætate & scriptis jam legibus firmata fuerat, & exemplis. Jamdiu laici occupaverant bona Ecclesiarum, & Clericorum: utut ad restitutionem concitarentur sollicitudine Antistitum, parere renuebant, incusantes modo ambitum, modo avaritiam, modo generaliter depravatos mores Clericorum, aut etiam allegantes affluentes redditus Ecclesiarum, quibus facienda erat restitutio. Cum autem paratos esse exhiberent ad concedenda occupata bona, & jura potius Monasteriis, vel Clericis illis, qui tum primum communem vitam inire cœperant, veluti transactione composita res fuit; nimirum id ipsis licere pronuntiatum est, dummodo Episcopi consensus accederet, quod sane factum fuit, ut hinc facilius ad Ecclesiam bona eadem reverterentur, illinc salva manere videretur potestas Episcoporum, qui potius, quam laici possessores, cum consentirent, tum credebantur auctoritate sua bona de una in aliam Ec-

clesiam transferre. In his adjunctis, quæ adtulerat temporum difficultas, improbavit Alexander III. illorum Episcoporum duritiam, qui consentire noluissent, ac professus est, se suppleturum auctoritate sua, quod auctoritate Episcopali perfici minime potuisset.

Denique juspatronatus semel constitutum transferri de uno in alium potest per præscriptionem, qua tamen in re oportet distinguere ecclesiasticum a laico patronatu. Nam si adversus ecclesiasticam dignitatem, vel officium præscribatur patronatus, quicumque tandem sit præscribens, sive laicus, sive ecclesiasticus, non minor admittetur præscriptio, quam quadraginta annorum, cum hæc, & non minor, saltem hodie, in rebus ecclesiasticis locum habeat, quemadmodum in præcedente capite demonstratum fuit; & in hac materie non tam inspicienda sit conditio illius, qui præscribat, quam illius, contra quem præscribatur, cap. 4. & 6. de præscription., cap. 2. eod. tit. in 6.. Idipsum dicendum erit de patronatu mixto, utpote qui in iis, quæ specialem favorem exhibeant, patronatui ecclesiastico comparatur. At si præscribatur adversus laicum patronum, sive laicus, sive ecclesiasticus præscribat, solum triginta annorum spatium sufficiet, cum non agatur de ecclesiastico privilegio, quod tantum locum faceret quadragenariæ præscriptioni, alias autem nemo ignoret, jura fere omnia triginta annorum spatio præscribi. Porro quæcumque sive tricenaria sive quadragenaria præscriptio proponatur, non aliter proderit, quam si bona præscribenti fuerit fides, cap. 5. de præscription., cap. 1. eod. tit. in 6., cap. ult. de consuetud., quamquam ista semper præsumatur; non tamen necessarium erit allegare titulum, vel probare; cum talis sit præscriptio, quæ juri communi non adversetur; neque enim jus commune uni potius, quam alteri juspatronatus Ecclesiarum, aut beneficiorum addicit; & quæ de justo titulo probando, ac de immemoriali possessione tradita sunt in capite præcedente, præsertim in conspectu decretorum Tridentini Concilii, pertinent quidem ad eum, qui velit patronatum præscribere adversus Ecclesiæ libertatem, non ad eum, qui velit alienum patronatum sibi jure præscriptionis adserere, juxta notas juris Pontificii regulas in dict. cap. 1. de præscr. in 6..

CAPUT VI.

De modis, quibus juspatronatus probandum est.

PErfidia improborum hominum, & oblivio factorum vetustorum, quæ quosque etiam prudentissimos fallit, res humanas adeo persæpe turbaverunt, ut, quemadmodum illa viam ad res, ac jura aliena invadenda aperuit, ita ista rebus semel jure quæsitis retinendis obfuisse noscatur. Id contigisse in jureparronatus quotidiana fere experientia demonstrat, in quo nonnulli ingenitam libertatem quarumdam Ecclesiarum, aut beneficiorum callidis artibus sustulerunt; modo effingentes tabulas fundationum, ac dotationum, quæ nunquam extiterunt, modo jactantes privilegia, quæ nunquam obtinuerunt; modo longam consuetudinem prætexentes, ubi nullum haberent titulum, ut Ecclesias, ac beneficia ad sua jura traherent; nonnulli e contrario jurapatronatus semel jure quæsita amittere coacti sunt, quod vetera monumenta, quibus illa demonstrarentur, aut ex oscitantia, aut ex injuria temporum omnia fere corrodentium, amiserint. Huc respexerunt Tridentini Antistites, quando initio capitis 9. sess. 25. de Ref. profes. si sunt, æque injustum esse, legitima patronorum jura tollere, ac iniquum sit

liberas Ecclesias in quamdam veluti servitutem redigere. Equidem cum quis allegat, se esse cujusdam Ecclesiæ, vel beneficii patronum, id coram Episcopo probandum est, si forte Episcopus contradicat, & nomine Ecclesiæ vindicet libertatem, cum omnia beneficia liberæ collationis esse præsumantur, can. 10. caus. 16. quæst. 7., cap. 6. vers. *quia vero* de exception., verum cum ab allegante juspatronatus demonstrandum, probandumque in judicio est, moderatione quadam opus esse videtur, ut hinc patronibus legitime quæsitis fraus minime fiat, illinc libertati Ecclesiæ consulatur, quod tum demum fiet, cum probationes non in omnibus casibus similes exigantur, sed modo vividiores, & propemodum evidentes requirantur; modo etiam remissioribus argumentis locus detur; modo conjecturis indulgeatur, præsertim si graves sint, ut etiam levioribus, si plures una concurrant, & movere valeant prudentem Judicem, attenta qualitate personarum, de quibus vel major, vel minor sit usurpationis suspicio, item attenta qualitate temporis, quo quis patronatum possederit, cum magis favendum sit illi, qui possessionem allegat non a patre tantum, aut avo, sed & a priscis majoribus ad se usque traductam, quam illi, cujus non adeo antiqua possessio proponatur. Ut res accurate tradatur, duo distinguenda sunt tempora, illa primum consignanda, quæ præcesserunt Tridentinum Concilium, deinde recentiora, quorum disciplina Tridentinis Constitutionibus regitur.

Itaque ante Tridentinum Concilium plures erant modi jurispatronatus in judicio probandi. In primis, & præ cæteris, probatio fiebat per tabulas fundationis, seu per instrumenta demonstrantia fundationem, constructionem, aut dotationem, dummodo illa authographa essent, aut dummodo, perditis authographis, talis producerentur exemplaria, quæ testes fide digni renuntiarent cum authographis penitus consonare. Secundo quoties instrumentis probari jus nequeat, etiam testibus probabatur, neque enim semper, uti ajebat prudenter Imperator Hadrianus in l. 3. §. 2. ff. de testibus, publicis monumentis, cujusque rei veritas deprehenditur, eaque ob rem testibus credi etiam debet; dummodo isti aut dicerent, se publica instrumenta vidisse, ex quibus de jurepatronatus constaret; aut de jurepatronatus fama testimonium ferrent, cap. 12. de privileg., l. 18. in fine cod. de testib. l. 5. cod. de fide instrum.. Huic probationis generi non dissimile erat, quod fieret per plures, uti vocant, enuntiativas in diversis instrumentis expressas a diversis notariis, quæ sane enuntiativæ præsertim in antiquis publicam exhibent famam, dummodo patronus una probare, se per annos quadraginta in præsentandi quasi possessione fuisse. Tertio probari propterea juspatronatus per insignia familiæ, vel nominum inscriptiones, vel epitaphia vetustissima, in quibus jurispatronatus expressa mentio fieret; aut si ex illis tantum conjecturæ educerentur, aliis istæ adminiculis juvarentur. Quarto probatio admittebatur, quæ fieret ex multiplicatis centum annorum præsentationibus, quæ omnes effectum sortitæ essent, etiam si titulus non satis perspicue demonstraretur, ac potiore jure, si præsentationes tanto tempore factæ fuissent, ut nulla sit initii memoria; etenim hæc immemorialis possessio loco cujusque optimi tituli est, cap. 1. in fine de præscription. in 6.. Quinto idipsum probabatur vel per decretum, vel per sententiam Episcopi, a quo aut alimenta alicui tanquam patrono decreta fuissent, vel agnitum juspatronatus post concitatam in judicio controversiam, vel tempore visitationis descriptum beneficium, aut templum fuerit, tanquam personatum; aut etiam tanquam patronatum consignatum fuerit in archivo Episcopali. Denique demonstrabatur juspatronatus per assertionem, seu, ut alii vocant, narrativam Pontificis Maximi, qui in concessione be-

neficii, aut in alio providentiali actu gratia vel Ecclesiæ, vel beneficii, asseruerit, beneficium, vel Ecclesiam patronatui subjacere, Clement. un. de probat., dummodo tamen Pontifex Maximus non adjecisset clausulam, *ut fertur*, vel similem aliam, ex qua deducatur, eam non fuisse certam ejusdem Pontificis Maximi sententiam. Qui plura in hanc rem desiderat, ea inveniet apud De-Fargna de jurepatronatus parte 5. can. 12. casu 1. num. 6. & sequentibus.

Rigidiorem postulavit probationem Tridentinum Concilium in cap. 9. sess. 25. de Reform., non quidem ab omnibus indiscriminatim, sed ab iis, qui potentes essent, & in quibus probabilis esse potest usurpationis suspicio. Ajunt Tridentini Antistites, titulum jurispatronatus esse debere ex fundatione, vel dotatione, qui *ex authentico documento*, & *aliis jure requisitis* ostendatur, vel etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, *qui hominum memoriam excedat*, aliasve *secundum juris ordinem*. Si nihil aliud adjiceretur, in his nihil novi constitutum adpareret, sed tantum confirmata vetus disciplina, uti præsertim liquet ex laudatis verbis, & *aliis jure requisitis*, item *secundum juris ordinem*. Ergo nec præscriptio quadragenaria bona fide, & justo titulo munita excluditur, quemadmodum superius demonstrabam in cap. 4., ergo neque excludentur superius laudati probandi modi, utpote qui in jure fundamentum habent. Tantum voluerunt Patres Tridentini abolere disciplinam privilegiorum liberaliter concessorum in detrimentum Ecclesiarum, ac beneficiorum, qualia sæculo decimo quinto, et decimo sexto passim invaluerant. At enim prosequuntur, & ajunt: *In iis vero personis, seu Communitatibus, vel Universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si, præter alia ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortita sint, authenticis scripturis probentur.* Singulare omnino est in hac parte Tridentinum decretum, & non nisi certas personas, certasque Communitates, Universitatesve comprehendit. Hinc definiri in primis potest, in aliis, qui comprehensi in ea decreti parte non sunt, veterem adhuc vigere disciplinam, utpote non immutatam a Tridentino Concilio, proindeque iis omnibus modis probari ab ipsis posse juspatronatus, quos proponi ante Concilium potuisse superius tradebam. Itaque a generali ratione probandi juspatronatus exclusi sunt omnes, quibus juspatronatus ex usurpatione quæsitum præsumi potest; atque istis onus impositum fuit, clarius, & pene cum evidentia jus exhibendi, quod allegant. Et recte: siquidem cum mera consuetudo allegatur sine titulo, aut quidem cum titulo, sed non satis ostenso; aut cum conjecturæ tantum proferuntur, utut graves; non est hæc facti evidentia, sed præsumptio, modo gravior, modo levior, prout vehementiora, vel leviora sunt argumenta: at hæc præsumptio eliditur contraria præsumptione, quam inducit usurpationis suspicio in eo genere personarum. Hinc statutum fuit, non quidem omnes omnino conjecturas etiam gravissimas, & quæ prope attingant evidentiam, non quidem præscriptionem quadragenariam justo titulo, & bona fide munitam excludi, sed cautum, *ut plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur*; quasi ab hisce patronorum generibus non excludantur argumenta legitima, & veluti fontes probationum, sed excludatur ea probandi ratio, quæ in aliis eo genere non comprehensis permittitur. His simile est, quod traditur de immemoriali præscriptione, quam nec sufficere visum fuit ad allegandum, exhibendumque titulum, nisi quinquaginta annorum præsentationibus muniatur. Revera præscriptio immemo-

rialis loco tituli esse dicitur, & qui eam allegat, habetur ac si quemcumque optimum titulum demonstraret. Verum hic ipse titulus non vere demonstratur, sed intra præsumptionis, utut gravissimæ, limites continetur; proindeque nec ista præsumptio satis valere visa fuit, nisi eidem alia præsumptio accederet, quæ emergeret ex præsentationibus per annos quinquaginta factis, & effectum sortitis. Atque hac in parte quidquam amplius visum est postulari in præscriptione immemoriali, quam in ordinaria, quæ quadragenaria est, non sane quod ordinaria sit validior immemoriali natura sui, sed quod in ordinaria titulus revera allegetur, & probetur, in immemoriali præsumatur, & loco tituli sint præsentationes illæ quinquaginta annorum, utut semper sint titulus præsumptus. Immo nec quidquam amplius adjectum videtur præscriptioni immemoriali, quam ad adjuvandam præsumptionem tituli, & ad excludendam suspicionem usurpationis, cum spatio quinquaginta annorum non adeo facile perire potuerint authenticæ præsentationum scripturæ. Huic rigidiori probationum formæ adstringuntur primum ex Tridentino decreto *Communitates*, vel *Universitates*, quarum sane nomine non veniunt aut Collegia Clericorum, aut Monasteria, de quibus non videtur esse usurpationis suspicio. Veniunt igitur Universitates, seu Communitates laicorum, apud quas idemtidem ex multitudine, & potentia populi agnitum est, sine titulo Ecclesiarum jura usurpata fuisse. Ne vero quisquam sub Communitatum, aut Universitatum nomine comprehensa crederet Studia Generalia, id expressum voluit Concilium Tridentinum, quod in dicto cap. 9. vers. *Exceptis*, singularem mandavit rationem haberi generalium Studiorum. Deinde ex Tridentino decreto adstricte fuerunt rigidiori probationi jurispatronatus personæ illæ, in quas usurpationis suspicio caderet. Istæ sunt personæ potentes, quarum scilicet in certo loco, ubi beneficia, & Ecclesiæ consistunt, magna potestas est, præsertim cum jurisdictione conjuncta. Non tamen ad Supremos Principes Tridentinum decretum refertur, de quibus tantum abfuit, ut Tridentini Patres suspicionem usurpationis haberent, quin potius eorum singularem haberi rationem voluerint in dicto cap. 9. ibi: *Exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & Reges, aliosque sublimes, ac supremos Principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinent.* Tradunt Pragmatici, hanc Concilii Tridentini constitutionem exigentem in potentibus regidiorem probationem, non solum in judicio petitorio, sed etiam in possessorio locum habere, quam ad rem laudant decretum Congregationis Concilii anni 1598. die 13. Januar.. Non tamen locum habent, ubi non de beneficiis ecclesiasticis agatur, sed de laicis Cappellaniis, cum in istis non agatur de imminutione jurium ad Ecclesiam pertinentium, de quibus solliciti fuerunt Antistites Tridentini. Item locum non habet, quotiescumque personæ potentes non petant, aut vindicent juspatronatus adversus Ecclesiæ libertatem, sed potius petant, aut vindicent a tertio possessore; neque enim per Tridentinum decretum obviam itum est tuendis privatorum juribus, sed tuendæ potius Ecclesiarum, ac beneficiorum libertati. Denique si juspatronatus adversus Ecclesiam simul vindicetur a persona potente, & ab alio omnino privato, de quo nulla sit usurpationis suspicio, ne tum quidem puto, rigidiorem illam probationis formam esse observandam; ne alias ex interventione personæ potentis privata persona ad judicium accedens damnum sentiat; & ex alia parte inæquale judicium instituatur in concursu plurium contendentium, quemadmodum Pragmatici plures observaverunt, laudati a De-Fargna in parte 5. de jurepatron. can. 12. casu 3. num. 9..

CAPUT VII.

De juribus Patrono ex Canonum disciplina concessis.

NON semper eadem, & constans fuit disciplina, qua patronis certa jura ex sacrorum canonum indulgentia concessa fuerunt. Siquidem licet olim vix concederetur aut inscriptio nominis, aut specialis commemoratio habenda inter publicas preces, aut honor processionis, quemadmodum veteres loquebantur; sensim tamen obtinuit, ut jura juribus accumularentur. Hodie tamquam præcipuum jus habetur, quod in præsentatione consistit, cap. 3. de jurepatron., cap. de præbend. in 6.. Et quidem quousque collatio beneficiorum a collatione sacrorum ordinum minime distinguebatur, patroni, cum beneficium vacaret, quemdam idoneum sistebant apud Episcopum pro modo officii beneficii adnexi ordinandum; & ordinatione ipsa Clericus patronatæ Ecclesiæ adscribebatur, can. 32. caus. 16. quæst. 7.. Postquam vero sejungi cœpit collatio beneficii a collatione ordinis, cœperunt patroni etiam ordinatos sistere causa beneficii ex Episcopali institutione consequendi. Itaque actus patroni certam personam sistentis præsentatio dicta est, quæ, ut liquet, speciem quamdam habet commendationis Episcopo factæ, quam deinde Episcopalis institutio sequitur, can. 38. caus. 16. quæst. 7. cap. 4. hoc tit.. Porro hoc jus præsentandi, utut vix a commendatione distinguatur, adeo plenum est, atque expeditum, ut ordinarius beneficii collator præsentatum instituere in beneficio teneatur, nisi forte præsentatus aut ineptus demonstretur, aut indignus, cap. 4. de offic. jud. ordin.. Hinc datur facultas præsentato, quem sine causa Episcopus instituere recuset, ad Superiorem appellandi, cap. 29. hoc tit., quin ordinarius possit se excusare ajendo, sibi notas esse singulares causas, quas non æstimat aperiendas, ne forte eo prætextu legitimis patronorum juribus contra mentem Ecclesiæ detrahatur, juxta caput 9. principio Tridentinæ sessionis 25.. Ex his facile satisfieri potest vulgari quæstioni, an etiam laicus possit a patrono apud Episcopum præsentari. Multa in hanc rem Pragmatici scripserunt, quorum alii nominari quidem laicum posse dixerunt, non præsentari; alii etiam præsentationem admiserunt, dummodo sub conditione fieret, videlicet clericatus obtinendi; alii alia adjecerunt, universi nulla legis definitione innixi, tantum hoc principio contendentes, quo statuerent, per præsentationem jus ad beneficium adquiri, cujus juris laicos incapaces esse dixerunt. Ego sane, cui simplices observationes placent, & alienæ a perplexitate verborum, respicio ad veterem præsentandi usum, qui vigebat, quum collatio beneficiorum erat cum ordinum collatione conjuncta; & cum intelligo præsentari a patronis consuevisse necdum ordinatos, sed ordinandos, tum colligo etiam non ordinatorum fieri præsentationem posse. Neque vero separata collatione ordinum a collatione beneficii, aut natura præsentationis, aut præsentati ratio, aut præsentantis jus immutata fuerunt; sed tantum facilior reditus fuit gratia Episcoporum ordines conferentium ordinationis ritus, dum Episcopi potuerunt etiam sine collatione beneficii Clericum ordinare. Quid igitur est, quod dicitur, præsentationem etiam jus tribuere ad beneficium? Nihil aliud profecto, quam præsentatione facta jus adquiri præsentato, ut, quoties nihil aliud obstat, præsentatus ordinetur in eo ordine, qui beneficio adipiscendo congruat, eodemque tempore Ecclesiæ beneficii adscribatur, & beneficio donetur, quæ si ita explicentur, uti explicari commode debent, percipitur statim, ejus juris laicum non esse incapacem. Tantum observatione

dignum est, eum, qui præsentatur, in ea conditione esse debere, ut possit intra legitimum tempus præsentantibus præstitutum, ad eum ordinem promoveri, quem beneficii qualitas postulat, & quidem servata in hac parte ecclesiastica disciplina. Quid enim ex. gr., si ageretur de Ecclesia Parochiali patronata, ad quam patronus præsentaret laicum, aut etiam Clericum in minoribus ordinibus constitutum? Profecto cum Parochiale beneficium postulet in possessore Sacerdotalem ordinem; alias autem laicus, vel etiam Clericus in minoribus ordinibus adhuc constitutus, non nisi post longa temporum spatia, & post emensos varios majorum ordinum gradus, insigniri Sacerdotio queat; irrita erit præsentatio, & tum demum recipietur, quando præsentato nihil oberit, quominus Sacerdotio initietur intra tempus patrono a sacris canonibus concessum.

Quinque prioribus Ecclesiæ sæculis necdum puto, patronis jus præsentandi Clericos fuisse tributum, sive quod non possunt ulla temporis illius monumenta proferri, ex quibus de præsentatione hujusmodi constet, sive quod legamus sub nomine Gelasii Papæ patronis nihil aliud datum fuisse, quam *processionis aditum*, & quidem talem, *qui Christianis omnibus in commune debetur*, can. 26., & 27. caus. 16. quæst. 6.. Hoc primum jus concessum apparet gratia illorum Episcoporum, qui Ecclesias, seu beneficia in aliena diœcesi erexissent, qui cum ab ordinatione Clericorum in aliena diœcesi facienda excluderentur, illud saltem singulari gratia obtinuerunt, ut Clericos ordinandos Diœcesano exhiberent, quos ordinarii ipsi in eadem Ecclesia, ac beneficio instituerent. Id manifeste liquet ex canone Arausicani Concilii anni 441., qui a Gratiano editus est in can. 1. caus. 16. quæst. 5., quamquam observandum ibidem sit, vitiatam esse inscriptionem, quasi tribueretur *Nicolao Papæ*, quandoquidem ad Nicolaum Papam minime pertinet. Potius moribus recipi cœpit, ut ea præsentatio paulatim admitteretur. Primum apud Græcos ex constitutione Zenonis Imperatoris obtinuit, ut fundatoribus liceret futuræ administrationis modum in fundationis limine designare; at id generaliter, & quidem *secundum præscriptos fines*, uti legitur in l. 15. cod. de sacros. Eccles., unde conjicio non in universum quidem fundatores, & fundatoris successores potuisse designare Clericos Ecclesiæ, & beneficii administros, sed tum demum, quidquam singulare in hac parte reservaretur. Temporibus Justiniani abiit in vulgarem disciplinam, ut in Xenodochiis fundatores, & causam a fundatoribus habentes præficerent bonorum administros, & curatores, l. 46. §. 3. cod. de Episc. & Cleric., quo casu Episcopi ab administris libere præficiendis abstinere jubebantur. Id tamen adhuc erat jus singulare receptum in religiosis domibus, nondum tamen ad Ecclesias, & ecclesiastica munera traductum, saltem certa, & publica lege. Interea vero fundatores etiam istud vehementer exoptabant, quod probatum fuit ab Justiniano Imperatore in Nov. 57. cap. 2., hac adhibita cautione, ut præsentati ab Episcopo examinarentur, & tum demum instituerentur in beneficio, cum essent ad idem beneficium idonei ab Episcopo judicati; quod generaliter adhuc magis recipi visum est, ubi dissertius, & clarius publicatum est ab eodem Imperatore in Nov. 123. cap. 18.. His institutionibus Græco-Romanum Imperium regebatur. Sed in Hispania, ad quam Justinianei Codices traduci non potuerunt, veluti a barbaris gentibus occupatam, vetus disciplina integra mansit, juxta quam libera bonorum Ecclesiæ a fundatoribus donatorum erat administratio penes Episcopos, uti legimus in can. 19. Concilii Toletani III. anni 589., seu in can. 2. caus. 10. quæst. 1., quod confirmatum est in Concilio Toletano IV. anni 633., can. 6. caus 16. quæst. 1., uti demonstrant verba illa *juxta canonum instituta*. Non multo postea Toletani Patres ab his regulis

UAB Biblioteca de Ciències Socials

recesserunt; siquidem in Concilio Toletano IX. anni 655. cum Episcopi plures abuterentur administratione sibi concessa, & quidem contempta fundatorum voluntate, extra ordinem concessum fuit fundatoribus, ut isti, quamdiu viverent, curam bonorum sollicitam habere possent, immo & offerre Episcopis administros instituendos in Ecclesiis, quas illi erexissent. Extra ordinem, inquam, hanc facultatem obtinuerunt fundatores, quamobrem coercita fuit ea facultas ad personam fundatoris, quin ad successores transiret, can. 32. caus. 16. quæst. 7.. Forte ob oculos Toletanorum Antistitum esse potuit decretum Concilii Arausicani anni 441. superius memoratum, quod sub nomine Nicolai I. exhibetur in can. 1. caus. 16. quæst. 5., unde facultatem fundatori Episcopo, quoad ipse viveret, ab Arausicano Concilio concessam, suadente necessitate, vel utilitate Ecclesiarum, prorogaverunt ad fundatores universos sine discrimine personarum, dum tamen ultra personas fundatorum minime extenderetur. Sed paulatim eo res progressa fuit, præsertim post receptas ubique Justiniani Novellas, & post Novellarum disciplinam in hac parte confirmatam variis canonibus per provincias editis, ut æque fundatoribus, ac fundatorum successoribus jus præsentandi concederetur, quale hodie passim in universa Ecclesia observatur.

Ita producta disciplina occasionem variis abusibus præbuit. Etenim cum primum generaliter factum est, ut patroni jus præsentandi Clericos obtinerent, putaverunt patroni, idem jus vix distingui a quadam specie administrationis bonorum, quæ ipsis Patronis reservaretur, quasi Clericus præsentatus a patrono possessionem bonorum a patrono acciperet, & patroni nomine curam Ecclesiæ, vel beneficii gereret universam. Noverant patroni de ea administratione sermonem fieri in dicta l. 15. cod. de sacros. Eccles., ubi prima juris præsentandi delineamenta intuebantur. De eadem administratione sermo occurrit in dicta l. 46. §. 3. cod. de Episc. & Cler., ubi sermo est de designatione illorum, qui domibus religiosis ex fundatorum voluntate præessent. Insuper in Nov. 57. cap. 2. mentio fit de iis, qui ministris Ecclesiæ *ministrant alimenta*, quibus propterea jus præsentandi conceditur; quæ sane ministratio alimentorum designat possessionem bonorum penes patronos aliquando consistentem; atque idipsum adparet in conspectu Novellæ 123. cap. 18.. Et revera quousque in Hispania jus præsentandi concessum non erat patronis, Toletana Concilia id expresse sanxerunt, ut bona Ecclesiæ semel collata in Episcoporum potestatem omnino conferrentur, dicto can. 2., & 6. caus. 10. quæst. 1., deinde data fundatoribus etiam in Hispania præsentandi facultate, hæc ipsa facultas non distinguebatur *a cura sollicita pro Ecclesiis habenda*, uti legimus in can. 32. caus. 16. quæst. 7.. Hinc factum est, ut patroni universi in patronatis Ecclesiis, & bonis earumdem Ecclesiarum ita se gererent, ac se gerebant in bonis profanis, proindeque eo etiam aliquando devenirent, ut, cum plures essent, inter se dividerent & Ecclesias, & Altaria, modo inter varias contentiones occasione divisionis obortas neminem Clericum sacris obeundis ministeriis designantes, modo nominantes plures Clericos, quorum unusquisque in parte Ecclesiæ, vel Altaris sacra faceret, unde simultates, & jurgia etiam cum gravi populorum scandalo proficiscebantur. Ardua res erat in his adjunctis bono Ecclesiarum prospicere, ne alias patronorum juribus jamdiu invectis, ac confirmatis fraus fieri videretur. Cæterum statui in primis cœpit, ut a divisione Ecclesiarum, & Altarium abstineretur, cujus rei vestigia sunt in can. 35. 36. caus. 16. quæst. 7., cap. 1., & 2. de jurepatron., cujuscumque tandem auctoris existant; nimirum cautum est, ut inter istas divisiones Episcopus intercederet, ipse juberet claudi Ecclesiarum ostia, ac sacras reliquias ab

eisdem Ecclesiis auferri; uno verbo, sacris officiis ibidem interdici, nisi ab uno Sacerdote sacra officia peragi patroni voluissent, uti legitur in can. 32. Concilii Triburiensis anni 895., quem Gratianus, non satis tamen integrum, retulit in dicto can. 36. caus. 16. quæst. 7.. Intercessit etiam eadem ætate Lotharius Imperator, uti liquet ex ejus lege in l. 3. legum Longobardarum tit. 1. cap. 44 ita concepta: *De Ecclesiis, quæ inter cohæredes divisæ sunt, considerandum est, quatenus, si secundum nostram providentiam, & admonitiones Episcopi, ipsi cohæredes eas tenere voluerint, & honores faciant: Si autem hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneat, utrum eas ita custodire permittat, aut reliquias inde auferat, & ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ita divisæ fuerint inventæ, & ut describantur, & nobis enuntientur.* Fuit præterea certum definiendum tempus intra, quod patroni unum Clericum præsentarent, ad excitandam patronorum quandoque negligentium sollicitudinem, ne Ecclesia, vel beneficium diutius vacaret. Id primum adparet factum in Romano Concilio Eugenii II. circa annum 825. can. 9., aut in alio sequente Concilio Romano Leonis IV. circa annum 850. can. 24. his verbis: *Et si sæcularium hominum sub jure sunt constitutæ, ab Episcopo illius diœcesis admoneantur, & si admoniti Presbyteros intra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere, curam exinde habens Episcopus absque neglectu Principi suggerat, quatenus ejus emendetur sententia.* Hinc adparet, quam falsa sit vulgaris interpretum plurimorum opinio, qui asserere non dubitarunt, tempus patronis nullum præfinitum fuisse ante Concilium Lateranense Alexandri III. anni 1180., juxta cap. 3. de jurepatron.. Notandum sane est, in dicto canone Eugenii, & Leonis, trimestre tempus patrono concessum numerandum fuisse non a die vacationis beneficii, neque a die scientiæ patroni, sed a die admonitionis ab Episcopo factæ. Item notandum, negligentiam patroni non fuisse ab Episcopo libere beneficium conferente supplendam, sed extraordinario remedio, quale indicant ipsa memorata Concilii verba, consulendum vacanti beneficio fuisse. Notandum denique est, ibi non actum fuisse de ecclesiastico, sed de laico patronatu, quemadmodum ipsa etiam canonis verba demonstrant. Disciplinam istam in parte renovaverunt, in parte immutaverunt Patres Lateranenses sub Alexandro III., statuentes, Episcopo libere licere beneficium conferre, si patroni intra tres menses neminem præsentaverint, dicto cap. 3. de jurepatron., in quo juxta integra Concilii exemplaria emendanda sunt postrema verba, atque ita legendum: *& cui competat, intra tres menses non fuerit definitum*; & quo casu patroni plures suffragia divisissent, eum adprobari Clericum, qui majoribus juvaretur meritis, & plurimorum eligeretur, & adprobaretur adsensu. Renovata, inquam, in parte fuit vetus disciplina, vel quod trimestre tempus patronis concessum adparet, vel quod de laicis, non de Clericis patronis constitutionem intelligendam esse, nomina, quæ ibidem occurrunt, *fundatorum*, & *hæredum* perspicue demonstrant; immutata in parte, vel ubi data facultas est Episcopo libere conferendi, quin opus amplius sit remediis extraordinariis, de quibus agitur in Concilio Romano Eugenii, & Leonis, aut in cap. 1. & 2. eod. tit., & in can. 36. caus. 16. quæst. 7., vel ubi non a die admonitionis, sed a die scientiæ vacantis beneficii computandum trimestre tempus intelligitur, argumento cap. 2. de concess. præb.. Forte adhuc hodie trimestre tantummodo tempus patronis laicis præfinitum agnosceremus, nisi Amanuenses ocasionem dedissent disciplinæ in hoc parte immutandæ. Quum enim in nonnullis Gregorianæ collectionis codicibus scriptum fuerit, *intra quatuor menses*, in aliis legeretur, uti etiam legitur in prima collectione Decretalium, *intra tres menses*, Interpretes in scripturæ varietate rem pro dubia habentes in hu-

maniorem sententiam iverunt, ac quatuor menses patronis eisdem concesserunt, quasi a Concilio præfinitos, quæ sententia tandem vim juris obtinuit, cum juxta illam rescripsit Bonifacius VIII. in cap. un. §. 1. hoc tit. in 6.. Sic coercita a Lateranensibus Patribus patronorum laicorum negligentia, dubitari cœpit, an adversus patronos ecclesiasticos negligentes similis recipienda foret disciplina. Rem in dubio collocabat altera Lateranensis ejusdem Concilii constitutio, qua beneficiorum collatoribus semestre tempus collationis causa indulgebatur, cap. 2. de concess. præbend.. Hinc videbantur Clerici patroni comparandi potius collatoribus quia Clerici; illinc comparandi potius patronis laicis, quia præsentantes erant, non conferentes. Voluit Alexander III., Clericos patronos in hac re, scilicet in definitione temporis, collatoribus potius comparari, ac propterea semestre tempus obtinere, cap. 22. hoc tit.. Equidem fateor, in hoc cap. 22. perspicue non adparere, de ecclesiastico potius, quam de laico patronatu institutum fuisse sermonem. At ego observo, Alexandrum III. hoc rescriptum edidisse post Lateranense Concilium a se celebratum, quemadmodum liquet ex toto contextu, qualis habetur in cap. 5. de æt. & qual. præfic. in 1. collectione, cujus etiam pars traducta est in capitulum. 4. eod. tit. apud, Gregorium IX., neque est verosimile, Alexandrum III. aliquid insinuare voluisse contra statuta Lateranensis Concilii trimestre tantum tempus patronis laicis designantia, & quidem in eo ipso rescripto, in quo executionem Concilii Lateranensis urgebat. Post hæc adjicio, clarius deinde aperuisse mentem Alexandri Bonifacium VIII., dum in cap. un. de jure patron. in 6. definivit, patronis ecclesiasticis tempus semestre concedi. Fateor insuper, in dicto cap. 22. semestre tempus dici præterlapsum, *postquam beneficia vacaverint.* Sanius intelligenda hæc clausula est; neque enim in eo tempore computandum est tempus illud, quo patroni ignoraverint, cum nihil imputandum sit ignoranti patrono, si ad præsentandum non deveniat. Etiam in Lateranensi concilio in cap. 2. de concessione præb., cum semestre tempus definiretur causa conferendi, id visum fuerat decernere, ne diutius, quam semestri tempore beneficia vacarent; sed clarius definivit Innocentius III. in cap. 5. eod. tit., intra illud tempus computandum non esse tempus, quo collatores redargui de negligentia minime potuissent. Cur igitur non idem dicendum sit de patrono ratione habita præsentationis, etiam in conspectu dicti capituli 22.? Itaque ratione temporis nonnihil discriminis intercedit inter laicos, & ecclesiasticos patronos. Sed præterea discrimen aliud observandum est in modo præsentandi. Nam laicus patronus facta prima præsentatione ad alteram, quanquam non ad ulteriores præsentationes, progredi potest, non quidem priorem excludendo, sed unam alteri cumulando, quousque secuta non fuerit institutio, quod sane ecclesiastico patrono non licet, cap. 5. 24. 29. hoc. tit., Faber in codice libr. 6. tit. 1. defin. 11., cujus discriminis rationem in eo positam esse arbitror, quod veteribus persuasum fuerit, præsentationem laicorum esse speciem commendationis Episcopo factæ, nullumque proprie jus ad beneficium tribuere, cum laici spiritualia jura concedere nequeant; ac præsentationem ecclesiastici patroni jus aliquod ad beneficium impertiri, instar electionum, quæ a Capitulis, vel Collegiis ecclesiasticis fiunt, uti scribebat Innocentius IV. ad dictum cap. 24.. Ex hoc discrimine aliud veluti consectarium invaluit, videlicet patronum ecclesiasticum, qui præsentet indignum, vel ineptum, sive scienter, sive ignoranter, ordinario jure pro ea vice removerit a præsentando, cum semel vel bene, vel male functus sit officio suo in ea parte, quam nosse tenebatur, argumento l. 55. & 62. ff. de re

judic., patronum autem laicum, cui facultas plures nominandi conceditur, post præsentationem factam indigni, vel inepti, ad præsentationem alterius adhuc admitti, dummodo intra quadrimestre fiat.

Si ex vulgari adagio rara est fraterna concordia; si præterea societates ipsæ a pluribus voluntaria animi adfectione initæ non semel concitant odia, & lites, unde Romanis legibus facilius societatem, quam contractus cæteros scindi permissum est; sane frequentiores erunt Contentiones, ubi non natura, non libera voluntas, & specialis adfectio, sed lex, aut certorum adjunctorum qualitas, quarumdam rerum communionem inter plures induxit, l. 26. ff. de servit. urbanor., l. 77. §. 20. ff. de legat. 2.. Parari quidem potuerunt judicia aut familiæ erciscundæ, aut communi dividundo in aliquibus causis; at hæc obtinere nunquam potuerunt in jurepatronatus, utpote quod individuum est, & licet pluribus quandoque competat, semper tamen habetur, ac si unum sit apud singulos, atque indivisum. Ad summum illud ad tollendas contentiones induci potuit, ut compatroni dividerent inter se per alternas vices jurispatronatus exercitionem, veluti cum alternis vicibus, sive, ut ajunt, per turnum præsentent; at adeo parce, ac sobrie id indulgetur, ut locum habeat hæc tributio, cum omnes patroni in eam, ne uno quidem excepto, consentiant, Clement. 2. hoc tit.. Immo etiam si per alternas vices præsentatio facienda sit, adhuc tamen non semper litibus finis impositus fuisse videtur. Quocumque se vertant patroni plures, quemcumque præsentandi modum quærant, adhuc certæ disputationes occurrunt, quæ ut belle dirimantur, tres distinguendæ sunt species. Prima est, cum plures inter se de jurepatronatus contendant. Altera est, cùm plures non contendant quidem de jurepatronatus, sed conveaerint inter se, ut alternis vicibus unus præsentet, exclusis cæteris. Postrema est, cum neque de jurepatronatus contendunt, neque convenerunt de præsentatione alternis vicibus facienda, sed unusquisque de suo jure semper explicando sollicitus, cum cæteris concurrit ad præsentandum.

Si de prima specie agatur, in qua nimirum sit inter plures de jurepatronatus contentio, & ista intra tempus legibus concessum ad præsentandum non finiatur, libera conferendi beneficii potestas pro ea vice ad Episcopum devolvetur. Non opus est pluribus, quando in hanc rem perspicua est definitio Concilii Lateranensis in cap. 3. in fine de jurepatron., clarius etiam expressa rescriptis Alexandri III., & Innocentii III. in cap. 12. & 27. eod. tit.. Duæ tamen sunt ad hanc regulam probabiles exceptiones. Prima & quidem Lateranensi decreto, & laudatis Pontificum rescriptis consentanea est, quoties non plures inter se contendant de jurepatronatus, sed contentio fiat inter eos ex una parte, qui sibi patronatum vindicent, atque inter Episcopum ex altera parte libertatem Ecclesiæ, seu beneficii vindicantem; neque enim, dum ab Episcopo diu contenditur, & sibi, suisque juribus collitigantes fraudem fieri conqueruntur, permittendum Episcopo est, libere post quadrimestre tempus beneficium conferre; ne alias suspicio sit, Ecclesiarum Antistites lites, contentionesque movere ea spe illectos, futurum, ut certis modis, etiam tergiversationibus adhibitis, illud jus adquirant, quo minime gaudent. Quadrimestre tempus constitutum fuit ad coercendam patronorum negligentiam, vel in jurgando perfidiam, ne forte ex ea damnum in Ecclesias emergat; non constitutum, ut facilius Ecclesia libertatem nanciscatur in fraudem legitime quæsiti juris, cujus probatio non satis liquida est, nec facile potest intra quadrimestre tempus exhiberi. Quod si dicas, idipsum concedendum esse litigantibus laicis, cum inter se, non adversus Episcopum contendant, quasi nemo facile ex oppositione adversantium exuatur jure suo, præser-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

tim si negligens non sit, ego repono, litigantem esse quidem venia dignum, nec de negligentia facile incusandum, &, si singularia quædam non obstarent, ad præsentationem etiam post legitimum tempus admitti oportere; sed aliud postulare singularem Ecclesiæ utilitatem, quam sane diu vacare non est opportunum, quin alias litigioso patronatui fraus fiat, propterea quod extra ordinem libere conferret Episcopus, non jure suo, & quasi ordinarius collator; e converso, ubi lis inter Episcopum, & extraneum instituitur, concessa Episcopo post legitimum tempus conferendi facultate, jure suo conferre Episcopus videretur, & quasi missus in possessionem illius juris, de quo adhuc pendet in judicio controversia. Utar adhuc contractiore argumento. Nimirum definitio temporis ex jure singulari inducta est. Ergo tantum locum obtinet in eo casu, qui jure singulari comprehenditur. Decretum Lateranensis Concilii in dicto cap. 3. hoc tit. concedit facultatem conferendi Episcopo, si quæstio jurispatronatus emerserit *inter aliquos*: rescriptum Alexandri III. conceptum est *de controversia laicorum*, cap. 12. eod. tit.: *de discordia laicorum* similiter conceptum est rescriptum Innocentii III. in cap. 27. eod.. Nullibi mentio fit de controversia inter laicos, & Episcopum ipsum. Igitur singularis illa devolutio inducta grátia Episcopalis collationis, in hac specie locum non obtinebit. Altera exceptio est, quoties inter sese, non adversus Episcopum, plures quidem de patronatu contendant, sed unusquisque ex illis Clericum præsentaverit intra legitimum tempus; etenim obtinuit, ut etiam in hac specie locum non habeat devolutio juxta Lateranense decretum, quasi patroni, seu litigantes, cum præsentationem fecerint, non sint de negligentia redarguendi. Hanc exceptionem ego puto potius ex jure recepto fuisse confirmatam, quam profectam fuisse ex germana interpretatione decreti Lateranensis, ad quod tantum si exigeretur, forte videri undecumque accommodata non posset. Quicumque considerat sententiam Lateranensis Concilii, duplicem fuisse deprehendet edendi canonis causam; primum, ut consuleretur Ecclesiis vacantibus, ne ministro suo diutius destituerentur; deinde, ut negligentia præsentantium coerceretur. Esto in proposito deficiat secunda causa; non tamen prior deest, quæ principalis est, utilitas nempe Ecclesiarum. Ast parendum est juri recepto, cujus plausu digna potest esse ratio, si dicatur, in potestate Episcopi esse litem quantocius dirimere, ac definire, ut unum ex præsentatis litigantibus victorem pronuntiet, eumdemque vacanti beneficio præficiat. At enim etiam alio remedio consultum fuit incommodis Ecclesiarum, quæ exinde emergere possent. Finge duos invicem de patronatu contendere, & utrumque lite pendente, necdum elapso legitimo tempore, duos Clericos præsentare: moritur unus ex præsentatis, salubriter cautum est, superstitem in lite necessario instituendum ab Episcopo fore, quin amplius locus detur novæ præsentationi gratia patroni collitigantis. Idipsum recipitur, ubi etiam plures collitigantes sint, dummodo cæteri defuncti sint, & unus tantum supersit. Id jam statuerat Bonifacius VIII. in cap. 1. & 2. ut lite pendente in 6., deinde clarius traditum est in regula 29. Cancellariæ, quæ dicitur *de subrogandis collitiguntibus*. Quod adeo verum est, ut patronus collitigans, cœpta lite, ne admittatur quidem ad præsentandos plures, ne facta plurium præsentatione, cum lites acriores fiant, tum etiam reddantur diuturniores. Ut vero subrogationi litigantium locus fiat, & cæteri impetratores excludantur, oportet, ut subrogatio petatur a superstite intra mensem, quemadmodum aperte definitur in laudata regula Cancellariæ; item oportet, ut qui superstes esse proponitur, sese non intruserit in beneficium, aut nihil fraudis admiserit in lite ineunda, quemadmodum contingeret, si quis sciens quem-

quam senem, aut in extremo laborantem præsentati, litem statim moveret sine causa, & temere omnino, ut moriente adversario jus sibi bonum ad beneficii possessionem capessendam adsereret.

Altera species proposita erat, quoties plures sint compatroni non invicem de jure patronatus contendentes, sed dividentes inter jurispatronatus exercitionem, alternis vicibus præsentaturi, juxta Clementinam 2. hoc tit.. Viderentur ex hac tributione sublatæ controversiæ omnes; verum nihilominus quædam adhuc venire in disputationem possunt. Quid enim in primis, si is, ad quem præsentatio spectat, & qui turnarius dicitur, negligat intra tempus legitimum præsentare? Habetur quidem iste, ac si vices suas implevisset, atque eveniente deinde altera beneficii vacatione, alius esset turnarius pro modo successionis admittendus; imputet enim sibi, qui cum præsentare posset, noluit præsentare. Verum dicendumne erit alterum compatronum, qui turnarius non est, post quadrimestre tempus ad præsentandum admitti, an potius collationem devolvi ad Episcopum libere collaturum? Quid deinde, si turnarius, ne præsentet, facto impediatur? Quid, si præsentet, sed sine effectu? Sunt hæc singula explicanda, præhabita tamen generali observatione, qua jus turnariorum explicetur. Oritur istud jus ex libera conventione a patronis facta; agnoscentes enim compatroni, facile se in unum minime consensuros, si simul & semel præsentarent, tibnunt sibi invicem præsentandi facultatem, quam dum turnarius exercet, non tam videatur suo, quam etiam compatronorum nomine præsentare Ita postulat natura patronatus, quæ individua est: ita voluntas compatronorum, qui quoad fieri possit, jus præsentandi retinere contendunt, quod aliter fieri nequit, nisi vices suas delegando compatrono. Et quidem hæc delegatio ab initio est voluntaria, propterea quod ad eam temporum partitionem ex mutuo consensu deveniunt; ubi vero semel partitio facta est, necessaria redditur, cum compatrono amplius non liceat a facta partitione recedere, & delegationem semel factam gratia compatroni revocare. His generaliter positis, accedamus ad secernendas species, quibus turnarii jura sua non impleant. In primis obesse potest turnario casus fortuitus; uti contingeret, quoties turnarius quemquam præsentavisset, qui vel repentina morte correptus institui ab Ordinario non potuerit, vel præsentationi necdum secuta institutione renuntiaverit. Arbitror hac in specie, turnarium rursus valere ad novam præsentationem devenire, quasi nulla facta præsentatio fuerit, cum idem sit non præsentare, & præsentare sine effectu, adeo ut novum tempus ad præsentandum concedi eidem debeat, quemadmodum in simili specie definitum legimus in cap. 26. de elect. in 6.. Secundo obesse turnario potest impedimentum objectum vel a collatore, vel a compatrono, vel ab extraneo; quibus in speciebus non erit turnarius censendus absolvisse jus suum, ac propterea ad primam præsentationem, quæ effectum sortiri possit, erit omnino admittendus, cum nemo sine facto, aut negligentia sua abs jure sibi competente excidere debeat. Tertio evenire potest, ut ex facto turnarii ejusdem nulla fiat præsentatio, aut fiat quidem, sed inutilis, veluti cum variis quæsitis effugiis dolose tergiversaretur, tum vero ipse turnarius sibi quidem oberit, ut turnum suum absolvisse credatur, non tamen oberit compatronis, quibus facultas dabitur præsentandi communi suffragio, si plures fuerint, aut si unus tantum sit, facultas dabitur eidem libere præsentandi, ac si pro ea vice præsentatio turno non subjaceat; quamquam ob utilitatem Ecclesiæ in hac specie videatur concedenda facultas Episcopo, ut cogere compatronos non turnarios possit ad præsentandum intra brevissima tempus, & minus quadrimestri, ne diutius beneficium vacet. Cum enim nova hæc præsentandi

facultas extra ordinem, & ex quadam indulgentia concedatur compatronis, ita prudenter temperanda est, ne fraudem utilitati Ecclesiæ faciat. Neque dicas, elapso quadrimestri tempore ex jure scripto liberam fieri Episcopalem collationem; etenim repono, id verum esse, vel ubi patroni, cum præsentare possint, non præsentent, vel ubi patroni de jurepatronatus inter se contendant; ad has enim species coercetur Concilii Lateranensis constitutio in dicto cap. 3. hoc tit., at de ea specie patronorum, qui per alternas vices partiti sunt præsentationem bono pacis, etiam in utilitatem Ecclesiæ vergentis, nihil dicitur apud Patres Lateranenses; ac propterea ubi scripto jure destituimur, prudentiæ, æquitatisque regulas sequi necesse est, ut hinc quidem prospiciatur utilitati Ecclesiæ, illinc consulatur tuendo legitimo juripatronatus semel quæsito, a quo si ex facto & negligentia turnarii dejicerentur cæteri compatroni, futurum vereri iidem possent, ne Ecclesia possessionem libertatis habere inciperet, a qua nova eveniente vacatione difficilius dejiceretur; quando nemo ignorat, vim possessionis in collationibus beneficiorum maximam esse, quod beneficia non adeo frequenter vacent. Neque iterum dicas, imputandam esse negligentiam turnarii etiam cæteris compatronis, propterea quod turnarius habeatur veluti communis a compatronis electus procurator, & negligentia procuratoris nocere soleat principali. Siquidem repono, id verum esse, quoties de procuratore agatur, quem quis & libere constituat, & libere removere possit, non vero quoties aut quis dum procuratorem eligeret, alium eligere non posset, aut semel electum revocare non valeret, quemadmodum contingit in proposito, cum compatronus dividendo præsentationis tempora, ei mandatum dederit, non quem ipse elegisset, sed quem eligere ex necessitate tenebatur, & cui electo perpetuo ex necessitate obstringitur.

Tertia adhuc superest expendenda proposita species, in qua nimirum non inter plures de patronatu contenditur, nec compatroni tribuerunt præsentationes per alternas vices; sed compatroni simul, & semel ad præsensationem concurrunt. Nonnihil interest in proposito, an præsentatio pluribus competat veluti Collegio, quemadmodum contingit in patronatu familiari collegiali, an præsentatio competat pluribus singillatim, ita ut singuli ad suffragium ferendum, sive ad præsentationem admittantur. Si præsentatio pluribus veluti Collegio competat, unica esse præsentatio videtur, quæ omnium nomine fiat. Quamobrem in hac præsentatione servari debent illæ omnes regulæ, quæ ordinariæ sunt in electionibus celebrandis. Hinc convocari omnes debebunt, quin admitti possit præsentatio ab aliquibus separatim facta; & ille nominatus præsentationis causa censebitur, qui a majore suffragantium parte eligatur. Quod si inter eligentes contentio sit, libera erit Episcopo collatio, quasi nulla facta fuerit præsentatio, dicto cap. 3. hoc tit.. Quo autem casu singuli uti singuli præsentandi jure gaudent, is inter plures præsentatos præferretur, qui majoris partis suffragia obtinuerit, atque ubi unicuique singularia, seu paria suffragia sint, ego non dubito, quin Episcopus libere possit uni potius ex præsentatis, quam alteri gratificari, argumento legis 3. §. 4. ff. ad Senat. Cons. Silanian., quod & probavit Faber in codice libr. 6. tit. 1. def. 11. laudans etiam in hanc rem definitiones Rotæ Romanæ; immo etiam & probare visus fuit Lucius III. in cap. 24. hoc tit., non quidem in hac ipsa, sed in non absimili specie. Immo hæc ipsa gratificandi facultas expresse videtur concessa in ipso Lateranensi decreto, dicto cap. 3. hoc tit., dummodo tamen Episcopi noverint, eum præeligendum esse, qui inter præsentatos a pluribus dignior sit, quemadmodum postulant generales leges in beneficiorum collationibus observandæ. Unum

UAB Biblioteca de Ciències Socials

ad hanc rem adjicio de jurepatronatus, quod mixtum sit, id est, partim ecclesiasticum, partim laicale. Nimirum, quoties inter ecclesiasticum, & laicum patronum conventum fuerit, ut per alternas vices præsentatio fiat, pro ea vice, qua ecclesiasticus præsentat, juspatronatus habebitur, ac si omnino ecclesiasticum foret; quemadmodum pro ea vice, qua præsentat laicus, habebitur, ac si omnino esset laicale juspatronatus. Quod si ambo una ad præsentandum concurrant, communicantur jura, ita ut utrique patrono & semestre tempus concedatur, & jus variandi.

Barbara quidem sunt & præsentandi, & præsentationis vocabula; parcendum tamen est iis, qui eadem sequioribus sæculis invexerunt ex eo, quod nova jura & vetustati incognita exercenda fuerint, novis propterea nominibus designanda. Verba eligendi, vel electionis non satis apta videbantur, cum jam usurparentur ad significandum actum alicujus Collegii ecclesiastici, vel religiosi; insuper actus patronorum ad designandum Ecclesiæ, vel beneficii administrum non unus aliquando fuit, sed duplex; hinc passim audita sunt nominationum, & præsentationum nomina, quorum etiam significatio diversa est. Siquidem simplex nominatio dicitur designatio personæ beneficium adepturæ facta per literas, quibus constet de voluntate patroni; ac præsentatio dicitur exhibitio personæ instituendæ in beneficio facta a patrono coram eo, qui instituendi jus habet causa obtinendæ ejusdem institutionis. Ex hoc intelligitur, ad nominationem duas tantum personas concurrere, nimirum nominantem, qui suam explicet voluntatem certam personam designando, & nominatum, qui munus in se deferendum acceptet; immo etiam nominatio dicetur, cum tantum patronus suam voluntatem declaraverit, quamquam eadem in suspenso esse dicatur, quousque superveniat nominatus, qui designationi de se factæ consentiat; at ad præsentationem tres necessario concurrere necesse est, videlicet præsentantem, præsentatum, & Prælatum, apud quem fit præsentatio. Insuper ex eo intelligitur, jus illud patronatus, quod passivum appellant, nihil aliud esse, quam nominationem a fundatore factam, quidem adhuc in pendenti existentem, quousque nominatus interveniat, & nominationi consentiat. Ex eo denique sequitur, ut, licet præsentatio ex parte patroni sit actus undique absolutus, cum nihil amplius ex parte patroni agendum supersit, nominatio tamen actus adhuc imperfectus dicatur, cum patronus adhuc debeat apud eum, cujus est institutio, præsentem sistere nominatum; propterea que si intra legitimum tempus nominatio quidem fiat, non præsentatio, patronus jure suo cadat, & devolutioni locus detur; similiter irrita fiat nominatio patroni, si ante secutam præsentationem decesserit, nisi illa ab hærede, aut in patronatu successore rata habeatur, ac confirmetur, aut nisi agatur de fundatore ipso, cujus designationem factam sequi, religiosum semper fuit. Multa sunt & nominationi, & præsentationi communia; quædam autem sunt alterutri singularia. Commune in primis est, quod modo ajebam, ut intra legitimum tempus fiant; secundo, ut patronus sive per se, sive per procuratorem utrumque facere possit, dummodo procurator, quoniam de re gravi agitur, instructus sit speciali mandato. Qua in re necessarium non est, ut constituatur procurator, cum beneficium vacaverit, sed & poterit constitui, antequam illud vacet, quamquam vetitum sit procuratori æque, ac patrono, ne deveniant ad actum præsentationis, vel nominationis ante beneficii vacationem; cum longe distet disputare de viribus mandati a disputando de potestate mandati exequendi, ac propterea valere interea possit mandatum, licet exercitio mandati in tempus legitimum differatur; eadem omnino ratione, qua ordinarius beneficii collator potest, etiam

nullo beneficio vacante, alicui concedere conferendi potestatem, ceu Vicario, quamquam neque Ordinarius ipse, neque Vicarius conferre valeat necdum vacantia beneficia. Ex his tertia regula fuit & præsentationi, & nominationi communis, juxta quam patronus seu a nominando, seu a præsentando abstineat, antequam beneficium vacet, argumento cap. ult. de concess. præb., & cap. 2. & 3. eod. tit. in 6.. Exceptio est in fundatore, qui in limine fundationis nominare potest varios instituendorum sibi invicem succedentium gradus; si quidem fundatoris gratia multa recepta sunt contra regulas juris generales; quæ fundatoris nominatio tum primum compleri videtur, ubi non tam beneficium vacat, quam designatus nominationem acceptet; immo & tum in præsentationem evadit, cum nominatus a fundatore sese præsentem sistit apud eum, qui instituendi jus habet, postulans, ut in beneficio instituatur. Quarto illud commune est, ut a patrono non Clericus tantum, sed & laicus & nominari, & præsentari valeat, dummodo iste tempore institutionis intra legitimum tempus suscipiendæ sit idoneus, juxta ea, quæ superius tradita sunt; etenim a tempore collationis beneficii, quæ per institutionem fit, qualitatem beneficiarii metimur, ob veteris, quod adhuc superest, vestigium disciplinæ, juxta quam collatio beneficii ab ordinatione non sejungebatur. Quinto nemo poterit aut præsentare, aut nominare seipsum beneficii obtinendi causa, ne in crimen ambitus patronus incidere videatur, cap. 26. de jurepatron., juncto cap. ult. de institutionibus, nisi ageretur de pluribus compatronis, quorum unus a cæteris, aut majore cæterorum parte designaretur, & ipse designationi de se factæ consentiret, argumento capituli 33. de elect., aut nisi ageretur de patrono, qui procuratorem constitueret ad nominandum, ac præsentandum, a quo deinde patronus ipse sine fraude nominaretur, & coram Episcopo gratiose instituendus præsentaretur; cui simile illud esse videtur, cum patronus liberam relinquit Episcopo pro ea vice collationem beneficii, & deinde ab Episcopo beneficio sponte donatur, dummodo in utroque casu fraus, & collusio absit in detrimentum ecclesiasticæ utilitatis, quæ ut plurimum non satis attenditur a nonnullis, qui sacra officia, ac si in proprium commodum instituta fuissent, a primigenia eorumdem indole detorquere non dubitarunt; aut nisi ageretur de laica cappellania, quæ non tanquam beneficium habetur, sed potius tanquam pium legatum, facile in hac parte cæteris hæreditariis juribus comparandum, aut denique nisi ageretur de eo patrono beneficii, qui præter activum, uti vocant, patronatum, etiam passivum haberet; hac enim in specie non se ipsum nominaret, ac præsentaret nomine suo, sed jam nominatus a fundatore intelligitur, ac præsentare se procuratorio nomine fundatoris. Singularia nunc recenseamus, quæ modo tantum in præsentatione, modo tantum in nominatione observantur. Primum est, ut patronus ipse præsentaturus voluntatem suam vel præsens coram Episcopo explicet, vel per literas, vel per procuratorem significet, cap. 6. de his, quæ fiunt a Præl., eodem modo, quo olim etiam per literas suffragia electionum Episcopalium ferebantur, can. 1. dist. 64., quamquam recentioribus sæculis invecta in electionibus Episcopalibus severiore scrutinii forma id recipi amplius non debuerit, cap. 46. §. ult. de elect. in 6.. Adhuc tamen semper fuit, & esse perseverat inter electionem, quæ fit a Capitulis, & inter præsentationem, quæ fit a patronis, discrimen, ut in præsentatione sisti debeat præsens, qui est ex patroni voluntate instituendus, non item in electione necessario sisti ab eligentibus debeat electus apud Superiorem; sufficit enim electionem ita fieri, ut perveniat ad notitiam ejus, ad quem electionis confirmatio pertinet. Hic sane actus

nihil commune habet cum simplici nominatione, utpote quæ tantum inter nominantem, et nominatum absolvitur. Nihil vero interest, an patronus præsentandi causa constituat procuratorem ipsum præsentatum, an extraneum, quoniam præsentatus ipse duplicem potest sustinere personam, præsentati suo, & præsentantis alieno nomine. Hinc fit, ut passim admitti soleat tutor, ut nomine populi patroni præsentent, argumento cap. 32. de elect. in 6.. Secundo illud singulare est in præsentatione, ut Clericus se coram Episcopo præsentem sistat, nec satis ipsi sit per procuratorem comparere, videlicet: ut fraudibus, quæ admitti a patrono possent, obviam eatur, nisi forte nominatus alias sit Episcopo notus. Tertio non quidem ad simpliciter nominandum, sed ad præsentandum concessa sunt patronis certa tempora, quibus si non præsentent, prodesse nominatio sola non potest, ne fiat locus devolutioni. Equidem non repugnat, Episcopum posse patrono laico quadrimestre, ecclesiastico semestre tempus prorogare ex justa causa, dummodo tamen ultra aliud semestre tempus non extendat, cum sex tantum menses jure concedantur collatori, intra quos beneficium ex devolutione conferat, argumento cap. 57. de appellation., & legis 2. ff. de re judicata. Verum oportebit, ut intra tempus illud Episcopi gratia concessum non simplex nominatio, sed præsentatio fiat. Denique singulare est in præsentatione, quod in nominatione non viget, ut semel facta præsentatio, subsecuta præsertim institutione, non revocetur, etiam si post secutam institutionem liberum beneficium fuisse probetur, aut extraneus quilibet juspatronatus evincat, cap. 19. de jurepatron. cap. 24. de elect., cap. 3. de caus. possess. & propriet., dummodo tamen in fraudem legitimorum patronorum facta non fuerit Episcopi institutio. In fraudem autem facta censeretur, quoties Episcopus instituisset, nullis præcedentibus citationibus patronorum, aut post factas quidem citationes, sed institutione secuta ante tempus, vel abs jure, vel in ipsa citatione præstitum, argumento Clementinæ 1. de judicis, & legis 6. cod. de remissione pignorum.

Hucusque tantum actum est de jure nominandi, ac præsentandi, quod patronis concessum fuit. Aliud jus consistit in petendis, percipiendisque alimentis a Clerico in patronali Ecclesia, vel beneficio instituto, cum patronus ad inopiam redactus fuerit, can. 30. caus. 16. quæst. 7., cap. 25. de jurepatron.. Porro eximia fundatorum in Ecclesiam, & viros ecclesiasticos pietas, atque religio provocare debuit Ecclesiam ipsam, & Ecclesiarum administros ad mutua charitatis officia rependenda. Si enim ex consensione gentium universarum ita suadente natura donatarius donatori quodam arctissimo officii vinculo obstringitur, ut gratus animus idemtidem, & prout res incidit, exhibeatur; dicam amplius, si Ecclesia instar piissimæ matris indigentibus omnibus occurrere benignissime consuevit, unde bona Ecclesiarum apud Sanctos Patres patrimonia pauperum appellantur; quid non conabitur illa erga patronos, ad quos adjuvandos non est pietate tantum, sed ex debita æquali beneficiorum repensatione coacitatur? Id adeo sacris canonibus comprobatum est, ut patronorum juribus accenseatur, possintque patroni sacros administros in judicio convenire, ut sibi, cum indiguerint, beneficiorum fructuum portione occurratur. Si hujus juris originem quæras, dixerim antiquissimam esse, & longe vetustiorem jure præsentandi. Etenim quo tempore apud Hispanos necdum receptum erat jus præsentandi, jam tradebatur, fundatoribus indigentibus esse præstanda alimenta, can. 30. caus. 16. quæst. 7.. Immo nec fundatoribus tantum id tributum est; quamquam enim in dicto can. 30. vel de fundatoribus, vel de fundatorum filiis mentio fiat, quia forte apud Hispa-

nos nondum certam formam acceperat successio patronalis, postquam tamen ex Novellis Justinianeis juspatronatus inter jura hæreditaria recenseri cœpit, quemadmodum superius demonstratum est, obtinuit, ut jus petendorum alimentorum etiam hæredibus competeret, seu iis omnibus, qui in patronatu fundatori succederent. Id hodie sine dubitatione receptum est, præsertim postquam definitum perspicue fuit in cap. 25. de jurepatron., ubi cum dicatur, patrono succurrendum esse *modeste*, duo erunt necessario observanda, nimirum & dos Ecclesiæ, vel beneficii, & patroni conditio, quæ omnia ita prudens Episcopus moderari debebit, ut hinc honori Ecclesiæ, illinc patronorum dignitati nihil detractum esse videatur; eodem fere modo, quo beneficiarii in diœcesi consistentes, quibus administranda relicta fuerunt peculia olim in Episcoporum potestate constituta, tenentur idemtidem Episcopis certa subsidia suppeditare *secundum mediocritatem uniuscujusque loci*, uti legimus in can. 10. caus. 10. quæst. 3.. Hæc adeo vera sunt, ut alimenta etiam debeantur, cum in limine fundationis, auctoritate Episcopi accedente, reservata fuerit certa pensio gratia patroni, uti in specie capituli 23. hoc tit., & capituli 18. vers. *licet* de sent. & re jud., si modo ea pensione non satis occursum patroni inopiæ videatur. Nihil enim commune habet jus illud constitutæ pensionis ex pacto profluiscens, quod statim, ac probatum est, ordinarium existimatur, cum jure alimentorum petendorum, quod extraordinarium est, & ex debita humanitate originem ducit. An autem hoc jus adhuc patrono sit concedendum, cum ipse juripatronatus vel gratia Ecclesiæ, vel gratia extranei renuntiaverit, acerrime apud nostros disputatur; affirmantibus nonnullis ex eo, quod in donatione patronatus, utut generali, non censeatur comprehensum jus alimentorum, utpote personæ intime adhærens; aliis negantibus ex eo, quod translato patronatu omnia translata censeantur jura, quæ patronatum sequuntur; aliis denique tradentibus, patronum cedentem posse percipere alimenta a cessionario, non vero ab Ecclesia, vel beneficio, ita ut a patrono donatario denegante alimenta patrono donanti, tamquam ab ingrato, revocari possit juspatronatus, ad donantem reversurum. Postrema hæc opinio nullo modo probanda est, cum in cessione patronatus facta extraneo non id agatur, ut donatarius ad alimenta inopi cedenti concedenda teneatur, ne potius factam patronatus venditionem, aut venditioni similem simoniacam conventionem dicamus, quam gratuitam donationem; neque donatarius iste, si alimenta donanti non suppeditet, vocari ingratus poterit, eo minus subjacere periculo revocandæ donationis, cum causa non sit ejus generis, ex quo revocari semel perfecta donatio queat, juxta generalem Justiniani Imperatoris constitutionem in l. ult. cod. de revocand. donation.. Duas alias priores opiniones sic componendas esse arbitror: nimirum vel donatus est patronatus Ecclesiæ, ut ipsa remaneat libera; tum vero adhuc alimenta debebuntur patrono; si enim Ecclesia ex eo, quod bona a fundatore recepit, alimenta debet patronis, potiore jure debebit, ubi post recepta bona recepit etiam omnigenam libertatem. Quod si, cum necdum jus præsentandi patronis concederetur, tum jus alimentorum competebat patronis, uti facile deducitur ex dicto can. 30. caus. 16. quæst. 7., cur non idem dicendum sit, ubi patronus jus præsentandi sibi competens gratia Ecclesiæ abdicaverit? Vel in extraneum translatus est patronatus; atque in hac specie videtur patronus omnia jura patronatui adnexa a se penitus abdicavisse, ne patronatus suapte natura individuus divisionem patiatur inter plures, quorum uni jus præsentandi competat, alteri jus alimentorum, aut ne Ecclesia teneatur pluribus alimenta concedere, cedenti scilicet, & cessionario.

Quod autem nonnulli dicunt, qui contra sentiunt, alimentorum jus cedi non posse, argumento legis 8. ff. de transaction., plerumque verum non est, & vix locum habet in specie singulari ejusdem legis 8.. Agebatur ibidem de alimentis, vel testamento, vel codicillo relictis a defuncto, cujus mens erat, ut dum legatarius viveret, numquam mendicitatis probro subjaceret, in quo casu non nisi contra testatoris voluntatem transactio de alimentis fuisset inita. Ut vero patronus petere alimenta possit, hæc necessario concurrere oportebit. In primis probandum erit, ex iis, quæ ad beneficii, vel Ecclesiæ cultum, aut ad beneficiarii congruam sustentationem necessaria sunt, aliquid superesse tribuendum indigenti patrono; etenim conveniens cultus erectæ Ecclesiæ, & beneficii, necnon necessaria sacri administri alimenta juribus patroni præferuntur, nisi forte beneficiarius aliunde, quæ sibi necessaria sunt, nanciscatur, argumento can. 20. caus. 12. quæst. 1.. Deinde patronus inopiam suam coram Episcopo probare debebit, & quidem ejusmodi, cui ipse patronus aut culpa, aut facto suo nullam dederit causam, cuique aliunde consuli nequeat, argumento l. 5. §. 18. & 19. ff. de agnosc. & alend. lib.. Quid enim, si patronus donatione omnium bonorum facta in extraneum ad summam sese redegerit inopiam, ut de facultatibus Ecclesiæ viveret? Quid, si in Monasterio voluntaria professione paupertatis voto sese obstringeret? Non sunt isti casus Ecclesiæ detrimentum allaturi. Perspicuæ esse videntur hæ regulæ, ubi patronatus ad singulares personas spectet. Quod si spectet ad universitatem, sane non erit onus beneficiarii, singulis, aut aliquibus de universitate indigentibus alimenta præbere, quasi patronis, cum non singuli, sed universitas ipsa habeat juspatronatus: non dubito tamen, quin loco alimentorum, quorum incapax est universitas, teneatur beneficiarius universitati ipsi, si forte gravissimis oneribus prematur, certas præstationes ab Episcopo definiendas suppeditare.

Cum quis ita donat, ut in re donata certa adhuc sibi jura reservet, vel ut quamdam adhuc in illam exerceat potestatem, non videtur omnino illam quasi liberam penes donatarium deseruisse. Donat uxor dotem marito, adeo ut maritus fundi dotalis dominus existimetur; adhuc tamen illa sollicita esse potest, ne quid pereat, ne quid fraudis in re ipsa, aut in rei administratione admittatur. Donat directus dominus feudum, aut emphyteusim; sed uterque sollicitus est de officiis, aut obsequiis, quæ vel feudi, vel emphyteuseos natura atque indoles postulat. Idipsum proportione quadam, & æquabilitate servata obtinet in eo, qui bona in erectam Ecclesiam, vel beneficium contulit, reservato sibi, & successoribus patronatu. Abdicavit iste rerum collatarum dominium, abdicavit etiam administrationem; eo ipso tamen, quo juspatronatus retinuit, in hoc constitutam quamdam vigilem defensionem voluit. Hoc est tertium jus, quod patronatui cohæret. Sane quousque intra certos limites sese patroni contineant, sacri iidem canones non repugnant; sed si eo deveniant, ut amplius, quam par est, illi vindicent sibi, tum sacrorum canonum censuræ subjacebunt. Itaque curandum est, ut duo præ oculis habeantur, primum ne patroni, secundo ne Ecclesiæ juribus fraus ulla fiat. Qua in re tria possumus veluti fundamenta præjacere. Primum est, licere fundatoribus in limine fundationis eas apponere conditiones, quibus & sibi, & suis in patronatu successoribus quædam jura etiam administrationis causa reserventur. Alterum est, quoties fundatores nihil in limine fundationis specialiter reservaverint, nihil juris competere patronis in beneficii, & Ecclesiæ administratione. Postremum est, competere quocumque in casu patronis sollicitudinem quamdam, qua curent, ut omnia rite, rectèque per eos, ad quos pertinet, administrentur.

In primis verum generaliter est, quemcumque liberalem donatorem posse tempore donationis a se factæ adjicere conditiones sibi bonas, quibus certa jura, immo etiam pensiones, aut exactiones sibi reservet, quemadmodum passim docent Jureconsulti ad legem 4. cod. de donation.. Cur non eadem ratione fundatores beneficiorum poterunt sibi in limine fundationis reservare similia jura, vel singularis cujusdam administrationis, vel annuæ pensionis, vel etiam extraordinariæ alicujus certis in casibus percipiendæ præstationis? Id præsertim auctoritate Episcopi fieri videtur, ad quem spectat causa cognita fundatoris voluntatem, & conditiones a fundatore adpositas explorare, probare. Laudari in hanc rem posset canon 30. caus. 18. quæst. 2., ubi cum de certis obventionibus ageretur, fundatrix judicio suo modum eisdem tribuit minime improbandum, nisi cum viris eruditis observarem, parum firmum esse illud monumentum, tanquam non certo adscriptum aut Pelagio, aut Gelasio Pontifici Maximo. Potius in medium profero capitulum 18. §. *Licet autem* de sent. & re judic., ex quo constat, ab Ecclesia annum quidquam in decem solidis concedi consuevisse patronis. Item profero capitulum 16. de censib., ubi liquet, in limine fundationis concessum fundatori fuisse, ut Monasterium ad certam pensionem præstandam alteri Monasterio obstringeret. Denique profero capitulum 23. de jurepatron., ubi quamquam patronis injunctum sit, ne novas, & graves pensitationes ab Ecclesiis extorqueant, mandatum tamen est, ut antiquorum, & moderatorum reddituum ratio haberetur. Ipsum Tridentinum Concilium, dum coercuit patronorum quorumdam excessus in administratione, vel participatione jurium beneficii, hanc adjecit clausulam, *nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat*, sess. 24. de Reform. cap. 3.. Deinde, quoties nihil singulare in limine fundationis cautum fuerit, omnia sive Ecclesiarum, sive beneficiorum jura, omnisque administratio est penes sacrum administrum sub jurisdictione Episcopi constitutum, can. 2. 3. & 4. caus. 10. quæst. 1., can. 29. caus. 16. quæst. 7.. Nullam igitur aut jurisdictionem in Clericum in beneficio institutum, aut administrationem bonorum Ecclesiæ patronus nanciscetur. Equidem fateor, sequioribus sæculis, patronos, aut vi jurispatronatus, cujus causa veluti dominos se esse censebant, aut vi advocatiæ susceptæ, vindicasse sibi aut jurisdictionem quamdam in Clericos institutos, ut eos vel instituerent, vel etiam vulneribus aliquando, vel, quod dictu pene incredibile est, cæde afficerent; aut administrationem quamdam bonorum Ecclesiæ, quorum etiam portionem sibi retinebant, uti liquet ex cap. 4. 13. & 23. de jurepatron., cap. 12. de pœnis, cap. 13. de elect. in 6., adeo ut quandoque Clericos a se nominatos variis cautionibus ad sibi obtemperandum obstringerent, etiam jurejurando firmatis, cap. 15. de censib., dicto cap. 12. de pœnis, quæ sane vetitæ fuerunt ex decretis modo commemoratis. Notatione dignum est inter cætera dictum cap. 23. de jurepatron., quod jungendum est cum cap. 9. de hæretic., quemadmodum auctor collectionis 1. decretalium adnotavit in cap. 29. de jurepatron.. Ex hac Lucii III. decretali in duo fragmenta divisa colligitur, primum laicos plures sibi spiritualium, seu hierarchicorum jurium exercitionem vindicavisse, unde hæreses detestabiles prodierunt; deinde laicos plures sub specie patronatus, aut advocatiæ extorsisse ab Ecclesiis varias pensitationes, quæ omnia damnata a Lucio III. fuerunt. In dicto cap. 23. nominantur *fodrum*, *albergaria*, & *Regium*. Nomine *fodri* veniebat commeatus, sive pabula jumentorum, quoties patroni, vel advocati ad Ecclesias accedebant, atque hic commeatus aliquando in certa taxata pecunia luebatur. Nomine *albergariæ* veniebat hospitium concedendum patrono, vel advocato in itinere consistenti; quod jus ab

aliis vocabatur *paramenta*, sive *parata*, uti in Capitularibus Regum Francorum, quasi hospitium præparatum; in decretalibus cum de Episcopis, aut Prælatis visitantibus agitur, vocatur *procuratio*, apud Romanos autem veteres appellabatur *metata*, l. ult. cod. de metatis. Nomine *Regii* veniebat quædam, uti loquuntur, capitatio, sive tributum per singula capita luendum. Postquam hæc omnia jam damnata in decretalibus fuissent, Tridentinum Concilium supremam manum admovisse videtur abusibus eliminandis. Siquidem cum in cap. 11. sess. 22. de Reform. vetuisset patronis, ne quidquam in suos usus converterent de bonis Ecclesiæ, deinde in cap. 3. in fine sess. 24. de Reform. ita decrevit: *Patroni in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere; neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat; sed Episcopi ipsi hæc faciant, & fabricarum reditus in usus Ecclesiæ necessarios, & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.* At enim dicendum ne erit post hæc, actum esse de omni patronorum sollicitudine? Canones hucusque laudati nonnullos patronorum graves abusus emendare quidem voluerunt, non vero legitima, & canonibus probata jura abolere. Siquidem vix tuitores, & defensores Ecclesiarum patroni dici possent, vix etiam rebus suis consulere valerent, si quædam adhuc sollicitudo eisdem non concederetur; ac si forte propter incuriam Clericorum res beneficiariæ interirent, patroni reficere Ecclesias, & restituere bona tenerentur, quorum ipsi pridem ignoravissent, immo & prorsus ignorare debuissent rationes. Adhuc hodie Interpretes nostri distinxerunt triplicem Ecclesiæ, aut beneficii curam, quarum primam *auctorizabilem* dixerunt, quæ jurisdictionem habet adnexam, alteram *ministerialem*, quæ actus explicat spirituales, aut spiritualibus adnexos, postremam *providentialem*, sive *sollicitudinis*; & quamquam priora duo curæ genera patrono denegata agnoverint, præsertim ex Tridentino decreto, nisi in specie expressæ reservationis in limine fundationis factæ, non tamen postremum curæ genus denegatum fuisse tradiderunt. Hanc ipsam providentialem, sive sollicitudinis curam jam suffragio suo comprobaverant vetustissimi Toletani Patres in can. 31. caus. 16. quæst. 7.. Consistit autem potissimum in eo, ut detur patrono facultas inquirendi, non tamen sub quadam jurisdictionis, aut officii specie, sed privatim, an beneficiarii oneribus beneficii satisfaciant, an bona beneficii recte administrent, & similia; & cum quidquam in ea re peccatum inveniant, tum id deferant ad superiorem, a quo congruum, opportunumque remedium petant, exspectent. His proximum est, quod etiam hodie tradi solet receptum: nimirum si ad unionem, vel divisionem beneficii patronalis Episcopus deveniendum putet juxta Concilium Tridentinum sess. 24. de Reform. cap. 15., aut si in collatione beneficii pensio gratia alterius reservetur, aut beneficium cum alio beneficio permutetur, vel gratia alterius resignetur, aut in eo Vicarius perpetuus constituatur, aut res beneficii ex necessaria, vel utili causa alienetur, necessarius erit consensus patroni, cum in his omnibus casibus interesse patroni possit, ne quidquam innovetur. Ubi vero nullum patrono detrimentum ingeritur, non erit necessarius illius consensus; quamobrem poterit Episcopus novam Cappellam in Ecclesia patronata libere erigere, confraternitatem inducere, scamna extraneis, non tamen honorifica, concedere, & jubere sepulcra excavari.

Ad jura honorifica, quæ fundatoribus conceduntur, pertinent quoque inscriptiones nominum, quibus deinde stemmata gentilitia successerunt. Jam receptum fuerat apud gentes, ut qui certa donaria in templis publicis Numini dicata pendebant, in illis sua nomina

inscribi curarent, uti liquet ex l. 38. §. ult. ff. de auro, & arg. leg.. Præterea quicumque opus quoddam publicum extruxisset, in eo suum nomen inscribebat, quod ne quis eraderet, cavebatur l. 2. §. ult. ff. de oper. publ.. Clarius Callistratus hanc rem expendit in l. 7. §. 1. ff. eod., ubi speciem a specie distinxit. Tradidit in primis, licere erigentibus opera publica nomen suum inscribere; addidit inde, opus publicum ab uno factum, deinceps ab alio magnifice ornatum, notari posse etiam inscriptione nominis illius, qui ornavit, dummodo nomen illius, qui fecit, non deleretur; denique conclusit, ubi opera quædam facta fuerint pecunia publica, & aliquis certam summam de sua adjecerit, licere adjicienti ita titulo inscriptionis uti, ut quantam summam contulerit in illud opus, scribat. Generaliter autem tradidit Macer in l. 3. §. 2. ff. eod., nemini licere, in operibus publicis nomen inscribere, nisi agatur de nomine Principis, vel ejus, cujus pecunia opus factum sit. Hæ sane regulæ plurimum valere possunt ad explicanda ejus generis jura, quæ fundatoribus competunt, immo & ad nodum præstituendum probationibus jurispatronatus, quæ ex inscriptione nominis repetuntur. Cum enim ex hac veterum consuetudine receptum fuerit, ut in Ecclesiis nomina privatorum inscriberentur, alias autem nemo, nisi auctor operis, nomen suum inscribere posset, &, si tantum certam summam erogavisset, eam tantum summam consignare adjecto nomine valeret, facile liquet, fundatores nomen suum templis a se erectis inscribere potuisse, & ex ea inscriptione posse probari fundationem factam ab eo, qui nomen suum inscripsit, dummodo inscriptio simplex esset, nec coercita ad designandam singularem pecuniæ quantitatem in erectionem Ecclesiæ collatam. Istæ Ecclesiarum inscriptiones primis Ecclesiæ sæculis *tituli* dicebantur, eamque ob rem a fundatoribus ipsis nomina accipiebant templa; sic dicebatur titulus Damasi, titulus Eudoxiæ, titulus Lucinæ, templum illud, quod a Damaso, ab Eudoxia, a Lucina ædificatum fuisset. Erat hæc tituli inscriptio veluti symbolum, modo dominii, modo patrocinii, vel tutelæ; atque hac significatione titulus fundatoris adjiciebatur in templis, ad indicandum, ædificium illud ante dedicationem in dominio fuisse illius, cujus nomen inscribebatur, item post dedicationem adhuc in ejusdem patrocinio, & clientela existere, quod patrocinium, & clientelam jus patronatus appellaverunt recentiores. Hæc disciplina clarius adhuc exhibetur ex moribus veterum, qui etiam quibuscumque prædiis nomina inscribebant. Nomen Imperatoris inscribebatur in fiscalibus prædiis, ne quisquam eadem invaderet, occuparet, immo statim ac prædia privatorum fisco addicerentur, ipsa Imperatori nominis inscriptio addictionem factam significabat, l. 3. cod. de bonis vacantibus, l. 2. cod. de aquæductu. Exemplo Imperatorum potentes quidam etiam bonis suis nomina sua, seu titulos inscribebant, ut ea nominis adjectione quemquam ab invasione, vel occupatione terrerent; immo & quidam id agebant ad injuriam legitimorum possessorum, quos ut a possessione dejicerent, prædiis suum titulum adjiciebant, aliquando etiam Imperatoris, uti colligitur ex leg. 1. & 2. cod. ut nemo privatus, ex leg. 1. & 2. codice ut nemini liceat sine Judicis, & ex leg. 1. cod. de iis, qui potentiorum nomine; atque utinam id in injuriam pauperum a Clericis nunquam factum fuisset, quod tamen cum quidam molirentur, vetuit Gregorius Magnus in can. 1. caus. 16. quæst. 6.. Dicta hæc sint, ut indicetur, inscriptionem nominis fuisse veluti quoddam patrocinii, ac defensionis symbolum, quod sane fundatoribus, patronisque universis concedebatur. Nihil plane olim intererat, ac fundatores nomina sua, vel cognomina, vel prænomina inscriberent, quo tempore ea in usu erant apud veteres, quemadmodum

nec interesse etiam potuit, postquam cognomina familias distinguentia renovata sunt passim post sæculum decimum. Immo quum post idem decimum sæculum invecta sunt stemmata familiaria, atque ista nominibus habita fuerunt nobiliora; vel nominibus eadem stemmata adjecta sunt, vel omissa inscriptione nominum subrogata fuere stemmata vel picta, vel insculpta. In conspectu novorum hujusmodi symbolorum recipi cœpit, ut si de ecclesiastico patronatu agatur, non liceat fundatori adjicere stemmata vel personalia, vel familiaria, ne forte hac occasione fraus fiat Ecclesiæ, neve adjectio illa stemmatum argumento esse possit patronatui vel in hæredes, vel in agnatos transituro. Tantum licebit patrono pingere stemmata, si quæ sunt, dignitatis suæ, vel officii ecclesiastici. An vero stemmate adposito a patrono non ecclesiastico, argumentum sit jurispatronatus gentilitii potius, quam hæreditarii, ubi nullæ aliæ sint conjecturæ, ego puto, hanc quæstionem potius esse facti, quam juris. Si de erectione ageretur non satis antiqua, ego non dubitarem, patronatum gentilitium esse, quasi ex adpositione gentilitii stemmatis fundator agnatos suos ad defensionem Ecclesiæ vocavisse præsumatur, ubi alia non sint qualitatis hæreditariæ indicia. At si ageretur de adjectione stemmatis antiquissima, & eo tempore facta, quo primum stemmatum usus invehi cœpit, censerem, juspatronatus juxta generales regulas hæreditarium potius esse, propterea quod initio stemmata personalia fuerint, & non nisi sensim ad filios, nepotesque commeaverint. Non est hic locus de stemmatum origine, & progressu fuse disserere; cum prostent in hanc rem eruditorum plurium observationes.

Aliud jus honorificum, & quidem antiquissimum illud est, quod fundatoribus concedebatur inter sacras Ecclesiæ functiones, ac celebritates; nimirum eisdem fundatoribus quædam prærogativa competebat in conventu fidelis populi ad Ecclesiam confluentis, ita ut potior, digniorque ratio fundatoris haberetur; quod paulatim & successu temporum traductum est una cum cæteris juribus patronatus ad fundatoris successores. Jam quædam jura similia in ludis publicis apud Romanos Æthnicos agnoscebantur. Sic in l. 6. ff. de annuis legat. species est de eo. qui annuam pecuniam ad ludos civitati reliquerat, quibus præsidere hæredes voluit, & in l. 10. ff. de pollicitation. quædam Septicia certamen patriæ suæ pollicita fuerat, in quo agonotheta, & præses vir ejus futurus esset, & deinceps liberi ex ea nascituri. Itaque cum primum erecta fuere in Ecclesia templa, non dissimilis honor concessus fuit fundatori, ut ipse in conventu totius populi veluti primus haberetur, & quasi dignior in congressu. Hoc ego esse censeo illud jus, quod veteres appellaverunt *jus processionis*, ita dictum, quod fundator primus procederet, & veluti dux esset cæterorum fidelium ad locum sacrum convenientium. Hujus juris mentio fit in can. 26. & 27. caus. 16. quæst. 7., in quibus cum legatur, processionis aditum omnibus Christianis in commune deberi, clarius intelligitur, nomine processionis designatum fuisse publicum conventum. Atque id magis, magisque confirmatur ex can. 3. dist. 24. ubi mentio fit *de loco processionis celeberrimo ad mysteriorum consecrationem*, item ex can. 5. de cons. dist. 1., ubi mentio fit *de basilica ad cultum processionis adducta*; insuper ex can. 7. de consecr. dist. 1., ubi dicitur, non posse *publicam processionem impendi*, & *publicam frequentationem, & processionem cessare* debere, ubi Ecclesia, vel oratorium non fuerit Pontificia permissione dicatum. Mentio quoque ejusdem juris processionis fit in cap. 25. de jurepatron.. Hinc liquet, quam falsa sit quorumdam interpretatio, qui processionem a præsentatione distinguere nesciverunt, scribentes, patronum, cum Clericum instituendum coram Episcopo sistit, tum una cum Clerico instituendo ad Epis-

copum *procedere*; & cum agnoverint, jus processionis in dicto can. 26. & 27. dici cuicumque Christiano commune, tradiderunt, non id intelligi, quasi non sit jus singulare fundatorum; ac patronorum, sed quasi nemo eo jure experiri possit, nisi sit Christianus, seu quasi fundator, ac patronus excluderetur ab eo jure, quoties Judæorum, Paganorumve superstitiones sequeretur. Cætera honorifica jura, nimirum precum, thuris, aquæ, panis, & candelæ benedictæ, item sedis, ac sepulturæ, ego censeo abs jure processionis non posse sejungi, sed potius in jure processionis tanquam species in suo genere contineri, vel esse quædam juris procesionis consectaria. Talis est in primis honor precum consistens in eo, quod inter publicas Ecclesiæ preces nomen patroni palam recitetur, ac Deo commendetur. Si enim pro toto fidelium conventu sacri ministri orare consueverunt, specialis inter orandum mentio decere videbatur nominis patroni, veluti ducis populi confluentis, Concilio Emeritensi can. 19.. Talis est honor thuris, patrono delatus, cum ipse singulari suffitu excolatur; si enim ecclesiastico ritu incendi consueverunt thura, ad honorem Clericorum, & fidelis populi, quasi in omnibus divini Spiritus habitaculum agnosceretur, præ cæteris sane laicis hunc singularem honorem postulabat fundatoris, vel patroni singularis prærogativa. Simili de causa singulari ritu erat in conventu populi aspergendus, lustrandusve patronus aqua benedicta juxta singulares Ecclesiarum, seu diœceseon consuetudines, ex quibus fit, ut modo Clericus patrono Ecclesiam ingredienti aspersorium, quo sacro ritu lustretur, exhibeat, modo Clericus populum universum aqua benedicta aspersurus, patronum singulari aspersione distinguat. Simili ratione receptum alicubi est jus candelæ, vel panis benedicti; si enim panis, vel candela benedicta convenienti populo statis diebus tribuenda fuit, decuit, ut patronatus aut specialem candelam, aut specialem, & quidem præcipuam, panis illius portionem acciperet. Honor sedis non adeo antiquus est, sed habetur adhuc veluti juris processionis consectarium. Cum enim vetustissima ætate nemini liceret in Ecclesia sedere, frustra honorem sedis concessum fuisse patrono diceremus. Tum primum id patrono concedi cœpit, ubi sedes singulari jure data est viris illustribus, & de Ecclesia optime meritis; inter quos cum fundator, & fundatoris successor recenseretur, & ipse jus illud obtinuit; neque enim honestum videbatur sedere quemquam in Ecclesia, nisi & sedere posset dux populi totius convenientis, qualis erat patronus. Successione temporum cum sine discrimine unicuique licuit, in Ecclesia sedere, jus patronorum in eo consistere cœpit, ut patroni digniorem locum sedendi causa eligerent inter laicos, & nobiliorem etiam præ cæteris sedem collocarent. Quando vero in Ecclesiis non nisi exemplo sedis viventibus concessæ, excavari cœperunt sepulcra, quasi sedis defunctorum, quemadmodum alibi suo in loco adnotavi; etiam patronis concessum fuit jus sepulturæ in digniore loco eligendæ, ubi patronus defunctus tumularetur. Id tamen ita intelligas velim tum demum, cum patronus sepulturam expresse sibi, suisque in patronatu successoribus designaverit; secus enim idem erit in Ecclesia Parochiali juxta generales juris ecclesiastici regulas sepeliendus. Observandum est in hac re, non singula honorifica, quæ hucusque recensui, jura patronis omnibus generaliter, & expressa lege fuisse concessa. Multa ex iis ideo competunt, quia in tabulis fundationum specialiter reservata fuerunt: multa invexit longa, & probata locorum consuetudo: & quando omnia, uti notabam, vel continentur in generali jure processionis sacris canonibus comprobato, vel ex hoc processionis jure tanquam consectaria educta sunt, semper intererit observare, quid in primis fundationum tabulæ postulent,

UAB Biblioteca de Ciències Socials

quid postulet consuetudo; ac denique qualis honor ex interpretatione prudentis juxta mores locorum debeatur illi, qui veluti princeps congredientis populi in Ecclesia constituitur, ut ille honor tribuatur, qui pactioni initæ in limine fundationis, qui receptis moribus, qui patroni ejusdem singulari prærogativæ conveniat. Nonnulli aliquando Monasteriorum fundatores, aut patroni facultatem sibi vindicaverunt ingrediendi Monasteria patronata, sive virorum, sive virginum. Hodie tamen obtinet, ut regulariter secluso singulari privilegio ea facultate destituantur, & generali clausuræ lege teneantur, quemadmodum deducitur ex constitutione Gregorii IX. *Quia refrigescente* 39. in Bullario Romano anni 1234. die 13. Januarii.

CAPUT VIII.

De modis, quibus juspatronatus amittitur.

QUamquam suapte natura juspatronatus perpetuum sit, sicuti sunt perpetuæ servitutes omnes, nihil tamen prohibet, quominus certæ esse possint causæ, ex quibus illud amittatur. Ex tribus summis capitibus eæ pendent, primum ex voluntate fundatoris, deinde ex facto patroni, denique ex natura rei, in qua patronatus consistit. Amittitur ex voluntate fundatoris, quoties fundator ab iis, qui in patronatu succedunt, peragendum quidquam voluerit, adjecta pœna caduci, & successor in patronatu fundatoris voluntatem minime impleverit. Quid enim proponi potest, cur fundatoris voluntas eo in casu patronatum avocantis non impleatur? Tantum dubitari potest, an exinde Ecclesia libertatem adquirat, an potius in ulteriores successores juspatronatus transferatur. Distinguendum puto inter hæreditarium, & non hæreditarium patronatum, qualis esset, aut familiaris, aut gentilitius, aut ecclesiasticus. Si hæreditarius sit, non dubito, quin Ecclesia libertatem nanciscatur; etenim cum hæredes ea tantum adquirere jura possint, quæ penes defunctum fuerunt tempore mortis, frustra dicerentur illud jus adquisivisse, quo defunctus destitui cœpit. Atque ex hac ipsa ratione si de jurepatronatus reali quæstio sit, etiam qui sint singulares in re successores, ex facto alienantis adquirere non possunt patronatum, a quo jampridem cecidit alienans. Aliud dicendum est, ubi juspatronatus familiare sit, vel gentilitium; siquidem in eo succedunt ulteriores vocati de familia, vel gente, dummodo & isti voluntati fundatoris satisfaciant, cum isti, nec quidquam admiserint, quod imputari eisdem valeat, nec causam habuerint ab eo, qui voluntati fundatoris non paruit, argumento, l. 69. §. 3., l. 77. §. 27. ff. de legat. 2., juncta l. 3. ff. de interd. & relegat.. Atque id ipsum recipiendum puto in jurepatronatus ecclesiastico, in quo licet possessor officii, vel dignitatis, cui patronatus cohæret, interea careat jurepatronatus: cum tamen alius in officio, vel dignitate successerit, tum iste quasi novo jure præditus patronatum vindicabit. Neque dicas, similem esse patronum ecclesiasticum illi patrono, qui gaudeat patronatu reali, puta villæ, vel fundo cohærente; siquidem nonnihil discriminis ego reperio. In primis patronus ecclesiasticus magis exercitionem patronatus, quam titulum habet, cum titulus sit potius penes dignitatem, aut officium, quam penes personam; at contra viget in possessore prædii, cui patronatus cohæret, qui sicut dominium prædii, ita titulum cohærentis patronatus habet. Deinde successor in prædio nihil juris realis adquirit, nisi quod a de-

cessore ipso transferatur, cum universum jus sibi competens ab eodem decessore consequatur; contra quam vigeat in successore in dignitate, vel officio ecclesiastico, qui causam habet ab Ecclesia, non ab eo, qui beneficium antea possederat. Ex hac observatione deducitur, non fieri omnino caducum patronatum, nec adquiri ab Ecclesia libertatem, quoties agatur de jurepatronatus reali in ea re constituto; in qua quis non plenum rei dominium habeat, sed tantum utilem possessionem, qualis est vasallus in feudo, emphyteuta in re emphyteusi supposita, fructuarius, aut similes; ac propterea iis negligentibus implere conditiones patronatui adjectas a fundatore sub pœna caduci, carebunt quidem ipsi exercitione patronatus; ii tamen, qui directum dominium in re habent, adhuc titulum retinebunt, nisi & ipsi de negligentia redarguantur; ne alias ex negligentia utilis dominii quidquam iis depereat, qui dominium directum habent. Nunc fingamus, fundatorem certos adposuisse modos a patrono implendos, nulla tamen adjecta pœna caduci. Hac in specie non puto, patronum non implentem a patronatu cadere. Siquidem speciales modi a fundatore præstituti iis modis æquiparantur, qui ex legibus generalibus servandi a patronis imminent. At quæcumque obligatio, cui ex lege patronus subjacet, talis non est, ut observari debeat sub pœna caduci, quando scimus, leges ipsas tantum singularibus casibus caduci pœnam indixisse. Patratæ quidem erunt iis, quorum interest, actiones ad obligandum patronum, ut voluntati fundatoris satisfaciat, non tamen statim ad pœnam caduci deveniendum est, quæ utpote gravis non tacite inesse creditur, nec adeo facile præsumitur. Equidem fateor, destitui nos in hac parte expressa juris sanctione: at ex hoc ipso ad generales juris regulas respiciendum est, ex quibus hæc controversia dirimatur. Porro, quidquid olim vigeret, prostat jamdiu lex Gordiani in l. 2. cod. de his, quæ sub modo ex qua statutum fuit, ut adjecti quicumque modi non conditionem faciant, qua non impleta ab adquisitione cessetur, sed potius obligationem inducant, nulla juris adquisitione suspensa, eove minus amisso jure semel legitime quæsito Perspicuum est inde argumentum ad demonstrandum, patronum cogi quidem, modis omnibus posse, ut onus a fundatore impositum impleat, & quidem adhibitis juris remediis, non ut jurepatronatus privetur, quoties impleverit.

Amittitur juspatronatus ex facto patroni, non quidem quoties patronus delinquat, sed quoties ita delinquat, ut delicto imposita lege sit pœna amissionis patronatus. Id contingit in primis, cum patronus Rectorem, aliumve Clericum Ecclesiæ patronatæ occidat, aut mutilet, quemadmodum expresse definitum legimus in cap. 12. de pœnis. Nonnulli censuerunt, non id fuisse primum inductum a Lateranensi Concilio in dicto cap. 12., sed potius renovatum fuisse in hac parte, quod jampridem constituerat Gelasius Papa in can. 25. caus. 25. quæst. 2.. Verum longe distat Gelasii providentia in dicto can. 25. a providentia Concilii Lateranensis in dicto cap. 12.. Apud Gelasium consulebatur cuidam Ecclesiæ Cathedrali, cujus Episcopos jam duos Populus occiderat. Hanc ipsam Cathedralem Ecclesiam non Episcopali dignitate perpetuo voluit destitutam Gelasius, sed tantum intra certa tempora finitimo Episcopo commendaverat, quemadmodum ego adnotavi in meis lucubrationibus in Gratianum. Cum hæc ita se habeant, nihil profecto commune habent cum sanctione Concilii Lateranensis lato in delinquentes patronos. Vulgaris est traditio, hanc pœnam ipso jure locum habere, ob verba illa canonis *prorsus amittent*. Certum quoque est, eamdem pœnam hæredibus obesse ob expressa ejusdem canonis verba; quamobrem, si de patronatu hæreditario sermo sit, Ecclesia statim libertatem nanciscetur. Po-

tiore ratione, ubi juspatronatus laicale sit, & cohærens villæ, vel fundo, propterea que reale, nullum jus vindicare potest successor in villa, vel fundo; semel enim patronatus amissus transferri non potest. At si de patrono agatur, qui non tam suo nomine juspatronatus exerceret, quam alieno, qualis esset vassallus, qui etiam nomine domini directi, usufructuarius, qui etiam nomine proprietarii, Clericus, qui in patronatu ecclesiastico nomine suæ dignitatis, vel beneficii patronatum exerceat, ego puto, tantum delinquentem jurepatronatus exui, quin cæteris fraus fiat. Sic in vassallo, quousque ipse, & ejus hæredes feudum tenent; aut in usufructuario, quousque usufructus perseverat, omne jus perit, resque ita habetur, ac si Ecclesia libera esset; at post feudum devolutum ad dominum, post finitum usumfructum, iterum juspatronatus emergit gratia possessorum, utpote qui delinquenti penitus extranei sunt. In patronatu autem ecclesiastico adhuc luculentior res est; siquidem patronus ecclesiasticus ita delinquens cum beneficium amittit, una cum beneficio juspatronatus quoque amittere debet, ita ut patronatus beneficium sequatur, & una cum beneficio transeat in successorem; neque enim æquum videretur, ex crimine beneficiarii jura dignitatum, & beneficiorum extingui. In patronatu gentilitio, vel familiari non puto, Ecclesiam quocumque in casu liberam fieri, sed tum demum, cum Ecclesia illud juspatronatus vindicaret a descendentibus, vel ab hæredibus propterea quod de solis hæredibus, & descendentibus concepta est Concilii Lateranensis constitutio in dicto cap. 12. Concludunt Patres Lateranenses, amitti juspatronatus, *nisi fuerit misericorditer dispensatum*. Hæc verba occasionem præbuerunt Interpretibus disputandi, an sufficeret dispensatio Ordinarii, an a sola Apostolica Sede esset exspectanda. Qui tradunt, sufficere dispensationem Ordinarii, innituntur solido generali principio, quod suadet, liberam semper esse potestatem Ordinariorum, quousque non constet de expressa reservatione. Qui contra sentiunt, ajunt, consultius esse, id Sedi Apostolicæ reservari; propterea quod cautius patroni sese gererent in hac re, dum sublatam agnoscerent Ordinariis dispensandi facultatem. Hæc ratio, meo judicio, nihil aliud probat, quam æquam futuram reservationem, si fieret, non vero probat, de reservatione facta constare. Secundo amittitur juspatronatus, cum patronatus tale crimen admittit, quo omnibus bonis ex juris sanctione privatur; cujusmodi est crimen læsæ majestatis, sive divinæ, uti loquuntur, sive humanæ, cap. 19. de hæret. in 6.. Id verum ita est in patronatu hæreditario, vel reali cohærente fundo, ut Ecclesia inde libera maneat. At si juspatronatus familiare sit, vel gentilitium, si item sit ecclesiasticum, amissum juspatronatus a reo commeabit in cæteros vel de familia, vel de gente, vel in beneficio successores. Atque idipsum dicendum est, ubi juspatronatus reale competat vassallo, fructuario, & aliis, qui utilem patronatus exercitionem habeant, non titulum; nam patronatus ab iis amissus transibit ad eos, qui rei dominium habent, quasi possessor reus obierit, & devolutioni locum fecerit. Tertio similis pœna amissionis jurispatronatus, ex sententia tamen Judicis, locum olim habebat adversus Clericos, qui advocatias Ecclesiarum ideo adquirebant industriæ arte, ut postmodum filios, vel nepotes suos ad easdem Ecclesias præsentarent, cap. 6. de jurepatron.. Sed cum advocatiarum jura hodie nulla supersint, & qui olim erant plures adquirendi patronatus modi, intra certos limites ex Concilii Tridentini decretis coerciti sunt, rescriptum illud Alexandri III. non videtur amplius nostris temporibus facile accommodari posse. Quarto amittitur patronatus ab eo, qui illum venditionis, vel alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctio-

nes transferre præsumpserit, Concilio Tridentino sess. 25. de Ref. cap. 9. vers. *Nec dictum*; quod decretum pariter intelligendum est de patronatu hæreditario, vel etiam reali cohærente fundo; ita ut in hac specie fiat Ecclesia libera; at in patronatu ecclesiastico, item in patronatu exercito ab eo, qui plenum jus non habet, veluti a vassallo, & fructuario, item in patronatu familiari, venditor quidem juspatronatus amittet, jure tamen in alios transferendo juxta singularem patronatus qualitatem, qui jus successionis vindicare sibi possunt. Denique amittitur juspatronátus, cum patronus res ecclesiasticas in proprios usus convertit, vel usurpat, vel impedit, ne illæ ab iis, ad quos jure pertinet, percipiantur. Ne hæc fierent a patronis, jamdiu cautum fuerat apud veteres, immo & ab Innocentio III. constitutum, ut patroni modum excedentes *per severitatem canonicam districtissime compescerentur*, cap. 12. de pœnis; nondum tamen lege expressum fuerat, ut jurepatronatus privarentur. Primum id constitutum legimus in Concilio Tridentino sess. 22. de Ref. cap. 11.. An inde Ecclesia libertatem nanciscatur, non constat, ac propterea generales regulas sæpe in præcedentibus commemoratas sequi oportet, ac præ cæteris distinguere juspatronatus laicale hæreditarium, vel reale, quod quis pleno jure possideat, abs jurepatronatus vel ecclesiastico, vel laicali familiari, aut gentilitio, vel reali pleno jure non competente, ita ut in prioribus speciebus libera fiat Ecclesia, non in posterioribus, in quibus ad alios juspatronatus juxta ipsius qualitatem devolvitur. Singulare est in hac parte, quod sano judicio passim Interpretes tradunt; nimirum Tridentinos Patres in hac re non tam patronorum factum, quam pervicaciam damnare voluisse; cum enim generaliter tradiderint, occupatores bonorum ecclesiasticorum tamdiu anathemati subjacere, quandiu non restituerint, & si de patronis ageretur, istos etiam ipso jurepatronatus privari, tacite insinuaverunt, tamdiu patronum esse sine spe restitutionis in integrum, quamdiu deliquerit; cæterum facile restituit, cum facti pœnitens ab illicita usurpatione cessaverit, & caverit, ne in posterum modum sibi præstitum excedat.

Amittitur juspatronatus ex natura rei, in qua consistit, quoties Ecclesia diruta est, vel beneficium ita collapsum, ut nullus amplius Clericus in eo constitui possit. Equidem in hac specie non tam facultas conceditur, quam imminet obligatio patrono Ecclesiam, vel beneficium restaurandi, Concilio Tridentino sess. 21. de Ref. cap. 7., quæ restauratio si a patrono fiat, dubium non est, quin patronus jus suum retinere pergat. Multi tamen eveniunt casus, ex quibus restauratio non fit. Quid enim si patronus pauper sit, & non possit restaurare? Quid si Episcopus utilem non censeat prudenti arbitrio dirutæ Ecclesiæ restaurationem? Sane in his casibus pereunte Ecclesia, & juspatronatus perire necesse est, quasi jus rei cohærens, quod non nisi in re esse potest. Idipsum dixeris, si quis non Ecclesiæ patronus sit, sed tantum alicujus Cappellæ in Ecclesia erectæ, de qua re videre poteris Pittonium de controvers. patron. allegat. 12., & Cardinalem de Luca de jurepatron. disc. 84.. Forte autem investigandum tunc esset, num Ecclesia diruta, eamque ab causam amisso jurepatronatus, posset patronus non reædificans repetere sacra supellectilia, ornamenta, iconem, & dotem eidem Ecclesiæ olim concessam. Nihil sane in hac specie jure scripto definitum novi; quamobrem ex generalibus juris regulis ita rem arbitror dirimendam. Vel patronus de reædificanda Ecclesia non est sollicitus; actum non video, cur ipse repetere possit, quod donavit Ecclesiæ, & quidem ita, ut ex negligentia sua referat emolumentum. Nihil ergo prohibebit, quominus relinquatur arbitrio Episcopi, quæ supererunt ex Ecclesia diruta, alteri Ecclesiæ adsignare, vel etiam eidem Ecclesiæ

reservare, si restituatur aliorum impendiis, concesso etiam jurepatronatus novo restauratori, aut pleno jure, si antiquus patronus de negligentia redarguatur, aut etiam admittendo ad patronatum una cum restauratore antiquum patronum, si antiquus patronus non ex negligentia, sed ex inopia ad restaurationem non deveniat. Vel patronus paratum sese exhibet ad Ecclesiam reædificandam, sed ab Episcopo prohibetur; ac tum distinguendum rursus arbitror inter patronum, qui nullo constituto ecclesiastico administro quamdam Ecclesiæ, vel Cappellæ curam semper gesserit, rebus Ecclesiæ, vel Cappellæ pro opportunitate consuluerit, atque ideo claves Ecclesiæ, vel Cappellæ custodierit, & patronum, qui post constitutam dotem administrum ecclesiasticum designaverit, nulla sibi retenta administratione. Nimirum patronus, qui res Ecclesiæ, vel Cappellæ semper administravit, retentis præsertim Ecclesiæ, vel Cappellæ clavibus, non videtur collatorum supellectilium adeo dominium abdicavisse, ut sine facto proprio eo jure sit spoliandus, quoniam clavium detentio quamdam adhuc dominii speciem designat, argumento l. 74. ff. de contrah. emptione; proindeque res illas, quæ consecratæ sunt, vel benedictæ sacerdotali prece, non poterit quidem in profanos usus convertere, poterit tamen alteri Ecclesiæ, & cuicumque voluerit, donare argumento canonis 38. & sequentium dist. 1. de consecrat., & cap. 51. de reg. jur. in 6.. At res nec consecratas, nec benedictas, utpote quas non prorsus abdicavisse patronus præsumitur, sibi vindicavit. Quod si patronus administrum ecclesiasticum designaverit, cum tunc ipse videatur penitus res a se donatas abjecisse, nihil vindicare ex rebus Ecclesiæ concessis poterit, sed illæ res ad aliam Ecclesiam transferendæ erunt, per administrum ipsum ecclesiasticum, una cum omnibus oneribus in limine fundationis administro impositis, retento, quoad fieri possit, jurepatronatus in beneficio translato, & in juribus universis beneficio cohærentibus.

Aliquando contingit, ut non quidem amittatur juspatronatus, sed tantum patronus semel jure præsentandi privetur, ex. gr. si intra semestre, vel quadrimestre tempus non præsentaverit, juxta ea, quæ superius adnotabam ex cap. 3. de jurepatron., item si præsentaverit apostatam, uti vulgo tradunt Pragmatici ex constitutione Pauli IV., quæ incipit: *Postquam divina bonitas.* His addi potest casus, quo beneficium cum beneficio permutetur; nam quandoque a Prælato permutatio admitti potest etiam irrequisito patrono, nimirum iis in casibus, in quibus non interest Clericorum permutantium, sed interest Ecclesiæ ex singulari necessaria causa, juxta ea, quæ docet Faber in codice libr. 6. tit. 1. def. 2.. Addi præterea potest, quod tradi vulgo solet de derogatione jurispatronatus, præsertim quæ fiat auctoritate Pontificis Maximi. Sane distinguere oportet derogationem illam, quæ dicitur *medietatis vocum*, sive suffragiorum, a cæteris derogationibus. Derogationem *medietatis vocum*, sive suffragiorum, fieri ajunt, cum patroni plures sunt, & suffragiis æque divisis plures nominaverunt, ac præsentaverunt. Dixi *cum patroni plures*, ut indicarem, tum demum derogationi huic fieri locum, cum revera plures patroni existunt; etenim si agatur de patronatu competente alicui universitati, & singuli de universitate suffragia laturi in æquales partes sese dividerent, non fieret locus huic derogationi, cum nulla esset tunc nominatio facta ex parte universitatis, & potius relinquendus esset post legitimum tempus devolutioni locus, ut Ordinarius libere conferat, quasi nulla præsentatio facta sit ab universitate, nisi forte universitas ipsa duos æqualibus suffragiis nominatos æque præsentaret, qua in specie ita res sese haberet, ac si unus singularis patronus duos præsentes coram Episcopo sisteret. Dixi præterea *suffragiis æque divisis*, ut indicarem, locum non fieri ejus

generis derogationi; ubi duo de jurepatronatus contenderent, duosque singuli præsentarent; non enim isti suffragia divisisse dicuntur, sed potius unusquisque suum suffragium veluti plenum, & liberum adserere. Itaque hæc derogatio medietatis vocum modo ab Episcopo fieri potest jure ordinario, argumentum cap. 3. & 24. de jurepatron., modo fit extra ordinem a Pontifice Maximo, cum unus ex patronis, vel unus ex præsentatis a Summo Pontifice institutionem præ concurrente impetrat. In concursu autem & Pontificiæ, & Episcopalis præelectionis, eædem regulæ servantur, quæ obtinent in beneficiis liberæ collationis, ubi beneficium idem & a Pontifice Maximo, & ab Ordinario confertur, quemadmodum inferius adnotandum erit. Ceterum hæc derogationis species proprie derogatio non est, cum juspatronatus minime imminuat, & potius dici posset gratificatio. Quid enim derogatum dici patronatui potest, quando hæc præelectio ex natura ipsa patronatus descendit? Est juspatronatus individuum, etiam cum pluribus competit: ubi plures diversa suffragia ferunt, qualitas individui beneficii postulat, ut uni tantum beneficium conferatur: cum utrique beneficium conferri nequeat, habentur duo præsentati, ac si simul ab uno, eodemque patrono præsentati fuissent. Hanc ob rem fit locus prudentiæ definitæ in dicto cap. 3. & 24. de jurepatron.. Res eodem fere modo se habet, ac si unus vassallus æque duobus dominis obstrictus uni potius, quam alteri occurreret, dum ab utroque uno, eodemque tempore vocaretur; vel unus ex libertis duobus patronis operam debens uni potius, quam alteri operam præstaret, argumento l. 3. §. 4. ff. ad Senat. Cons. Silan., quin hisce in casibus aut vassallus alterutrius ex dominis, aut libertus alterutrius ex patronis juribus detrahat. His adjicio, per actum gratificationis juspatronatus gratia omnium patronorum magis, magisque confirmari; etenim qui gratificatur, eo ipso, quo unum præsentatum, præ altero instituere vult ex gratia, jam utrumque rite, atque a legitimo patrono præsentatum agnoscit. Denique observo, eum, qui præelectus est, decere, ut ab altero compatrono, a quo præsentatus non fuit, consensum petat, & veniam, ut hac ratione, quoad fieri possit, alterius etiam compatroni ratio habeatur; quamquam non sit necessarium, ut alter compatronus consentiat. Neque novum est in jure, certa honoris signa alicui exhiberi, utut nihil inde juris proficiscatur; quemadmodum contingit in ea specie, qua quis citetur ab Judice non competente, coram quo comparere tenetur, licet ejus jurisdictionem eo ipso evitare contendat, l. 5. ff. de judiciis. Sunt tamen, qui adhuc gratificationem a derogatione medietatis vocum distinguunt in eo, quod gratificatio a meritis præsentatorum pendeat, ita ut, qui gratificari velit, debeat digniorem inter præsentatos minus digno præferre; contra in derogatione possit etiam minus dignus digniori præferri; unde ajunt, gratificationem æque fieri ab Episcopo, & a Pontifice Maximo posse, at derogationem uni Pontifici Maximo reservari. Hæc observatio mihi videtur gravem injuriam in Pontifices Maximos inferre, quasi supponatur, Pontificis ejusdem auctoritatem in eo consistere, ut possit minus dignos in concursu digniorum ad sacra ministeria eligere; quod deinde minus conveniens Ordinariis asserunt; quasi magis Ordinariorum, quam Pontificis Maximi cordi esse debeat, utilitatem Ecclesiæ curare; atque hanc ob rem piaculum putarem huic opinioni subscribere. Immo etsi id admitteretur, non video, quomodo hæc appellari posset derogatio juris patronatus. Potius esset derogatio juris generalis, præstituentis digniores minus dignis esse in conferendis muneribus ecclesiasticis antehabendos.

De aliis derogationibus, quæ proprie derogationes juris patronatus dici possent, generaliter dicam, difficilem esse, atque

improbabilem earumdem usum, cujuscumque tandem auctoritate factæ proponantur, nisi urgens, & necessaria subsit causa, quæ suaderet, certa in patrono coerceri delicta debere, quemadmodum liquet in conspectu legum superius commemoratarum, quæ patronos graviter delinquentes jurepatronatus privarunt. Revera apud Romanos veteres scribebat Marcianus in l. 2. in fine ff. de natal. restituend., Imperatores non facile solere quemquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono; quod ipsum tradidit & Paulus, & Modestinus in l. 4. & 5. ff. eod., & in simili propemodum specie jam tradiderat Marcianus idem in l. 3. ff. de jure annul. aur.. Fateor quidem, juspatronatus inter privilegia recenseri; sed adhuc observandum est, illud esse privilegium, ut ajunt, onerosum, quod exerit vires pacti, nec facile semel datam pactorum fidem esse fallendam. Agitur de eo, qui erexit Ecclesiam, vel beneficium data fide adquirendi jurispatronatus; nec sine fraude posset jus semel legitime quæsitum ab eo divelli sine causa, quæsitum, inquam, ob factum proprium, & liberalitatem singularem, ad quam alias minime devenisset. Neque quisquam dicat, forte derogari in parte posse, quamquam in totum nequeat derogari; siquidem eadem ratio est in utraque specie, cum singula jura patronatum sequentia ex pacto descendant, & ex non gratuito privilegio: tantum discrimen est inter unam, & alteram speciem, quale agnosceretur inter eum, qui gravius, & inter eum, qui levius ingessisset detrimentum. Adhuc tamen notant in hanc rem Pragmatici, distinguendum esse laicum ab ecclesiastico patronatu. Siquidem cum Pontifex Maximus supremam habeat in Ecclesiis omnibus administrationem, facilius recipitur, ut extra ordinem ipse ea administret jura, quæ patronis ecclesiasticis in vim dignitatis, & beneficii competunt, eadem ratione, qua idemtidem confert beneficia quædam ordinario jure ad collationem inferiorum Antistitum pertinentia, argumento cap. 6. de offic. legati. Describam in hanc rem, quod lego apud Fabrum in codice libr. 6. tit. 1. def. 6. ibi: *Etsi in beneficiis omnibus conferendis plenissimam Summus Pontifex habeat potestatem, non facile tamen* (notanda sunt verba illa *non facile* ad modestiam composita, exemplo Marcelli in dicta lege 3. ff. de natal. restituend.) *confert beneficia patronata, spretis patronis, sive laici ii sint, sive clerici; sed si laici multo parcius, ne alioqui eveniat, ut laici a fundandis, dotandisque Ecclesiis revocentur. Inde fit, ut constitutio Pontificia de reservatione mentium, licet generalissimis verbis concepta, non comprehendat beneficia, quæ sunt de jurepatronatus laicorum, sive ex fundatione, sive ex dotatione. Cui consequens est, ut nec liget manus Ordinarii, quominus possit ille de beneficio ejusmodi ad patroni laici præsentationem quocumque mense providere. Non idem est, si de jurepatronatus Clericorum agatur; facilius enim Summi Pontificis constitutiones Clericos afficiunt, quam laicos. Quæ res facit, ut quoniam juripatronatus Clericorum pro arbitrio derogare in totum potest, derogasse quoque videatur, etiam si non expresserit. Juri autem patronatus laicorum non item, quia nec expressim solet unquam ei derogare in totum, nisi cum litigiosum existit, ne interim beneficium diutius jaceat. Plane ad dimidiam usque partem derogare & potest, & solet, sed expressis in eam rem verbis opus est.* Hanc definitionem Sabaudi Senatus consideranti, quædam statim occurrent innixa generalibus principiis, quædam receptis Ecclesiarum usibus accommodata, quædam etiam ex vulgaribus Pragmaticorum traditionibus derivata, uti etiam liquet ex Scriptorum numero ad calcem definitionis laudatorum; in omnibus autem adparebit, certam servatam esse scribendi prudentiam, ac sobrietatem.

DISSERTATIO QUINTA

DE BENEFICIORUM COLLATIONIBUS.

Huc referendi sunt tituli 7. & 8. libr. 3.

BEneficium legitime erectum viris idoneis concedendum est perpetua successione, ita ut priore defuncto, aut quoquo modo cedente, alius substituatur. Substitutionem hanc appellamus beneficii collationem, in qua expendenda multa sunt observatione dignissima. In primis enim investigare oportet, ad quos collatio ipsa pertineat, atque id paucis comprehendi non potest ob varios collatorum ordines, & gradus; cum modo collatores agnoscamus Episcopos, unumquemque nimirum in diœcesi sua, can. 10. caus. 16. quæst. 7., modo Prælatos Episcopis superiores, cap. 6. de concess. præb., cap. 1. de offic. leg. in 6., potissimum autem Supremum Ecclesiæ Antistitem Pontificem Maximum, cap. 2. de præb. in 6., modo Collegia Canonicorum, cap. 2. & 4. de concess. præb., modo Prælatos quosdam Episcopis inferiores, quales indicari possunt Abbates, Decani, Archidiaconi, aliique similes, cap. ult. de institut., cap. ult. de præbend. in 6.. Quid plura? Non defuerunt, qui laicos ipsos aliquando, raro tamen, & non nisi ex singulari privilegio, quorumdam beneficiorum collatores esse adnotaverunt, Rebuffus libr. 1. praxis benefic. cap. 15. numero 9.. Deinde expendendæ necessario sunt variæ collationum formæ, quatenus vel omnino liberæ adparent, vel supponunt electionem, præsentationemve ab aliis factam; unde necessariæ dicuntur, alias etiam dicuntur institutiones, vel confirmationes; modo simultaneæ, cum plures ad collationem concurrunt; modo tituli collativæ, quando jus beneficii conceditur, licet nondum data possessione; modo etiam auctorizabiles, ita dictæ, quod collato beneficio collata etiam intelligatur animarum cura, vel jurisdictio; modo corporales institutiones, cum beneficiarius in possessionem beneficii inducitur; modo optiones vocantur in ea specie, qua licet beneficiario aliud beneficium simile vacans eligere, dimisso priore, & illud propria auctoritate occupare. Postremo inquirendum etiam est, quænam sint a collatoribus beneficiorum in ipso collationis actu observanda. En jam distributam amplissimam materiæ segetem in tres partes; in quarum prima agatur de collatoribus, in altera de collationum formis, in postrema de iis, quæ a collatoribus in ipso collationis actu serventur.

UAB Biblioteca de Ciències Socials

PARS PRIMA

DE BENEFICIORUM COLLATORIBUS.

CAPUT I.

De jure Ordinariorum in Beneficiis conferendis.

PRimam habendam esse Ordinariorum rationem in beneficiis conferendis non dubito, ita ut ad ipsos semper pertinere collatio præsumatur, nec adversus eosdem quisquam admittatur, nisi jus quoddam singulare alleget, ut plurimum etiam demonstret. Ordinarios voco illos, qui sive Episcopi sint, sive Abbates, sive cujuscumque nominis Prælati jurisdictionem in certa diœcesi, seu finibus ecclesiasticis explicant. Habent isti, uti nostri loquuntur, intentionem fundatam in jure communi: ubi enim universam ecclesiasticam jurisdictionem vi suæ dignitatis exercent, necessario illud inferetur absurdum collationem beneficiorum non esse speciem ecclesiasticæ jurisdictionis, nisi illi jure ordinario beneficia diœceseos, seu administrationis suæ conferrent. De Episcopis primum certa res esse videtur in conspectu sacrorum canonum, præsertim eorum, ex quibus origo hujus disciplinæ repetitur, quique propterea futuris sæculorum sequentium rebus formam dederunt. Revera olim quousque invecta non fuerunt patrimonia clericalia, & quousque non alius erat ordinationis titulus, quam titulus beneficii ecclesiastici, idem erat conferre beneficium, ac Clericum ordinare, eamque ob rem ad eum spectabat beneficii collatio, ad quem spectabat ordinatio: quod cum ita sit, eodem jure Episcopi beneficia conferebant, quo Clericos ordinabant. Atque, ut paucis singula complectar, in ordinatione Clericorum tria distinguebantur. Prima erat manus impositio, seu ipsa ordinatio. Altera erat commendatio officiorum, ministeriorumque sacrorum ab ordinato Clerico peragendorum in certa Ecclesia. Tertia erat admissio ordinati sacra ministeria gerentis ad communionem emolumentorum ad vitæ sustentationem. Quodcumque ex his tribus consideretur, singula sane in Episcoporum erant potestate. Episcopale munus agnoscitur in impositione manuum, ex qua sacra ordinatio pendet, adeo ut nec hodie in hac parte aliqua disciplinæ immutatio adpareat. Episcopale munus agnoscebatur in commendatione officiorum sacrorum, necnon in admissione ordinatorum ad participationem ecclesiastici peculii, sive ex eo, quod partitio officiorum pendebat omnino ex Episcopali arbitrio, sive ex eo, quod totum ecclesiasticum peculium in fidem, potestatemque Episcopi redigebatur, certis modis inter administros tribuendum. Abstineo a recensendis numero plurimis canonum monumentis in re perspectissima: tantum laudo canonem 3. & sequentes caus. 10. quæst. 1., canonem 11. caus. 16. quæst. 3., canonem 10. caus. 16. quæst. 7., & canones 23. & 24. caus. 12. quæst. 1.. Veteris illius disciplinæ vestigium adhuc hodie superest in ordinatione Episcoporum, in qua ipsa ordinatio a beneficii Episcopalis collatione non distinguitur. Quemadmodum autem is, qui jure suo Episcopum ordinat, etiam jure suo ministeria Episcopalia in certa diœcesi peragen-

da ordinato commendat, necnon jure suo ordinato potestatem dat Episcopo percipiendi debitos redditus, atque obventiones universas; ita olim qui Clericum jure suo ordinabat, ordinatum Clericum jure etiam suo addicebat Ecclesiæ ministeriis, & jure percipiendi certas obventiones concedebat. At enim ex quo recentioribus sæculis collatio beneficiorum fuit ab ordinum collatione sejuncta, nihil in hac parte derogatum proponi potest auctoritati Episcoporum, qui, dum beneficiorum collationem ab ordinatione sejungerent, animum quidem habuerunt magis, magisque prospiciendi commodis Ecclesiarum, augentes Clericorum numerum, etiam ultra quam redditus Ecclesiarum ferrent; nusquam tamen veterem Episcopatui ingenitam, & pluribus sæculis firmatam jurisdictionem abdicandi. Hinc deinde facile deduces, eamdem esse cæterorum Prælatorum, qui Episcopi non sunt, sed diœcesim habent instar Episcoporum, potestatem; uti enim isti vice Episcoporum in certa diœcesi, in qua nullus constitutus Episcopus est, sunt constituti; ac una demptâ Episcopalis Ordinis potestate, Episcopis æquiparantur, ita non video, cur ipsis sit beneficiorum collatio deneganda, hodie præsertim, cum eadem beneficiorum collatio est ab ordinum collatione sejuncta. Habent ipsi regimen, & curam omnigenam Ecclesiarum, ipsi ministeria tribuunt inter Clericos ordinatos, ipsi generalem habent ecclesiastici peculii curam, olim etiam exemplo Episcoporum administrationem gerebant. Tantum non ordinant Clericos, propterea quod non sunt Episcopali charactere insigniti; ordinaturi tamen jure suo, si etiam ex accidenti, Episcopali Ordine pollerent; immo & cum Clerici diœcesani ordinandi sunt, ex eorumdem Prælatorum mandato ab Episcopis finitimis ordinantur. Quid ergo amplius requiritur, ut recte concludatur, ad illos ordinario jure spectare beneficiorum collationem?

Utinam ad hæc principia perpetuo Interpretes omnes, ac Pragmatici respexissent! tunc enim in re exploratissima omnem disputandi, ac contendendi occasionem evitavissent. At quidam partim ex eo, quod inciderint in quædam recentiorum temporum præjudicia vetustati prorsus ignota, partim ex eo, quod non satis intellexerint dubias quasdam decretalium, seu rescriptorum Pontificiorum formulas, distracti sunt in varias partes; & noscuntur alii ordinariam beneficiorum collationem uni Pontifici Maximo asseruisse, quasi si quid juris in hac parte sibi Episcopi vindicent, id totum obtinuerint ex Sedis Apostolicæ delegatione; alii noscuntur magni fecisse auctoritatem Archidiaconorum, quasi Archidiaconorum dignitas jure ordinario sibi propriam fecerit, & singularem beneficiorum collationem. Quod in primis spectat supremam Pontificis Maximi auctoritatem, ultro & ipse fateor, Episcopos, sicut in cæteris jurisdictionis speciebus, ita & in collatione beneficiorum subesse Romano Antistiti; at hæc subjectio ordinariam Episcoporum potestatem minime excludit, cum non repugnet, Ordinarium majori potestati subesse. Non est hic locus disputandi de qualitate jurisdictionis, quæ Episcopis competat, an ista ordinaria sit, an delegata. Jam de hac re alibi actum est, probatumque, esse Episcopos Apostolorum successores, & ex divino jure diœcesanam administrationem habere, quamquam non summam, non supremam, sed majori potestati apprime obnoxiam. Quid ergo est, quod in hac parte singulare agnoscatur, dicaturque, collationem beneficiorum totam, quantumque est, in supremum Ecclesiæ Principem fuisse collatam? Num ex eo, quod in can. 1. dist. 22. dicitur, dignitates omnes ab Ecclesia Romana institutas fuisse, actum putant jurisdictione Episcopali? At verba illa, quæ non Nicolai Pontificis sunt, sed Petri Damiani, quemadmodum aliis in locis observabam, non per-

tinent ad collationes beneficiorum, sed potius ad fidei, morumque doctrinam, in qua dicitur, Ecclesias omnes habere veluti magistram, atque institutricem Romanam Ecclesiam. Num ex eo, quod *plenaria dispositio beneficiorum* in cap. 2. de præbend. in 6. dicatur ad Romanum Pontificem pertinere, concludunt, Episcopos ab ordinaria collatione excludi oportere? Qui ita Clementem IV. interpretantur, supremam, seu quod idem est, plenariam dispositionem cum ordinaria confundunt; quando Clemens IV. non alias ea formula usus est, quam ut indicaret, in vim supremæ potestatis Pontificem Maximum quandoque certorum beneficiorum collationem sibi reservare posse, uti facile colligitur ex integro contextu, ex quo deducitur, reservata fuisse Pontifici Maximo beneficia, quæ in Curia Romana vacarent. Quorsum enim hæc reservatio, si Romano Antistiti ordinaria collatio beneficiorum quorumcumque competeret? Video tamen, quo fundamento innitantur, qui ita opinati sunt. Putaverunt ipsi, apud unam Romanam Ecclesiam esse dominium omne bonorum Ecclesiæ universæ, propterea que omnium Ecclesiarum peculia ab uno Pontifice Maximo administrari oportere nomine Ecclesiæ Romanæ. Optarem, ut mihi indicarent, qui fieri possit, aut qui fieri debeat, ut peculii Ecclesiarum late constitutorum dominia in unam Romanam Ecclesiam derivent. Non sane proficiscitur ex voluntate donantium, qui certæ Ecclesiæ, vel certo altari, vel certis Clericis, a quibus sacra percipiunt, donant eorumdem gratia. Quod si ita non esset, frustra apud veteres agitata quæstio fuisset, cui Ecclesiæ adsignari debuissent bona ab aliquo Ecclesiæ legata, quam quæstionem definitam scimus in l. 26. eod. de sacros. Eccles.. Non proficiscitur ex vi potestatis, quam habeat Ecclesia Romana in Ecclesias inferiores, etenim vis potestatis tum demum vindicat dominia gratia illius, qui potestatem habet, cum iis, qui in potestate est, nequeat dominium adquirere, quod sane de Ecclesiis, & Collegiis inferioribus dici nequit. Non proficiscitur ex vi societatis, & generalis christianæ communionis, siquidem societas ista non causa peculii inita est; & si forte etiam peculium in societatem veniret, non video, cur peculium Romanæ Ecclesiæ non subjaceret æque potestati inferiorum Ecclesiarum, si ex causa peculium inferiorum Ecclesiarum subjaceret administrationi Ecclesiæ Romanæ. Quod vero spectat ad Archidiaconos, equidem scio, istos constitutos aliquando fuisse, veluti vicarios Episcoporum in administratione temporalium rerum ad Ecclesiam pertinentium, cap. 1. de offic. Archid., atque eam ob causam mandatum accepisse ab Episcopis, ut in possessionem reddituum ecclesiasticorum ordinatos immitterent. Sic Archidiaconi decedentibus beneficiariis, prædia beneficiaria vacantia custodiebant, can. 20. dist. 63.. Sic facta ab Episcopo ordinatione Clerici, collatoque beneficio, Archidiaconi inducebant in possessionem bonorum, quem actum appellaverunt institutionem corporalem, cap. 7. & 9. de offic. Archid. At hæc firmant potius ordinariam Episcopi auctoritatem, quando ab Archidiaconis hæc omnia Episcopi nomine gerebantur, uti liquet in conspectu capituli 18. de sent. & re judic.. Cæterum non inficior, inde evenire potuisse, ut Archidiaconi quidam sensim sibi hanc potestatem adsererent, quamquam tamen hic titulus singularis habendus sit, quemadmodum uberius in cap. 3. sequente adnotandum erit.

Nihil autem refert, an Episcopi (idem dicas de cæteris Ordinariis) per sese, an per vicarios beneficia conferant; postquam enim ad potestatem jurisdictionis beneficiorum collatio referri cœpit, nihil amplius prohibet, quominus eadem demandetur juxta receptissimas juris ecclesiastici regulas. Non opus pluribus, ubi hæc facultas vicariis expresse adscritur in cap. 3. de institut.. Dubitari forte

posset, num concessa vicario generaliter Episcopali jurisdictione, competat facultas beneficia conferendi, nisi Bonifacium VIII. in cap. 3. de offic. vir. in 6. quæstionem omnem definivisset, statuens, non sufficere generalem jurisdictionis delegationem, sed requiri præterea speciale mandatum, quo etiam potestas conferendi beneficia commissa exprimatur. Quamobrem verba illa dicti capituli 3. de institut., *qui hoc de jure possunt*, ita recte interpretaberis, non ut innuatur, officiales Episcopi, sive vicarios jure suæ delegationis generalis beneficia conferre, sed potius non ab aliis beneficia esse conferenda, quam ab illis vicariis, qui eam ab Episcopis facultatem specialem obtinuerunt. Revera cum collatio beneficiorum minime distinguatur a designatione ministrorum Ecclesiæ, immo, si originem spectes, minime distinguatur ab ordinatione Clericorum, facile liquet, collationem beneficiorum inter graviores diœcesanas curas recenseri; at vero, quæ graviora sunt, non facile intelliguntur generali mandato comprehendi. Atque id est, quod ajebat laudatus Bonifacius VIII. *Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus &c.* Quid vero est, quod subjicitur? *Nec regulariter donare valeut, cui bonorum administratio etiam libera est concessa.* Nemo hæc intelligat, quasi inter species donationis enumeretur collatio beneficiorum; est enim collatio grave Episcopi onus, dum Episcopus pro electo Clerico rationem gravissimam est Deo redditurus, quo in genere non liberalitas exercetur, aut exhibetur benevolentia, sed sollicitudo excitatur. Potius ea verba spectant ad explicandam generalem positam regulam, quasi dixisset Bonifacius, in generali concessione non venire ea, quæ verosimiliter non esset in specie aliquis concessurus, uti contingit in exemplo procuratoris generalis, cui donandi facultas denegatur. Regula illa locum habet non solum, ubi de libera, sed etiam ubi de necessaria, seu ea, quæ præsentationem, electionemve supponit, collatione agatur; siquidem etsi agatur de collatione necessaria, sive de institutione præsentatorum, vel electorum, hæc ipsa adhuc grave onus est, cum adhuc Episcopi sit inquirere in qualitates electi, aut præsentati administri, atque in hac specie etiam locum habeat generalis ratio Bonifacii VIII. in dicto cap. 3., juncto c. 81. de regul. jur. in 6.. Idem dicendum erit, etiam si Episcopus vicarium constituendo facultatem ipsi concesserit generalem administrandi etiam libere omnia ecclesiastica negotia; nam particula *libere* modum quidem significat, quo is, cui concessa sit certa potestas, eamdem potestatem exerceat, non potestatem amplificat, nec reddit latiorem, extendendo unum ad aliud genus potestatis; immo & id videtur a Bonifacio VIII. definitum in dicto cap. 3. vers. *Nec regulariter*. Neque obstat capitulum 4. in fine de procurat. in 6., ubi enim Bonifacius VIII. definit, procuratorem certa negotia gerere posse, si *libere* administratio concessa fuisset, indicavit, id facile admitti, ubi specialiter concessum proponatur, & verbum *libere* adjecit, quasi diceret *specialiter*, quemadmodum in cæteris rescripti partibus tradebatur. Quid vero, si mandato generali adjiceretur hæc clausula, ut possit vicarius ea etiam omnia peragere, quæ mandatum exigunt speciale? Idem Bonifacius VIII. in dicto cap. 4. de procurator., cui jungi posset Clemens V. in cap. 2. eod. tit., rescripsit, in hac specie mandati non censeri ea commissa, quæ mandatum speciale requirunt, nisi aliqua ex istis veluti exempla mandatæ amplioris potestatis exprimantur. Adderem ego exceptionem aliam, videlicet, nisi Episcopus consuevisset specialiter vicarios suos ad conferenda beneficia delegare; tum enim ex his, vel similibus conjecturis non repugnat, ad casus, qui mandatum speciale requirunt, Episcopi voluntatem extendi. Non agitur heic de legis, sed de voluntatis interpretatione, qua in re conjecturis locus datur. Neque dicas, clau-

sulam illam non inanem esse debere, & certos effectus debere operari: siquidem repono, novum non esse, clausulas in genere tantum adjectas vix effectum suum sortiri, argumento l. 4. §. 4. ff. si quis cautionibus, ne alias quis verbis suis videatur magis dixisse, quam cogitaverit. Clausulæ generales conjecturam quidem præbent enixæ, propensæque voluntatis erga eum, cujus gratia adjiciuntur, non tamen ad ea pertinent, quæ quis non foret in specie concessurus. Quoties verò speciale mandatum Episcopi intercesserit, plurimum intererit observare, qua formula mandatum ipsum exprimatur; ex ista enim qualis, quantaque potestas vicario competat, perspicue colligetur. Nam si ex. gr. Episcopus collationem beneficiorum vicario concesserit, tunc mandatum beneficiorum omnium collationem facile comprehendet, *sive* liberam, uti vocant, sive necessariam ex natura vocabuli *collationis*, vel *conferendi*, quod omnibus beneficiis accommodatur. At quoties Episcopus vicario concesseri facultatem instituendi præsentatos, vel confirmandi electos, videbitur tantum mandata vicario potestas necessariæ, non liberæ collationis, cum aliud sit instituere, aut confirmare, aliud conferre, & invicem hæc tanquam species a genere differant, argumento capituli 1. de instit. in 6. Potiore igitur jure dixeris, vicarium conferre beneficia non posse, etiam si specialiter mandatum ipsi fuerit, ut beneficia erigat, vel uniat, vel dividat; multum enim differunt istæ facultates a facultate conferendi; & quamquam forte par, aut major videatur jurisdictio explicari in beneficiis erigendis, uniendis, vel dividendis, quam in conferendis; in illis tamen, quæ mandatum requirunt speciale, non licet ex facultate majore concessa argumentari, concessam quoque esse minorem, quando *minor in majore*, veluti pars in toto, vel species in genere non continetur.

CAPUT II.

De jure Capituli Cathedralis Ecclesiæ in collationibus Beneficiorum.

Huc referri possunt tituli 9. & 10. libr. 3.

VIX satis dignosci potest ordinaria Episcoporum in conferendis beneficiis potestas, nisi una observetur, quæ, qualisque sit potestas Capituli Cathedralis Ecclesiæ, propterea que Capitulum, veluti unum corpus cum Episcopo suo quasi capite constituere dicitur. Quæ jura olim erant communia Clericis universis sub Episcopo in sacra Hierarchia militantibus, illis præsertim, qui in majoribus ordinibus constituti essent, obtinuit hodie, fere omnia singularia fieri Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, uti demonstravi in tractatione de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, & officiis. Atque hæc ratio est, cur investigaturus Clericorum infra Episcopos consistentium jura in beneficiorum collationibus explicanda, tantum mentionem facio, ac disputationem propono de Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Initio autem juvet id prænotavisse, ut facilius intelligatur, ea omnia, quæ in vetustis canonibus de cleri jure in hac parte statuta sunt, recte nunc Ecclesiarum Cathedralium Capitulis accommodari. Itaque in hoc definiendo Capitulorum jure distinguere oportebit duo tempora, nimirum tempus, quo Episcopus vivit, ac jurisdictionem in sua Ecclesia explicat, & tempus sedis vacan-

tis, sive vacans dicatur ob Episcopi mortem, sive vacans dicatur, quod Episcopus sit ab officio suo depositus, aut quoquo modo suspensus.

Quum Episcopus Ecclesiæ præest, suamque jurisdictionem libere exercet, generalis quidem stabiliri regula potest, qua tradatur, non aliam esse Capituli potestatem, quam coercitam intra certos fines, videlicet Capitulum id juris sibi vindicare, ut consilium, sive consensum præbeat Episcopo beneficia conferenti, ipsa tamen collatione veluti propria, & singulari apud Episcopum consistente, quæcumque tandem beneficia sint, sive erecta in Cathedrali Ecclesia, sive extra Cathedralem, & in tota diœcesi. Verum res ista varias passa fuit vices, fuit etiam variis contentionibus obnoxia, non sane quod generaliter de regula Episcopis favente dubitaretur, sed quod in Cathedralibus Ecclesiis certa emerserint adjuncta, inter quæ probabilis contendendi causa exhiberetur, & transactionibus expediret universa componi; quodque etiam magis rem hanc turbat, illud est, non posse generaliter tempora definiri, aut certam legem ubicumque communem designari; propterea quod alicubi citius, alicubi serius immutatio disciplinæ facta fuerit, alicubi vix immutatio disciplinæ agnoscatur, pro modo adjunctorum, quæ immutationi aut præbuerunt occasionem, aut præbere potuerunt. Tria igitur tempora consignare necesse est. Primum tempus primigeniæ, & antiquissimæ disciplinæ; deinde tempus contentionum inter Episcopos, & Capitula; postremo tempus conventionum, ac transactionum. Quænam fuerit primigenia, & antiquissima disciplina, jam satis indicatum, probatumque videtur ex iis, quæ in præcedente capite tradebantur. Nimirum exinde liquet, penes Episcopos fuisse collationem quorumcumque beneficiorum; sive etiam consideretur sacra ordinatio, sive tributio ministeriorum in Ecclesiis per ordinatos Clericos peragendorum, sive admissio in communionem ecclesiastici peculii; qui actus omnes a collatione beneficiorum minime distinguuntur, iidem actus ab Episcopi auctoritate pendebant; tantum penes Clericos erat jus, aut consensum, aut consilium Episcopo præstandi, quia Collegium Clericorum veluti Senatus Ecclesiæ juxta priscorum Patrum formulas habebatur; quod non solum verum erat in collatione beneficiorum, sed etiam in cæteris jurisdictionis ecclesiasticæ speciebus, quemadmodum liquet conferenti capitulum 4. & 5. cum capitulo 3. de his, quæ fiunt a Prælatis. Successu temporum factum est, ut Episcopi mandare deberent Œconomis ecclesiastici peculii curam, & administrationem, quo expeditius, & commodius in res vere sacras, atque divinas Episcopi incumberent, can. 21. caus. 16. quæst. 7. in quo Œconomorum officio recentioribus sæculis Archidiaconi successerunt. Et quamquam Œconomi, vel Archidiaconi non propriam viderentur, sed ab Episcopo mandatam potestatem exercere; cum tamen mandatum illud non personæ Œconomi, vel Archidiaconi adhæreret, sed potius Œconomatus, seu Archidiaconatus officio, quod perpetuum erat; Œconomi primum, deinde Archidiaconi sibi videbantur ordinariam quodammodo potestatem induere quasi in vim officii, & dignitatis propriæ competentem. En primam contendendi occasionem subortam inter Episcopos, & Œconomos, sive Archidiaconos. Nam si Episcopi Clericum ordinaturi essent, eumdemque addicturi Ecclesiæ ministeriis, non omnino rarum esse poterat Episcopale judicium, nisi Œconomi, vel Archidiaconi penitus consentirent; eveniebat enim quandoque, ut Œconomi, vel Archidiaconi allegarent, facultates Ecclesiæ, quas ipsi administrabant, pares non esse tot exhibendis Clericis, quot ab Episcopis ordinabantur, & ministeriis addicebantur. His accessit novus ordo collationis; siquidem postquam auctoritate Episcopi Clericus ordinatus esset, & ministeriis addictus, item admissus ad

jura communionis ecclesiastici peculii, opus erat ministerio Œconomi, vel Archidiaconi, ut Clericus idem in possessionem peculii mitteretur, quam recentiores appellaverunt institutionem beneficii corporalem. Atque in his adjunctis propemodum tributa videbatur potestas collationis inter Episcopos, & Œconomos, sive Archidiaconos, quamquam præcipua conferendi potestas semper penes Episcopos esset, & ipsa corporalis, ut ajunt, institutio non nisi ex mandato Episcopi fieri ab Œconomo, vel Archidiacono intelligeretur. Deventum inde fuit ad communionem vitæ initam inter Clericos omnes sub Episcopo in Ecclesia Cathedrali, sæculo Ecclesiæ quinto; & quamquam eadem non statim ubique recepta fuerit, aut etiam brevi dissociata, nono tamen sæculo, & sequentibus, ac præsertim undecimo ac duodecimo fuit restituta. In his adjunctis agnoverunt Clerici Cathedralium Ecclesiarum, se instar cœnobitarum in communi viventium redactos esse, immo & nonnullas cœnobitarum regulas sequendas sibi præstituerunt, eo etiam vividius in iis Ecclesiis, in quibus Monasteria in Cathedrales fuere conversa; atque hæc vitæ ratio patronos habebat Pontifices Maximos, fovebatur insuper canonibus Conciliorum; cum universæ Ecclesiæ interesset, ea ratione consuli honori Clericali jamdiu ex ignoratione supina canonum, & corruptela morum labefactato. En alteram, & quidem graviorem contendendi occasionem in designatione ministrorum, contendentibus hinc Episcopis, ad se pertinere, uti olim, præcipuam potestatem; contendentibus illinc Canonicis, facta communione bonorum inter ipsos, & Episcopum, ad eamdem communionem non posse extraneum admitti, nisi æqualiter tum ex Episcopi, tum ex Capituli voluntate. Ipsa Collegiorum Clericalium, & Cœnobiorum monasticorum similitudo, quam pene æqualem reddebat earumdem fere regularum professio, Canonicorum jura promovebat: Si enim sæpe Monachi sibi adserebant facultatem saltem una cum Abbate suo novos Monachos admittendi, argumento canonis 9. caus. 18. quæst. 2., & capituli ult. de regular. in 6., eodem jure putabant Canonici, se una cum Episcopo potestatem explicare in admissione Canonicorum, qui essent in Collegio adscribendi. Inde colligitur, hujus generis contentionem locum quidem habere potuisse in beneficiis Cathedralis Ecclesiæ, non vero in beneficiis diœcesanis, in quibus constitutum non erat Collegium Clericorum. Interea disjungi cœpit collatio sacrorum ordinum a collatione beneficiorum; ac tum eo vehementius Canonici contendere potuerunt adversus Episcopos, quasi liberius sibi asserere valerent potestatem adscribendi in Collegio, & admittendi in communionem bonorum Clericum jampridem ab Episcopo ordinatum, quasi adscriptio in Collegio, & admissio in communionem bonorum sejuncta ab ordinatione nihil haberet commune cum potestate Ordinis Episcopalis soli Episcopo reservata. Tandem iterum deventum est ad dissociationem vitæ communis, primum ita, ut Episcopus adhuc intra eadem claustra vivens mensam separatam a mensa Capituli haberet, exemplo Abbatum quorumdam monasticorum, deinde ita, ut penitus vita communis cessaret, & Canonici a claustris recederent, retenta apud ipsos administratione mensæ capitularis, & tantum tributis inter Canonicos singularibus præbendis. En vero gravissimam alteram contendendi occasionem; cum enim Canonici exclusissent Episcopos ab administratione mensæ capitularis, quasi Episcopus singularem, & discretam mensam percepisset, proposuerunt, nullas amplius esse Episcopi partes in designatione Canonicorum, quasi solius Capituli interesset, novos sibi sodales adsciscere. In his omnibus adjunctis factus est variis consuetudinibus locus, item statutis, conventionibus, ac transactionibus, pro modo scilicet contentionum excitatarum. Alicubi enim

receptum est, ut Episcopus solus penitus irrequisito Capitulo beneficia quæque conferret, uti contigit in multis aliis jurisdictionis speciebus explicandis; alicubi retentum fuit jus disciplinæ generalis, juxta quam Episcopus conferre debet, accedente Capituli consilio, vel consensu; alicubi Capitula sibi vindicaverunt jus conferendi beneficia plura, præsertim in Cathedrali Ecclesia erecta, eove magis illa, quæ Capitulum ipsum constituunt, irrequisito prorsus Episcopo; alicubi reservatum fuit Episcopi gratia vel consilium, vel consensus, dum a Capitulo collatio fieret; alicubi denique simultanea inducta est & Episcopi, & Capituli collatio. Qua in re notatu dignum est, contigisse aliquando, ut collatio beneficii ad Capitulum pertineret, secluso Episcopo, etiam si Episcopus ad conferendum interveniret, & suffragium ferret. Quid enim, si ipse interveniret non uti Episcopus, sed uti unus ex Canonicis? Id insinuatur in cap. 15. de concessione præbendæ, & in cap. 11. de appellat. in 6.. Istud discrimen ex conjecturis deduces, quarum præcipua hæc est: Si ex. gr. Episcopus in Capitulo, vel Collegio sedeat primus, præsumetur ibi sedere, ac propterea intervenire tanquam Episcopus. At si secundum locum in Capitulo teneat, sedere præsumetur, ac propterea electioni, seu collationi intervenire uti Canonicus, quemadmodum tradunt inter Pragmaticos Fagnanus, ac Panormitanus ad dictum capitulum 15. de concess. præb.. Miraris fortasse, audiens, Episcopum Canonicis adcenseri, seu Canonicatum in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ obtinere. Fuerunt hæc opportuna recentioribus sæculis restituendæ Episcoporum jurisdictioni: non enim latet juris ecclesiastici studiosos, fuisse, & extare adhuc in præsentia Capitula quædam Cathedralium Ecclesiarum abs jurisdictione Episcopali prorsus exempta, quæ propterea nihil magis anxie curare solent, quam ut exemptionem suam tueantur, suique Episcopi mandata declinent, aliquando etiam intestino quodam schismate auream animorum unitatem dissolvant. In his præsertim adjunctis curaverunt Episcopi, ut quoquo modo & ipsi in negotiis capitularibus intervenirent, uniendo Espicopatui suo aut Canonicatum, ut in specie dicti capituli 15., aut præbendam canonicalem, ut in specie capituli 3. de probation., ea enim ratione futurum sperabant, ut Canonicorum animos sibi melius conciliarent, immo etiam aliqua ratione certis in rebus, quas Capitula usu, præscriptione, statutis administrare cœperant in præjudicium auctoritatis Episcopalis, suam pristinam jurisdictionem, quoad fieri posset, recuperarent.

Hæc ita veluti per quamdam historicam seriem observata demonstrant, quam inania argumenta sint illa, quibus usi sunt nonnulli Interpretes, qui putarunt, deduci posse ex nonnullis rescriptis, aut canonibus insertis inter decretales Gregorii IX., simultaneam collationem beneficiorum & Episcopo, & Capitulo competere jure communi. Huc adferunt ipsi capitulum 31. de elect., cap. ult de suppl. neglig. Prælat., capitulum 2. & 15. de concess. præb., & cap. 11. de appellat. in 6.. Ego sane observo, hæc monumenta edita fuisse illis temporibus, quibus jam post diuturnas concertationes superius memoratas, variæ consuetudines inductæ, transactiones etiam initæ erant adversus juris communis disciplinam; immo & eadem monumenta, quæ magna in parte rescripta sunt singularia, ad consuetudines ipsas referuntur. Etsi enim ea rescripta in corpus juris communis redacta sint, non tamen jus commune constituunt; propterea quod sunt certis quarumdem Ecclesiarum consuetudinibus accommodata. Cæterum & in ipsis decretalibus Gregorii IX. alia rescripta sunt, quibus probatur, collationem beneficiorum ad Episcopum, solo accedente consilio Capituli, pertinuisse. Id legitur in cap. 4. de his, quæ fiunt a Prælat., & quando in cap. 2. ne Sede va-

cante, dubitatum est, an Capitulum succederet Episcopo vita functo in collatione præbendarum, *tacite insinuatum est*, Episcopo, quoad viveret, collationem præbendarum competiisse. Si comparentur *invicem hæc rescripta inter se minime convenientia*, nisi dicere quis velit juri communi jus commune adversari, dicere oportebit, ex illis jus commune minime comprobari. Revera in dicto cap. 5. de suppl. neglig. Prælat. agitur de singulari consuetudine Ecclesiæ Salamantinæ. In dicto cap. 31. de elect., tantum dicitur, in Tuscia consuetudinem extitisse, qua Capitulum una cum Episcopo beneficia conferebat, & ex uno consuetudinis titulo ea potestas Capitulo adscritur, quando non opus fuisset allegare, ne dum probare consuetudinem, si Capitulo jus commune faveret. Eadem adnotari possunt in cap. 2. & 15. de concess. præb., cui etiam jungi potest capitulum 11. de appellationibus in 6. cum similibus. Forte quemquam adhuc morabitur dictum capitulum 2. de concess. præb., propterea quod editum illud fuerit in generali Concilio, nec facile possit unius tantum, vel alterius Ecclesiæ consuetudini accommodari, sed potius debeat ex jure communi interpretationem accipere. Dicitur ibidem inter cætera, ubi ad Episcopum collatio beneficii pertinet, devolutionem ad Capitulum fieri, si Episcopus intra semestre tempus minime conferat. Equidem fingi non potest, Capitulum veluti Episcopi superiorem esse, qui vices deficientis Episcopi suppleat. Non aliter ergo conferre poterit, quam vi communionis, quam cum Episcopo ingenitam habeat, & ordinariam in collatione beneficiorum. Agnosco difficultatem. At enim notandum est, in eo canone Lateranense Concilium non fuisse sollicitum de definienda ordinaria potestate beneficiorum conferendorum; tantum voluisse tempora definire, intra quæ beneficia conferri deberent. Ubi non conferrentur intra legitima tempora, ulterius definivit, devolutioni locum fieri. Speciem prætermisit, qua Episcopus collator esset juxta generalem canonum disciplinam; *hæc enim singulari definitione* non indigebat; cum jam constaret de devolutione ad proximum superiorem facienda juxta regulas generales. Sed quando agnoscebant Patres Lateranenses, pluribus in locis receptam fuisse consuetudinem, qua & Capitulo, & Episcopo collatio competeret, statuerunt, ut quo casu & Capitulum, & Episcopus negligentiam admisissent, devolutio fieret ad Metropolitanum; quo autem casu per vices alternas collationem & Capitulum & Episcopus tribuissent, statuerunt, ut turnarii negligentia alteri non obesset, & quemadmodum negligente Capitulo Episcopus, ita negligente Episcopo Capitulum conferret.

Colligi ex his quædam consectaria possunt. Primum est, non aliter Capitulo competere posse collationem beneficiorum, vel una cum Episcopo, vel Episcopo excluso, nisi singularis titulus vel consuetudinis, vel præscriptionis, vel statuti, privilegii, transactionis allegetur, ac probetur; quia jure communi inspecto collatio ad Episcopum spectat, quamquam accedente consilio, vel consensu Capituli celebranda. Secundum est, hanc consuetudinem facilius induci, ac recipi potuisse *in* canonicatibus, ac præbendis Ecclesiæ Cathedralis, quam reciperetur in cæteris beneficiis diœcesanis, propterea quod quæ argumenta ad collationem sibi adserendam adferebantur a Capitulis, spectabant Canonicatus, ac præbendas, non facile producebantur ad cætera beneficia diœcesana. Tertium est, exemplo Capitulorum Ecclesiæ Cathedralis *similia* jura *sibi* vindicavisse alia Collegia Clericorum in Ecclesiis conventualibus, sive Collegiatis, propterea quod quæ argumenta a Capitulis Cathedralis Ecclesiæ proponebantur, communia etiam erant Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum. Quartum est, ex contentionibus, quæ inter Capitula Cathedralium Ecclesiarum, & Episcopos emerse-

runt, atque ex subinde initis transactionibus, facile evenisse, ut Episcopi in beneficiis diœcesanis Extra Cathedralem Ecclesiam erectis non amplius peterent consensum, vel consilium Capituli, contra quam jus commune postularet, quasi Capitula contenta esse deberent novo jure quæsito conferendi canonicatus, & præbendas. His etiam accessit, quod Capitula Cathedralium Ecclesiarum singularibus se juribus prædita passim profitebantur, neque in consortium jurium suorum cæteros diœcesanos Clericos admittebant, quamobrem videbantur omnem reliquarum Ecclesiarum curam a se abjecisse. Postremum consectarium est, in iis Collegiis, in quibus capitula jus conferendi adquisiverunt, beneficia cœpisse ibidem vel per electionem conferri, vel ex optione adquiri, quemadmodum inferius tradetur.

Si Sede plena tot, tantæque emerserunt contentiones, non nisi conventionibus, statutis, ac consuetudinibus tandem aliquando pacatæ, num sperari potuit, ut beneficiorum collatio certas susciperet nunquam prætereundas regulas, Sede Episcopali vacante? Profecto si ex generalibus prudentiæ nostræ principiis definienda res esset, non dubitaremus asserere, ad Capitulum spectare collationem omnium beneficiorum, quæ ad collationem Episcopi, si viveret, pertinerent. Novimus enim & collationem beneficiorum speciem esse jurisdictionis Episcopalis, & ea omnia, quæ pertinent ad jurisdictionem Episcopalem, ad Capitulum vacante sede, devolvi, cap. 14. de major. & obed., cap. 3. de suppl. negl. Prælat. in 6., cap. un. de major. & obed. in 6.. Verum aliter definitum fuit jure scripto, quo collatio beneficiorum a generali regula excepta dignoscitur, eamque ob rem non ad Capitulum fere devolvitur, sed successori Episcopo reservetur, c. 2. ne Sede vacante. Huic tamen est, in quo in gravissimam inciditur difficultatem, cui occasionem præbet istud ipsum Honorii III. rescriptum in dicto cap. 2.. Cum enim Capitulum, Sede vacante, præbendas contulisset, rescripsit Honorius, non valere collationem, adjecta ratione, *cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod Capitulum, Sede vacante, fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum.* Num igitur, ut eam facultatem Capitulum explicaret, opus habeat singulari, & expressa juris concessione? Verum qui rem hanc exegerit ad generalia juris principia, noveritque, generaliter universam Episcopalem jurisdictionem in capitulum, Sede vacante, transire, plurimum hærebit, nec injuria contrariam regulam figet, qua statuatur, Capitulum potius eas omnes jurisdictionis species explicaturum, quæ expressa lege non reservantur, ideoque Capitulum tum demum a collatione beneficiorum arcendum, cum denegata Capitulo collatio adpareat, numquam vero, si expresse non sit concessa. Agnoverunt Interpretes omnes gravissimam difficultatem, a qua ut sese extricarent, varia commenti sunt, ut plurimum a recta interpretandi ratione aliena. Tradiderunt aliqui, in eo singularem esse causam, cur Capitulum a libera beneficiorum collatione excludatur, quod Capitulum collationem ipsam adversus Episcopum præscribere inciperet; quando tamen, Sede vacante, nulla adversus episcopalia jura sit admittenda præscriptio. Hæc ratio parum, meo judicio, constat, nam minime percipi potest, quomodo Capitulum, cui Episcopi vices mandatæ videntur, Sede vacante, contra Episcopum præscribere valeat; quod si fieri potest, nulla jurisdictionis Episcopalis species ab eodem Capitulo exercenda foret, prætextu impediendæ in omnibus speciebus præscriptionis. Alii tradiderunt, fructus Episcopalis mensæ Capitulo, Sede vacante, non adquiri, ideoque nec liberam beneficiorum collationem, utpote quæ sit habenda veluti quidam fructus mensæ Episcopalis. Verum hæc opinio minus informem exhibet beneficiariæ collationis imaginem, quasi collatio beneficiorum adferat utilitatem, & commodum confe-

renti, non vero unam spectet utilitatem Ecclesiæ; quamobrem mirandum sane est, eam collationem beneficiorum, quæ apud veteres Patres tanquam gravissimum ecclesiasticorum Antistitum onus semper habita fuit, apud Interpretes istos in optabile conferentium commodum fuisse transformatam. Quod si non puderet me in hac efficta collationis imagine consistere, dicere etiam possem, ea admissa, collationem beneficiorum iis fructibus potius esse adscensendam, qui servando servari non possunt, propterea quod publice expediat, consuli quantocius Ecclesiis vacantibus, atque hanc ob causam eodem jure debere collationem a Capitulo fieri, quo a Capitulo alienari possunt fructus mensæ Episcopalis, qui diu nequeant adversari. Alii putaverunt, se distinctione facta omnes controversias diremisse. Divisserunt enim jurisdictionem Episcopalem in voluntariam, & necessariam, hanc, non illam Capitulo, Sede vacante, adserentes; deinde eam collationem beneficiorum Capitulo denegaverunt, in qua Episcopus plena fruitur libertate, & cuicumque voluerit, beneficium concedit; unde isti fassi sunt, Capitulo posse collationem competere, quoties Episcopus non omnino libere est, sed debet certæ personæ beneficium conferre, quemadmodum contingit in beneficiis patronatis, & electivis. Ingeniosa quidem visa est, & plausu excepta hujusmodi interpretatio, cui passim morem gesserunt Pragmatici, eo vel magis, quo proprius ad eam accesserunt decreta plura Pontificum, quibus certa deinde disciplina in hac materie firmata est, quemadmodum ex inferius dicendis constabit. Verum ea ipsa interpretatio in gravissimas adhuc induit, atque inextricabiles difficultates. Etenim in primis nullibi in sacris canonibus definitum est istud, quod jacitur principium, quo scilicet necessaria jurisdictio, non voluntaria in Capitulum transeat; nullibi præterea definitum adparet, quænam ad voluntariam, quænam ad necessariam jurisdictionem referantur, neque id facile definiri potest. Neque enim ex. gr. video, cur necessaria dicatur jurisdictio explicari in admissione præsentationis, aut in confirmatione electionis; at voluntaria explicetur in libera collatione beneficiorum, præsertim si agatur de Parochialibus, quæ conferuntur hodie indicto concursu. Deinde quis ignorat, Capitulum posse aut dimissorias literas Clericis ordinandis aliquando concedere, mandare Episcopo non diœcesano, ut in Ecclesia vacante Pontificalia exerceat, sacramenta ordinis, ac confirmationis conferat, Pœnitentiario concedere facultatem absolvendi a reservatis, & alia numero plurima, quæ juxta eorumdem Interpretum definitiones ad voluntariam pertinent jusisdictionem? Non memoro ulterius, quid alii in hac re Interpretes senserint; nihil enim apud ipsos invenio, quod valeat ingenui viri exspectationem explere. Tantum aperiam meam, qualiscumque ipsa habeatur, opinionem, quam etsi ultro fatear, non certis omnino innixam esse principis, in re tamen obscura, & perdifficili rejiciendam non puto, quousque saltem non inverosimilis censeatur.

Itaque arbitror, propositam materiem magis in facto, quam in jure consistere. Nimirum usque ad sæculum undecimum, vel duodecimum beneficiorum collatio a collatione ordinum, sive a ministrorum sacrorum ordinatione minime sejungebatur: ergo usque ad ea tempora collatio beneficiorum utpote cohærens potestati ordinis Episcopalis in Capitulum, vacante Sede, transire non poterat. Sejuncta deinde fuit utraque collatio, ac tum primum visa est collatio beneficiorum potestati jurisdictionis, non potestati ordinis adcenseri. Quid ergo? An statim Capitula eam sibi vindicaverunt una cum cæteris Episcopalis jurisdictionis speciebus? Non fuit hæc Episcoporum voluntas, cum collationes beneficiorum, & ordinum sejunxerunt, qui tantum voluerunt, ut multiplicaretur ministrorum numerus, non ut partem po-

testatis amitterent, in Capitula, Sede vacante, transferendam. Neque fuit hæc voluntas Canonicorum, qui, si forte eam potestatem beneficia conferendi ad se devolvi proposuissent, Sede vacante, vetari poterant, ne Episcopi a separatione illa utriusque collationis in posterum abstinerent, suæ jurisdictionis integræ servandæ causa, quod Canonicis molestum, & grave extitisset, quando, inducta disciplina ordinandorum sine titulo beneficii, emergebant plures alii Clerici sacrorum administri, Canonicorum eorumdem adjutores, in oneribus subeundis ecclesiasticis Capitula sublevantes, qui tamen de redditibus Capitulorum, seu Cathedralis Ecclesiæ, ne minimam quidem portionem haurirent. In hac tacita & Episcoporum, & Canonicorum voluntate, qua sine imminutione Episcopalis juris invecta fuit recens disciplina, quis illico non percipiat, singularem receptam fuisse regulam, ut beneficia vacantia, sicut olim, ita deinceps, collationi successoris Episcopi reservarentur, Sede vacante; quæ regula non esset innovanda, nisi aliud specialiter, & expresse caveretur? Conjicitur hinc, quo spectent illa Honorii III. verba *Cum nusquam inveniatur cautum in jure &c.* Erant tamen ista novi juris exordia temporibus Honorii III., quæ scriptis constitutionibus destituebantur, sed solis Cathedralium Ecclesiarum moribus, hinc Capitulorum, illinc Episcoporum consentione firmatis constabant. Paulatim vero, & quasi per gradus hæc res certam induit formam, & non nihil Canonicis concessum est, sub ea specie, quod collatio beneficiorum ad potestatem jurisdictionis Episcopalis pertinet, & quod jurisdictio Episcopalis ad Capitulum, Sede vacante, devolveretur; quamquam & alia ex parte non omnia concessa fuerint, sub ea specie, quod vetusta disciplina, juxta quam collatio ordinum, & collatio beneficiorum juncta erant, collationem beneficiorum, uti collationem ordinum, successoribus Episcopis reservabat; atque hæc omnia paulatim invecta fuerunt pro modo diœceseon, prout Capitula non undecumque repugnantes Episcopos invenerunt, pro modo etiam traditionum, quales fingebant Interpretes, distinguentes præsertim necessariam a voluntaria jurisdictione; unde licet retineretur generalis regula, qua reservarentur successoribus Episcopis collationes beneficiorum, certæ tamen probarentur, ac reciperentur regulæ exceptiones, certisque in casibus collatio beneficiorum non denegaretur Capitulis, Sede vacante.

Stratam hinc viam habemus ad designandas singulas exceptiones, quarum aliæ probantur expressis Pontificum Maximorum decretis; aliæ vero receptæ sunt ex traditionibus Pragmaticorum, quorum etsi magna non esse possit auctoritas, & tanta, quanta condendo juri sit necessaria, tamen in disciplina, quæ ex factis emersit, multum valuit. Expressa decreta primum adparent in institutione præsentatorum, quæ Capitulis, Sede vacante, concessa fuit, cap. 1. de instit. in 6.. Idipsum receptum est in beneficiis electivis, in quibus non est libera Episcopi collatio, sed tantum confirmatio electionis, cap. 14. de major. & obedient.. Cum enim sive in institutione præsentatorum, sive in confirmatione electorum parum interesse videretur Episcoporum, iidem Episcopi facile passi sunt, ut, vacante sede Episcopali, Capitula eam potestatem explicarent. Præterea, postquam obtinuit, ut in quibusdam Cathedralibus etiam sede plena Capitula sibi vindicarent quorumdam beneficiorum collationem, vel Episcopo prorsus irrequisito, vel consensu, seu consilio Episcopi accedente, vel etiam una cum Episcopo conferrent, receptum est, probatumque, ut in his omnibus beneficiorum speciebus, sede vacante, collatio per Capitulum fieret, cap. un. ne sede vacante in 6.. Præter generales causas, quibus admissa Capitula fuerant ad hasce collationes, erat probabile exemplum Monachorum, & Regularium, qui, sede Abbatiali vacante,

Monachos recipiebant, si æque ad Collegium Regulare, ac Abbatem fratrum receptio pertineret, cap. ult. de Regular. in 6.. Adjiciebantur his regulæ juris acrescendi, quæ ex Jurisconsultorum studiis tunc temporis maxime excultis ad hanc etiam materiam facile traducebantur, ubi collatio duobus æque, id est, Episcopo, ac Capitulo competerent. Non tamen e converso concessum fuit Capitulis, ut conferant beneficia, quæ juxta jus commune pertinebant ad collationem Episcopi, accedente Canonicorum consilio, vel consensu. Exceptio adjecta fuit a Bonifacio VIII. in dicto cap. un. §. *quum vero* ne sede vacante in 6., quoties ageretur de Episcopo suspenso, & in petenda suæ suspensionis relaxatione moroso; hic enim Episcopus non id mereri poterat, ut ejus gratia Capitulum a collatione beneficii interea vacantis abstineret. Hæc omnia uti liquet, expresse definita fuerunt. Alia sunt, quæ ex interpretatione juris scripta recepta sunt, præsertim postquam nonnulli Pragmatici tradiderunt, gratia Capitulorum plurima esse recipienda, quoties non de omnino voluntaria, sed potius de necessaria collatione ageretur; dixerim verius, postquam Episcopi facto suo passi sunt in quibusdam collationum speciebus, præsertim non adeo liberis, Capitula majorem jurisdictionem explicare. Hinc, quibus in casibus, & quibus in locis potest Episcopus admittere aut resignationes in favorem, aut permutationes beneficiorum, facile admittitur, etiam id a Capitulo, Sede vacante, fieri posse; quamquam enim generaliter Capitulo interdictum sit collatione beneficiorum, ista tamen adhuc distinguitur abs jurisdictione, quæ explicatur in resignationibus in favorem, aut in permutationibus, cap. 4. de offic. leg. in 6.. Agitur hic de exceptione adversus jus commune definita, quæ propterea non facile ab expresso casu ad non expressum traducitur eo vel magis, quo in resignationibus, quæ dicuntur in favorem, necnon in permutationibus admittendis, explicari videtur jurisdictio necessaria, Clem. un. de rer. permut., quæ ex vulgari Pragmaticorum opinione transferri dicitur in Capitulum. Neque ego dubito, quin Capitulo concedatur collatio beneficiorum illorum, quæ non jure ordinario, sed jure devolutionis, ab Episcopo, si viveret, conferrentur. Non enim est verosimile, sacrorum canonum auctores, qui ideo jus devolutionis induxerunt, ut, quantocius fieri posset, vacanti beneficio, Ecclesiæque consuleretur, voluisse post elapsum tempus inferiori collatori concessum adhuc exspectandum esse, donec successor Episcopus designetur, qui jus devolutionis inde sit explicaturus. Immo etiam si ageretur de beneficio reservato Papæ, cui unius mensis spatium causa conferendi jure constitutum fuerit, quemadmodum in specie capituli 3. de præbend. in 6. elapso mense, non dubito, quin ad Capitulum vacantis Ecclesiæ jus conferendi quodammodo devolvatur. Si enim juxta dictum capitulum 3. ubi Episcopus agat in remotis, Vicario illius facultas conferendi conceditur, cur Capitulo denegabitur, quod Episcopi vices gerere videtur, Sede vacante, non quidem mandat hominis, sed juris potestate, nisi dicere velis, Vicarium juris minore potestate frui, quam fruatur Vicarius hominis? Insuper non dubito, ad Capitulum pertinere posse collationem parochialium beneficiorum, saltem post invectam disciplinam Tridentini Concilii, juxta quam parochialia eadem beneficia non nisi indicto concursu conferuntur, cap. 18. sess. 24. de Ref., hæc enim collatio ex iis est, quæ inter necesariæ jurisdictionis species referuntur a Pragmaticis; hæc itidem collatio est, quam non adeo Episcoporum interest successoribus reservari. Non tamen inficias iverim, has propemodum omnes observationes hodie vim suam omisisse, quibus in locis recepta est regula 2. Cancellariæ, (adde constitutionem Pii V., quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater*) juxta quam quæ bene-

ficia, sede vacante Episcopali, sunt conferenda, nunc Sedi Apostolicæ reservantur, iis tantum exceptis, quæ ad collationem Episcopi cum alio, vel aliis, vel ad alterius præsentationem, vel electionem pertinent. Huic reservationi occasionem dederunt argumenta illa, utut parum apta, quibus Pragmatici ad favendum successoribus Episcopis utebantur, & quæ Episcopis eisdem placuerunt. Ajebant ipsi passim ad excludenda Capitula collationem beneficiorum esse in fructu mensæ Episcopalis; inde autem deducebant, exemplo cæterorum fructuum, etiam collationem beneficiorum successoribus Episcopis reservari oportere. Romani Pontifices inducto recentioribus sæculis jure spoliorum, & perceptionis fructuum vacantis Ecclesiæ Episcopalis, eodem jure quo fructus vacantes, etiam collationem beneficiorum vacantium sibi vindicabant, & quidem sine contradictione Episcoporum, quorum opinione jamdiu receptum erat, collationem beneficiorum in fructibus computari, & eam ob rem Capitula a collatione eadem excludi. Quamobrem hodie Vicarius Capitularis concursum quidem vacante Parochiali Ecclesia, indicet juxta formam a Tridentino Concilio præstitutam; sed ejusdem beneficii collatio erit a Sede Apostolica exspectanda. Id tamen non prohibet, quominus Vicarius idem Capitularis Parochialem Ecclesiam commendare valeat ad semestre tempus, quoties id postulet Ecclesiæ utilitas, vel necessitas, juxta Capitulum 15. de elect. in 6. necnon Œconomum, seu Vicarium Parochiali Ecclesiæ vacanti præficere, eidemque, quousque officio fungitur, certam pensionem adsignare, juxta caput 18. sess. 24. de Reform. in Concilio Tridentino. Nec dubito, ea omnia generaliter a Capitulo conferri beneficia posse, in quibus collatio necessaria dici potest, quousque id patiatur aut germana, aut recepta moribus interpretatio dictæ Regulæ secundæ Cancellariæ. Hinc si ex. gr. agatur de beneficiis illis, in quibus in limine fundationis designatæ personæ sunt, quibus conferantur, puta ex certa familia, ex certa civitate, aut in certo gradu constitutæ, cum istæ a fundatore ipso præsentatæ videantur, erunt a Vicario Capitulari instituendæ, juxta regulam dicti capituli 1. de institution. in 6.. Denique eadem ratione dixero, a Vicario Capitulari expediri posse collationem beneficii, quam Episcopus, si viveret, expedire deberet ex Pontificio mandato de providendo. Si qua enim dubitatio foret, ea proponeretur, quod mandatum de providendo mortuo Episcopo intercidat. At vero cum mandatum hoc non potissimum Episcopi personam spectet, sed ordinariam Episcopi jurisdictionem, hanc ipsam jurisdictionem sequitur, in Capitulum transeuntem, Rebuffus de devolution. num. 85., cui consonat Panormitanus ad capitulum 2. de sede vacante. Paucis generalia principia colligo. Separata collatione beneficiorum a collatione ordinum, collatio beneficiorum, quæcumque ista sint, ad potestatem jurisdictionis referri cœpit. Regula sit juris communis, universam jurisdictionem Episcopalem in Capitulum, Sede vacante, devolvi, nisi quædam sint specialiter, & expresse reservata. Ergo juri communi consentaneum est, ut collatio beneficiorum Capitulis adquisita dicatur. Ergo Capitulorum potestas semper erit etiam in hac re adjuvanda. Vice versa, cum non ex jure communi, sed ex voluntate Episcoporum factum fuerit, ut collatio beneficiorum a collatione ordinum sejungeretur, non nihil dandum erit in proposito eidem Episcoporum voluntati, ut eatenus collatio beneficiorum mutavisse naturam credatur, quatenus Episcopi illi immutationi concesserint. Ergo facile recipiendæ sunt quædam exceptiones, quæ intra certos limites potestatem recens Capitulis adquisitam coercuerunt. Uno verbo: potestas conferendi in conspectu Capitulorum est juri communi conformis, in conspectu Episcoporum est juri antiquo consentanea. Juris communis

magnus est favor; juris antiqui magnus est honor. Utrique cum prudentia, & moderatione velificandum est, ut dum uniformitatem sequimur principiorum in jure communi custodiendo, uniformitatem sequamur temporum in antiqua retinenda disciplina.

CAPUT III.

De jure illorum, qui singulari titulo beneficiorum collationem adquisiverunt.

POstquam collatio beneficiorum cœpit a sacrorum ordinum collatione sejungi, ac propterea collatio beneficiorum, quæ olim Ordinis Episcopalis potestas esse videbatur, cœpit haberi tanquam potestas jurisdictionis Episcopalis, mirum videri non debet, si tot emerserint collatores beneficiorum, quot esse in Ecclesia possent, qui jurisdictionem Episcopalem, etiam non insigniti Episcopali ordine, adquirere valerent. Id jam demonstratum est in capite præcedente, ex quo constat, eam ob causam Capitula Cathedralium Ecclesiarum adquisivisse conferendi beneficia potestatem, quia nihil amplius Capitulis oberat, quominus ad conferenda beneficia admitterentur. Cum non aliæ etiam singulares ecclesiasticæ personæ simile jus ad se traherent? Nihil quoque his obesse potest, ex natura Episcopalis jurisdictionis, quæ ex singularibus titulis adquiri etiam non Episcopis solet. Pro singulari conferendi titulo modo fuerunt illis tabulæ fundationum, quibus Prælato inferiori, non ordinario Episcopo, collatio expresse reservaretur, modo fuit consuetudo legitima, modo justa præscriptio, modo etiam privilegium.

In primis tabulæ fundationum præbuerunt legitimum titulum conferendi; siquidem is erat honor fundatori tribuendus, ut posset quascumque conditiones novo erigendo beneficio adjicere, quas Episcopus erectionis tempore probare teneretur, dummodo turpes non essent, vel minus honestæ, argumento capituli 25. de jurepatron., cap. 13. vers. *Qui autem* de elect. in 6., Clement. 2. vers *Ut autem* de religios. domib.. Quamquam enim reservando collationem beneficii inferiori Prælato, quidquam adversus juris communis disciplinam inducatur, nihil tamen in eo est, quod generali morum honestati repugnet. Id sane sine ullo discrimine receptum, custoditumque fuit usque ad tempora Tridentini Concilii, quo tandem adeptam fundatoribus hujusmodi facultatem Interpretes nonnulli scripserunt, propterea quod in sess. 14. cap. 12. de Ref. statutum fuerit, in beneficiis patronatis in casu fundationis, aut dotationis institutionem Episcopo, & non alteri inferiori esse reservandam. Ego ita Concilii Tridentini mentem interpretandam censeo, ut in primis nova hæc disciplina non afficiat beneficia ante Concilium Tridentinum eadem conditione erecta, sive quod canon præteritos casus expresse non comprehendat, sive quod verba ipsa canonis in futurum collata videantur, sive denique quod in subsequentibus sessionibus Concilii adhuc species effingantur, quibus Prælatus Episcopo inferior beneficia conferat, quemadmodum in capite 18. sess. 24. de Ref. ibi: *Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda*, & in cap. 9. sess. 25. de Ref. ibi: *quod si ad inferiores institutio pertineat*. Deinde quod ad beneficia pertinet post Concilium erigenda, censeo, ablatam esse eam a fundatoribus facultatem, nisi tamen Episcopus, ad quem collatio jure ordinario spectaret, id expresse indulgeret; non enim est verosimile, Tridentinos Antistites auctoritati

Episcoporum detrahere voluisse eo ipso, quo de eadem tuenda, ac restauranda tractabant. Neque dicas, hac ratione supervacaneum reddi Tridentinum decretum; etenim in eo adhuc illud novi constitutum adparet, quod ante Concilium fundatores possent adigere Episcopos ad confirmandam reservationem collationis, gratia alterius Prælati, veluti ad confirmandam conditionem, quæ utpote non turpis, non inhonesta, adjici a fundatoribus sine injuria poterat; post Concilium verum libera Episcoporum jurisdictio emergat ita, ut Episcoporum voluntati tribuatur; an ea reservatio adjiciatur, an vero sit ab eadem reservatione abstinendum.

Forte quemquam adhuc morabitur cap. 13. ejusdem Tridentinæ sessionis 14., quo statutum est, non licere patronis Clericos præsentare cujuscumque privilegii prætextu, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio beneficii, cessante privilegio, pertineret. Hoc decretum cum præsentationem afficiat, non solum spectat juspatronatus post Concilium adquirenda, sed etiam respicit antea quæsita. Sed sanius intelligendum est, quam aliqui arbitrati fuerint, ne forte Tridentinas sanctiones invicem sibi contrarias esse dicamus, quemadmodum liquet ex collatione hujus capitis cum memoratis capitibus, id est, capite 24. sess. 18., & cap. 9. sess. 25.. Jure propterea dixero ibidem potius præstitui modum, qui in collatione servetur, quam legitimas conferendi facultates ab inferioribus Prælatis auferri. Nimirum voluerunt Tridentini Patres, neminem, cujuscumque privilegii prætextu in patronatu beneficio institui ab inferiore Prælato instituendi facultatem habente, nisi primum idem Clericus fuerit Episcopo præsentatus, & ab Episcopo examinatus, idoneusque repertus juxta eam formam, quæ de simplicibus beneficiis expressa fuerat in sess. 7. de Ref. cap. 13., & de beneficiis curatis statuta inde fuit in sess. 24. cap. 18. de Ref., quemadmodum etiam clarius definitum adparet in dicto cap. 9. sess. 25. ibi: *Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen juxta alias statuta ab hac sancta Synodo examinentur, alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit, & inanis.* Hujus Tridentinæ sanctionis duplicem causam agnosco. Prima est, ne in diœceses Episcoporum inducantur ab inferioribus collatoribus minus apti Clerici, & Ecclesiarum administri, qui sane licet ab Episcopo non proponantur instituti, nihilominus Episcopo subesse, & rationem officii reddere debent. Secunda est, ne ignorantibus Episcopis Prælati inferiores prætextu privilegiorum in fundatione expressorum aliquando jurisdictionem sibi vindicent Episcopalem, immo etiam libera ipsa beneficia patronatui subjiciant, non investigantes tempore collationis, utrum præsentantium tituli justi sint, necne. Quamobrem illud semper in simili specie animadvertendum erit, ut quoties lis de existentia jurispatronatus emergat, etiam si institutio ad inferiorem Prælatum pertineat, illa tamen controversia non coram inferiore Prælato, sed apud Episcopum, & ab Episcopo sit dirimenda. Posteriorem hanc causam ego præcipuam puto, ac propterea arbitror, Tridentinum decretum de subjiciendo examini eo, qui ab inferiore Prælato sit instituendus, tantum locum habere in beneficiis patronatis, vel electivis, non autem in illis, quæ ad liberam Prælati inferioris collationem spectent; neque enim generalia sunt memorata Concilii Tridentini capita, in quibus omnibus vel patronalium, vel electivorum tantummodo beneficiorum expressa mentio habetur.

Consuetudine quoque, ac præscriptione adquiri posse inferiori Prælato collationem beneficiorum, perspicuum fit ex eo, quod nulla esse potest Episcopalis jurisdictionis species, quæ, sicut præscriptione, ac consuetudine admitti ab Episcopo potest, ita nequeat alteri adquiri. Immo in hac specie collationis be-

neficiorum apertissima sunt scripti juris monumenta in cap. 15. de offic. & pot. jud. deleg., can. 2. de arbitris, cap. 6. de institution., cap. 32. de elect., & cap. 15. de præscription.. Sunt, non ignoro, qui ab hac regula exempta voluerunt beneficia curam animarum adnexam habentia, ad hanc exceptionem proponendam adducti ex cap. 4. de offic. Archidiac., ubi Alexander III. Eliensi Archidiacono præcepit, ne obtentu alicujus consuetudinis sine licentia, & mandato Episcopi cuipiam animarum curam committeret. Verum non eo pertinet Alexandri sententia, qui non omnem consuetudinem in adquirendo eo jure improbavit, sed tantum eam, quam Eliensis Archidiaconus allegabat. Vices Episcopi sui gerens Archidiaconus Eliensis (quod erat Archidiaconorum omnium munus, cap. 1. de offic. Archid.) nomine, & mandato ejusdem Episcopi sæpius beneficia curata contulerat; deinde vi hujus consuetudinis, quasi eam facultatem præscripsisset, etiam sine mandato Episcopi, immo & Episcopo repugnante conferendi potestatem sibi adserebat. Quis Archidiacono illi non obstitisset, cui nullum jus adferre poterat quasi possessio conferendi, quam non suo, sed sui Episcopi nomine habebat? Sane ubi præscriptionem, ac consuetudinem admittimus adquirendæ collationis gratia, eam intelligendam credimus, qua quis proprio nomine, & animo sibi aliud jus adquirendi, beneficia contulerit, non eam, qua quis alienam jurisdictionem quasi procurator, vel mandatarius explicaverit, ita postulantibus regulis præscriptionis, quæ nullum jus transferunt in eum, qui alieno nomine possidet. Forte etiam evenire potuit, ut ea consuetudo, quam Eliensis Archidiaconus allegabat, non esset consuetudo ejusdem Archidiaconi propria, & singularis, sed potius aliorum Archidiaconorum, qui in finitimis diœcesibus, vel provinciis constituti erant, quorum exemplo simile jus & ipse exercere vellet, quando tamen singularis unius, vel alterius consuetudo, utpote quæ non facile extenditur, eidem alleganti tanquam sufficiens titulus esse non poterat ad excludendum Episcopum, cujus potestas juri communi innitebatur.

Hæc cum ita sint, nulla amplius superesse dubitatio poterit, quin etiam privilegio collatio beneficiorum inferiori Prælato adquiratur: Regula enim est ab omnibus comprobata, ea, quæ consuetudine, vel præscriptione obtinentur, obtineri etiam privilegio posse. Forte deliberandum putabis, cujusnam auctoritas in hoc concedendo privilegio sit necessaria? Sane si agatur de privilegio, quod Ordinarius, donec ipse vixerit, alicui fecerit, non licebit eidem Ordinario adversus factum suum venire, & jus conferendi beneficium, quod favore alterius abdicavit, vindicare. Sed ubi privilegium ultra terminum vitæ Ordinarii extendatur, unde successoris lædi jurisdictio possit, altius repetenda res est, & ex generalibus principiis quæstio dirimenda. Nimirum investigandum est, num Ordinarii, sive Episcopi sint, sive alii quicumque Prælati, possint aut generaliter, aut certis saltem in casibus in detrimentum successoris res, aut bona ecclesiastica, vel etiam jura suæ dignitatis, aut officii alienare. Sed commodius hæc disputabuntur inferius, præcipue ad interpretationem extravagantis unicæ de rebus eccles. non alien., & ex his, quæ suo loco tradentur, propositam etiam controversiam facile quisque discutiet, aut a me discussam intelliget.

CAPUT IV.

De iis, qui beneficia conferunt jure devolutionis.

INterest bene constitutæ, formatæque reipublicæ, ut, quemadmodum cum quis sua jurisdictione abutitur, ita & cum quis in re necessaria jurisdictione non utitur, ad superiorem confugiatur, qui aut excessum coerceat, aut defectum suppleat inferioris. Id sane recipiendum est in collationibus beneficiorum; cum enim Ecclesiæ, publicæque utilitati maxime expediat, ne diutius beneficia vacent, non conferente ordinario collatore, alter Prælatus designandus erat, ad quem beneficii collatio devolveretur. Qua in re certa definita sunt tempora, quibus collator ordinarius conferre beneficium teneatur, & quo elapso superioris officium excitetur. Sex a Concilio Lateranensi sub Alexandro III. celebrato præstituti sunt menses, cap. 2. de concess. præb., quod quidem tempus non continuum est, sed utile, ac propterea incipit a die dumtaxat notitiæ vacationis beneficii, non vero ab ipsamet vacatione, cap. 3. de suppl. neglig. Prælat., & cap. 5. de concess. præb.: præsumitur tamen notitia vacationis ad collatorem pervenisse, statim ac vacatio ipsa in loco, ubi collator residet, erit publice nota, Clement. un. de concess. præb.. Hinc etiam sequitur, intra semestre tempus non computari, quo collator impeditus fuerit, sive impedimentum fuerit juris, puta quia collator esset suspensus (intellige de suspensione, cui collator nullam dederit causam; nam si causam dederit, is beneficium rite conferret, quin opus sit devolutione a negligentia Prælati suspensi, qui dignitatis jura ministrat, & exercet) sive impedimentum fuerit facti, puta, quia collator ageret in remotis, cap. 5. de concess. præb.. Semel vero elapso tempore collator prorsus excidit abs jure conferendi, quin opus sit aut citatione, aut mentione; siquidem unumquemque de officio suo satis admonet jus scriptum; nec moram poterit negligens purgare, propterea quod ubi executio ab ipso jure indicitur, nullo modo admittitur moræ purgatio, argumento cap. 3. de supplem. neglig. Prælat., & ibi Glossa verbo *Imponatis*, Osascus decis. 71. num. 63., Sola de forma, & solemnitate servanda pro confirmatione contractuum Glossa 1. num. 26.. Qui in hanc rem plura adnotare velit, observare poterit, facilius admitti purgationem moræ, ubi tempus ab homine concedatur, l. 26. cod. de fidejussor., difficilius autem ubi designetur abs jure, l. 13. §. 4. & sequenti de excusation. tutor., in proposito autem tempus abs jure nimirum a Concilio Lateranensi præstitutum fuisse. Iridem observare poterit, facilius purgationem moræ admitti, ubi actoris vel nihil, vel parum interest, l. 8. ff. Si quis caution., l. 135. §. 2. ff. de verb. oblig., atque in proposito plurimum Ecclesiæ interesse, ne diutius beneficia vacent. Denique observare poterit, purgationem moræ facilius admitti, ubi tempus designatum est specialiter, ut intra illud quis agere valeat, quam ubi tempus designatum est adeo, ut eo elapso de negligentia redarguatur, ac punitur, uti in proposito contingit.

Ita imminent in Ecclesia majores minoribus dignitatibus, & officiis, ut cum Prælati inferiores neglexerint intra statuta tempora conferre, tum superiorum munus esse debeat, ut ipsi negligentiam suppleant, neque enim aliter potest recte gerendorum ordo servari. Hinc, quemadmodum in beneficiis patronatis, aut electivis, patronis neminem præsentantibus, vel iis, ad quos spectat, neminem

eligentibus, libera fit Ordinarii collatio, ita ordinario ipso collatore intra præstitutum tempus non conferente, proximus superior conferet, nimirum Episcopus, ubi ad inferiorem Prælatum, Archiepiscopus, ubi ad Episcopum collatio pertineat, cap. 3. de jurepatron., cap. 3. de suppl. neglig. Prælat.. Perspicua res esset, nisi paulisper turbaretur in conspectu decreti Concilii Lateranensis in cap. 2. de concess. præb., ubi æque adeo libratur & Capituli Cathedralis Ecclesiæ, & Episcopi jurisdictio, ut, quemadmodum negligente Capitulo, ubi ad Capitulum spectat, collatio ad Episcopum devolvitur, ita negligente Episcopo, ubi ad Episcopum spectat, collatio ad Capitulum devolvatur. Varia ad hanc speciem varii Interpretes comminiscuntur; quæ, ut candide fatear, mihi satis placere non possunt. Qui collationem beneficiorum ordinariam Capitulo æque, ac Episcopo tribuerunt facilius hanc difficultatem explanare se putant; statim ac enim in beneficiis conferendis æqualem agnoscunt in Capitulo, ac in Episcopo potestatem jure communi, æquissimum arbitrantur decretum, quo & Episcopus Capituli, & Capitulum Episcopi negligentiam suppleat. At enim hujus opinionis fundamentum quam inane sit, superius demonstratum est. Deinde adhuc vix percipi potest, quomodo coæqualis defectum alter coæqualis supplere debeat, ne alias dicatur, coæqualem in parem suum exercere jurisdictionem. Expeditius sese ab omni difficultate extricarunt, qui dixerunt, laudatum Lateranense decretum in ea parte non fuisse usu receptum. Observatio ista est facti; alias autem non omnem difficultatem diluit; quamquam enim usus sententiam Patrum Lateranensium non probaverit, inquirendum tamen est in causam, quare Lateranenses Patres ita constituerint; & Lateranensium Patrum decretum in Concilio generali editum ita expendendum est, ut cum generalibus disciplinæ principiis congruat, non ita, ut eadem principia evertisse videatur, eamque ob rem usu recipi non potuerit. Ad propius attingendam Patrum Lateranensium mentem, ego puto, ponendum in primis, non undecumque integra ad nos pervenisse acta illius Concilii, non decreta cum suis causis, adjunctisque universis, sed tantum fragmenta decretorum, qualia in collectione Gregorii IX. descripta sunt; eamque ob rem non perspicue in ipsis exhiberi, quæcumque occasionem, & causam edendo canoni dederint, sed esse hæc ex adjunctis temporum, immo & ex probabilibus conjecturis eruenda. Ponendum insuper est, Celebrationem Concilii Lateranensis incidisse in ea tempora, quibus, separata collatione ordinum a collatione beneficiorum, Capitula Cathedralium Ecclesiarum cum Episcopis suis contendere cœperant de potestate conferendi canonicatus, ac præbendas, & quamquam juxta vetera jura collatio ad Episcopum pertineret, ob emergentia tamen adjuncta lis passim fuit transactione composita, admissa in pluribus locis simultanea collatione, quæ modo per actum Episcopi æque, ac Capituli explicabatur, modo pro diviso exercebatur, id est, per alternas vices, sive, ut vocant, per turnum facta collatione. His positis, ajo, Concilium Lateranense in eo decreto minime fuisse sollicitum de dirimenda ea quæstione, utrum si ad solum Capitulum, excluso prorsus Episcopo, collatio spectaret, devolutio fieret ad Episcopum post admissam a Capitulo negligentiam. Non indigebat hæc quæstio singulari decreto, ac providentia, utpote quæ sine ullo discrimine dissoluta a quocumque fuisset. Quid enim clarius, quam negligentiam inferioris, nimirum Capituli, a superiore, nimirum ab Episcopo, esse supplendam? Præterea ajo, neque sollicitum fuisse Lateranense Concilium de dirimenda altera quæstione, ad quemnam devolutio fieret, quo casu ad Episcopum juxta jus commune collatio pertineret, & Episcopus negligens

esset in conferendo. Neque indigebat hæc quæstio singulari definitione, quando ex generali disciplina canonum, ac perpetua, devolutio facienda erat ad Metropolitanum, quando Metropolitanorum dignitates ea de causa institutæ erant; ut Prælatus existeret superior, qui inferiotis negligentiam emendaret. Igitur fingenda est singularis species eousque necdum sacris canonibus definita, quæ discuteretur, ac definiretur in Concilio Lateranensi. Hujusmodi species alia esse non poterat, quam ea, qua ex singularibus statutis quarumdam Cathedralium Ecclesiarum, collatio præbendarum simultanea erat apud Episcopum, & Capitulum, distributa tamen per vices alternas collatione. Ad hanc si contrahatur Lateranense decretum, statim adparet, & dignam fuisse causam, cur Lateranenses Patres singulari providentia intercederent, utpote in ea re, quæ necdum olim discussa erat, ac definita; & Lateranenses Antistites nihil statuisse, quod generali canonum disciplinæ adversaretur; & denique decretum illud, uti observari deinde debuit, ita etiam hodie observandum. Ubi ita fingatur conceptus canon, fingitur, conferendi facultatem æque esse penes Capitulum, ac penes Episcopum, & quamquam per vices alternas ab alterutro ea facultas ex pacto exerceatur, fingitur, Capitulum, quum confert, etiam Episcopi nomine ex mandato conferre, quemadmodum conferre Episcopum nomine Capituli, cum ipse conferat. Negligente collatore turnario, adhuc turnarii alterius jura explicari possunt, non quidem veluti facta devolutione, qua negligentia unius ab altero suppleatur, sed ne unius jura ex negligentia alterius imminuantur. Agitur de procuratore non omnino voluntarie constituto, sive electo pro arbitrio mandantis. Etenim quamquam non nisi voluntate & Episcopi, & Capituli divisa per vices alternas collatio fuerit, ut tamen semel vices suas Capitulo Episcopus, semel vices suas Episcopo Capitulum mandaret, id necessitas servandi juris utrique competentis postulabat. Quid ergo mirum, si ex Lateranensi decreto ex negligentia turnarii collatoris nihil diminuebatur alteri concollatori, sed eo casu concollator ad collationem deveniret? Ut id clarius liqueat, fingamus nos adhuc in Lateranensi Concilio constitutos, quo tempore semestre tempus collatoribus definiendum erat, quod minime excederetur. Pridem ubi collator negligeret, erat tempus conferendi a Superiore definiendum prævia admonitione. Ubi autem ad Capitulum æque, ac ad Episcopum collatio perrineret, Metropolitanus debebat & Capitulum, & Episcopum de facienda collatione admonere, ut si intra certum tempus Metropolitani arbitrio determinandum non conferrent, beneficio vacanti ex Metropolitani providentia consuleretur. Et quamquam per alternas vices Capitulum, & Episcopus collationem tribuissent, nihilominus tamen & Capitulum, & Episcopus erant a Metropolitano admonendi; siquidem tributio illa privati juris erat, utpote ex singulari inter Episcopum, & Capitulum conventione profecta, cujus nulla ratio habenda erat apud Metropolitanum, qui generali jure fretus ad admonitionem deveniebat. Mutanda fuit in Lateranensi Concilio disciplina, & pro eo tempore, quod pridem a Metropolitani arbitrio pendebat, definiendum erat semestre tempus, juris generalis sactione; intra quod tempus nulla de negligentia collator ordinarius incusaretur, post quod tempus de negligentia puniretur. Quid interea turnarius non erat, ubi per turnum distributa collatio fuisset, opponebat intra semestre tempus, non posse de negligentia redargui; proptereaque petebat, sui gratia aliquid generali lege remitti. En causam, cur Patres Lateranenses exceptionem adjecerunt gratia concollatoris alterius, ut iste post negligentiam turnarii adhuc ad conferendum admitteretur, & quidem extra causam devolutionis. At

dices: Agitur de generali decreto, & quidem edito in generali Concilo, quod præterea congruit interpretari non de singulari quadam specie tributæ per turnum collationis inter plures concollatores, ubi canonis verba de hac singulari specie expresse concepta non sunt, sed potius interpretari congruit juxta generalem collationum disciplinam. At ego repono, quousque Interpretes debuisse semper decretum illud Lateranense contrahere ad certas species. Nimirum nemo unquam dixit, negligente Episcopo conferre beneficia, quæ sunt extra Cathedralem Ecclesiam erecta, collationem devolvi ad Capitulum, & quicumque fuerunt decretum illud interpretati de devolutione collationis ad Capitulum ex negligentia Episcopi, devolutionem coercuerunt intra limites canonicatuum, & præbendarum Ecclesiæ Cathedralis; quamquam generaliter de quibuslibet officiis in aliqua Ecclesia vacantibus conceptum decretum sit. Ergo novum non est, nec intentatum, coercere ad species singulares verba illius decreti, quod sane ex eo proficiscitur, quemadmodum initio prænotabam, quod acta Lateranensis Concilii ad nos integra non pervenerint. Deinde satis mihi est ad meam interpretationem sustinendam, dicere, ita intelligi posse Lateranense decretum, ut hac ratione intelligatur, quando si hac ratione non intelligeretur, decretum ipsum generali disciplinæ canonum minime conveniret. Illud præterea adjicio, subsequentes Pontifices Maximos decretum Lateranensis Concilii in ea parte, qua de supplenda negligentia Capituli, & Episcopi agitur, intellexisse de specie simultaneæ collationis Episcopo æque, ac Capitulo competentis. Ita intellexit Innocentius III. in cap. 15. de concess. præb.. Ita intellexit Bonifacius VIII. in cap. 11. de appellat., in 6. cui jungi etiam potest Clementina 5. de præbendis. Quod si eum his omnibus conferatur capitulum 5. de concess. præb., ubi definitum adparet, tempore suspensionis Episcopi, cui suspensioni Episcopus causam dedisset, non ad Capitulum collationem beneficiorum devolvi, sed ad illum, qui propter Episcopi negligentiam beneficia conferre potuisset; quid clarius erit, ad demonstrandum, Capitulum ab eo distingui, qui jure devolutionis facultatem conferendi nanciscitur tum, cum libera spectat ad Episcopum collatio, quemadmodum spectabat in proposita specie ad Episcopum Eboracensem, juxta priora ejusdem capituli verba?

Ex his statim dirimes disputationem illam, num ubi plures sunt concollatores, vel compatroni, quorum aliqui tantum negligentes sunt in conferendo, vel præsentando, fiat devolutioni locus? Sane si collatio, vel præsentatio simul facienda est, non utentibus aliquibus facultate sua, accrescet ipsa, & solida fiet penes utentem, quemadmodum negligentibus omnibus facultas conferendi ad superiorem devolvitur. At si collatio, vel præsentatio fiat alternis vicibus, sive per turnum, probare non possum opinionem quorumdam Pragmaticorum, qui asserunt, turnario negligente, devolutionem fieri ad superiorem, quasi qui turnarii non sunt, pro ea vice jure omni destituantur, & divisio juris nequeat juri devolutionis moram adferre. Verosimilius arbitror, jus adhuc penes non turnarios remanere, ut ipsi agnita consortis negligentia adhuc ad jus suum exercendum admittantur; siquidem etsi per turnum collatio fieri debeat, omnium tamen consortium nomine fieri semper a turnario intelligitur, nec negligentia unius aliis facile poterit imputari. Quam tamen opinionem ita recipiendam velim, ut locum habeat in ea tantum specie, qua qui turnarii non sunt, quædam diligentiæ suæ specimina exhibuerunt, ex. gr., prope finem legitimi temporis turnarium monuerunt, ut vacanti Ecclesiæ, beneficiove consuleret, non vero in ea specie, qua qui turnarii non sunt, una cum turnario omnino desides extitissent.

Dixi, ad proximum superiorem beneficii collationem devolvi. Hinc deduces, in beneficiis, quæ spectant ad collationem Pontificis Maximi, nullum esse devolutioni locum. Quidquam singulare agnoscitur in beneficiis vacantibus in Curia, hac propterea de causa Pontifici Maximo reservatis; nam quemadmodum in hac specie mensis tantummodo, & quidem continuus, ad conferendum præstitutus fuit, ita elapso mense beneficia illa adhuc vacantia libere Ordinarius confert, non quidem jure devolutionis, sed quasi reservatione cessante, cap. 3. de præbend. in 6.. Præterea deduces, nomine proximi superioris intelligi eum, qui superior est ratione diœcesis, in qua beneficium situm est, non qui superior est ratione habita illius, qui beneficium conferre debuit. Duæ sunt devolutionis causæ. Prior est, quia consulere oportet Ecclesiæ vacanti, qua inspecta, ad eum collatio spectare debet, in cujus diœcesi sita est Ecclesia. Posterior est, quia supplenda est negligentia collatoris ordinarii; atque hac inspecta causa, jurisdictio competere videretur superiori ordinarii collatoris. Prior causa in conspectu posterioris veluti potior habita fuit, exemplo solemnitatis, quæ intervenire debet in alienatione prædii vel pupilli, vel minoris implendæ apud Magistratum, in cujus provincia prædium est, l. 16. cod. de prædiis, & aliis reb. minor.. Revera ita statuisse videntur Pontifices Maximi, sive in cap. 2. de suppl. neglig. Prælat. in iis verbis; *In tuo Episcopatu habentes*, sive in Clement. unica eod. tit. ibi: *Diœcesani locorum*. Quod si collator beneficii in diœcesi quidem sit, & in diœcesi beneficium possideat, sed ab Ordinarii jurisdictione proponatur exemptus, num ad Ordinarium ipsum, an ad eum, cui exemptus immediate subjectus est, devolutio fiet? Distinguere oportebit inter Prælatos regulares, & sæculares. A sæcularibus non fit ad Ordinarium devolutio, sed ad eum, cujus jurisdictioni obnoxii proponantur, argumento capituli 3. de suppl. neglig. Prælat.. Ubi vero agatur de Prælatis regularibus, a temporibus Clementis V. specialis invecta est disciplina, qua ad Episcopum devolutio fiat, tanquam hac in parte Sedis Apostolicæ delegatum, Clement. unica de suppl. negligent. Prælat., juncto cap. 32, in fine de præbend. in 6..

Facta semel ad proximum Superiorem devolutione, nullum Superiori eidem præstitutum est tempus, intra quod conferre cogatur. Attamen si forte & ipse distulerit, a Superiore suo ita monendus erit, ut si intra certum tempus pro singularibus causarum adjunctis determinandum vacanti beneficio non consulat, jure quæsito cadat, devolutione quasi per gradus de minore in majorem Prælatum traducta, donec ad Pontificem Maximum deveniatur. Quid vero, si proximus Superior, nondum elapso tempore, quod devolutioni locum facit, beneficium contulisset, num hæc collatio, quæ ab initio irrita erat, valere incipiet, postquam devolutioni factus est locus? Repugnare videntur generales juris regulæ: juxta capitulum 18. de regulis juris in 6.. Nihilominus tamen distinguendum puto inter Superiorem illum, qui alias jure ordinario conferendi gaudet, quemadmodum esset unusquisque Episcopus in sua diœcesi, si conferret beneficia jurispatronatus, non spectata præsentatione patroni, aut beneficia, quæ pertinerent ad collationem Prælati inferioris ex singulari titulo, puta consuetudinis, statuti, vel privilegii; atque inter Superiorem, cui jus ordinarium minime favet, qualis est Archiepiscopus, qui conferret beneficium spectans ad ordinariam suffraganei collationem: etenim qui Ordinarius est, generalem semper habet potestatem, quæ obtinere suum debet effectum, quocumque casu singulari alicujus titulo non excludatur. Cum ergo patronus, aut Prælatus inferior jure suo adversus Ordinarium experti non sunt, non tam videtur Ordinarius jure devoluti jurisdictionem explicare, quam vi-

deatur ordinaria jurisdictio, quæ semper fuerat, non impediri. At hæc ratio in superiore non ordinario valere non potest, cui tum primum adquiritur jurisdictio, ac potestas conferendi, cum inferior de negligentia redarguitur.

CAPUT V.

De jure Pontificis Maximi in beneficiis conferendis.

SI quid est apud recentiores studiosos Ecclesiasticæ disciplinæ cultores involutum, & circumfusum undecumque tortuosis ambagibus (sunt autem multa); inter cætera illud plane est, quod spectat collationes beneficiorum, quæ a Pontificibus Maximis jamdiu fieri consueverunt. Hinc qui gratia Curiæ Romanæ scripserunt, proposito suo velificantes uti Romanæ Ecclesiæ bonorum ecclesiasticorum late in omnibus diœcesibus consistentium addicere dominium ita & conferendorum omnium beneficiorum plenam, & liberam potestatem adserere Romano Antistiti non dubitarunt, eatenus indulgentes jurisdictioni diœcesanorum, quatenus indultum ipsis ex liberalitate Romanorum Antistitum ostendatur: illinc qui Ordinariorum causam tuendam susceperunt, præsertim ultra montes Italiæ, querelis acerrimis impleverunt paginas, utinam ab adducendo in discrimen Primatum ipsum Romanæ Sedis temperavissent. Dandum id fervori, concitationique animorum, ubi ad litigia, & contentiones perveniunt. Qui pacato animo, supositoque studio partium velit sincere loqui, & quod potissimum est, eam ferre sententiam, quæ & definitionibus Ecclesiæ, & voluntati eorumdem Pontificum consonet, tria hæc statuere poterit. Primum est, ad Pontificem Maximum uti supremum Ecclesiæ Principem pertinere, curare Ecclesiæ universæ uti universæ utilitatem. Ex hoc necessario sequitur, valere Pontificem Maximum, quædam beneficia ex prudenti, æquoque arbitrio certis Clericis concedere, utut sita in diœcesibus inferiorum Antistitum, quoties Ecclesiæ universæ utilitas, vel necessitas eosdem Clericos curando bono totius Ecclesiæ addictos certis redditibus postulet sustentari. Quid enim ex. gr., si generale Concilium convocetur, & Clerici sint aut in sacra Theologia, aut in disciplina canonum peritissimi, quorum opera lucubrationibus, consilio Synodus indigeat; iisdemque aliter occurri commode nequeat, quam certi beneficii collatione? Quid, si evangelicæ prædicationis causa Clerici quidam mittendi sint in peregrinas oras, in quibus necdum oblationibus piorum hominum valeant exhiberi? in his, & similibus casibus denegari nequit Pontifici Maximo, ut pro ea, qua urgetur generalis Ecclesiæ cura, certa beneficia conferat. Alterum est, ad Pontificem Maximum uti supremum omnium Antistitum Principem pertinere, vel cohibere excessus, vel supplere defectus Prælatorum inferiorum. Ex hoc necessario sequitur, quandoque Romanos Antistites beneficia conferre non solum posse, sed etiam debere, ut ea collatione aut defectus suppleatur, aut excessus cohibeatur eorumdem Antistitum. Id adparet in primis in devolutionibus, de quorum jure actum est in capite præcedente. Id insuper adparet in iis beneficiorum collationibus, quas Pontifices Maximi tecerunt, ubi Clerici quidam sine titulo ab Episcopis nonnullis ordinari cœperunt, adversus canonum disciplinam, quibus sane erat collatione beneficiorum

consulendum. Tertium est, ad honorem Pontificis Maximi pertinere, ut quandoque patiantur inferiores Antistites, quosdam Clericos extra ordinem ex Pontificis Maximi indulgentia certo beneficio donari. Id jam persecutus sum in tractatione de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, & officiis, cum de Pontificis Maximi potestate dissererem. Tantum heic dicam, olim licuisse Primati Carthaginensi, in tota Africa quandoque Clericum ordinare, quod sine injuria Africanorum Præsulum fiebat; olim licuisse Constantinopolitano Patriarchæ, Clericum etiam ordinare in suo Patriarchatu extra suam Diœcesim sine invidia inferiorum Antistitum. Profecto similem prærogativam potiore jure sibi vindicabat Romanus Antistes in Ecclesia tota; eo vel magis, si ageretur de Ecclesiis illis, quæ vel Romano Patriarchatui singulari jure etiam suberant, aut de Ecclesiis illis, quæ arctiore vinculo, pura Primatiali vel Metropolitano, cum eadem Romana Ecclesia jungebantur, institutæ a Sanctis Apostolis Petro & Paulo, vel a discipulis, aut successoribus istorum Apostolorum Romanæ Ecclesiæ fundatorum. Id facile deduci posset ex can. 20. caus. 9. quæst. 3., si certo adscribi valeret Stephano Papæ. Quod si ordinatio Clericorum olim non disjungebatur a collatione beneficiorum, idem jus, quod in ordinatione, præterea in collatione beneficii Romani Antistites explicabant; disjuncta autem collatione ordinum, & beneficiorum, sive in ordinibus, sive in beneficiis eamdem potestatem retinere Romani Antistites perrexerunt.

Firmissima videntur, & inconcussa tria ista principia, quibus positis, præparata res esse videtur, ut propius ad propositum accedatur. Usque ad sæculum Ecclesiæ duodecimum, qua ætate collatio beneficiorum erat ordinum collationi conjuncta, aut vix, aut admodum raro evenit, ut Pontifices Maximi in diœcesibus inferiorum Antistitum beneficia conferrent. Vix scimus, usos fuisse facultate Clericos præter numerum ordinandi, argumento dicti canonis 20. caus. 9. quæst. 3.. Ubi de ordinando Clerico in locum decedentis ageretur, aut Episcopi statim alium Clericum & in officio, & in beneficio sufficiebant, aut si quid ab Episcopis desidiæ admitteretur, id totum a Metropolitano vel in Provinciali Synodo, vel etiam extra Synodum emendabatur. At sæculo duodecimo sejuncta ordinatione Clericorum a collatione beneficiorum, passim a nonnullis Episcopis peccatum est contra canonum disciplinam, quæ neminem sine titulo ordinari mandabat; atque ob delinquentium multitudinem non facile subjacere poterant pœnæ canonum, qualis erat depositio ab ordine, & officio ita suscepto; ad quam pœnam evitandam etiam induci cœpit, ut patrimonia loco beneficiorum substituerentur. quasi patrimonium loco tituli ecclesiastici esse posset, uti inferius tradendum erit in appendice. Immo neque interea ordinati omnes patrimonium sibi constituebant: plurimi ordinabantur, spe bona concepta futurum, ut beneficium, cum vacaret, nanciscerentur. En causam, cur Clerici sine titulo ordinati, & necessariis vitæ subsidiis destituti, confugere cœperunt ad Romanum Antistitem, ut ab eo vel directo collationem beneficii impetrarent, aut saltem mandatum obtinerent ad Episcopum dirigendum, quo Episcopus ad conferendum beneficium, aut vacans, aut proxime vacaturum adigeretur, cap. 13 de ætat. & qualit. præfic., cap. 16. de præb., cap. 30. eod. tit. in 6.. Erat hæc ingenita potestas Romano Primatui, cujus auctoritate aut supplendi defectus, aut cohibendi excessus erant Antistitum inferiorum. Pontificiis quoque collationibus novam occasionem eadem tempestate præbuerunt urgentes singulares causæ, quibus excitabatur Romanorum Pontificum sollicitudo ad consulendum necessitatibus quorumdam Clericorum optime de universa Ecclesia meritorum, quibus non ali-

ter consuli poterat, quam collatione beneficiorum in diversis diœcesibus constitutorum. Quoties igitur de his, aut similibus causis mandabatur Episcopis, ut certo Clerico beneficium conferretur, appellabantur ista *mandata de providendo*, si ad certum beneficium jam vacans; aut *gratiæ exspectativæ*, si ad certum beneficium nondum vacans, vel generaliter ad quod primum in certa Ecclesia vacaret, referrentur. Quoties autem iidem Pontifices sine mandato, vel spectativa per se directo conferrent, collatio hæc vim habere dicebatur, vel jure prævention is, si Pontifex Maximus Ordinarium prævenisset, vel jure concursus, si eodem tempore & ab Ordinario, & a Pontifice Maximo diversis Clericis ejusdem beneficii collatio facta fuisset.

Jam attingere paucis cœpi speciosam Pontificiarum collationum originem, partim ex jure singulari Pontificis Maximi, sive ex honore Pontifici eidem debito, partim ex cura pastorali Pontificis Maximi, modo universæ Ecclesiæ bono consulentis, modo abusum inferiorum Antistitum corrigentis repetendam. Singulari illa honoris prærogativa, qua possent quandoque conferre beneficia, sive Clericos ordinare in diœcesibus inferiorum, non frequens usi fuerunt; frequentius allegarunt Pontifices Maximi pastoralem curam, & sollicitudinem, modo adversus Prælatos, modo erga inferiores Clericos, modo ad Ecclesiarum commodum exercendam. Fuit aliquando res hæc plena contentionum, plena etiam querelarum, adeo ut, cum ad Tridentinum Concilium deducta fuisset, duxerint Tridentini Patres, & mandata de providendo, & gratias exspectativas abolere; tum vero visæ sunt etiam exspirare jura concursuum, & prærentionum. Dabo operam, ut res hæc in claro lumine collocetur; quamquam enim hodie extraordinariæ illæ collationes cessaverint, earum tamen notitia maxime vel ad intelligendas plurimas decretales epistolas, seu Pontificia rescripta, qualia in juris corpore continentur, vel ad percipiendam hodiernarum reservationum originem, causasque conducit. Quod dum perficio, tria potissimum consectaria deducenda velim; primum est, abusum Episcopalis jurisdictionis præcipue dedisse locum frequentibus Pontificum mandatis de conferendo, aut etiam collationibus directo factis; alterum est, abusum Clericorum, suscepta sollicitudine provida Pontificibus Maximis occasionem dedisse, ut mandata de conferendo abolerentur; postremum est, in his omnibus nihil detractum fuisse Episcopali, nihil Pontificiæ auctoritati.

Mandata de providendo quum primum invaluerunt, nihil aliud exhibebant, quam epistolas quasdam a Summo Pontifice ad Ordinarium missas, quibus Clerici commendabantur gratia certi vacantis beneficii obtinendi: atque illis si morem ideo non gererent Ordinarii, quod singulares causæ executionem vel differrent, vel omnino impedirent, allegandæ istæ erant, quas iidem Summi Pontifices recepturos se profitebantur, cap. 5. de rescript., cap. 13. in fine de ætat. & qualit. præfic., cap. 6. de præbend.. At si mandatum exequi sine causa Ordinarii detractarent, solebant a Sede Apostolica mitti ad contumaces primum monitoriæ, deinde præceptoriæ, ac demum executoriæ epistolæ, quibus extraneus mandati executor constituebatur in pœnam Ordinarii, irrita declarata quacumque alia beneficii collatione, aliquando etiam instar peremptorii Prætorum edicti, argumento leg. 68. 69. 70. & 71. ff. de judiciis, una tantum tum pro omnibus epistola executoria dirigebatur, cap. 19. 30. 37. 39. de rescript., cap. 12. 14. eod. tit. in 6., cap. 27. de præbend. cap. 4. de concess. præbend. Eadem erat ratio gratiarum exspectativarum, nisi quod gratiæ exspectativæ concedebantur, ratione habita beneficii necdum vacantis, sive certum esset, sive incertum, puta quod proxime esset, vel primo vacaturum. Præterquamquod hæ collationes

improbari summo jure non poterant ob Pontificis Maximi prærogativam, qui quandoque valebat certos Clericos in Prælatorum diœcesibus instituere, uti superius adnotabam; præterquamquod insuper ea ratione Pontifex Maximus consulebat quandoque universæ Ecclesiæ bono, dum certis Clericis provideret vel bene jamdiu meritis, vel bene merentibus de universa Ecclesia, quod non effugit Pontificis Maximi providentiam; præ cæteris tamen occasionem præbebat his extraordinariis collationibus negligentia quorumdam Antistitum, qui Clericos ordinabant, quin istos certis Ecclesiis adscriberent, & beneficio donarent, cujus rei argumentum evidens est in c. 13. de ætat. & qualit. præfic., & in cap. 16. de præbendis. Quousque in his adjunctis & Pontifices Maximi, & Episcopi, & Clerici inferiores versabantur, cum sua vindicabatur Romano Episcopo auctoritas, tum nihil detrahebatur ordinariæ potestati Episcoporum, qui potius commonebantur, ut suo muneri satisfacerent. At enim ubi magna esse cœpit mandatorum de providendo, & gratiarum exspectativarum frequentia, Clerici inferiores abuti cœperunt Pontificia providentia. Plurimi ex ipsis tutius putaverunt petere a Pontifice Maximo, quam ab Episcopo suo beneficium, atque, ut voti compotes fierent, obreptitias, aut subreptitias preces Pontifici Maximo exhibebant. Ipsa etiam multitudo, & improbitas impetrantium pluribus contentionibus occasionem præbebat. In primis contingebat, ut aliquando unum, idemque beneficium pluribus Clericis in Romana Curia concederetur, nulla facta in secunda prioris concessionis mentione, cap. 38. de rescript., cap. 12. 13. 14. eod. tit. in 6., cap. 20. de præbend., cap. 7. eod. tit. in 6., & quamquam regula esset, secundum rescriptum non vacare, utpote subreptitium, & propterea voluntate Pontificis destitutum. Immo licet Pontifices eadem providam hanc clausulam solerent in rescriptis adjicere, *nisi de mandato nostro Ecclesia foret in alterius receptione gravata*, cap 30. de rescript., tamen pluribus pari rescripto munitis singulares emergebant quotidie controversiarum causæ, vel quod qui posterius rescriptum obtinuisset, prius coram executore se præsentem constituisset, aut etiam prius possessionem beneficii occupasset, vel quod qui prius rescriptum obtinuerat, moram dolo, culpave contraxisset, cap. 11. 13. & 31. de præbend. in 6.. Contingebat etiam aliquando, ut Clerici rescripta obtinentes, improbas inirent inter se pactiones, quibus unus gratia alterius sub conditione pensionis juri suo renuntiabat, unde beneficiorum fieret turpis quæstus, & abominanda mercatura. Contingebat insuper aliquando, aliis prætermissis Ecclesiarum incommodis, ut Clericus impetraret plura rescripta, quibus plura in diversis diœcesibus beneficia obtineret, eo animo, ut quod pinguius agnovisset, illud statim ab Ordinario postularet: exhibito Pontificio mandato, quod ejus causa impetratum fuisset, cæteris interea mandatis alia beneficia spectantibus dissimulatis, quibus deinde, quotiescumque sibi libuisset, uteretur. Graviora similiter ex numero, & improbitate petentium in dies emergebant Ecclesiarum incommoda ex gratiis exspectativis. Vel enim exspectativa ad certum beneficium referebatur: atque in ea specie occasionem avidiores nonnulli Clerici capiebant beneficiarii mortem optandi; quod votum, immo & quamcumque hujus voti occasionem jamdiu avertere studuerunt canonum conditores, cap. 2. de concess. præbend., cui jungi debet lex ult. cod. de pactis. Vel in spectativa nullum certum beneficium designabatur ex. gr. quod primo esset in certa Ecclesia vacaturum: actum quis non videt, quot potuissent ab impetrantibus fraudes admitti, quotque inter plures simili rescripto præditos contentiones emergere? Perpendantur in hanc rem capitulum 10. 11. 13. 14. 29. 39. & ult. de præbend. in 6., ca-

pitulum 1. & totus titulus de concess. præbend. in 6., Clementina 5. de rescriptis, & Clement. 5. de præbendis. Tot, tantique Clericorum abusus delati fuere ad Tridentinum Concilium, cujus auctoritate decretum fuit, mandata de providendo, & gratias exspectativas nemini amplius, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis concedi, nec eatenus concessis cuiquam uti licere. Adjectum insuper fuit, nec reservationes mentales amplius valere, quarum nomine illæ intelliguntur, quibus Pontifex Maximus aliquando vel certum beneficium, vel primo in certa Ecclesia vacaturum collationi suæ semel reservabat concedendum Clerico, quem non expresse indicabat, sed tantum animi designatione, aut memoria tenebat, Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 19.. Hæc Concilii providentia uti adversus Clericorum inferiorum subterfugia tuita Episcoporum potestatem, ita nihil detraxit Pontificiæ auctoritati; cujus respectu tantum prohibuit, ne eam Clerici, ut olim solebant, mentitis precibus, aut conquisitis artificiis circumvenirent. Cæterum incolumis mansit Pontificia potestas, sive quod idemtidem valeat Romanus Antistes antiquum honorem explicare, de addicendis idemtidem quibusdam Clericis in diœcesibus Episcoporum ministraturis, sive quod certis beneficiis donare valeat Clericos ad utilitatem universæ Ecclesiæ laborantes, quibus non commodius occurri posset; sive quod in devolutionibus supplere possit Prælatorum inferiorum negligentiam, aliisque similibus de causis, quæ principiis modo positis consonant.

Abolita disciplina mandatorum de providendo, consectarium fuit, ut propemodum cessarent jura concursuum, vel prærentionum, utpote quæ non aliter explicabantur, quam mandatis de providendo. Revera si in collatione beneficii Ordinarius prævenisset Pontificem Maximum; tum mandatum de providendo irritum erat, quasi collationem contineret beneficii, quod vacans non esset, quodque proinde sine injuria possessoris conferri non poterat. At si e converso in collatione beneficii Pontifex Maximus prævenisset Ordinarium vel mandato, vel exspectativa, frustra Ordinarius devenichat ad beneficii collationem, quam Pontifex Maximus, præoccupaverat. Quod si aut uno, eodemque tempore & Pontifex Maximus, & Ordinarius beneficium contulissent, aut ignorabatur, uter alterum prævenisset, in hoc concursu potior ratio Pontificis Maximi habebatur. Huc spectat capitulum 31. de Præbend. in 6., in quo Bonifacius VIII. auctoritate sua finem imposuit controvresiæ, quæ tunc temporis concursuum causa agitabatur, de duabus collationibus eodem die factis, & a Pontifice Maximo, & ab Ordinario, quin adpareret, quæ collatio primum facta fuisset. Ait in primis Bonifacius, tuendam esse possessionem illius, qui jam in beneficio institutus fuerit, sive institutio auctoritate Pontificia, sive auctoritate Ordinarii facta fuisset. Prudentissima sane responsio, quæ ubi in dubio res versatur, favet possessori, cap. 65. de reg. jur. in 6., juncta l. 36. §. 3. ff. de testam. milit.. Subdit deinde Bonifacius, ubi neuter possideat, præferendum esse eum, qui Pontificia auctoritate beneficium nactus fuisset. Displicere nemini debet hæc definitio: Siquidem observandum est, collationes, quæ tunc temporis fiebant auctoritate Pontificia, extra ordinem fieri consuevisse, nimirum ex quibusdam singularibus emergentibus causis, quibus consulere, insuper habita ordinarii juris forma, Romanus Antistes judicabat. Regula autem est, jus ordinarium extraordinariæ cuidam providentiæ cedere. Hanc ego causam puto, quare Bonifacius ita rescripserit; & quamquam in eo rescripto ipse profiteatur ita definivisse *propter conferentis ampliorem prærogativam*, hoc tamen non erat definitionis ejusdem fundamen-

tum; neque enim novum est apud interpretes, rationes rescriptis adjectas non esse illas, quæ animum rescribentis moverint, sed alias, quæ certis de causis prudenter omissæ fuerint, unde in adagium abiit, rationes juris non facere jus. Revera non semper verum est, majorem prærogativam dignitatis attendi in concursu duarum potestatum in diversa tendentium: potius quod extra ordinem est, ordinario juri præferetur. Exemplum sit, utut longe petitum, in jure civili, & in jure prætorio: Quamquam enim præstantius sit jus civile a populo lege lata constitutum jure prætorio ab uno Magistratu edito, tamen jus prætorium juri civili præfertur, non alia de causa, nisi quod jus apud Prætorem extra ordinem reddebatur. Quamobrem ea Bonifacii VIII. definitio hodie, meo judicio, frustra accommodaretur simili casui, qui eveniret in reservationibus Pontificiis, proterea quod reservationes non amplius extra ordinem, beneficiorum collationi Pontificiæ locum faciunt, sed quodammodo in jus ordinarium, utut singulare, abiverunt.

Nondum recedo ab hac præventionum, & concursuum materia, nisi primum nonnulla tradiderim ad explicationem regulæ 30. Cancellariæ, quæ inscribitur *de verosimili notitia*, siquidem hæc regula, utut etiam hodie vigeat in causis beneficiorum Pontifici Maximo reservatorum, originem tamen habuit ex causis præventionum, & concursuum, in quibus Clerici idemtidem de prærogativa adepti beneficii contendebant. Quando frequentia erant mandata de providendo, & plures Clerici mandatum surripiebant Pontificis Maximi, causa ejusdem beneficii adsequendi, gnari ejus potiorem esse causam, qui prævenisset, inter varias, quas admittebant, fraudes, hæc erat, ut vel impetrarent beneficium per obitum viventis, vel tempora supplicis libelli repræsentarent, sive, ut alii loquuntur, *datam anteverterent*, ut facilius agnoscerentur tempore priores. Jamdiu his fraudibus obviam itum fuit. Et primo cautum, ne quis viventis beneficium adipisceretur, c. 1. de concess. præb., item ne cui promitterentur beneficia, antequam vacarent, cap. 2. eod. in 6., quod confirmatum est in regula 21. Cancellariæ *de non impetrando beneficium per obitum viventis*. Deinde contra eos, qui tempora repræsentabant, statutum est in dicta regula 30., non valere collationes Pontificias, nisi post obitum beneficiarii, & ante datam literarum Apostolicarum tantum tempus effluxerit, quantum requiritur, ut Pontifex Maximus notitiam vacationis habuisse credatur. Hæc regula, utpote maxime opportuna ad fraudes tollendas, tanquam omni favore digna ab omnibus recipitur; & quamquam ante inductas reservationes generales edita fuerit vel a Benedicto XII., vel, uti aliis placet, ab Joanne XIII., vel a Martino V., nihilominus tamen adhuc viget post editas generales reservationes; neque a prudentiæ regulis aberrant, qui putant, etiam habere locum in collationibus factis auctoritate Episcoporum, in quibus similes fraudes admitterentur, cum publice intersit, hujus generis fraudes a quocumque collationum genere eliminari. Plane hoc tempus non est in regula determinatum; neque enim determinari poterat ob varias locorum distantias; eamque ob rem Judicis arbitrio determinandum relinquitur. Observandum est in hac re, si Pontifex Maximus ab Urbe abesset, & in Urbe reliquisset signatorem, satisfactum esse regulæ, si post obitum beneficiarii tantum tempus effluxerit, quanto ad eumdem signatorem notitia devenire potuerit, quod declaratum fuisse a Clemente VIII. refert Rigantius ad eamdem Regulam num. 2..

Nunc stratam viam habemus ad expendendas generales reservationes Pontificis Maximi gratia inductas post abolita mandata de providendo, & gratias exspectativas. Quando in hac abolitione, uti superius dictum est, nihil adversus auctoritatem Pontificiam tentatum fuit; tantum

obviam itum fraudibus Clericorum Pontificem Maximum circumvenientium; congruum erat, ut Pontificia potestas alia jura retineret, qualia in canonibus, & in perenni disciplina temporum fundamentum habebant; sive ex eo, quod Pontifici Maximo concedendum erat, ut certos idemtidem Clericos in diœcesibus Ordinariorum constitueret, & Ecclesiis ministraturos, & ab Ecclesiis alimenta percepturos, argumento canonis 20. caus. 9. quæst. 3., & cap. 7. de major. & obed. sive ex eo, quod Pontifici Maximo concedendum erat, ut certorum beneficiorum collatione providere posset Clericus universæ Ecclesiæ utilitati laborantibus, sive ex eo, quod interesse poterat, Pontificem Maximum singulari beneficiorum quorumdam collatione opportunius consulere commodis inferiorum Ecclesiarum, aut supplendo Episcoporum negligentiam, aut cohibendo Episcoporum excessus, in quo Primatus Pontificii sollicitudo consistit. Hic tamen est, ubi certi fines statui non potuerunt, quando extraordinaria illa Pontificis Maximi potestas ex prudenti arbitrio, cui potissimum locum facere poterant varia causarum, locorum, temporum, & personarum adjuncta, pendebat. Non defuerunt Episcopi quidam, qui de diminuta in beneficiis conferendis potestate sua conquererentur, universa suæ diœcesis beneficia collationi suæ perpetuo vindicantes. E converso quidam Romani Pontifices veterem potestatem ordinandorum idemtidem Clericorum in diœcesibus inferiorum Antistitum sibi adseruerunt, eademque ratione potestatem beneficiorum conferendorum. Utraque pars non destituitur causæ suæ tuendæ præsidiis, dum modo modus servetur, id est, dummodo Episcopi agnoscant, se Pontifici Maximo & subesse, & certum honorem etiam in hac parte debere; & dummodo Pontifices Maximi pergant profiteri, quod sæpe professi sunt, nimirum nolle se inferiorum Episcoporum ipsa turbare, & pro lubitu trahere ad se, quod cana antiquitas Ordinariis universis concessit, can. 1. & sequentibus caus. 25. quæst. 1. can. 1. & sequentibus caus. 25. quæst. 2. quod & agnoscere visi sunt Patres Tridentini Concilii, quando statuerunt, causas beneficiales in prima instantia esse ab Ordinariis dirimendas, nisi gravibus, urgentibusque de causis Pontifex Maximus aliquam ad se advocare prudenti arbitrio judicaverit, cap. 20. sess. 24. de Ref. Quid tamen? Ad ea tempora deventum erat, quibus disputationes, & concertationes acres emerserunt occasione collationum. His occasionem dederat, ut dictum est, Episcoporum desidia, & Clericorum plurium Apostolicam Sedem circumvenientium insolentia. Non ad juris principia semper respiciebatur in hoc controversiarum genere dirimendo, ea præsertim tempestate, qua non bene exculta erat sacrorum canonum disciplina. In his rerum adjunctis utraque pars ad extrema vergebat, uti contingere solet inter medios æstus litigantium, ac disputantium; unde gliscere cœperunt opiniones veteribus Patribus prorsus incogni-, modo illorum, qui Pontificiæ auctoritati plus æquo velificantes ordinariam Pontifici Maximo collationem beneficiorum in tota latissime petente Ecclesia asseruerunt, tantum Episcopis concedentes, quantum ex delegatione, vel indulgentia Pontificis Maximi concessum eisdem adpareret; modo illorum, qui Episcopalem potestatem plus æquo provexerunt, quasi nihil honoris, aut potestatis in Episcoporum diœcesibus Romano Antistiti relinquatur. Inter has disputationes non verbis modo, sed & factis pugnatum est: conferebant Pontifices Maximi beneficia, conferebant Episcopi: unusquisque suam collationem pro viribus tuebatur. Ex factis, ne confusio in Ecclesia fieret, oriri certe debuerunt transactiones, pacta, concordata. Arbitraria illa mandata de providendo, arbitrariæ gratiæ exspectativæ post Tridentinum Concilium cessaverunt. Successerunt regulæ quædam, ex quibus certa beneficia conferenda reser-

varentur Pontifici Maximo, cætera collationi Ordinariorum relinquerentur. Hinc receptæ hodiernæ reservationes, alicubi non omnes, alicubi pleræque, alicubi paucæ, alicubi universæ, pro modo temporum, locorum, & similium adjunctorum; atque hac ratione consultum est Pontificiæ æque, ac Episcopali auctoritati. Itaque nemo non videt, quam sobrie, quam prudenter sit de hac reservationum materie judicandum, quod sane perficietur ab iis, qui superius posita principia recte tenuerint, quibus Pontificia potestas asseritur, explicatur.

Cæterum dici initio potest, reservationes omnes, quæcumque illæ sint, ab Interpretibus numero plurimis; inter quos est Garzias de beneficiis parte 5. cap. 1. numero 67., odiosas appellari, seu, quod idem est, strictam pati interpretationem, eam scilicet, qua quanto minus fieri possit Ordinariorum potestati detrahatur; adeo ut in dubio semper respondendum sit pro ordinaria potestate. Et re quidem vera, quid aliud est reservatio, quam recessus abs jure communi, & generali, cujus admissio nec faciliis est, nec extendenda? Quid aliud reservatio, quam exceptio singularis ad regulas, quæ sane exceptio, quoad fieri potest, certis debet limitibus circumscribi, ne latius pateat? Quod si reservatio beneficiorum cum cæteris reservationibus æquiparetur, uti comparari & potest, & debet, statim liquet, nunquam pro reservatione respondendum esse, nisi de ea expresse constet. Ipsi etiam Pontifices Maximi ita se sentire professi sunt, seu cum dixerunt, *cupere* se eas reservationes *restringere*, cap. 3. de offic. leg. in 6., seu cum reservationem beneficiorum in Curia vacantium locum tantum habere voluerunt intra mensem, & quidem continuum, non utilem, utut potestas Ordinariorum in conferendis beneficiis explicari intra sex menses & quidem utiles possit, cap. 3. de præb. in 6.. Neque in contrarium dicas, reservationes successisse in locum veterum mandatorum de providendo, quorum vis amplissime explicabatur, adeo ut Bonifacius VIII. voluerit, collationem beneficii a se factam præferri collationi factæ ab Ordinario, ubi collatio eodem die facta fuisset, & neuter ex iis, quibus collatum beneficium esset, possessionem haberet, cap. 31. de præb. in 6.. Ego sane non inficior, reservationes successisse in locum mandatorum. Sed an eadem sit veterum mandatorum, & recentiorum reservationum indoles, & natura, plurimum dubitaverim; neque enim semper verum est, subrogatum induere naturam ejus juris, in cujus locum subrogatur. Observo, mandata de providendo causam habuisse in extraordinariis adjunctis personarum, temporum, & locorum, quibus consulere maxime intererat. Tum mandatum de providendo prodibat auctoritate Pontificia, cum Clericus sine titulo erat ordinatus contra canonum disciplinam generalem. Cur non in hac specie extendenda fuisset interpretatio mandati, quo disciplina generalis juris vindicabatur? Tum mandatum de providendo prodibat, cum pauper quidam Clericus necessariis esset subsidiis adjuvandus. Cur non in hac specie favendum Clerico, ne in injuriam totius clericalis ordinis mendicaret? Tum prodibat mandatum de providendo, cum certus Clericus pro Ecclesiæ universæ utilitate laborabat. Cur non etiam in hac specie favendum Clerico ob eam causam omni favore dignissimam? Quousque collationes Pontificiæ singularibus hisce mandatis fiebant extra ordinem, adjuvari potuerunt interpretatione. At succedente ætate cum mandata frequentiora esse cœperunt, cum mandatis eisdem abusi fuere Clerici numero plurimi, uti superius dictum est, mandata ipsa digna esse desierunt tanto favore, immo & abrogata fuerunt Tridentino decreto. Quod si mandatis successere reservationes generales, istæ non iisdem causis innixæ sunt, neque enim specialibus, & extraordinariis causis consulunt; tantum coercent potestatem Ordinariorum, atque istam favore dignam; tantum servant incolumem

pontificis Maximi auctoritatem in collationibus beneficiorum, quæ auctoritas etiam incolumis manet, etiam si reservationes non admittant latam interpretationem. Igitur reservationes non adeo facile extenduntur, sed suis debent, uti in cæteris, ita in hac re, limitibus circumscribi.

Variæ designari solent a Pragmaticis reservationum partitiones. In primis ajunt, alias unius Pontificis Maximi gratia fieri; alias fieri gratia Cardinalium, quando scilicet Pontificia auctoritate indulgetur Cardinalibus, ut beneficia Ecclesiarum Cathedralium, quibus renuntiaverint, adhuc conferre pergant, non obstante renuntiatione; alias fieri gratia Legatorum, seu Nuntiorum Apostolicæ Sedis, quibus idemtidem conceditur, ut certa conferant beneficia, quæ vacent intra fines legationis. Secundo ajunt, alias esse reservationes mentales, alias reales. Mentales vocant eas, quibus Pontifex Maximus conferat certum beneficium personæ non expresse designatæ, sed quam idem Pontifex mente retineat. Cæteras reservationes appellant reales. Hodie hæc partitio minus opportuna est, cum reservationes mentales sublatæ sint, Tridentino decreto in cap. 19. sess. 24. de Ref.. Utilior est alia reservationum partitio in eas, quæ clausæ dicuntur in corpore juris, & in eas, quæ extra corpus juris constitutæ sunt. Sed hic quæstio esse solet, quando in decretalibus Gregorii IX., quæ certe corpus juris communis constituunt, nulla adparet reservatio. Equidem nonnullæ reservationes extant in extravagantibus sive Joannis XXII., sive communibus. At extravagantes ex sententia vulgari Interpretum fere omnium corpus juris minime constituunt. Itaque tota res refertur ad sextum Decretalium, de quo non omnes Catholici orbis provinciæ consentiunt in ea quæstione, an is liber Bonifacii VIII. ad corpus juris pertineat. Quidquid sit de hac re, passim Pragmatici tradunt, reservationem clausam in corpore juris unicam esse, nimirum reservationem beneficiorum vacantium in Curia Romana per obitum beneficiarii, propterea quod hæc reservatio firmata fuerit in cap. 2. & 34. de præbend. in 6.. Cæteras reservationes ajunt extra corpus juris consistere, videlicet inductas aut per extravagantes constitutiones, aut per Regulas Cancellariæ. Inter extravagantes constitutiones Joannis XXII. recenseri potest extravagans unica de præbendis, quemadmodum inter communes extravagans 13. eod. tit., & extravagans unica de tregua, & pace. Regulæ Cancellariæ non sunt antiquiores Joanne XXII., qui vixit ab anno 1316. usque ad annum 1334., Avenione ut plurimum residens. Quamquam enim Romana Cancellaria longe antiquior sit, cap. 10. de rescript., cap. 6. de confirmat. ut. vel inut., cap. un. ut. Eccles. benef., cap. 4. de crimine falsi, cujus officiales etiam memorantur in cap. 14. de Cler. non resid., nihil tamen aut in Cancellaria, aut a Cancellariæ officialibus præstabatur, quod spectaret reservationes beneficiorum, neque certæ erant scripto consignatæ regulæ. Tantum tractabantur res judiciariæ, aut etiam formulæ mandatorum de providendo, & gratiarum exspectativarum, atque omnia digerebantur ex placito Pontificio oretenus habito. Primus regulas scribi mandavit Joannes XXII., quas deinde certa methodo exornaverunt successores Pontifices, inter quos præcipue Nicolaus V. adeo ut inde, non quidem statim, sed pedetentim, & sensim eam formam induerint, quam exhibent in præsentia. Certum est, in iis Cancellariæ regulis plura beneficia Sedi Apostolicæ reservari; sed reservatio ipsa non primum ex regulis prodiit, sed ex constitutionibus, ad quas regulæ referebantur. Hæc ratio est, quare regulæ promulgari extra Cancellariam minime consueverint, & quare non obstante promulgationis defectu executioni fuerint demandatæ; quasi non leges essent, sed instructiones, quibus officiales Romanæ Curiæ uterentur in

exequendis Pontificiis constitutionibus. Equidem non omnibus peræque christiani orbis gentibus placere potuit hæc disciplina, unde profluxit, regulas Cancellariæ non ubique paratam executionem invenisse. In Italia, insulisque adjacentibus major habita fuit earum ratio. Extra Italiam quædam receptæ sunt, quædam non receptæ, pro modo singularem; prout nimirum aut æquissimam generalis juris interpretationem continebant, aut quidquam novi promovebant adversus jura cæterarum potestatum. Proponebatur contra illas alicubi, eas non esse in provinciis promulgatas, & licet plura continerent, quæ in constitutionibus Pontificiis sancita fuisset; proponebatur tamen, constitutiones illas aut non ubique receptas fuisse, aut, ubi etiam receptæ essent, non fuisse perpetuas. Inter has controversias omnia diremit usus, & consuetudo provinciarum: ut plurimum facto suo adquieverunt Episcopi, minime audentes conferre beneficia in illis regulis reservata, præsertim quod regulæ essent decreto irritante munitæ, certasque pœnas in refragantes inferrent. Obtinuit, ut istæ regulæ proponantur ut plurimum die crastino assumptionis novi Pontificis, a quo primum tempore obligare dicuntur, etiam si forte notitia publicationis necdum ad Episcopos beneficiorum collatores pervenerit, non quidem ita, ut Episcopi publicationem ignorantes pœnis coerceantur, sed ita, ut collatio post publicationem facta irrita sit. Solent hodie Pontifices Maximi recens electi easdem regulas edere, quas editas a decessoribus noverint, & raro admodum quidquam immutatur. Interveniunt autem ad illas edendas, ac publicandas Datarius, Subdatarius, duo antiquiores Rotæ Auditores, Regens Cancellariæ, duo Abbreviatores de majori præsidentia, totidem Advocati, & Procuratores magis edocti, & periti in Curia Romana, præter peritiores Datariæ officiales; & desinunt eædem regulæ fere omnes obligare, ubi Pontifex Maximus mortuus fuerit, iterum obligaturæ, cum a successore Pontifice publicentur. Hæc ratio est, quare Pragmatici has regulas comparare soleant veteribus Romanorum Prætorum edictis, quæ utut perpetua esse cœperint, quotannis tamen renovato Prætorum officio promulgabantur; immo & passim tradant, publicationem regularum non fieri, ut illæ innotescant, sed potius, ut adpareat, illas a Pontifice recens electo fuisse confirmatas. Quomodo producendæ sint regulæ, ut fides illis in judicia adhibeatur, constitutum fuit in Regula 28.. Hac posita reservationum partitione, voluerunt Pragmatici majorem vim adserere reservationibus clausis in corpore juris, quam adsererent reservationibus cæteris. Quid diceret in hanc rem Nicolaus I., qui adversus Gallos disputans olim ajebat, parum interesse ad vim legum, an in corpore juris continerentur, an minus, quamquam ageret de Decretalibus, quas incauta ætas perperam priscis Pontificibus adscripserat, can. 1. dist. 19.? Quando nulla alia est in corpore juris comprehensa reservatio, quam beneficiorum in Romana Curia vacantium juxta capitulum 2. & 34. de præbend. in 6., danda venia est illis, qui huic majorem vim indere sategerunt, quam cæteris, si cum id peragunt, tum sexti Decretalium auctoritatem promovent, quod interest Curiæ Romanæ. Cæterum si nulla alia œconomiæ ratio ita suaderet, non video, quid interesse possit inter capita juris in codicem Decretalium relata, & inter cætera capita, quæ usu recepta sunt, & comprobata. Dicant quidem, reservationem beneficiorum in Romana Curia vacantium majore favore dignam esse: Quid si fateamur? Id ex alia causa proficisci potest, quam ex eo, quod ea reservatio in corpore juris, ut ipsi ajunt, contineatur. Quid causæ fuerit, cur hæc reservatio inducerentur, inferius dicam; tum autem liquebit causam consistere in gravi proposita Ecclesiarum omnium utilitate. Itaque ex

sententia Pragmaticorum reservatio clausa in corpore juris unica est: Hæc ipsa singulari *innititur* ratione. Quid ergo opus erat, eam prædicare majore favore dignam ex generali principio, propterea quod in corpore juris clauderetur, quando satis erat, singularem ejus reservationis inducendæ causam significare, ut satis digna favore videretur? Cæterum audiamus Pragmaticos, cum tradunt, reservationis clausæ *in corpore juris* majorem esse habendam rationem. Ajunt ipsi in primis, si collatio beneficii ad Pontificem Maximum spectet ex multiplici reservatione, & inter istas reservationes una sit clausula in corpore juris, hanc tantum reservationem attendi, cæteras nullo modo. Ad id probandum hoc utuntur argumento: reservatio clausa in corpore juris est antiquior: cæteræ recentiores sunt: ergo cum cæteras Pontifices Maximi induxerunt, tum demum reservarunt beneficia, cum necdum reservata adparerent. Clarius id demonstratur exemplo. Reservata sunt in corpore juris, ut ajunt, beneficia vacantia in Curia. Reservari inde cœperunt beneficia, quæ ab officialibus Romanæ Curiæ possiderentur. Secunda ista reservatio videtur sub conditione facta, nimirum *si* beneficium non in Curia Romana vacaverit; quid enim opus in hoc casu secunda reservatione, quando jam beneficium erat reservatum? Agnosco vim hujus argumentationis, sed non satis video, quomodo propositum juvet. Revera si attenditur ex mente Pontificis reservantis præcipue reservatio illa, quæ tempore præcessit, non ideo attenditur, quia sit clausa in corpore juris, sed quia jampridem fuerat constituta; atque ex accidenti fit, quod, quæ reservatio tempore præcessit, *eadem corpori juris* insereretur. Quod si reservationes extra corpus juris indictæ invicem inter se comparentur, cum una sit altera tempore prior, eadem ratio etiam in istis locum habebit; scilicet ut non attendatur reservatio inducta posteriore tempore, ubi alia jam reservatio prius constituta collationem elevat Ordinarii. Non immoror diutius in hac re; siquidem ignoro, quænam esse possit *in praxi* hujus observationis utilitas. Revera ubi multiplex reservatio impedit Ordinarii collationem, parum interest Pontificis Maximi, utra reservatione utatur, quando certum est, ipsum unum conferre; parum quoque interest Ordinarii, quando certum est, ipsum conferre non posse. Ajunt secundo Pragmatici, regulas de annali, vel triennali possessore locum quidem habere in beneficiis reservatis reservationi extra corpus juris indictæ, non vero in beneficiis reservatis reservatione clausa in corpore juris. Hæc non æque facile probantur, ac scribuntur, neque enim Pragmatici quidquam in hanc rem adferunt, quod persuadere quemquam possit. Ego observo, etiam reservationem clausam in corpore juris strictam interpretationem pati, & revera fuisse coercitam ab ipsis Pontificibus Maximis in cap. 3. de præbend. in 6., e converso regulas aut de annali, ut de triennali possessore maximo favore dignas passim haberi, propterea quod & publicam utilitatem contineant, & fraudibus obviam eant, & fundamentum habeant in jure communi, quod omnes omnino reservationes antevertit. Si hæc adamussim perpendantur, quid est, quod proponi possit ad anteferendam reservationem clausam in corpore juris regulis de annali, aut de triennali possessore? Profecto regula de annali possessore, non tam possessori favet, quam punit eum, qui subreptitiis precibus beneficium a Pontifice Maximo impetraverit. Num puniendus non erit subreptitius impetrator, quando beneficium impetrat reservatum reservatione clausa *in corpore juris*? Nihil tale dicitur in regula de annali: *in jure* autem passim generaliter traditur, *neminem* prodesse posse Pontificium rescriptum, quod fuerit subreptitiis precibus impetratum. Regula de triennali possessore etiam *in jure communi* fundamentum

habet, quando triennalis præscriptio jure ipso probata est, cap. 1. de præscriptione. Deinde non video, quinam possit esse hujus observationis effectus, quando in reservatione clausa in corpore juris tantum mensis, & quidem continuus definitus est, intra quem collatio Pontificis Maximi admittatur, cap. 3. de præb. in 6., ac propterea inutiliter turbaretur, qui jam a triennio beneficium vacans possederit, ab eo qui recens beneficium obtinuerit ab Apostolica Sede, eo prætextu, quod in Curia vacaverit. Non diffiteor, in regula 36. de triennali possessore expresse definiri, nemini suffragari triennalem possessionem, qui se intruserit in beneficia reservata reservatione clausa in corpore juris. Sed observo in primis, similem clausulam non haberi in præcedente regula de annali, ex quo verosimilis capitur conjectura, Pontifices Maximos non idipsum recipi voluisse in annali possessione. Deinde observo in conspectu dictæ regulæ 36. duo requiri, ut quis a triennalis possessionis beneficio excludatur; primo, ut beneficium sit reservatum reservatione clausa in corpore juris; secundo, ut se facto suo intruserit. Denique observo, aliud esse, sic intrusum non posse habere jus in beneficio, aliud, adhuc habere locum reservationem clausam in corpore juris, non obstante triennali beneficii vacatione, quod sane foret contra definitionem dicti capituli 3. de præbend. in 6.. Ajunt tertio Pragmatici, quemadmodum concessio generaliter facta a Pontifice Maximo alicui Prælato conferendi quæcumque beneficia etiam reservata, non refertur ad beneficia reservata reservatione clausa in corpore juris; ita etiam generalem derogationem reservationibus factam nullo modo reservationem in corpore juris clausam afficere. Etiam hæc definitio probatione indigeret. Ego observo, id totum consistere in interpretatione voluntatis, vel Pontificis Maximi, quando alicui indulget, ut valeat beneficia reservata conferre, vel etiam alterius, quando jubet, aut paciscitur, ne reservationes Pontificiæ in collatione certorum beneficiorum locum habeant. Non dubito, quin exceptæ intelligantur reservationes clausæ in corpore juris, quando qui reservationes aut remiserunt, aut excluserunt, in ea voluntate fuisse probentur. At utrum ea voluntas fuerit, quæstio facti est, quæ facile non præsumitur. Ne dicas, reservationes clausas in corpore juris validiores esse, & firmiores, ita ut, quoad fieri possit, conandum sit pro illis tuendis, ac sustinendis. Est hæc petitio principii necdum explorati. Reservatio etiam clausa in corpore juris numquam eo favore digna visa fuit, quemadmodum liquet in conspectu dicti capituli 3. de præbend. in 6.. Distinguamus speciem a specie. Proponi in primis potest species de fundatore, qui in limine fundationis beneficii ita voluerit perpetuo beneficium conferendum ab Ordinario, ut nullæ reservationes Pontificiæ locum haberent. Tunc ego puto, ita interpretandam esse fundatoris voluntatem, ut reservationem etiam in corpore juris clausam excluserit, etiam si ejus expresse, & specialiter non meminerit De potestate fundatoris non dubitatur: tota quæstio est de voluntate. Jam vero qui voluit ordinariæ potestati favere, exclusis reservationibus, voluit sane eum beneficio donari, quem Ordinarius utpote apprime conscius adjunctorum, quæ beneficium in diœcesi situm circumstant, elegerit; non præsumitur eam clausulam adjecisse odio Pontificiæ potestatis, quod sane impium esset, & christiano homine prorsus indignum, sed gratia utilitatis Ecclesiæ, & beneficii, quam proprius Episcopus curat, & non nisi eminus curare Summus Pontifex potest. At enim, qui in hac fuit voluntate, etiam reservationem in corpore juris clausam excluserit. Proponi potest altera species de reservationibus sublatis per pactiones, & concordata inita inter Apostolicam Sedem, & Ecclesias inferiores. Cur non simili ratione etiam sublata censeatur

reservatio clausa in corpore juris? Iterum quæstio est non potestatis, sed voluntatis. Voluntas acciscentium non eo tendebat, ut elevaretur Pontificia auctoritas; eo potius collimabat, ut dispositio Ecclesiarum, & beneficiorum illi concederetur, qui presens inueretur necessitates, utilitatesque Ecclesiarum, qualis est Ordinarius: at hæc voluntas quæcumque beneficia reservata quacumque reservatione complectitur. Dices, in dubio actus universos interpretationem capere ex jure communi; eamque ob rem, salvam manere reservationem clausam in corpore juris, ubi expresse sublata non fuerit. Ego repono, reservationem clausam in corpore juris non esse jus commune, quemadmodum jus commune non constituunt plurima rescripta singularia, quæ in corpore juris inserta deprehendantur. Ajo insuper, reservationem clausam in corpore juris esse jus novum, jus sane strictissime interpretandum, jus non sine contradictione plurium nationum inductum, jus sane, a quo facile fit ad pristina jura regressus. Tertia species proponi potest de Pontifice Maximo, qui gratia alicujus Prælati voluerit eidem indulgere generaliter collationem beneficiorum reservatorum. Hic sane est, ubi sola Pontificis Maximi voluntas inspicitur, & finis non alius proponitur, quam benevolentia in Prælatum indultarium exhibenda; hanc ob rem in hac specie ego facile admiserim, non esse sublatam reservationem clausam in corpore juris, nisi de ea specialis mentio facta fuerit. Præterquamquod enim id expresse cautum videtur in dicto cap. 2. de præb. in 6., ubi cuicumque denegatur facultas conferendi beneficia in Curia Romana vacantia, *nisi ei super conferendi eisdem specialis, & expressa ab ipso Pontifice Summo auctoritas, adtributa*, consonat etiam disciplinæ apud Romanos Pontifices inductæ, qui nunquam voluerunt, facultatem illam competere iis, quos indulto generali conferendi beneficia reservata decoraverint. Concludunt denique Pragmatici, & ajunt, reservationem clausam in corpore juris habere vim specialis inhibitionis. Quid vero his verbis sibi velint, non intelligo, quando reservare beneficia Pontifici Maximo, quæcumque demum sit reservatio, nihil aliud est, quam inhibere cæteris collatoribus, ne conferant. Id adeo verum est, ut Pragmatici iidem fateri hoc ipsum coacti fuerint, ajentes, illud ipsum vigere in cæteris reservationibus, uti scribit post Lotherium Rigantius in Rubricam Regulæ 1. Cancellariæ §. 1. numero 57..

Alia est reservationum partitio, juxta quam modo speciales dicuntur, modo generales. Specialis reservatio est, quæ ad certum beneficium pro certa, vel incerta persona ex singulari causa nec perpetua refertur. Hujusmodi olim erant reservationes mentales, quibus Pontifex Maximus certum beneficium vacans sibi reservat, conferendum pro una vice personæ in mentem retentæ; sed istæ sublatæ fuerunt ex Tridentino decreto, uti superius adnotabam. Hodie apud Pragmaticos quædam recensentur specialium reservationum exempla, in quibus tamen acriter disputant inter se, uti evenire solet in iis nego iis, quæ certis principiis non innituntur, sed potius usu provecta sunt, velificantibus nonnullis Scriptoribus, qui delectati videntur perturbatione rerum, & idearum. Vulgo traditur, reservationem specialem emergere ex collatione Pontificia alicujus beneficii incompatibilis facta gratia illius, qui aliud jam incompatibile beneficium possideret, quoties in concessione secundi beneficii decretum, uti solet, apponatur, ut primum beneficium eo ipso vacet, a nemine conferendum, præterquam a Pontifice Maximo. Ego sane non video singularem in hac specie reservationem, quando in decreto Pontificio ita concepto tota res exigitur ad generalem reservationem explicandam. In extravag. 4 de præb. int. comm. vers. *Quæ omnia* statutum fuit, ut quicumque duo incompatibilia beneficia possideret, ita a bene-

ficio caderet, ut beneficii collatio a Sede tantum Apostolica fieri posset. Benedictus XII. in extravag. 13. eod. tit. etiam expresse cavit, ut reservarentur Apostolicæ Sedi beneficia quæcumque, quæ vacarent ex promotione alicujus in Curia Romana ad aliud beneficium. Est hæc reservatio generalis, quam explicare intendunt Pontifices Maximi, quin novam specialem reservationem inducant, quoties alicui jam beneficium obtinenti beneficium concedunt, adjecto decreto, ut beneficium primum exinde vacans ab uno Pontifice Maximo sit impetrandum. Fingere quidem possunt Pragmatici, in eo singulari decreto majorem quamdam vim inesse, ut hoc prætextu specialem reservationem inde eruant; sed exspectandum adhuc ab ipsis est, quid intelligant nomine vis cujusdam majoris decreto inhærentis, præter eam, quæ generali reservationi inest; nisi dicere velint, hac speciali reservatione obtineri a Sede Apostolica posse, quod olim executionem paratam non habuit vi memoratarum extravagantium, quod sane esset novas excitare contentiones; inter quas curetur, obtinere singularibus, prout res incidit, mandatis, quod generali lege non obtentum fuerit. Alterum exemplum specialis reservationis profertur in affectione beneficiorum, quam vulgo a reservatione, distinguunt, quemadmodum distinguunt beneficium affectum a reservato, quasi speciem a genere, unde affectionem vocant reservationem quamdam specialem. Affectionem dicunt adpositionem manus Pontificiæ in beneficio, qua secuta, ajunt, ad honorem Pontificis Maximi pertinere, ut nemo Ordinarius possit pro ea vice beneficium conferre, quasi specialiter pro ea vice reservatum. Atque hac in re consonant quidem plurimi in tradendis affectionis exemplis, veluti cum tradunt, Pontificiam manum ad eum finem adponi, cum beneficium vacans auctoritate Pontificia alicui commendatur, aut cum coadjutor datur cum jure futuræ successionis. Verum & hæc ipsa exempla in nonnullorum contradictiones inciderunt; & in aliis exemplis adferendis nec ii quidem conveniunt inter se, qui pro affectionibus tuendis, promovendisque dimicaverunt. Ita evenit, iterum dico, in iis causis, quæ certis principiis non innituntur. Quid tamen? Non defuere, qui reservationem hanc specialem, quam affectionem nominant, aut clausam dixerint in jure communi, aut saltem ex juris communis disciplina recta interpretatione derivatam. Adferunt isti in hanc rem capitulum 56. de appellat., capitulum 1. & 2. & confirm. util. vel inutil., & capitulum 11. de excess. Prælat.. Hæc vero omnia juris capita nihil commune habent cum memorata affectionis doctrina. In dicto cap. 56. traditur, neminem ex inferioribus judicibus cognoscere posse de causa, quam Romanus Antistes ad se advocaverit, quod sane longe distat a proposito affectionum. Ex cap. 1. de confirm. ut. vel inut. nescio, an pro affectionibus, an contra affectiones quidquam deduci possit. Ibidem definitur, si cœpto apud inferiorem Judicem judicio quis confirmationem rei litigiosæ a Sede Apostolicæ impetraverit, nihilominus Judicem inferiorem posse judicium prosequi. Hinc probari posset, adpositionem, ut ajunt, Pontificiæ manus non obstare Ordinariorum potestati explicandæ. Pergit Alexand. III., & ait, si obtenta fuerit ab Apostolica Sede confirmatio rei, quæ pacifice possideretur, & deinde de eadem re litigium obortum fuerit, litem esse dirimendam a Sede Apostolica. Hic est, ubi memorati Pragmatici affectionis prærogativam constituunt. At vero nihil id commune habet cum affectione beneficiorum. Referenda est ea definitio ad adjuncta illius temporis, quo passim unusquisque possessor petebat, ut bona sua in patrocinium, fidem, & tutelam Sedis Apostolicæ reciperentur. Pontifices Maximi passim concedebant literas confirmationis, quæ tituli loco esse poterant. Quid mirum, si de titulo a Sede Apos-

tolica concesso dicebatur, eum esse apud eamdem Apostolicam Sedem dijudicandum? Idipsum dicendum est in conspectu capituli 2. eodem titulo, ubi notandum occurrit, literas confirmationis minime obfuisse ordinariorum Judicum potestati, quoties literæ obreptitiæ proponerentur. Quid denique commune habet cum doctrina affectionum, quod dicitur in dicto cap. 11. de excess. Prælat.? Ad Cantorem pertinebat conferre Succentoriam. Cantor ita deliquerat in collatione, ut mereretur facultate conferendi privari. Privatus est auctoritate Innocentii III., qui proinde mandavit, ut pro ea vice auctoritate Apostolica Succentoria conferretur. Nulla hic occurrit affectio, sed speciale conferendi beneficii mandatum. Si verum amamus, primus auctor affectionum, sive Pontificiæ manus adpositionum fuit Paulus II. in extravag. ult. de præb., neque enim ante hanc extravagantem ullibi occurrit aut affectionum, aut adpositionum manus Pontificiæ mentio. Dicam amplius: quæ ibidem memoratur affectio, seu manus Pontificiæ adpositio arctissimis admodum finibus ibidem circumscribitur; nimirum ad eum unum casum refertur, quo Pontifices Maximi generaliter sibi reservaverant beneficia quædam suorum familiarium, vel etiam familiarium Cardinalium, reservatione duratura usque donec Pontifices iidem viverent. Si beneficia illa ita reservata vacavissent, vivente Romano Pontifice, collatio Pontificis erat vi reservationis. Quærebatur, quid juris, si beneficia eadem vacarent post Pontificis obitum? Cessaverat proculdubio reservatio. Verum ob manus Pontificiæ adpositionem adgnoscebatur in illis beneficiis quædam affectio, uti dicebatur a nonnullis. Res nova visa est, de qua propterea sæpe numero *hæsitatum fuisse inter utriusque juris Interpretes, etiam officiales Romanæ Curiæ* testatur idem Paulus II., adeo ut *adverterit propter ambiguitatem hujusmodi, varias quoque jurisperitorum opiniones, & discrepationes, plerumque pro reservatione, & affectione, interdum vero contra pronuntiatur, & definitum fore.* Subsistant hic, & perpendant memorati Pragmatici scriptores, num vel in ipsa Curia Romana adeo facile affectiones istæ admitterentur, quantaque proinde cautione agendum sit, ne extra casus definitos provehantur. Novam igitur controversiam ita definivit Paulus II., ut declararet, cessante per obitum Papæ reservatione, manere adhuc affectionem, ut pro una vice collatio beneficii adhuc ad Pontificem Maximum pertineret. Hæc Paulina constitutio non ubique paratam executionem invenit; proindeque adhuc hodie in nonnullis provinciis hæc affectionum doctrina *minime recipitur*, quemadmodum iidem Pragmatici testantur, eodem modo quo ne in Romana quidem Curia apud omnes recipiebatur ante Paulinam constitutionem. Itaque etiam ubi recepta est Paulina constitutio, locum tantum habet affectio, ubi præcessit reservatio; nimirum ubi Summi Pontifices quædam generaliter beneficia sibi reservaverunt, animo eadem conferendi, quoties conferendi sese offerret occasio. Reservatione cessante, seu executioni non demandata, dicebatur affectio perdurare; & quando conferendum erat, cum nullus amplius esset reservationis titulus, qui cæteroquin pridem fuerat, titulus alter succrescebat, qui dicebatur titulus affectionis, sive manus adpositiones. Hæc si Pragmatici consideravissent, uti decebat, apprime, forte non adeo disciplinam affectionum provexissent, uti provexerunt, atque provehere in dies pergunt. Ante Paulum II. nulla erat certa, seu firmata legibus affectio. Paulus II. affectionem constitutione sua firmavit ita, ut tum collationem Ordinariorum removeret affectio, cum præcessisset Pontificia reservatio. Nunc proponantur facti quæstiones, quas pro lubito suo uniquique ex Interpretibus dirimere voluerunt. Quæsitum jampridem fuit, num beneficium auctoritate Pontificia alicui commendatum, vel in perpetuam adminis-

trationem concessum diceretur affectum, ita ut cessante commenda, vel administratione per obitum commendatarii, seu administratoris, non posset Ordinarius illud conferre. Passim a Pragmaticis reservationum promotoribus affectum dicitur, proindeque Pontifici Maximo reservatum. An hæc conveniant juris regulis, vel etiam laudatæ Paulinæ extravaganti, facile unusquisque colliget exjactis principiis. Quæsitum itidem fuit, an beneficium diceretur affectum, quoties auctoritate Pontificia datus fuisset beneficiorum coadjutor cum jure futuræ successionis, & coadjutus decederet, antequam coadjutor literas intimasset, vel coadjutoris officium exercere cœpisset. Passim traditum est, affectionem inesse ex Pontificiæ manus adpositione. Si hæc certa ratione reciperentur, ostendere oporteret, quamcumque manus Pontificiæ adpositionem affectionem inducere; quod tamen ne ipsi quidem affectionum promotores admittunt. Meo judicio, quod sane conforme est laudatæ Paulinæ extravaganti, ea tantum manus Pontificiæ adpositio affectionem inducit, quam præcedens reservatio indicat. Si manus adpositio ad alium finem tendit, non inde affectio proficiscitur. Hoc posito principio sequitur, nec Commendam, nec administrationem a Pontifice Maximo alicui datam affectionem inducere, propterea quod aliud sit commendare, vel in administrationem concedere, aliud reservare. Sequitur itidem, unionem beneficii a Pontifice factam neque affectionem inducere ita, ut quo casu unio dissolvatur, beneficium sit a Pontifice Maximo conferendum, propterea quod aliud sit unire, aliud reservare. Sequitur insuper, collationem beneficii a Pontifice Maximo factam nullam inducere affectionem, si collatio eadem beneficii tanquam irrita declaretur, ex quacumque causa, propterea quod aliud sit conferre beneficium, aliud reservare. Lixi ex quacumque causa: non enim ignoro, distinguere Pragmaticos inter casum, quo Pontifex Maximus beneficium contulerit, quia putaverat sibi reservatum, quando tale non erat, & ex errore, cui falsæ imperrantis preces causam dedissent, beneficium contulerit; qua in specie ajunt cessare affectionem, in irritum cadente Pontificia collatione; atque inter casum, quo Pontifex Maximus concesserit beneficium ex alio errore, unde rescriptum in irritum ceciderit, vel etiam rite concessum beneficium adparet, cujus tamen possessionem fato quodam nancisci non potuit, qui rescriptum obtinuit; qua in specie ajunt, affectionem Ordinariorum collationi obesse. Hujus generis distinctiones non cohærent principiis, quæ tum demum affectioni locum faciunt, cum præcessit reservatio. Nunc alii casus proponantur, & si quæratur, an fiat locus affectioni, cum qui ad beneficium vacans aspirat, & certo impedimento detentus, petit a Pontifice Maximo dispensationem; an fiat locus affectioni, cum duo de jurepatronatus vel activo, vel passivo litigant, & causa a Pontifice Maximo dirimitur. In iis, & similibus casibus respondendum erit, affectionem nullam esse, eo semper retento principio, quod non nisi post varias hæsitationes statuere voluit Paulus II., nimirum ex sola reservatione præcedente affectionem oriri. Novi ego, quid Pragmatici nonnulli tradere soleant. Ajunt ipsi, in multis manus Pontificiæ adpositionibus tacitam inesse reservationem, quasi in eisdem ea fuerit voluntas Pontificis, ut ipse unus beneficium vacans conferret. Hanc voluntatem agnoscunt, cum Pontifex commendat alicui beneficium, vel illud in administrationem concedit. Similem voluntatem agnoscunt, cum Pontifex coadjutorem constituit cum jure futuræ successionis. Miror tam acutam Pragmaticorum mentis aciem secretum Pontificiæ voluntatis penetrantium, de qua tamen voluntate vix adparet exterius conjectura. Probandum ab ipsis esset, concessionem commendæ actum esse Pontificis non tantum commendatario favenCc 2

tis, verum etiam providentis alteri successori. Probandum erit constitutionem coadjutoris, actum esse Pontificis non tantum indulgentis precibus impetrantis coadjutoriam, verum etiam indulgentis alteri Clerico inde beneficium impetraturo. Ego sane non video, qua ratione Princeps dum gratiam uni facit, de simili gratia alteri concedenda simul, & semel deliberaverit, quando novi, rescripta esse singularia, nec ad alios extendi, qui rescripto comprehensi non sunt. Denique, qui ita ratiocinantur, meminerint, quantæ fuerint sub Paulo II. concertationes, aut hæsitationes, dum inducenda foret affectio in beneficiis cæteroquin expresse reservatis, & quidem reservatione generali, ex qua facilius specialis reservatio, qualis est affectio, deduci potuisset; deinde concludant, si concludi potest, an facile, & sine lege scripta inducendæ etiam sint affectiones ex reservatione tacita, cujus vel nullum extat evidens argumentum, immo & cujus levissimæ esse possent, si quæ tamen forent conjecturæ; addo denique, ex reservatione speciali, qualis ex singulari facto Pontificis emergit; quando difficilius ex una speciali reservatione proficisci potest altera specialis, qualis affectio dicitur. Ad hujus rei coronidem, notatu dignum est, vel ex ipsa communi Pragmaticorum sententia, affectiones non in omnibus Provinciis locum sibi vindicare; neque locum habere in beneficiis impropriis, qualia sunt manualia, vel meram administrationem continentia, vel patronata seu laici, seu mixti jurispatronatus. Cæterum in hac materie, uti liquet, variis opinionibus intricata, atque obvoluta, non difiteor, magnam sibi partem vindicare receptos singularum Provinciarum usus tribunalium placitis confirmatos, a quibus non est recedendum Jureconsulto consilium litigantibus adlaturo, qua in parte utile est Pragmaticorum scripta pervolvere tanquam testium disciplinæ, quæ hodie magis ex facto, atque ex usibus Curiarum, quam ex germana juris, & constitutionum Pontificiarum interpretatione profectam fuisse deprehendimus. Dicta hæc sint de reservationibus specialibus. Generales reservationes sunt, quæ vel in jure scriptæ sunt, vel constitutionibus Pontificiis invectæ, vel Cancellariæ regulis confirmatæ, atque ad hæc summa capita rediguntur. Nimirum respiciunt vel locum, vel tempus, vel dignitatem personarum, vel qualitatem beneficiorum, vel crimen, quo admisso beneficiarius, aut collator beneficii suo jure spolietur. Sed hæc cum fusius, tum clarius inferius expendentur.

Quibus in Provinciis, & qua in parte reservationes Pontificiæ receptæ sunt, Prælatorum omnium inferiorum collationes impediunt. Nomine Prælatorum intelligo non illos tantum, qui singulari titulo collationem adquisiverunt, sed & Episcopos ipsos, quorum potestas in jure communi fundamentum habet. Qua tamen in re observandum est, Pontifices Maximos parcius egisse adversus ordinariam Episcoporum potestatem, quam egerint adversus potestatem cæterorum Prælatorum, quorum jus erat singulare, ac propterea non tanto favore dignum; quod etiam hodie adparet in reservatione mensium, uti vocant, apostolicorum, in qua obtinet, ut Prælati Episcopo inferiores nunquam conferre beneficia valeant, nisi quatuor anni mensibus vacantia, Episcopi autem e converso alternativa utantur, si cum in diœcesi resederint, tum eadem alternativa uti voluerint. De Cardinalibus, an, sicut cæteri, ita & ipsi reservationibus subjaceant, seu quæ ex Pontificiis constitutionibus, seu quæ ex regulis Cancellariæ inductæ sunt, vetus disputatio fuit. Nemo sane dubitavit, etiam subjacere Cardinales, quoties de ipsis specialis mentio aut in constitutionibus, aut in regulis Cancellariæ de ipsis facta fuerit: tantum quæsitum, an sine expressa eorum mentione, generali interdicto tenerentur. Hic ad trutinam revocari semper debuit, quod tra-

di consuevit, Cardinales obligari quidem generali illa lege, quæ tendat in publicum bonum, & cujus ratio ipsis etiam Cardinalibus facile accommodetur, verum ob singularem illorum prærogativam non obligari generali lege, cujus ratio singularis sit, & restringenda. Traditio ista usu potius, quam lege scripta confirmata, controversiis sæpe occasionem tribuit, propterea quod passim disputatum fuit de quibusdam Pontificiis constitutionibus, immo & de regulis ipsis Cancellariæ, an in publicum bonum tenderent, rationeque inniterentur etiam Cardinalibus accommodata, an stricta essent interpretatione donandæ, ac coercendæ. Hinc cum quæstio emerserit, an Cardinales comprehendantur in regula 19. Cancellariæ, quæ dicitur *de viginti*, sive *de infirmis resignantibus*, Pragmatici non dubitaverunt, eos comprehendi, propterea quod in bonum publicum edita fuerit ad fraudes a resignationibus eliminandas. Eadem ratione tradiderunt, etiam Cardinales comprehendi in regula 20. *de Idiomate*, & in regula 21. *de non impetrando beneficio per obitum viventis.* E contrario scripserunt, Cardinales non comprehendi in regula 45., ac propterea licet dicatur ibidem, resignantes debere personaliter, si præsentes in Romana Curia fuerint, resignationi consentire, admittitur tamen Cardinalis ad renuntiandum etiam per simplicem schedulam. Cum hæc ita sint, ad naturam, & indolem constitutionum, & regularum certa beneficia Pontifici Maximo reservantium respiciendum fuit, ut definiretur, an Cardinales in illis comprehensi intelligerentur. Has reservationes esse odiosas, propterea que coercendas, clamare non dubitaverunt Cardinales ipsi, ut sese a reservationibus eximerent. Plane voti sui facti compotes fuissent Cardinales, nisi intercessisset singulari decreto suo Alexander VII., qui in describenda regula 70. Cancellariæ, quæ olim declarabatur, Cardinales exemptos esse a regulis editis, & edendis, voluit eam regulam emendari, quemadmodum hodie legitur emendata, ita ut ibidem declaretur, Cardinales exemptos quidem esse a regulis *edendis*, non tamen ab *editis*; quam facti seriem refert Rigantius ad dictam regulam 70.. Itaque hodie obtinuit, Cardinalium privilegium intra certos limites coerceri; nimirum Cardinales exemptos esse a regulis, quas Pontifices Maximi singuli post publicationem *initio* sui Pontificatus factam adjecerint, non *iis*, quæ Pontificatus *initio* publicantur. Ut res hæc in claro lumine collocetur, in primis notandum est, Cardinales libere conferre posse beneficia titulorum sui Cardinalatus, nisi ipsi sint absentes a Curia Romana, uti legimus in regula 8. Cancellariæ; quin ipsis suffragetur absentia ex necessaria causa, veluti ob residentiam in Episcopatu; etenim cum Cardinales beneficia sui tituli non jure ordinario, sed ex speciali Pontificia indulgentia conferant, liberum fuit Pontificibus Maximis, indulgentiam hanc suam contrahere ad unum casum residentiæ in Curia. Secundo notandum est, Cardinales, qui Ecclesias regendas extra Curiam Romanam obtinuerint, veluti Episcopales, Abbatiales, & similes, æque ac Episcopos, & Abbates cæteros in regulis Cancellariæ comprehensos intelligi, nisi ubi specialiter exempti sunt, quemadmodum liquet ex memorata regula 70.. Porro specialis exemptio facta adparet in regula 9., in qua agitur de reservatione mensium. Hoc tamen non obstante, solent Pontifices Maximi speciale indultum Cardinalibus concedere, quo isti reservata beneficia suæ Ecclesiæ conferant; quo indulto qui utuntur pro facultate sibi concessa juxta ejusdem indulti tenorem, liberius utuntur sua ordinaria jurisdictione. Hac in re mihi placere non potest quorumdam Pragmaticorum opinio, qui tradunt, recepto indulto censeri Cardinales collationem beneficiorum exercere in vim unius indulti, etiam illorum, quæ sine indulto potuissent conferre, qualia sunt beneficia ex

causa mensium reservata, quorum ratione Cardinales exempti sunt a regula 9. Cancellariæ. Etenim non satis firmum videtur esse hujus opinionis præsidium, cum dicitur, Cardinalem, qui indultum petiit, censeri renuntiavisse ordinariæ alias sibi competenti facultati. Quid enim prohibet, ut quis facultatem facultati accumulet, præsertim si nova, quæ impetratur, facultas amplior sit, & ad plures species extendatur? Renuntiationes juris alicui competentis non adeo facile præsumuntur, præsertim in eo ipso actu, quo quis jus suum promovere velle deprehenditur. Forma indultorum hodie amplis formulis describitur, & comprehendere solet non solum beneficia, quæ ad indultarii collationem spectant, sed etiam ea, quæ spectant ad collationem simultaneam indultarii, & aliorum inferiorum, puta Capituli, vel Monasterii; immo nec dubito, quin Cardinalis indultarius ea conferat beneficia reservata, quæ, cessante reservatione, ad alios inferiores privative, ut ajunt, spectarent. Siquidem quicumque titulus collatoribus inferioribus favet, semper est titulus singularis, qui concursu quidem excludit ordinarium collatorem, non tamen impedit, quominus collator ordinarius adhuc ordinarius dici possit; eamque ob rem collatio privative competens inferiori certa ratione adhuc simultanea dici potest ob jus habituale conferendi, quod in ordinario manet. Hujus rei argumento est, quod si collator ordinarius vacans beneficium statim conferat, & collator singulari jure munitus non conferat intra legitimum tempus, collatio ordinarii sustineatur, non tam jure devoluti, quam cessante singularis collatoris concursu. Quæstio olim fuit, num Cardinales vigore indulti ita possent beneficia conferre, quasi indultum non novam potestatem Cardinalibus contulerit, sed potius sustulerit reservationes. Ita passim admittebatur, eamque ob causam si collatio beneficii simul ad Episcopum, & ad Capitulum pertineret, etiam Capitulo prodesse videbatur indultum Episcopi Cardinalis. Sed aliter indulta Pontificia interpretatus est Urbanus VIII. in sua constitutione 59., ex qua invaluit, ut hodie Cardinales censeantur in hac parte delegati Sedis Apostolicæ, reservationibus adhuc firmis manentibus, uti observavit Cardinalis de Luca disc. 1. de beneficiis. Nihil est, quod in hoc proposito difficultatem faciat, cum indulta Pontificia ex voluntate Pontificum interpretationem capiant, & hanc esse voluntatem Pontificum liqueat ex memorata Urbani VIII. constitutione. Denique notandum est, aliud indulti genus concedi solere Cardinalibus causa conferendorum beneficiorum, nimirum cum Cardinalis Episcopus, aut aliquam Ecclesiam administrans, Episcopatui, aut Ecclesiæ renuntiaverit, & eisdem concedit Pontifex Maximus, ut ea valeat beneficia conferre, quæ in dimissa Ecclesia conferret Pontifex Maximus vi reservationum. Sed hoc indulti genus extraordinarium est, nec tanto favore dignum, quanto illud, quod Cardinalibus ordinaria jam potestate præditis conceditur; quamobrem in ejus indulti interpretatione ita versandum est, ut in primis nihil admittatur gratia indultarii, quod non expresse in indulto significetur; deinde ut indultum nunquam intelligatur concessum in diminutionem juris alteri competentis; id enim semper in rescriptis, & privilegiis Principum tacite inest, ut cum uni liberalitatem exhibent, alteri non ingerant detrimentum.

Jam vero ad expendendas singulas generalium reservationum causam propius accedamus. Prima reservatio dicitur ratione loci, quæ locum habet in beneficiis sive apud Apostolicam Sedem, sive in Curia Romana vacantibus. Hanc restaurationem magni faciunt plurimi Scriptores, propterea quod sibi persuaserunt, eam esse clausam in corpore juris, seu cap. 2. de præbend. in 6., uti superius fuit observandum. Prædicant etiam tanquam majore favore præ cæ-

teris reservationibus dignam, quasi eam, quæ non tam in honorem Pontificis Maximi, quam in utilitatem Ecclesiarum edita fuerit. Sed inter hæc cum in dies eadem reservatio modo magis extenderetur, velificantibus plurimis propter magnificatam ejusdem utilitatem, modo contraheretur, ne magis, magisque juris communis in dies diminutio fieret, uti contingit in omni reservationum genere; ingens oborta fuit disputandi materies, in qua Pragmatici paginas impleverunt, unusquisque suo genio indulgens, prout aut Pontificias reservationes provehere sibi proposuit, aut Ordinariorum tueri potestatem. Quod ego dicere possum, illud est, originem hujus reservationis esse minus antiquam, quam vulgo credatur; rationem ejusdem reservationis non ita amplam esse, ac vulgo recipitur, & modum reservationis ita vel ab ipsis Pontificibus Maximis agnitum fuisse, ut non dissimili fere jure cum reservationibus cæteris habenda sit. De origine primum dico. Repetitur ista ex cap. 2. de præbend. in 6.. In vetustis sexti decretalium editionibus inscribitur monumentum nomine Clementis III., alii editores adjecerunt, *alias IV.* Quid? Jam Pithæus erratum agnovit, & Clementi IV. illam constitutionem adseruit, & quidem jure, ac merito. Etenim in primis si jam a Clemente III. ea reservatio generali decreto inducta fuisset, decretum illud non omisisset in sua collectione Gregorius IX., in quo novæ disciplinæ positum erat fundamentum, præsertim cum de disciplina agatur provehendæ Romani Antistitis potestati accommodata. Præterea in præfatione sexti decretalium profitetur Bonifacius VII., se compilare voluisse decretales epistolas Pontificum Maximorum a Gregorio IX., & deinceps, quod indicat, Bonifacium Clementis IV. decretales inserere codici suo voluisse, non Clementis III., & revera in Bonifaciano Codice nullum extat aliud Clementis III. monumentum. Adde his, Gregorium X., dum moderari voluit hoc Clementis statutum in cap. 3. eod. tit. appellavisse illud *Statutum Clementis Papæ prædecessoris sui*; successerat autem Gregorius in Sede Pontificia Clementi IV. cui magis propterea conveniebat nomen *prædecessoris*. Itaque perspicuum pene est, reservationem istam Clementi IV. esse adscribendam. Magnificis verbis exordiritur Clemens, professus initio, Ecclesiarum omnium, dignitatum, aliorumque beneficiorum plenariam dispositionem nosci ad Romanum Pontificem pertinere, ita ut non solum possit illa vacantia de jure conferre, verum etiam jus tribuere in vacaturis. Cæterum subjicit, antiquam consuetudinem specialius cæteris reservavisse Romanis Pontificibus collationem Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, & beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium. Hæc in præfatione. Deinde constituit, se non solum hanc consuetudinem adprobare, sed etiam velle, ut quoties beneficium quodquam in Curia Romana vacare contigerit, aliud a nemine quacumque auctoritate prædito conferatur, sed tantum collatio a Sede Apostolica exspectetur, nisi cuiquam specialis, & expressa conferendi facultas ab eadem Sede facta fuerit. irritum decernens, & inane, quidquid secus actum fuerit, vel attentatum. Notant viri eruditi numero plurimi, allegari quidem potuisse a Clemente antiquam conferendi consuetudinem, de qua cæteroqui non satis ex prædecessorum Pontificum factis apprime constat. Quamquam enim in collectione Gregorii IX., multa sint rescripta, ex quibus liquet, Pontifices Maximos ad collationem beneficiorum sæpe manum admovisse, vix tamen inveniunt monumentum, quo iidem videantur singulari jure sibi vindicavisse collationem beneficiorum in Romana Curia vacantium. Eo autem minus inveniunt hujus generis monumenta in antiquioribus codicibus canonum, aut decretalium. Alii e contrario ejus consuetudinis ves-

tigia agnoscunt apud Innocentium III. in cap. 23. de acusation., & in Epistola ad Episcopum Uratislaviensem, relata a Gonzalezio in cap. *Vacante* 26. de præbend., ex quibus liquet, Innocentium III. jam contulisse beneficia quædam apud Sedem vacantia. Oportet sane, eos, qui ita sentiunt, agnoscere auctorem dicti capituli 2. non Clementem III., sed Clementem IV., cum Clemens III. præcesserit tempora Innocentii III. Ego arbitror, consuetudinem istam fundamentum habuisse in jure præventionum, quod jam temporibus Clementis IV. inoleverat, non in jure singularis reservationis ex facto emergentis. Revera a sæculo Ecclesiæ decimo tertio sæpe numero contingebat, ut cum beneficium in diœcesibus inferiorum Antistitum vacaret, collatio modo ab eisdem Antistibus fieret, modo a Pontifice Maximo, atque in concursu duorum collatorum ea collatio prævaleat, quæ tempore præcessisset. Porro cum beneficium in Romana Curia vacaret, obeunte in urbe Romana beneficiario, verosimilius erat, Pontificem Maximum utpote statim vacationis conscium antevertisse collationem ordinarii; eaque propter ordinarium a conferendo cum effectu excluisse. Hæc est illa antiqua consuetudo memorata a Clemente IV., dum novam reservationem induceret juxta morem illius ætatis, quas passim Pontifices etiam in rebus novis inducendis inniti se antiqua consuetudine profitebantur, uti conjicitur ex extravag. 1. de pœnit. & remiss., in qua Bonifacius VIII. primus anni jubilæi institutor ad antiquorum relationes respicere se protestatus est. Neque ab hac mea interpretatione dissonant species apud Innocentium III. propositæ in laudatis rescriptis. Immo & huic interpretationi conveniunt, quæ de hac reservatione & dici solent, & deinceps constituta fuerunt. Dici solet, hanc reservationem majore præ cæteris favore esse dignam. Non alia probabilior reddi ratio potest, quam quia ex collatione Pontificis Maximi quam citissime consulitur vacanti beneficio, & Ecclesiæ, quando beneficium vacans in curia statim a Pontifice Maximo, nec nisi serius ab ordinario procul residente, confertur. Constitutum fuit a Gregorio X. successore Clementis IV. in cap. 3. de præb. in 6., ut ea reservatio tantum locum haberet intra mensem, & quidem non utilem, sed continuum; quod perspicue demonstrat, eam reservationem fundamentum habuisse in celeri collatione a Pontifice Maximo facienda. Dices tamen: quod opus fuit ea singulari reservatione, quando Pontifices Maximi jure prærentionis utebantur, quod satis erat ad Episcopos, seu collatores ordinarios excludendos? Respondent viri eruditi, cum notans, collatores ordinarios obviam ivisse Pontificum præventioni, cum vicarios quosdam Romæ designatos haberent, qui conferrent beneficia Romæ vacantia, statim ac eadem vacarent; eamque ob rem Clementem IV. generali constituta reservatione minus providis illorum vicariorum actis restitisse.

Itaque hæc reservatio, cum primum prodiit, coercita fuit ita, ut tantum mensis unicus, & quidem continuus ad conferendum Pontifici Maximo concederetur, dicto cap. 3. de præb. in 6., quæ definitio passim dicitur clausa in corpore juris. Sunt, qui putant, id abrogatum fuisse a Bonifacio VIII. in extrav. 1. de præbend.. At vero nec id expresse in hac Bonifacii constitutione continetur, nec adparet, Bonifacium quidquam voluisse contra definitionem Gregorii X. decernere, quando sibi reservavit beneficia intra unum mensem *a data* constitutione in Curia vacantia; quasi tempora unius mensis potius confirmaverit, quam extenderit. Adjicitur his, dictam constitutionem prodiisse anno primo Pontificatus Bonifacii, ac propterea antequam sextus decretalium a Bonifacio ederetur; nec esse verosimile, Bonifacium in sexti compilatione voluisse inserere definitionem Gregorii X., si eam abo-

evisset, quando Bonifacius in sexti editione professus est, se superfluas, aut contrarias juri recepto definitiones resecavisse. Alii putant, definitionem Gregorii X. non quidem a Bonifacio VIII., sed serius a Benedicto XII. fuisse abrogatam, quando Benedictus absolute sibi reservavit beneficia in Curia Romana vacantia in extrav. 23. de præbend.. Verum si attente legatur hæc constitutio, nihil tale invenitur. Tantum confirmatur, immo & extenditur reservatio beneficiorum in Curia vacantium. De tempore Pontificiæ collationis nihil dicitur; quamobrem constitutio ipsa recte interpretationem sumit juri jam inducto conformem. Dicant nunc, qui contra sentiunt, indecorum admodum esse, Pontificem Maximum debere coerceri adeo augustis temporum limitibus, quando inferioribus collatoribus sex menses, & quidem utiles, conceduntur. Statim reponitur, non agi hic de reservatione, cujus finis sit honor Pontifici Maximo debitus, sed potius sit utilitas Ecclesiarum, & beneficiorum, quibus quam citissime consulatur. Ex his ipsis observationibus perspicue deducitur, tum demum locum fuisse reservationi in conspectu dicti capituli 2. de præbend. in 6., cum beneficiarius in Romana Curia mortem obiret. Novæ leges interpretationibus semper obnoxiæ sunt ob varios emergentes casus. Hinc Bonifacius VIII. debuit clarius mentem Clementis IV. aperire. Primum statuit in cap. 34. eod. tit., eam reservationem locum habere in Beneficiis, quæ Legati, aut Nuntii Apostolicæ Sedis, vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa obtinerent, si eos in locis vicinis ipsi Curiæ mori contingeret, quemadmodum si in loco ipso, ubi Curia residet, morerentur. Hæc disciplina demonstrat, reservationem non tam curialium personarum, quam loci Curiæ causa inductam fuisse, quod magis, magisque confirmat, quod superius adstruebant, nimirum reservationis causam præcipuam fuisse celerrimam beneficiorum collationem a Pontifice Maximo perficiendam. Quinam occasione Curiæ dicantur in Curia, vel prope Curiam morari, facile unusquisque percipit: videlicet tales sunt, qui Curiæ Pontificiæ adscribuntur; tales, qui in Curia vel pro se, vel pro aliis procuratorio nomine causas agunt, & quoties Curia de loco in locum transfertur, eo etiam transferuntur. Quinam locus dicatur Curiæ vicinus, definivit idem Bonifacius in vers. *Loca vero*, eum nimirum, qui ultra duas legales dietas a loco Curiæ non distet. Amplius progressus est Bonifacius in vers. *Idem est*, statuens etiam reservatum esse beneficium, quod possideret curialis mortuus, non quidem in loco Curiæ, sed in loco Curiæ vicino, quo secessisset, etiam Ecclesia Romana vacante, peregrinationis, infirmitatis, recreationis, aut alia quavis causa; dummodo tamen ibidem proprium domicilium non haberet. Heic est, ubi Bonifacius modo coercendam voluit, modo extendendam reservationem. Coercuit in eo, quod ubi quis mortuus fuisset in loco propriæ domus, qui etiam locus esset Curiæ vicinus, in hac æquali causa, potiorem esse dixerit habendam domicilii, quam Curiæ rationem, ideoque beneficium exemptum a reservatione voluerit. Immo & in vers. *Sane* constituit, ut si quis in loco ipso, ubi degit Curia, & simul domum suæ originis habens moriatur, beneficium ab eo possessum non alias reservatum sit, quam si ille curialis esset antea, & ibidem occasione Curiæ moraretur; alterutro autem deficiente, beneficium ordinarii collatione relinquatur. Extendit in eo, quod reservationi adhuc locum esse voluerit, Ecclesia Romana vacante, quod sane aut menti Clementis IV. non penitus consonabat, aut saltem non conveniebat fini, quem sibi Clemens IV. proposuerat. Finis erat, ut quam citissime per Sedem Apostolicam vacantibus beneficiis, & Ecclesiis consuleretur. At vero, quomodo id obtineri poterat, ubi

Sedes Apostolica vacaret? Verosimile est, de ea re conquestos fuisse collatores ordinarios, quod & factum ipsum Bonifacii VIII. demonstrat. Etenim in cap. 35. eod. tit. moderatus est ipse præcedens decretum, statuens, ut, si de beneficio Parochiali ageretur apud Sedem Apostolicam vacante tempore Sedis pariter vacantis, nulli reservationi subesset; quod ipsum obtinere voluit, quo casu Parochiales Ecclesiæ, Pontifice adhuc vivente, apud Sedem vacavissent, nec collatæ fuissent alicui ante Pontificis obitum. Hoc rescripto, si non omnino satisfecit ordinariorum querimoniis, gravioribus saltem, quæ ex prærogata reservatione emergebant, Ecclesiarum incommodis provide consuluit. Denique in fine dicti capituli 34. ait Bonifacius, quoties Curiam transferri contingat, & curiales, dum in itinere Curiam sequuntur, moriantur, vel moriantur in eo loco, in quo consistere debuerunt causa infirmitatis, qua Curiam sequentes correpti fuissent, etiam si a Curia proponerentur valde remoti, nihilominus eorum beneficia Sedi Apostolicæ reservari.

Clementis IV., & Bonifacii VIII. reservationem, ipsos etiam reservationis ejusdem modos confirmavit Joannes XXII. in extrav. 4. de de elect. int. comm., immo & adauxit. Statuit enim in primis, reservationem locum habere in omnibus beneficiis sive majoribus, sive minoribus, sive liberæ collationis, sive electivis, (de patronatis nulla adparet expressa reservatio) sive sæcularibus, sive regularibus. Deinde vacare in Curia illa beneficia declaravit causa reservationis, quæ vacarent non solum per obitum curialium, uti conceptæ erant veteres decretales. dicto cap. 34. de præb. in 6., sed etiam quæ vacarent per actus in Romana Curia factos, nimirum per depositionem, ac privationem eorum, qui beneficia possiderent, per electionum, aut postulationum denegatam confirmationem, seu admissionem, per renuntiationem, per translationem, ac per susceptionem muneris consecrationis, vel benedictionis a Sede Apostolica impetratæ. Quum vero hæc constitutio temporalis esset, & ad vitam Pontificis circumscripta, uti ejusdem verba perspicue demonstrant, renovata fuit a Benedicto XII. in extravag. 13. de præbend., qui tamen iterum reservationem illam ad tempus vitæ suæ circumscripsit, quemadmodum ex ejusdem etiam formulis intelligitur. Hinc cœpit ab Interpretibus distingui vacatio in Curia, & vacatio apud Sedem Apostolicam, quæ voces olim idem significabant, & promiscue sumebantur, dicto cap. 2. de præbend. in 6.. Dici cœpit vacatio apud Sedem, quæ fieret per obitum beneficiarii in Curia juxta constitutiones Clementis, & Bonifacii; vacatio autem in Curia appellata est generali nomine, sive quæ fiat per obitum beneficiarii in Curia, sive quæ fiat per quemcumque actum in curia perficiendum, veluti permutationem, resignationemve beneficiorum, vel beneficiarii depositionem, aut promotionem, nisi specialiter vacationem in Curia quis appellet eam, quæ fit tantum per quemcumque actum in Curia perficiendum, ut clarius distinguatur a vacatione apud Sedem, quæ tantum contingit per obitum beneficiarii. Vestigia horum Pontificum presserunt recentiores, qui eamdem reservationem in suas Cancellariæ regulas traducere consueverunt, quo spectat Regula 1. Cancellariæ, facile ex iis, quæ hucusque dicta sunt, intelligenda. Tantum adjicio ad hanc rem, Pragmaticos universos in eo consentire, quod reservationem beneficiorum apud Sedem vacantium majore favore dignam esse crediderint, quam reservatio beneficiorum vacantium in Curia, propterea quod reservatio vacantium apud Sedem dicatur ab ipsis clausa in corpore juris. Neque ego dissentio ab hoc proposito. Nihilominus tamen observo reservationem beneficiorum vacantium in Curia esse quidem reservatio-

nem recentiorem, sed adhuc haberi posse, tanquam accessionem quamdam reservationis beneficiorum apud Sedem vacantium, nisi dixeris fuisse hujus reservationis extensionem. Eam ob rem quamquam verissimum sit, non omnia, quæ causa provehendæ reservationis beneficiorum vacantium apud Sedem inducta sunt, accommodari posse reservationi beneficiorum vacantium in Curia; quæ tamen e converso inducta sunt causa coercendæ reservationis beneficiorum vacantium apud Sedem, accommodari, & extendi facile posse ad reservationem beneficiorum in Curia vacantium, quousque non obstent receptæ Pontificum Maximorum constitutiones, aut Regulæ Cancellariæ; ne forte quæ reservatio ferentibus Pragmaticis magis odiosa dicitur, latius pateat, & majori donetur prærogativa.

Altera generalis reservatio dicitur ex causa temporis, quæ quidem duplex est. Prima est reservatio beneficiorum, quæ vacant, dum Sedes vacat Episcopalis. Hujus reservationis auctor fuit Pius V. in sua constitutione 55., professus eo se devenisse, ut pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis provideret, eamque ob rem cum causa temporaria esset, etiam constitutio temporalis fuit, & una cum auctore suo exspiravit. Gregorius XIII. libere ea beneficia Ordinariis reliquit conferenda. At Sixtus V. reservationem illam renovavit, & Regulis Cancellariæ inseruit, quem secuti fuerunt Pontifices successores in Regula 2. Cancellariæ. Tunc interpretes novas speciosas reservationis causas commenti sunt. Dixerunt ipsi per collationem a Pontifice Maximo faciendam citius consuli Ecclesiis, beneficiisque vacantibus; quæ sane, vacante Episcopali Sede non poterant ex juris communis disciplina conferri, nisi cum successor Episcopus datus fuisset. Adjecerunt, collationem beneficiorum tanquam fructum vacantis Sedis considerari; cumque sæculo decimo sexto jam spolia Clericorum omnium, immo & Antistitum cederent gratia Pontificis Maximi, & tradiderunt, beneficiorum collationem spolio comprehendi. En quo tandem tetenderunt vetera illa litigia inter Episcopos, & Capitula Canonicorum concitata causa collationis beneficiorum tempore Sedis Episcopalis vacantis faciendæ, ea ætate, qua beneficiorum collatio primum fuit ab ordinatione sejuncta. Hinc contendebant Capitula, ad se pertinere collationem beneficiorum, veluti speciem jurisdictionis Episcopalis ex jure communi a Capitulo administrandæ. Illinc contendebant Episcopi, collationem beneficiorum reservari oportere futuro successori, quemadmodum olim reservabatur, quum collationi ordinum cohæreret. Allegabant Capitula, utile esse Ecclesiæ, ut quamtocius beneficia conferrentur, quod sane fieri non potuisset, si exspectandus esset successor Episcopus. Allegabant Episcopi, collationem in fructu esse, quæ propterea una cum fructibus cæteris successori esset Episcopo reservanda. Equidem prævaluit Episcoporum causa. Sed successione temporum Pontifices Maximi Episcopos æque, ac Capitula excluserunt, quin aut Capitula, aut Episcopi contradicere amplius possent, propterea quod in aula Pontificum adversus utrosque illud ipsum objiciebatur, quod utrisque olim fuerat litigii fundamentum. Penes Episcopos persuasio invaluerat, qua passim tradebatur, beneficiorum collationem esse in fructu. Hæc propositio utut minus æqua, seu minus consona rectæ collationis imagini, rejici amplius non potuit ab Episcopis, utpote propositionis ejusdem auctoritatibus, quando eadem objiciebatur a Sede Apostolica, cui jam fructus vacantis Sedis cedere cœperant. Penes Capitula persuasio invaluerat, utile esse Ecclesiis quantocius beneficia conferri. Hæc propositio utut Capitulorum collationi faveret, postquam tamen Capitula a conferendo exclusa fuerunt, favore dignam reddebat Pontificiam reser-

vationem adversus quam propterea nec Capitula ipsa mussitare potuissent. Immo nec aberraret longe a vero, qui suspicaretur, gavisos fuisse Canonicos, propterea quod tandem aliquando placuerit Pontificibus Maximis, quod olim Capitula adversus Episcopos allegabant, quamquam sine fausto exitu causæ. Hinc facile deducitur, reservationem non comprehendere beneficia, quorum collatio est communis & Episcopo, & Capitulo, vel celebranda sit a Capitulo de consensu, vel consilio, vel prævia præsentatione, aut nominatione Episcopi; quorum collatio, ut paucis dicam, vel institutio præsentatione præeunte, vel etiam confirmatio præeunte electione fieri potest a Capitulo, Sede vacante, juxta capitulum unicum ne Sede vacante in 6. Præterquamquod enim hæc beneficia expresse excepta fuerunt in Regula 2. Cancellariæ, eisdem beneficiis non facile accommodabatur reservationis ratio, sive quod nulla erat necessitas collationis citius faciendæ per Apostolicam Sedem illius beneficii, quod quam citissime a Capitulo conferri poterat, sive quod in his beneficiis nunquam receptum fuerat, ipsa inter fructus Episcopalis Mensæ reservandos successori Episcopo computari. Ex hac ipsa ratione colligi potest, libere a Capitulo conferri valere beneficia, quorum collatio esset simultanea, & divisa turnatim per alternas vices inter Episcopum, & Capitulum, quamquam vacarent, Sede Episcopali vacante, quo tempore ad Episcopum collatio pertineret: siquidem per turnarias vices non aliter vacua fit conturnarii potestas, quam cum alius turnarius concurrit. Sunt, qui putant, reservationem extendi ad eum casum, quo beneficia vacent, vivente Episcopo, sed necdum collata fuerint ab Episcopo morte prævento. Ut verum fatear, huic casui accommodatur ipsa reservationis ratio, qua consulendum quantocius vacanti beneficio, & Ecclesiæ proponatur. Verum plurimum vereor, ne hæc reservatio ad casum in regula non expressum extendatur, quando regula concepta est de beneficiis sede vacante vacantibus; alias autem reservationum arcta est interpretatio, ita ut de specie ad speciem ne similitudinis quidem prætextu prorogentur. Siquidem eadem ratio; lege tamen destituimur; & quicumque ea ratione innixus, deficiente lege, vellet reservationem inducere, eo progrederetur, ut diceret, etiam ante Pium V. primum legis auctorem reservationem locum habuisse, quia ante Pium V. jam suberat eadem ratio reservationis, consistens in celeri provisione Ecclesiarum. Plane nihil refert, an Sedes Episcopalis vacet per Episcopi obitum, an per dimissionem, translationem, amissionem, privationem, vel alium quemcumque modum, dummodo revera vacet, propterea quod ita in regula Cancellariæ expressum est. Additur in eadem regula, non solum servari beneficia spectantia ad dispositionem Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, verum etiam spectantia ad dispositionem Abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum, & collatricum sæcularium, & regularium, quod tamen ad eas dignitates coercetur, quæ providentur ab Apostolica Sede, non quæ ab aliis conferuntur, ob perspicuam regulæ verba, quibus reservantur beneficia vacantia *usque ad successoris provisionem auctoritate Apostolica faciendam.* Cessat hæc reservatio, quum beneficium vacat, utraque Sede, id est, & Pontificia, & Episcopali, vel Abbatiali vacante, cum Regulæ Cancellariæ, vacante Apostolica Sede, nullam vim habeant. Hinc si ordinarius nondum possessionem suæ dignitatis cepisset, & interim mortuo Pontifice beneficium quoque in diœcesi vacaret, capta possessione, poterit Ordinarius libere beneficium conferre.

Causa quoque temporis dicitur reservatio inducta, quæ habetur in regula 9. Cancellariæ, quæ duas habet partes. In priore parte reservantur omnia beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæ-

cularia, & quorumvis ordinum regularia, qua vacatura esset in singulis mensibus Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris. In posteriore parte professi sunt Pontifices Maximi, se velle gratificari Episcopis illis, qui in sua Ecclesia, vel diœcesi residerent; ac propterea eisdem liberam relinquere facultatem conferendi beneficia sex anni mensibus vacatura, scilicet Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decembri; quæ tamen alias aut reservata, aut affecta non essent Apostolicæ Sedi, dummodo etiam hanc alternativam, ut vocant, acceptare Episcopi voluerint, & se acceptasse per patentes literas manu propria subscriptas, suoque sigillo firmatas declaraverint. Nescio, an sincere scripserint, an potius ordinariis collatoribus illudere voluerint Pragmatici quidam, cum scripserunt, adparere in hac parte urbanitatem, liberalitatemque Pontificum Maximorum erga ordinarios collatores, propterea quod cum Pontifices Maximi plenaria potestate uti possent in omnibus beneficiis quocumque tempore vacantibus, adeo sobrie uti se velle profiteantur, ut beneficia quatuor anni mensibus vacantia, aliis de causis nec numero paucis non reservata conferenda relinquant ordinariis collatoribus, adhuc autem liberalius agere erga Episcopos, quibus alternativam collationem per singulas mensium vices concesserunt, dummodo residentiæ legibus satisfaciant, & eamdem alternativam acceptent. Nova hæc est liberalitatis species, qua jus alicui communi jure quæsitum intra angustos terminos coercetur. Nova liberalitatis species, qua qui liberalis videri vult, scrupulosas exigit cautiones, de re donata acceptanda; & quasi acceptatio non sufficiat, chirographum acceptationis exigit non tantum acceptantis manu signatum, sed sigillo munitum. Nemo ex iis, qui prudentes sunt, non intelligit, has cautiones in alternativa Episcopis concedenda conquisitas fuisse, ut facilius Episcopi juris communis præsidio muniti alternativam acceptarent, suoque juri authenticis, & irrefragabilibus monumentis cederent, veriti, ne, cum contradicerent, minori quatuor mensium spatio, quasi in pœnam non secutæ acceptationis, uterentur. De aliis collatoribus Episcopo inferioribus tanta non habenda erat ratio; neque enim istis jus commune favebat, nec tam solida esse poterant oppositionum argumenta. Neque vero ejus reservationis causa adeo gravis erat, quæ querimonias omnes suffocaret. Siquidem reservationis auctores ad eam devenisse adeo professi sunt, quod vellent, *pauperibus clericis, & alias benemeritis personis providere*; alias autem reponere Episcopi potuissent, suæ quoque vigilantiæ esse, ut & consulant paupertati Clericorum bene de Ecclesia in diœcesi merentium, quorum ipsi notitiam cominus habent, & quorum numerus non exiguus est. Consentiunt Pragmatici in eo, quod reservatio mensium antiquior sit regula Cancellariæ, in qua de reservatione constaret. Sed mirum est, non consentire illos in designando reservationis auctore, immo nec in designando tempore, quo primum ea reservatio in regulas Cancellariæ traducta fuerit. Quidam deducunt originem ex constitutione Martini V. anni 1418., qua, ut satisfaceret nationum querelis adversus frequentissimas collationes Pontificias, voluit, ut ex tribus beneficiorum partibus duæ conferendæ asignatæ censerentur Apostolicæ Sedi, alia pars Ordinariis reservaretur. Alii originem repetunt a Nicolao V. circa annum 1547., alii ab Alexandro V., alii abs Joanne XXII. longe ante Nicolaum V.; omnes tamen fatentur, ne tempore quidem Nicolai V. hanc reservationem inter regulas Cancellariæ reductam fuisse, sed edi consuevisse seorsim, quum Pontificibus Maximis placuisset, seu verius, opportunum visum fuisset. Inter has dubitationes facti minime perspicui ego puto, a temporibus quidem Martini V., & Nicolai V. usque ad tempora Tridentini Concilii cer-

tos menses designatos fuisse Pontificia auctoritate, quibus mandata de providendo, & gratiæ exspectativæ nullum effectum sortirentur, quales erant aut menses alterni, aut quatuor ex duodecim, ut hac ratione satisfieret Episcopis conquerentibus de nimia mandatorum, vel exspectativarum frequentia, eousque tamen non fuisse eam generalem reservationem. Evidens hujus rei argumentum habeo in extrav. 1. de tregua, & pace int. comm., ubi Sixtus IV. anno 1472. professus est, mandata de providendo, & exspectativas vim non habituras memoratis mensibus. Quod si menses Pontificii jam tum designati fuissent, frustra cautum fuisset, intra eos menses mandata, exspectativasve valere, quando non opus speciali mandato fuisset in beneficio reservato reservatione generali. Deventum est ad Concilium Tridentinum, quo sublata fuerunt una cum exspectativis mandata de providendo. Primus Pius V. constitutionem edidit, non tamen in regulas Cancellariæ redactam, qua certis mensibus vacantia beneficia collationi suæ reservavit, constitutione ipsa certo tantum temporis spatio duratura, quod ipsum peregit Gregorius XIII.. Quid opus temporariis hisce constitutionibus, si jampridem perpetua reservatio inducta fuisset? Sixtus V. renovavit eam reservationem usque ad sui beneplacitum duraturam; denique Gregorius XIV. eamdem in regulas Cancellariæ traduxit, quemadmodum hodie legitur in regula nona.

Ut huic reservationi fiat locus, beneficium vacare oportet mense reservato; etenim non ad diem collationis, sed ad diem vacationis reservatio refertur; qua in re more Romano finem mensis esse dicemus, dum labitur media pars noctis diem postremum sequentis, l. 8. ff. de feriis, quod tempus dimetiri solemus ex horologiis, ita ut si isthæc invicem minime consonent, illud potius habeatur, quo communiter regi homines solent, qualis esset ex. gr. Parochialis, aut alterius publicis turris. Solet quæri, num censeretur vacasse beneficium mense reservato, quoties decederet beneficiarius ea nocte, quæ præcedit ex. gr. Calendas Januarias, dum prima vix audiri cœpit horæ duodecimæ Gallicæ pulsatio. Non ignoro, passim a Pragmaticis tradi, prima pulsatione jam dimidium noctis esse completum: veterum hanc disputationem potius ab iis, qui horologia ad naturale solis curriculum componunt, quam ab jurisperitis dirimendam arbitror, ac propterea prudentem judicem juxta illorum testimonia judicaturum, præsertim quod in hac re variæ esse possent eorumdem opificum, variæ etiam variarum provinciarum consuetudines. Quod si ignoretur, quo momento temporis mortuus beneficiarius fuerit, quia ex. gr. summo mane compertum fiat, præcedente nocte obiisse eumdem repentino casu correptum, aut quia ea nocte, quæ menses dividit, fama sit, illum naufragio periisse, aut alias de temporis momento non constet; ego putaverim, locum fieri collationi Ordinarii, quæ nunquam submota intelligitur, nisi qui singularem reservationis titulum in contrarium allegat, eumdem titulum perspicue demonstret. Neque enim in hac specie probari, meo judicio, potest illorum opinio, qui asserunt, distinguendum esse, quisnam sit reus, qui actor, ut si institutus in Romana Curia sit actor, & institutus ab Episcopo conveniatur veluti possessor, non aliter ille admittatur, quam si reservato mense beneficium vacavisse probaverit; at e converso, si institutus in Romana Curia jam beneficii possessionem nactus fuerit, & conveniatur ab instituto ordinaria auctoritate, onus probandi sit penes institutum ab Ordinario tanquam actorem. Siquidem institutus ab Ordinario, licet actor, jam suo muneri satisfecit, ut possessorem expelleret, quoties docuit, se ab eo institutum fuisse, qui jure ordinario jus habeat instituendi. Si quod jus possessori in hac specie competat, totum pendet ex exceptione, qua allegetur, beneficium fuisse reservatum. Regula autem est,

rerum excipientem debere exceptionem suam probare. Neque præterea probare possum aliam opinionem illorum, qui putant in ea dubitatione favendum esse illi collatori, ad quem collatio pertinebat præcedente, non illi, ad quem pertinet sequente mense; quasi prior, non posterior sit in possessione collationis, & in ea perseveret, quousque non demonstretur prior a possessione dejectus, & posterior in possessionem immissus. Siquidem non satis percipio, quomodo dicatur esse in possessione conferendi beneficium, quod ex. gr. vacet eo temporis momento, quod medium est inter menses Januarium, & Februarium, ille, qui tantum est in possessione conferendi beneficia vacantia mense Januario; eodemque sane jure dicere posset, se in possessione esse, ille, qui possessionem habet juris conferendi beneficia mense Februarii vacantia. Neque enim novum est, duos æque in possessione esse divisso jure per tempora, & utrumque remediis uti possessoriis, argumento l. 5. ff. de aqua quotid., & æstiva. Forte quemquam turbabit definitio capituli 31. de præbend. in 6., ubi traditur, in æquali causa duorum, quorum usus ab Apostolica Sede, alter ab Ordinario beneficium obtinuerit, potiorem esse causam, instituti a Sede Apostolica. Non tamen ego a proposito dimoveor, animadvertens ibidem agi non de reservatione generali, sed de extraordinaria quadam, & speciali Pontificis Maximi collatione, quæ, ut moris erat temporibus Bonifacii VIII., fiebat per mandata de providendo, ob certa urgentiora personarum, causarum, cæteraque hujus generis adjuncta, cuique propterea nonnihil favendum esse postulat juris regula, qua per singularia generalibus derogatur, cap. 1. de rescript., cap. 33. 74. & 78. de reg. jur. in 6..

Hæc mensium Apostolicorum regula refertur ad omnia beneficia, sive curam animarum adnexam habeant, sive sine cura animarum sint. Plane beneficiorum nomine non veniunt, quæ non nisi improprie beneficia dicuntur, ac propterea ista sunt ab hac reservatione exempta. Hujusmodi sunt laicæ Cappellaniæ, item beneficia manualia, aut vicariæ sive temporales, sive perpetuæ, aut commendæ ordinum quorumcumque militarium. Duo tamen adnotanda sunt. Primum est, in beneficiis curatis obtinere quidem reservationem ob expressa regulæ verba; adhuc tamen indicendum esse concursum ab Ordinario juxta formam a Tridentino Concilio constitutum. Alterum est, in beneficiis non curatis non ubique eam regulam fuisse receptam, quemadmodum non receptam fuisse in beneficiis simplicibus apud Sabaudos; testatur Faber in codice libr. 1. tit. 2. def. 11. numero 3.. Dubitari solet, an beneficia jurispatronatus sub hac reservatione contineantur. Sane ad beneficia jurispatronatus laici universi Pragmatici tradunt regulam non pertinere, cum nec Romani Antistites jurispatronatus laicorum derogare soleant, nec in ea regula sit huic juripatronatus derogatum. Idipsum dicendum est, quoties juspatronatus mixtum sit; obtinuit enim hoc patronatus genus in iis, quæ patronis favorabilia sunt, laicalis jure censeri. At juripatronatus ecclesiastico passim traditur derogatum fuisse. Hæc derogatio non ubique probatur, cum in diversis provinciis diversa disciplina servetur. Ego autem dixero quoties verbis regulæ insistendum sit, sub reservatione nec hujus quidem patronatu beneficia comprehendi; quamquam tamen in iis provinciis, in quibus & hæc beneficia tanquam reservata habentur, usus ipse reservationem per se non adeo latam potuerit ad ea beneficia prorogare. Ajunt, qui contra sentiunt, Pontifices Maximos facilius ecclesiastico, quam laico patronatui derogare. Esto. Non quæritur hic, an facilius derogetur, sed an revera fuerit derogatum. Reponunt, de derogatione adparere, quando legitur in regula, reservari beneficia *ad præsentationem* spectan-

tia. Id ego fateor. Sed observo, non omnem præsentationem excludi, sed tantum eam, quæ collatoribus, aut collatricibus competit. Itaque si collator, vel collatrix sit, quæ ad se una cum collatione præsentationem traxerit, puta abdicatio gratia conferentis jurepatronatus, hæc beneficia in regula comprehenduntur. At ubi ad unum præsentatio, ad alterum collatio pertinet, nihil speciale in regula exprimitur. Idem dicendum puto de beneficiis electivis, quoties electio simplex est, & indiget alterius confirmatione; siquidem in regula tantum reservantur beneficia *ad electionem collatorum, vel collatricum pertinentia.* Insuper puto, exempta esse ab hac reservatione beneficia patrimonialia, videlicet illa, quæ ex tabulis fundationum certo personarum generi conferenda sunt; etenim ratio, & causa reservationis, nimirum ut quibusdam pauperibus Clericis per Romanum Antistitem provideatur, hujus generis beneficiis accommodari nequit, de quibus propterea præsumi non possunt Romani Antistites regulam concepisse. Excipiuntur præterea ab hac reservatione beneficia, quæ spectant ad Cardinalium collationem, præsentationem, aut electionem; quod in ipsa regula specialiter expressum adparet. Atque horum beneficiorum nomine facile intelliges venire beneficia, quorum collatio spectabat ad Cardinales non tantum vi propriæ dignitatis, sed etiam ratione suorum Episcopatuum, aut Abbatialium Ecclesiarum. Denique expresse in regula excipiuntur beneficia, quæ conferenda sunt ab iis, qui hoc jus ex concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscumque alios initis, nacti fuerunt.

Quum vero diximus, oportere beneficium revera vacare, id profecto non contingit, quoties agitur de præbendis, quarum non est determinatus numerus in Ecclesia constitutus, aut de portionibus, quæ in massa communi adhuc consistunt, aut de præstimoniis, quæ ad certum tempus constituta videntur. In istis enim nulla videtur esse vacatio, etiam si Clericus, qui præbendam illam, aut portionem, aut præstimonium obtinebat, obierit. In aliis beneficiis, quæ proprie vacant, nihil interest, an vacent per obitum Clerici, an per matrimonium a Clerico contractum, an per assecutionem alterius beneficii incompatibilis. Etenim generalia sunt regulæ verba, ibi: *Quocumque modo vacatura.* Observandum tamen est, in vacatione beneficii per assecutionem alterius considerari debere mensem, non quo quis fuerit in secundo beneficio institutus, sed quo quis pacificam obtinuerit secundi beneficii possessionem; tunc enim demum vacare censetur, cap. 26., 28. de præb. in 6., Clem. 3. & extrav. *execrabilis*, vers. *Qui vero deinceps* int. comm. eod. tit.. Excipe tamen beneficia vacantia per resignationem, quæ fiat in manibus, ut ajunt, Episcopi; hæc enim in regula nominatim excipiuntur. Quamobrem non dubito, quin excepta etiam intelligantur beneficia, quæ vacant permutatione; siquidem permutatio, cum mutuam resignationem contineat, sub generali resignationis nomine comprehenditur.

Cessat regula hujus reservationis, sive in priore parte, qua menses quatuor Ordinariorum collationibus designantur, sive in posteriore parte, qua alternativa conceditur, Sede Apostolica vacante; etenim id perspicue suadent verba illa regulæ *usque ad suæ voluntatis beneplacitum*, juncto capitulo 5. de rescript. in 6.. Hinc, Sede Romana vacante, fit ad jus commune regressus, atque Ordinarius, non attenta hac mensium reservatione, jure omnia beneficia confert. Sunt etiam aliæ causæ, quibus locum non habet regula in ea parte, qua præstituitur alternativa, in primis moriente Episcopo, nam alternativæ acceptatio utpote personalis, & arbitraria in successorem non transit: eadem ratione locum non habebit, si Episcopus de una in aliam Ecclesiam transferatur; tunc enim non so-

lum successori non proderit alternativa, sed neque proderit translato ratione Ecclesiæ recens obtentæ; propterea que opus erit nova ex parte utriusque Episcopi impetratione, & acceptione. Item locum non habebit, si Episcopus in sua Ecclesia, aut diœcesi non resideat, ob perspicua Summi Pontificis verba in ea regula expressa. Denique locum non habebit, ubi alternativæ renuntiatum fuerit, vel expressa conventione inter Pontificem Maximum, & Episcopum subsecuta, vel tacite, quoties, non contradicente Episcopo, Romanus Antistes beneficia contulerit vacantia mensibus non reservatis; vel viceversa non contradicente Romano Pontifice, Episcopus contulerit beneficia mensibus reservatis vacantia.

Tertia generalis seservatio dicitur ratione dignitatis quarumdam personarum, quæ certa beneficia possident; atque hæc reservatio passim personalis appellatur. Huc reducuntur quatuor personarum genera beneficia possidentium. Primo Cardinales, secundo Apostolicæ Sedis officiales, tertio spoliorum Collectores, quarto denique familiares Pontificis Maximi, & Cardinalium. Ratio, & causa reservationis fundamentum apud Romanos Antistites habuit in ea, quæ dudum præcesserat, reservatione beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium. Ut plurimum Cardinales, Sedis Apostolicæ officiales, familiares Papæ, aut Cardinalium apud Sedem Apostolicam merebant, Curiamque Pontificiam sequebantur. Hinc morte illorum beneficia ab eisdem possessa in Curia vacare dicebantur. Quod si istæ personæ a Curia aberant, non dubitaverunt Romani Antistites easdem habere quadam juris fictione tanquam residentes in Curia, propterea quod dignitas, munusve susceptum Curiæ illas addicebat. Quæ juris fictio cum obtinuit, tum etiam facile in illarum censum redegit Collectores spoliorum. Hæc tamen omnia ut inducerentur, non sufficiebat sollicita ista, & ingeniosa interpretatio, & fictio juris, nisi lege expressa confirmaretur. Primus Joannes XXII. eam interpretationem, ac juris fictionem probavit expressa constitutione, qui propterea reservavit sibi in extravag. 4. de elect. int. comm. beneficia vacantia per obitum Cardinalium, ubicumque ipsi morerentur, item officialium Apostolicæ Sedis, & familiarium Pontificis Maximi. Cum hæc constitutio temporaria esset, videlicet ad vitam auctoris duratura, Benedictus XII., etiam quousque viveret, sibi eadem beneficia reservavit, extrav. 13. de præbend.. Recentiores Pontifices passim hanc reservationem renovaverunt, ac renovare pergunt in regula 1. Cancellariæ. Item in regula 4 Cancellariæ expresse reservantur beneficia vacantia per obitum illorum, qui fuerint vel Romani Pontificis, vel Cardinalium familiares. Denique in regula 5. Cancellariæ, eo etiam itum est, ut reservarentur beneficicia possessa a Collectoribus spoliorum, de quibus in laudatis & Joannis XXII., & Benedicti XII. constitutionibus nulla mentio facta fuerat. Sic sensim protensa fuit reservatio beneficiorum apud Sedem Apostolicam, seu in Curia Romana vacantium, quæ in ipsa sui origine non nisi certis finibus circumscripta prodierat.

Itaque in primis reservata sunt beneficia Cardinalium, sive obtenta ab illis fuerint ante, sive post munus adeptum; siquidem in hac reservatione non tempora adeptionis, sed tempora vacationis considerantur. Quæstio olim fuit, an Cardinalis indultarius posset beneficia sui Episcopatus conferre, etiam si vacarent beneficia per obitum alterius Cardinalis. Et quidem minime dubitatum fuit initio, indultarium hoc jure uti posse, quousque tradebantur, indultum reservationes omnes de medio tollere. At postquam ex constitutione Urbani VIII. receptum est, indulto non obstante, perdurare reservationes, atque indultarium nomine Pontificis beneficia conferre, recipi quoque debuit, abstinere debere indultarium ab eorum beneficiorum colla-

tione, proterea quod licet in indulto exprimi soleat, ut Cardinalis conferre valeat beneficia vacantia per obitum officialium Curiæ Romanæ, ut familiarium Papæ, non tamen solet exprimi, ut conferre valeat beneficia vacantia per obitum Cardinalis, quod necessarium esset, ut facultas singulari mandato concessa etiam ad eam speciem extenderetur.

Secundo reservata sunt beneficia vacantia per obitum officialium Apostolicæ Sedis. Expresse isti nominantur, tum in dicta extravag. 4. de elect., tum in dicta extrav. 13. de præb., nimirum Vicecancellarii, Camerarii, Notarii, Auditores literarum contradictarum, Auditores causarum Palatii Apostolici, Correctores, Scriptores literarum Apostolicarum, Pœnitentiarii, Abbreviatores, & Cappellani, quibus adjecti fuerunt familiares, seu commensales Rommani Antistitis. His etiam adjecti fuerunt Legati, & Nuntii Apostolicæ Sedis, item Rectores, & Thesaurarii in terris Sedis Apostolicæ constituti; quorum tamen ratione constitutum fuit, ut tum demum reservatio locum haberet, cum in eo officio morerentur, Hic tamen Pragmatici scribere non dubitant, cessare quidem reservationem, sed remanere affectionem, vi cujus adhuc collatio beneficiorum ad Romanum Antistitem spectet. An hæc traditio consentanea sit constitutionibus Joannis XXII., & Benedicti XII., quorum mens erat expressa, ut eatenus perduraret reservatio, quatenus Legati, Nuntii, Rectores, & Thesaurarii in officio manerent, prudentum judicio relinquo, Jure enim postulari posset, quo tenderet illa conditio, si adhuc cessante officio Pontificiæ collationi locus esset; alias autem nihil amplius inducitur ex reservatione personali, quam quod ex affectione induceretur; cum & reservatio, & affectio singularis sit, quæ unica collatione absolvitur, ac consummatur. Ista inter reservationem, & affectionem distinctio meram vocabulorum, aut idearum subtilitatem continet, quam subtilitatem eadem Pragmatici illi, qui cæteroqui viros vere in sacris canonibus eruditos solent redarguere ex eo, quod nimirum subtiles disserendi, atque interpretandi modos excogitent, agitent, producant, atque promoveant. Non desinunt adhuc Pragmatici in cæteris hujus reservationis partibus subtiles videri, ut reservationem eamdem sui natura angustis finibus contentam prorogent. Observant ipsi, reservationem duas habere causas, quarum prima est officium apud Sedem Apostolicam susceptum, altera est familiaritas apud Pontificem Maximum contracta. Hinc concludunt, reservationem existere, ubi alterutrum evincatur. Non esset improbanda traditio, quousque fictionibus non obvolveretur. At enim fictiones adjiciunt, cum nonnulli scribunt, ex. gr. multiplex esse Notariorum, vel Protonotariorum genus; quorum alii sunt participantes, & vere in officio; alii non participantes honoris tantum causa designati. Posteriores cum in officio minime essent, dicebantur tamen ab eisdem Pragmaticis familiares Papæ, ut declaravit Paulus III. in constitutione 3.. At cum idem Paulus III. in constitutione 4. declaraverit, Protonotarios non participantes, esse quidem familiares fictos, non autem veros, eamque ob rem Pragmatici difficile judicarent, se posse ad eos reservationem extendere, iterum voluerunt, eosdem sub nomine officialium comprehendere. Mihi aliud dicendum videtur, & quidem ex mente Joannis XXII., & Benedicti XII. in laudatis constitutionibus expressa. Etenim isti Pontifices hanc reservationem induxerunt, quasi consectarium reservationis beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium. Vix autem contingebat, ut Protonotarii non participantes ut plurimum ab urbe remoti apud Sedem Pontificiam residerent, & supremum diem obirent. Amplius iverunt Pragmatici; & quando in laudatis constitutionibus Joannis XXII., & Benedicti XII. beneficia commensalium Romani Pontificis fuerunt eidem Ro-

no Pontifici reservata, quod confirmatum est *in* regula 1. Cancellariæ; quando insuper *in* regula 4. Cancellariæ reservata fuerunt beneficia possessa a familiaribus Papæ, tradiderunt inde fieri, ut beneficia conclavistarum sint Sedi Apostolicæ reservata, propterea quod conclavistæ declarari soleant ex privilegio veluti Papæ familiares, ac commensales. Mirum est, quot verborum involucris utantur, ut hanc definitionem adstruant; eo enim devenerunt, ut ad inducendam reservationem, de qua expresse non constat, & quam fictionibus adumbraverunt, triplex dixerint esse reservationis vinculum, primum ratione conclavistatus, cujus officium dixerunt exhibitum in Sedem ipsam Apostolicam, quasi conclavistæ sint Sedis Apostolicæ officiales; alterum ratione familiaritatis, quam dicunt contractam a conclavista non tam cum Romano Antistite, quam cum Sede ipsa Apostolica; postremum ratione Protonotariatus, propterea quod plurimi ex conclavistis Protonotarii creentur. Digerat hæc omnia is, cujus cum palato sapiunt, tum sunt stomacho lenia. Ego sane duriora, quam par sit, esse sentio. Quousque hæc deprehendantur esse usu recepta, nec dissentire possum, nec dissentio; aut quoties contendatur, inductam fuisse hanc disciplinam ex germana interpretatione vel Apostolicarum constitutionum, vel regularum Cancellariæ, heic est, ubi exoptarem, ut clarior fieret demonstratio. Tantum dicam, expresse definitum esse in regula 4. Cancellariæ, reservationem ex causa familiaritatis inductam non esse perpetuam, sed referri ad ea tantum beneficia, quæ quis adquisiverit, quo tempore familiaris existeret, non ad ea, quæ cessante familiaritate obtinuisset. Denique in regula 7. Cancellariæ reservata fuerunt beneficia, quæ Cubicularii etiam honorarii, item Cursores Pontificii obtinuissent.

Tertio reserva a sunt beneficia vacantia per obitum Collectorum, qui scilicet colligendis spoliis, decimis, quindeniis, aliisque juribus Apostolicæ Cameræ addicti sunt. Id primum inductum fuit ex regula 5. Cancellariæ ex eo, quod Collectores habeantur veluti Sedis Apostolicæ officiales. In hac regula duo personarum genera distinguuntur. Primum Collectores designati sunt, atque horum omnium, etsi numero plurimi sint, beneficia reservantur. Secundo designati sunt Subcollectores; atque istorum tantum reservantur beneficia, si unicus Subcollector in diœcesi, vel civitate sit, non si plures, quo casu nullius Subcollectoris beneficia sunt reservationi obnoxia. Insuper coercetur reservatio in eadem regula ad ea tantum beneficia, quæ Collectores, aut unicus Subcollector durante officio obtinuerunt, aut in quibus, seu ad quæ durante officio jus eisdem competebat.

Quarto denique reservata sunt beneficia, quæ possidentur a familiaribus Cardinalium, quod quamquam inductum primum fuerit ex regula 4. Cancellariæ, non dubito tamen, quin eadem fuerit ratio hujus reservationis, qualis olim erat in reservatione beneficiorum, quæ a Cardinalibus possiderentur. Triplicis generis designari beneficia possunt. Primum ea, quæ quis obtinuisset, antequam familiaris esset alicujus Cardinalis. Secundo ea, quæ tempore familiaritatis obtinuisset, vel ad quæ certum jus eodem tempore habuisset. Tertio ea, quæ dissoluta familiaritate adquisivisset. Ad priora duo genera refertur reservatio, adeo ut hæc perduret, etiam dissoluta deinde quacumque de causa familiaritate. Ad tertium autem genus reservatio non refertur ob expressa regulæ verba. Dicitur in regula, reservari beneficia familiarium, qui sint *continui commensales*. Id videtur relictum judicio boni viri, qui ex adjunctis universis arbitretur, quinam *commensalis* dicatur, videlicet ex stipendio Cardinalis vivere, & quinam *continuus* commensalis dicatur, videlicet non in fraudem, sed ex animo penes Cardinalem habitet eidem certo in officio minis-

traturus. Multi sunt, qui putant, quadrimestre tempus præterlabi debere, ut quis *continuus* commensalis censeatur; *quemadmodum & multi putant*, reservationem hanc inductam fuisse potius gratia Cardinalium, quam gratia Apostolicæ Sedis. Hæc ut intelligantur, duæ aliæ proponendæ sunt regulæ Cancellariæ, videlicet 32. & 33.. Jamdiu obtinuerat, ut quoties vacaret beneficium per obitum familiaris alicujus Cardinalis, Pontifex Maximus illud concedere soleret Personæ, quam Cardinalis idem commendavisset, neque alteri gratiam faceret, nisi prævio ejusdem Cardinalis consensu. Id confirmatur in dicta regula 32. eo tamen adjecto, ut Cardinalis in Curia resideat, aut saltem in loco vicino infra duas dietas degat, brevi intra decem, vel ad summum quindecim dies reversurus; eo insuper adjecto, ut privilegium hoc Cardinalium locum habeat in beneficiis, quæ familiaris tempore familiaritatis obtinuisset, etiam si inde a familiaritate recessisset, & familiaritatem cum alio Cardinali contraxisset, quasi eodem retento statu; eo denique adjecto, ut familiares ii censerentur, qui saltem per quatuor menses fuissent Cardinali commensales. In regula 23. cautum fuit, ut si beneficii vacantis collator ordinarius sit Cardinalis vi sui Episcopatus, vel alterius dignitatis, isque, uti solet, Apostolicæ Sedis indulto munitus, cesset omnino privilegium Cardinalis alterius in dicta regula 32. confirmatum, & Cardinalis ordinarius libere beneficium conferat, præterquam si beneficium apud Sedem Apostolicam vacet, cum hic casus in indulto minime comprehendatur; hac enim in specie Cardinalis, cujus familiaris decessit, privilegium consensus habet, quemadmodum haberet, quocumque in casu, si ordinarius non esset Cardinalis. Num igitur exinde concludetur, non aliter beneficium reservatum esse vi regulæ 5. Cancellariæ, quam si familiaris per quatuor menses apud Cardinalem fuisset? Non id in necessariam consequentiam deducitur, argumento ducto ex regula 32.. Jam olim Bonifacius VIII. in cap. ult. de verbor. signif. in 6., cuidam concesserat collationem beneficiorum, quæ vacavissent per obitum familiaris, *qui existeret continuo domesticus commensalis*. Nulla erat definitio temporis facta. Ex proposito admittentis, & admissi commensalis, quale ex adjunctis colligi poterat, res tota dirimebatur. In regula 4. Cancellariæ nec ulla quidem quadrimestris temporis facta mentio adparet. Quod si in regula 32. definitum fuit quadrimestre tempus, hoc inductum est ad singulares fraudes eludendas, qui admitti possent, ut consensus prærogativa Cardinali adquireretur. Quæ autem singularia sunt, prorrahi recta interpretatione nequeunt ad alteram regulam, quæ fundamentum habebat in vacatione beneficiorum apud Apostolicam Sedem, per Pontificias constitutiones, aut regulas ad casus fere similes prorogata. His adjicitur in dicta regula 4. Cancellariæ, æque reservari beneficia vacantia per obitum familiarium Papæ, ac vacantia per obitum familiarium Cardinalium. Quod si definitio quadrimestris temporis facta in dicta regula 32., ad regulam 4. referretur ad fraudes evitandas, dicere, oporteret, Summos Pontifices etiam declarare voluisse, quandoque locum esse posse fraudibus apud se in suis eligendis familiaribus, quorum beneficia reservata non essent, nisi elapso saltem quadrimestri, quod sane vel suspicari indecorum foret. An autem memorata regula 4. induxerit reservationem potius gratia Cardinalium, quam gratia Apostolicæ Sedis; Cardinalium, inquam, ut eorumdem consensu beneficia ita vacantia conferrentur; Apostolicæ Sedis, ut plurium beneficiorum collationem nancisceretur, res definiri facile potest. Regula quidem Cardinalibus favet, dum confirmat præstandi consensus prærogativam. At præcipue edita est gratia Sedis Apostolicæ, quando certum est, uti modo notandum fuit, etiam quo casu Cardinalis consen-

sus non est exspectandus, veluti cum abest a Romana Curia, adhuc reservationi locum esse, & Ordinariorum collationem excludi.

Quarta generalis reservatio dicitur ex causa dignitatis, nonnullorum beneficiorum. Huc spectat in primis regula 8. Cancellariæ, in qua Pontificiæ collationi reservantur canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, & officia constituta in tribus Basilicis Romanæ Urbis, nimirum S. Joannis Lateranensis, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Majoris. Hæc plane reservatio non eamdem habet naturam, quam cæteræ reservationes; siquidem non quidquam novi juris ex ea reservatione Pontifici Maximo adquiritur; tantum pristinum jus ordinarium in beneficiis Romanæ Urbis, Romano Antistiti competens asseritur, vindicatur, & quatenus opus sit, restituitur, sublatis de medio in hac parte privilegiis, aut indultis, quæ ex Pontificia largitate concessa fuerant aut Cardinalibus earumdem Ecclesiarum Archipresbyteris, aut etiam ipsarum Ecclesiarum Capitulis. Eadem ratione in eadem regula reservantur Pontifici Maximo beneficia, quæ Cardinales ratione Episcopatuum sui Cardinalatus, vel ratione Cardinalium titulorum conferre possunt, quoties absentes ipsi sint a Curia Romana. Sunt istæ quædam indultorum coercitiones, non veræ, & propriæ reservationes. Aptius ad hanc generalis reservationis speciem refertur reservatio, quæ habetur in 2. regula Cancellariæ; in qua in primis statuitur, spectare ad Pontificem Maximum collationem omnium Ecclesiarum Patriarchalium, Primatialium, Archiepiscopalium, & Episcopalium. Disputant Pragmatici de hujus reservationis antiquitate, aliis reservationem repetentibus a Gregorio IX., aliis a Bonifacio VIII., aliis a Clemente V., aliis ab Joanne XXII., aliis non nisi a recentioribus Pontificibus; quodque mirum est, tradentibus nonnullis, ex hac reservatione nihil novi inductum fuisse, sed restitutam antiquam disciplinam, cujus monumentum inveniunt in can. 1. dist. 22.. Gravissima istos obruit disciplinæ Ecclesiasticæ veteris ignoratio, quando nihil in tota vetustate frequentius occurrit, quam Episcopalia omnia munera suffragio cleri, ac consensu populi præcedente in Synodis provincialibus committi consuevisse. Non opus hic est adnotare, quænam sit germana interpretatio canonis 1. dist. 22., cujus auctor est Petrus Damiani. Alibi jam id expendi, tradens, nihil cum proposita traditione commune ibidem occurrere. Ego observo, primum Clementem V. specialiter sibi reservavisse Ecclesiam Burdegalensem, de qua ipse ad Romanam Sedem assumptus fuerat, una cum Monasterio sanctæ Crucis pariter Burdegalensi in extrav. 3. de præb.. De aliis Cathedralibus Ecclesiis nulla reservatio adparet, nisi tum demum, cum apud Sedem Romanam vacarent, quemadmodum legitur in dicta extrav. 3.. Istud ipsum statuit Joannes XXII. in extrav. 4. int. comm. de elect., & confirmavit Benedictus XII. in extrav. 13. de præb., ex quibus facile deducitur, non nisi serius eam generalem reservationem inductam fuisse, & inter regulas Cancellariæ receptam. Additum fuit in regula, reservari pariter Pontificiæ collationi omnia Monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri (florenus aureus idem valet apud Romanos, ac Julii argentei septemdecim cum dimidio) communi æstimatione excedentia. Observandum tamen est, non ubique regulam istam esse receptam, ob varias etiam transactiones, & concordata, quæ diversam in diversis ditionibus disciplinam induxerunt, quod etiam observandum voluerunt Tridentini Antistites in cap. 1. sess. 24. de Ref.. Ubi vero suas vires exerit reservatio, quotidiana praxis demonstrat, non esse solam reservatam electionis Episcoporum, vel Abbatum a Capitulis, vel Monachis factæ confirmationem, aut Episcoporum consecrationem, sed liberam omnino Epis-

copalis, atque Abbatialis beneficii collationem. Neque dicas, in regula non fieri specialem mentionem de Monasteriis, aut Cathedralibus Ecclesiis, ad quas per electionem quis assumatur, ut concludas, ab hac regula excipi Ecclesias, & Monasteria electiva, argumento capituli 16. §. *Illi vero* de præb. in 6. Etenim jam observaverunt Interpretes regulæ, non opus fuisse expressam mentionem facere electivarum Ecclesiarum, & Monasteriorum; propterea quod tam Cathedrales Ecclesiæ, quam Monasteria non ex accidenti, sed suapte natura sunt electiva, satisque sit memorare Cathedrales Ecclesias, aut Monasteria, ut beneficia hujus generis electiva memorata intelligantur. Hinc hodie in his majoribus beneficiis aliorum electioni, vel nominationi locus fieri non solet, nisi vel speciale privilegium, vel intra transactio, seu concordatum, vel immemorialis consuetudo suffragetur. Item regula locum habet in Monasteriis æque conventum habentibus, ac conventu carentibus, quæque propterea commendari sæcularibus Clericis consueverunt, dummodo omnia isthæc regularia beneficia jure tituli perpetui possidenda conferantur. Ad eamdem speciem reservationis generalis etiam refertur reservatio, de qua concepta est regula 4. Cancellariæ, ubi reservatæ fuerunt dignitates omnes majores post Pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes principales in Ecclesiis Collegiatis, ea declaratione adjecta, ut si forte quædam dignitas non sit major in Ecclesia Cathedrali, sed principalis sit in Ecclesia Collegiata a Cathedrali distincta, hæc ipsa dignitas sit Sedi Apostolicæ reservata. Hæc ita intelligenda sunt, ut prima dignitas, etiam unica, reservata sit, quod tamen in eadem Ecclesia plura supersunt beneficia, etiam sine titulo dignitatis, non vero si, præter unicam dignitatem, nulla alia superessent beneficia, ne per hanc reservationem universa Ordinarii jurisdictio evacuetur. At si forte in prima dignitate reservatio non consistat, vel quod prima dignitas seppressa sit, & unita Capitulo, vel quod sit juripatronatus aliquorum obnoxia, vulgo scribunt, reservationem locum habere in secunda, quasi secunda in hac specie locum teneat primæ. Præterea in eadem regula 4. reservati sunt Prioratus, Præposituræ, Præpositatus, aliæque dignitates conventuales, quod intellige de Ecclesiis tantum Regularibus, sive actu, ut vocant, sive habitu, item de dignitatibus tantummodo perpetuis, non de temporalibus, sive de iis, quæ obedientiales vocantur ex eo, quod in illis constitutus ad nutum superioris possit amoveri; atque in hac regulæ parte locum etiam habet, quod superius adnotavi ad regulam 2. Cancellariæ de Monasteriis, nimirum non esse id ubique receptum, sed esse variis consuetudinibus Provinciarum, ac concordatis obnoxium. Quod si petas, quid discriminis intercedat inter Monasteria jam reservata in regula 2., & dignitates conventuales reservatas in regula 4., respondent passim Interpretes, nomine Monasteriorum in regula 2. venire Abbatias consistoriales, & nomine dignitatum regularium in regula 4. venire Præfecturas Monasteriorum non consistoriales. Adjicitur denique in dicta regula 4., reservari Præceptorias generales quorumcumque ordinum, non tamen militarium.

Postremo generalis reservatio dicitur ratione delicti, quo admisso, beneficiarius jure suo spolietur, non sane quod omni hujus generis crimine admisso reservatio inducatur, sed quod quædam sint delicta, quibus admissis reservata certa beneficia sint. Huc pertinet in primis, quod tradi solet, reservari beneficia Sedi Apostolicæ, quæ vacant per assecutionem alterius beneficii incompatibilis. Multa tamen in hac re sunt observanda. Primum est, jamdiu cautum fuisse in Concilio Lateranensi Innocentii III. sive in cap. 28. de præb., ut, si quis

curam animarum, vel dignitatem, vel personatum habens alterum ejus generis beneficium obtineret, ipso jure primum vacare censeretur, quod libere posset ab Ordinario conferri. Hæc sine discrimine obtinuerunt, quousque aut vix, aut raro Pontifices Maximi beneficia per se conferebant. Deventum est ad ea tempora, quibus Pontificiæ collationes esse cœperunt frequentiores. Tum vero si Pontificia auctoritate beneficium, uti vocant, incompatibile concederetur alicui alterum beneficium incompatibile possidenti, vacabat quidem primum; sed conferri non poterat ab Ordinario, postquam reservationes beneficiorum vacantium in Curia induci cœperunt. Statim ac enim actus collationis secundi beneficii, ex quo primum beneficium vacabat, perficiebatur in Curia, vacatio secundi beneficii in Curia sequi dicebatur, unde reservatio emergebat, quamquam adhuc verum esset, vacationem nondum fuisse undecumque perfectam, propterea quod exspectandum adhuc esset tempus, quo quis pacifice possessionem secundi beneficii adipisceretur, quod hodie bimestre esse solet, ita tamen, ut adepta pacifica possessione vacatio retrotrahatur ad tempus adeptionis secundi beneficii. Nihilominus tamen Joannes XXII. expresse eadem beneficia Sedi Apostolicæ reservare voluit in extravag. sua unica de præb., relata etiam in extravag. 4. eod. tit. int. comm., quod confirmavit Benedictus XII. in extravag. 13. eod. tit., atque hanc ipsam reservationem confirmaverunt recentiores Pontifices in regula 1. Cancellariæ. Ego non puto, hanc reservationem expressam in dictis constitutionibus distinctam esse ab altera reservatione, quæ dicitur beneficiorum in Curia vacantium; neque enim quid amplius in illa continetur, quam quod in ista contineatur, nisi dixeris, Joannem XXII. reservasse sibi beneficia, quæ vel ipse, vel Prædecessores sui contulissent numero plura etiam cum dispensatione, propterea quod noluit, eam dispensationem alicui prodesse, ac statuit, liberum esse possessori, ut ultimo adeptum beneficium retineret, si vero utrumque retinere pergeret, utrumque & vacaret, & esset collationi Sedis Apostolicæ reservatum. At enim hæc reservatio perpetua non erat, tantum casus præteritos respiciebat plurium beneficiorum ex dispensatione Pontificia pridem obtentorum. Itaque hodie si quis auctoritate Pontificia beneficium quoddam incompatibile nanciscatur, dicitur beneficium primum in Curia vacare, propterea que est Sedi Apostolicæ reservatum. At si obtineatur ab Ordinario, vacabit quidem similiter beneficium primum, sed non erit collationi Pontificiæ reservatum, quia in Curia minime vacat. Nihil autem refert, an Pontifex per se, an per delegatum beneficium conferat, puta per legatum Sedis Apostolicæ ob verba in laudata extravaganti 13. expressa, quibus beneficia reservantur vacantia per concessionem secundi incompatibilis factam vel a Pontifice, vel auctoritate literarum Pontificiarum.

Adversus hanc reservationem nonnulli effugia quæsiverunt, non tantum ut plurium beneficiorum possessores evaderent, quod eveniebat permutando beneficium incompatibile, uti loquuntur, cum compatibili, sed etiam ut beneficium primum, quod ex adeptione secundi vacaturum erat, vel in alterum resignatione facta transferrent, vel libere renuntiarent apud ordinarium collatorem ad excludendam Pontificiam reservationem. His obviam iverunt Pontifices Maximi in regula 3., & 26. Cancellariæ. Statuerunt in regula 3., non valere aut resignationem, aut cessationem, aut permutationem beneficii incompatibilis in fraudem Pontificiæ reservationis factam ab eo, qui certum vacans beneficium sit a Sede Apostolica impetraturus, eo etiam adjecto, ut irrita insuper sit collatio beneficii secundi, salvis tamen manentibus quibuscumque juribus

competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio etiam ex causa permutationis. In regula 26. specialiter definitur, non valere renuntiationem, cessionem, & quamcumque dispositionem beneficiorum, quæ facta fuerit ab eo, qui promovendus sit ad Cathedrales Ecclesias, vel Monasteria, vel quascumque Prælaturas a die, quo eædem Ecclesiæ, vel Monasteria, vel Prælaturæ vacant, qua in specie pœna quidem adjecta est, ut resignatio, cessio, & quævis alia dispositio irritetur, non etiam ut irritentur acta Pontificiæ collationis ejusdem Cathedralis Ecclesiæ, vel Monasterii, vel Prælaturæ.

Gravis sollicitudo, quæ tenuit perpetuo Pontifices Maximos, ut executioni demandarentur Tridentina decreta, occasionem etiam dedit, ut reservarentur Pontifici Maximo beneficia, de quibus vel Ordinarii, vel alii collatores contra decreta Tridentini Concilii disposuissent. Ita habetur in fine regulæ 1. Cancellariæ, quod primum a Sixto V., deinde a successoribus Pontificibus constitutum est. Itaque hodie sunt reservata Pontificiæ collationi beneficia Parochialia illi collata, qui necdum 25. ætatis annum attigerit contra præceptum Tridentini capitis 3. sess. 7. de Ref., beneficia simplicia collata non habenti primam tonsuram, aut illi, qui non sit saltem in decimo quarto ætatis anno constitutus, contra caput 6. sess. 7. de Ref., beneficia simplicia collata illegitimo, vel alias incapaci, contra cap. 15. sess. 25. de Reform., contra caput 6. 8. 18. 19. sess. 24. de Ref., beneficia vel sæcularia regulari, vel regularia sæculari concessa, contra caput 11. sess. 14. de Ref., beneficia Parochialia collata contra formam concursus, contra caput 18. sess. 24. de Ref., quo in casu jam reservationem singularem induxerat Pius V. in sua constitutione 33., ex qua interpretationem sumit hæc regula; nimirum reservatio quidem locum habebit, ubi Ordinarius collator, qui culpam admisit adversus Tridentinum decretum, libera collatione fruitur, non vero si collatio beneficii Parochialis ad alium collatorem spectet, aut Patronatui Ecclesiastico sit obnoxia; ne alias culpa Ordinarii fraudem faciat aut collatori singulari, aut Patrono; nisi vel collator singularis, vel Patronus Ecclesiasticus etiam in culpa sit, proindeque dignus sit, qui suo jure spolietur. Observandum adhuc est, in dicta regula 1. Cancellariæ non definiri, beneficia reservari Apostolicæ Sedi, quæ contra formam, aut decreta Concilii collata fuissent, sed definiri, reservari beneficia, de quibus Ordinarii, alii collatores disposuerint aliter, quam Concilium Tridentinum statuerit. Verbum *disponendi* collationem quidem in se continet, sed alios actus præter collationem complectitur. Hinc fit, ut si Episcopus univerit beneficia, quibus in casibus ne uniat, Concilio Tridentino prohibetur, non solum unio irrita sit, sed & collatio beneficii vacantis Sedi Apostolicæ reservetur. Hæc regula pœnalis est, proindeque ea tantum in specie locum habet, quoties Ordinarius, vel alius collator de dolo, vel culpa redarguatur, minime vero, quoties vel justa causa, vel excusabilis error facti, vel probabilis ignorantia causam dederit dispositioni Tridentino Concilio contrariæ. Eove minus reservatio locum habebit, ubi Patronus, non collator, violaverit Tridentina decreta cum regula mentionem tantum de collatoribus faciat, non de patronis.

PARS SECUNDA

DE VARIIS COLLATIONUM FORMIS.

CAPUT I.

De forma Collationum ordinaria.

CUM sæculo Ecclesia duodecimo excoli cœpit jurisprudentia Romana, cujus etiam suppellectilem auxerunt recens inductæ feudorum consuetudines, nonnulla exinde traducta fuerunt in disciplinam Ecclesiasticam occasione collationis beneficiorum, præsertim quod ista tum primum novam formam indueret, & secerneretur a collatione sacrorum ordinum, cui olim conjungebatur. Interea tamen & nonnulla veteris disciplinæ vestigia remanserunt, quasi collatio beneficiorum in parte retineret naturam collationis ordinum, in parte autem nonnihil novi adquireret, exemplo adquisitionum bonorum, vel etiam feudorum, quando beneficia bonis Clericorum adcenseri cœperunt, & parum visa sunt distare a feudis, quæ olim etiam beneficia dicebantur, & tantum concedebantur ad vitam vassalli, post hujus obitum ad concedentem reversura. Itaque in primis beneficiorum collatio certa retinuit vestigia disciplinæ veteris. Si enim cum jungeretur collationi ordinum, uti collatio ordinis, ita & collatio beneficii perpetua erat; ne quis sine causa potuit æque a beneficio, ac ordine aut sponte recedere, aut Prælati auctoritate dejici; unde obtinuit, ut beneficii collatio fieri debeat pure, non in diem, non sub conditione, can. 2. dist. 55., can. 7. dist. 57.. Tantum quædam exceptiones ad regulam adjiciebantur etiam hodie probatæ, & primum in beneficiis manualibus, id est, ad nutum superioris revocabilibus, cap. 6. vers. *Nec alicui* de statu Monach.; secundo in commendis, quæ in Parochialibus Ecclesiis ad semestre tempus auctoritate Ordinarii constituuntur, cap 15. de elect. in 6.; tertio in coadjutoriis, ut in specie capituli 1. & ult. de Cleric. ægrot.; quarto in juribus visitationum, de quibus agitur in cap. ult. de suppl. neglig. Prælat. in 6. cap. 19. de elect., & cap. 42. de elect. in 6.; quinto denique in extraordinariis quibusdam causis, quibus Romani Antistites aliquando duxerunt collationi beneficiorum tempus vel certum, vel incertum, puta usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, adjicere, can. 42. caus. 7. quæst 1., cap. 5. de fil. Presbyt. cap. 5. de rescript. in 6.. Istæ exceptiones firmant magis regulam, magis etiam regulæ rationem; siquidem quæ universæ exceptiones proponuntur, ad eos casus pertineant, in quibus beneficia seorsim a sacra ordinatione conferebantur. Non erant ab ipsa origine sui adnexa ordinationi beneficia manualia, quæ ut plurimum regularia erant, & concedebantur Monachis minime ordinatis. Non erant adnexæ ordinationi commendæ, quæ etiam laicis conferri potuerunt. Non visitationes, non coadjutoriæ, aliaque similia jura, quæ officio potius, quam ordini cohærebant. Hæc observatio, quæ plana est, & primigeniæ beneficiorum naturæ conformis, aut fugit oculos, aut non explevit animos illorum, qui sæculo duodecimo ebrii erant in studiis jurisprudentiæ Romanæ. Isti, quibus ea tantum arridebant, quæ derivarentur ex principiis veterum Jureconsultorum, novas excogitarunt

causas, quibus diceretur, beneficia pure omnino concedi debere. Hinc dixerunt, collationem beneficiorum esse actum legitimum, cui ex doctrina Jureconsultorum neque dies, neque conditio adjici potest, can. 2. caus. 1. quæst. 2., cap. ult. de pactis, cap. 2. de elect. in 6. juncta l. 77. ff. de reg. jur., nisi talis conditio adjiceretur, quæ tacite inesset, ex. gr. ita beneficium concedendo, ut aliud quod antea possidebatur, resignetur, argumento cap. 17. de rescriptis. Præterea ex eodem superius facto principio facile dignoscimus, quare in quibusdam saltem beneficiis adipiscendis fieri consueverit, & soleat fidei professio, nimirum si agatur aut de beneficiis Parochialibus, aut de dignitatibus, vel Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis. Erant omnia beneficia sacræ ordinationi adnexa. In sacris ordinationibus, præsertim majorum ordinum, inductum jam olim fuerat, ut ordinandus fidei professionem faceret, quæ tantum remittebatur in ordinatione minorum Clericorum. Cur non igitur professio fidei a Parochis Sacerdotale officium suscipientibus, aut a Dignitatibus, vel Canonicaribus Cathedralis Ecclesiæ, quæ munera sacrum ordinem postulant, exigeretur? Id magis perspicue statutum est in Tridentino Concilio in sess. 24. cap. 12. de Reform., ubi cautum fuit, ut omnes beneficiarii, quibus cura animarum immineat, teneantur a die adeptæ possessionis saltem intra duos menses in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii orthodoxæ fidei publicam facere professionem; item ut provisi de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur, indicta pœna adversus negligentes amissionis fructuum, quin illis ulla beneficii possessio suffragetur. Formam professionis fidei edidit Pius IV. anno 1564. Idibus Novembris. Insuper ex eodem principio profluit, ut beneficiarii tempore adeptionis beneficii quædam se peracturos Collatori spondeant, & quidem jurejurando. Istæ sponsiones jam fiebant tempore ordinationis, dum ordinatus promitteret Episcopo obedientiam, & reverentiam, item se susceptum officium rite administraturum. Idipsum promittebatur causa beneficii, cujus respectu adjici consuevit, ut beneficiarius sponderet, se & Episcopo, & Sedi Apostolicæ perpetuo obsecuturum, sacris officiis peragendis juxta onera beneficio imposita institutum. Postulavit inde politiæ ecclesiasticæ ratio ad coercendos nonnullorum abusus, ut sponsioni adjiceretur, beneficiarium non alienaturum bona beneficii, una cum protestatione, qua beneficiarius fateretur, nihil se beneficii consequendi causa dedisse, can. 18. caus. 22. quæst. 5., can. 3. caus. 35. quæst. 5., cap. 4. 5., & 11. de jurejur., cap. 19. de verb. sign.. Quæ omnia etiam hodie fieri solent ad veteris, ut ajebam, disciplinæ vestigium. Nunc ea persequamur, quæ collationibus beneficiorum accesserunt ex studio veteris Jurisprudentiæ Romanæ, aut etiam ex consuetudinibus feudorum. Juxta principia Jureconsultorum, ac Feudistarum aliud erat jus ad rem, aliud jus in re nancisci. Item jus in re modo per symbola tradebatur, modo actuali missione in possessionem. Hinc cœpit induci in beneficiis, ut electus, nominatus, præsentatus ad beneficium jus quidem ad beneficium haberet, non vero jus in beneficio, quod tantum constitui traditum est in institutione, argumento cap. 17. de præb. in 6.. Duplex quoque institutio agnita est, altera tituli collativa, altera corporalis, sive actualis in possessionem immissio. Institutio collativa tituli facta est per collationem symbolorum, ad exemplum præsertim feudalis investituræ. Institutio corporalis facta est per inductionem beneficiarii in prædia beneficiaria; & quando beneficium potissimum in rei sacræ administratione versatur, ab actibus ipsis possessoriis neque Ecclesiæ, neque Altaria immunia esse potuerunt. Exterioribus ac-

tibus institutio utraque explicata fuit, quibus adpareret, beneficium alicui esse concessum, cap. 1. de reg. jur. in 6., quæ variis modis in variis provinciis, & pro varietate beneficiorum exercentur. Alicubi enim Clerico vel per se, vel per procuratorem curam conferente consistenti pileus imponitur; alicubi annulus digito inserendus porrigitur, cap. 4. de concess. præb.; alicubi calamus traditur, quam vulgo beneficii investituram exemplo feudorum, sive institutionem tituli collativam appellant. Et quamquam olim hac institutione secuta statim & libere Clericus valeret sponte capere possessionem actualium jurium, æque & onerum beneficii, immo & eamdem possessionem recepisse per tradita beneficii simbola videretur, argumento l. 1. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. possess., l. 74. ff. de contrah. empt., cap. 18. de sent. & re judic., inde tamen passim factum est, ut collatoris auctoritate beneficiarius corporalem possessionem caperet, cap. 18. de sent. & re judic. ibi: *Ipsum instituit in eadem, in possessionem eum induci faciens corporalem.* Et quidem quousque Archidiaconorum, tanquam vicariorum, opera Episcopi usi sunt, hæc possessionis traditio per Archidiaconos fieri solebat, cap. 7. & 9. de offic. Archid.. Sed postquam Episcopi alios delegare cœperunt ad exercendam jurisdictionem, aliis etiam mandarunt, ut recens institutos beneficiarios in possessionem inducerent; quod hodie vulgare factum est ita, ut nulla esse soleat specialis delegatio, sed passim cuicumque ex clero committatur, ut beneficiario auctoritate Episcopi possessionem concedat, dummodo semper caveatur, ne pro danda possessione aliquid exigatur, cap. 9. & 36. de simonia. Solemnitas capiendæ hujus possessionis in eo consistit, quod beneficiarius Ecclesiam ingrediatur, &, si Parochus sit, manu capiat aspersorium aquæ lustralis, altare majus osculetur, vel similia faciat pro usu recepto uniuscujusque Ecclesiæ: si sit Canonicus, stallum in choro occupet; si minor sit beneficiarius, antiphonarium, vel alium librum ritualem pro sui officii qualitate manu capiat, vel similia præseferat possessionis argumenta. Sive de corporali, sive de tituli collativa institutione agatur, solent ad perpetuum rei gestæ monumentum omnia redigi in scripturam, ut facilis sit probatio, can. 3. caus. 16. quæst. 3., solent insuper duo saltem testes intervenire; & cum agitur de possessione corporali, solet etiam intervenire Notarius, qui acta in scripturam redigat, ut auctoritate publica capta possessio videatur.

Adeptæ possessionis effectus est, ut possessor adversus quemcumque alium beneficium illud impetrantem exceptionem opponat, qua in re duæ sunt observandæ regulæ Cancellariæ, nimirum regula 35. de annali, & regula 36. de triennali possessore. Hæc quoque consectaria sunt jurisprudentiæ Romanæ, in cujus conspectu multa sunt concessa privilegia, præsertim auctoritate prætoria, possessoribus jurium, vel bonorum, ne facile, aut temere a sua possessione turbentur. Prior regula definitur, reprimendos esse improbos lites exquirentium motus, ac proinde si quis impetraverit a Sede Apostolica beneficium, quod alter per annum immediate præcedentem pacifice possideret, quod certo modo vacare diceretur, non aliter eam impetrationem ipsi prodesse, quam si in impetratione expresserit nomen, gradum, nobilitatemque possessoris, & possessionis tempus, & causam, quare possessori nullum jus in beneficio competat; item possessorem ipsum infra sex menses in judicium vocet, causamque ex tunc infra annum usque ad definitivam sententiam prosequatur. Id nonnihil simile habet cum actione in rem prætoria publiciana, eatenus nimirum, quatenus tum in publiciana, tum in regula memorata annalis possessionis pacificæ ratio habetur. Cæterum multum adhuc discriminis inter utramque intercedit

propterea quod in publiciana possessori favetur; at in regula non possessor adjuvatur, sed potius subreptitius impetrator coercetur; cujus rei argumento est, quod annali beneficii possessori non actio conceditur, sed exceptio; quod item non opus est, ut annalis beneficii possessor sit aut justo titulo munitus, aut bona fide; tantum sufficit, ut impetrator beneficii regulæ non satisfecerit. Hinc qui beneficio hujus regulæ uti velit, demonstrare dumtaxat debebit, annum elapsum fuisse a die captæ a se possessionis usque ad impetrationem beneficii ab adversario factam, & per illud tempus pacifice, id est, sine ulla controversia possedisse; quin opus sit tituli, ne colorati quidem, allegatione, Faber in codice libr. 2. tit. 6. def. 15.. Id adeo verum est, ut regula etiam prosit ei, qui ipso jure beneficio jam privatus esset vel ob hæresim, vel ob assecutionem alterius beneficii incompatibilis, vel etiam ob simoniæ crimen admissum; immo & prosit ei, qui sese in beneficium intruserit etiam adversus reservationes Pontificias, utut clausas in corpore juris, non obstante irritante decreto; quando regula non ideo inducta est, ut possessori faveatur, sed ut iniqui, & molesti impetratores repellantur; proptereaque regula non præbet, neque auget, neque firmat possidendi titulum, sed tantum jus dat, ne ab eo, qui iniquum titulum exhibet, excludatur. Hæc in causa sunt, quare Pragmatici communi consensione fateantur, regulam istam omni favore dignam esse, cum in bonum publicum tendat ad evitandas fraudes, quæ passim a beneficiorum aucupatoribus admittuntur; neque enim istis desunt prætextus ad ingerendas molestias adversus eos, qui jamdiu beneficia possident. Nescio autem, qua ratione post hæc nonnulli ex Pragmaticis plures investigent casus, quibus regula cesset; dum ajunt, modo regulam non obesse ei, qui beneficium impetraverit cum clausula *motus proprii*; modo regulam non habere locum, ubi possessor titulo munitus sit evidenter irrito; modo non habere locum, ubi quis possideat beneficium reservatum reservatione clausa in corpore juris, quin illud a Sede Apostolica obtinuerit; modo etiam testentur, in Romana Curia huic regulæ in parte saltem derogari solere. Esto, in pluribus casibus possessorem non esse adjuvandum ob improbitatem, quam voluit sibi esse præsidium adsequendi beneficii; eminet tamen super hæc publica utilitas, quam hæc regula fovet ad compescendos iniquos beneficiorum impetratores, qui mentem Pontificis Maximi circumveniunt. Verba regulæ amplissima sunt, nec ullam exceptionem admittunt. Finis regulæ sanctissimus est, cujus causa extendi potius, quam coerceri eadem regula debet. Quod si Pontifices Maximi eidem regulæ aliquando derogent, ego non dubito, quin, cum id egerint, tum gravi derogationis causa, si non magis, æque saltem bono publico prospicientes, innitantur; interea tamen non erit facile præsumenda derogatio generalibus quibusdam clausulis, qualis esset clausula *motus proprii*, quæ hodie ex Curiæ stilo omnibus beneficiorum impetrantibus adjici solet non sine facto eorumdem impetrantium, aut aliæ clausulæ non dissimiles.

Posteriore regula, nimirum 36., decernitur, ut si quis quæcumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu ex quovis titulo apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos pertinet, per triennium pacifice possederit, dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit, super eisdem beneficiis taliter possessis nullam molestiam patiatur; & quæcumque impetratio horum beneficiorum facta sit, in irritum cadat. Idipsum operatur hæc regula, quod in jure Ro-

mano usucapio, vel præscriptio; unde duo passim traduntur: Primum est, hanc regulam exemplo occupationis, vel præscriptionis in bono publico fundamentum habere, ut jura semel quæsita non maneat in incerto: alterum est, hanc regulam jus tribuere in beneficio illi, cujus jus alias non plenum, aut integrum foret. Vulgo traditur, hanc ipsam triennalem possessionem illam esse, quam olim firmam fore voluerunt Africani Patres in cap. 1. de præscription.. Verum, meo judicio, magis sobrie de hac re ferenda sententia est. Qui enim apprime callet, qualis aut necessario, aut opportune adhibenda œconomia fuerit, quinto præsertim Ecclesiæ sæculo in Africa in causis Catholicorum, & Donatistarum, in quarum medio diœceses ipsæ, & Episcopales administrationes gravissime turbabantur, facile dignoscit, plura tunc bono pacis singularia induci debuisse, & revera inducta fuisse, in exemplum minime protrahenda. Constituerant Imperatores in l. 3. cod. de hæret., ut administrationes, & Ecclesiæ ab hæreticis omnibus auferrentur, transferendæ in Catholicorum Antistitum potestatem. Hinc si catholicus Antistes partem Diœcesis adversus hæreticum occupasset, & triennio possedisset, ex sententia Africani Concilii eam sibi veluti propriam vindicabat. Fuerunt hæc singularia, nec quidquam commune habent cum causis in memorata Cancellariæ regula definitis. Opus sane fuit hac utili regula, quia vel necdum præscriptio in beneficiis inducta fuerat, vel si forte inducta probari posset, necdum certam formam acceperat. Itaque ex regula triennalis possessionis vera præscriptio inducta est, & certam formam accepit; unde eadem regula jure interpretationem capit in iis, quæ expressa non sunt, ex disciplina generali præscriptionum. Quamobrem concludi potest, & tempus requiri, & titulum, seu causam præscribendi, & bonam fidem, & rem ipsam minime vitiosam; est enim hæc regula valde distincta a regula annalis possessionis; cum regula annalis nullum jus tribuat possidenti, uti superius notandum fuit, tantum excludat iniquum beneficii impetratorem, at regula triennalis verum jus tribuat possessori, Faber in cod. libr. 2. tit. 6. def. 15.. De tempore nulla est dubitatio, quando expresse in regula triennium designatur. Titulus justus esse debet, nimirum collatio, sive Apostolica auctoritate, sive ab Ordinario facta, sive proficiscens ex electione confirmata, sive ex institutione, quam præsentatio præcesserit; hæc enim omnia justi tituli sunt causa beneficii adipiscendi. Neque enim interest, an qui beneficium contulit, vel præsentatum instituit, vel electionem confirmavit, jus conferendi, instituendi, vel confirmandi habuerit, an minus. Siquidem quid opus fuisset regula, quid opus triennali possessione; si talis titulus ab initio requireretur, ex quo jus in beneficio quæsitum undecumque firmum existeret? Dummodo in collatione, in institutione, in confirmatione certus color adpareat, quo omnia exteriorem habeant rei bene gestæ figuram, triennalis possessio jus tribuet. Hinc si Pontificia auctoritate impetratum fuerit beneficium non reservatum; si Ordinarius contulerit beneficium Sedi Apostolicæ reservatum; si Ordinarius insuper habita præsentatione libere contulerit beneficium patronatum, aut insuper habita electione libere contulerit beneficium electivum; si alter Prælatus inferior, aut etiam superior certa jurisdictione munitus contulerit beneficium, ad alterius collationem pertinens; in his omnibus, & similibus casibus regula proderit. Frustra autem regulæ præsidium impetraret, qui beneficium per vim occuparet, sive se in beneficium intruderet, cum in hac specie titulo destitueretur. Quid vero est, quod in regula expresse legitur, prodesse triennalem possessionem, *dummodo in beneficiis, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserit*? In conspectu hujus clausulæ

tradunt Pragmatici, prodesse regulam illi, qui auctoritate ordinaria nactus fuerit beneficium reservatum Sedi Apostolicæ reservatione facta extra corpus juris; non vero illi, qui etiam auctoritate ordinaria beneficium consecutus est reservatum reservatione clausa in corpore juris. Videatur Faber in cod. libr. 1. tit. 2. def. 5.. Mihi, ut verum fatear, placere nequit ista traditio, utpote quæ neque est juri communi conformis, neque ex ipsa Cancellariæ regula satis deduci potest. Non est in primis conformis generali juris disciplinæ, etenim scimus, præscriptionem, a cujus regulis hæc triennalis possessio non recedit, semper habere locum, etiam si titulus adquirendi non ab eo dimanet, qui possit jus constituere, ac donare; scimus item, quam inani fundamento innitantur, qui reservationem clausam in corpore juris multo favorabiliorem cæteris reservationibus esse dixerunt, uti superius suo in loco traditum est. Non deinde satis belle deducitur ex ipsa regula Cancellariæ, quando in verbis modo descriptis duo necessario requiruntur ad exclusionem regulæ Cancellariæ, primum, ut quis se *intruserit*, secundo, ut quis se intruserit in beneficia reservata *reservatione generali clausa in corpore juris*. Porro qui beneficium reservatum etiam reservatione clausa in corpore juris adeptus est ex auctoritate Ordinarii, non dici potest se intrusisse; quod tamen regula expresse postulat, ut quis a regulæ præsidio excludatur. Dices tamen: quo spectat singularis illa exceptio *reservatorum beneficiorum reservatione clausa in corpore juris*? Repono ego: quo spectat formula illa, *dummodo se non intruserit*? Æquis observationibus hucusque pugnaremus; atque in hac æqualitate videtur pro præscriptione concludendum; pro ea, inquam, præscriptione, quam Pragmatici ipsi ex bono publico prædicant interpretatione adjuvandum. Cæterum adhuc dixero, Pontifices regulæ auctores voluisse quidem excludere a præsidio regulæ eos, qui se intruderent in beneficia Sedi Apostolicæ reservata reservatione clausa in corpore juris, non tamen inde voluisse patrocinari cæteris intrusis in alia beneficia non reservata reservatione clausa in corpore juris; etenim non semper statim ac certa beneficia specialiter memorantur, cætera exclusa intelliguntur, cum quædam *memorari* possint, veluti exempla regulæ generalis etiam in cæteris receptæ. Quod si adhuc certam causam extitisse Pontificibus Maximis dicendum sit, quare specialem mentionem facerent beneficiorum reservatorum reservatione clausa in corpore juris; dicam, id eo pertinere, ut facilius *indicaretur*, in hoc beneficiorum genere difficilius præsumi posse bonam fidem, quam adversus juris communis disciplinam non satis probari, nec tuto allegari posse a viris ecclesiasticis, compertum est, cum viri ecclesiastici juris saltem communis notitiam habere debeant. Hæc est altera conditio, quæ sequi debet triennalem possessionem exemplo præscriptionis; cujus defectu quicumque se in beneficia intrudunt, præterquamquod legitimo etiam, justoque titulo destituuntur, regula triennalis possessionis juvari nequeunt. Denique vitiosa possessio obicem ponit triennalis possessionis juri; qualis demonstratur in eo, qui beneficium simoniace obtinuit, uti expresse in eadem regula definitur; qualis etiam demonstratur in eo, qui plura beneficia incompatibilia possidet; non tam enim respectu ipsorum vitiosa est plurium beneficiorum impetratio, quam retentio, cum utraque aperte sacris sit canonibus interdicta. Eadem ratione dicetur vitiosa possessio, cum sæcularis beneficium regulare obtinuerit, aut e converso regularis beneficium sæculare; item cum quis obtinuerit beneficium certa lege; puta, ut intra certum tempus sacrum ordinem suscipiat, adjecta pœna caduci, & intra idem tempus legi non paruerit; præterea cum quis, dum esset excommunicatus, beneficium impetraverit, & diu manens in excommunicatione beneficium retinuerit. Denique regu-

la triennalis possessionis minime favet illi, qui manuale, seu ad nutum conferentis avocabile beneficium impetraverit; ad hujus generis enim beneficia regula minime pertinet, tantum habens locum in beneficiis perpetuis; ne regula hæc adversus naturam beneficiorum inducta videatur, qua tantum bono publico prospectum fuit.

CAPUT II.

De forma collationis Parochialium Ecclesiarum.

MAximam præ cæteris sollicitudinem a conferentibus postulant Parochialia beneficia, quæ licet olim eodem modo, quo reliqua, conferrentur, posterioribus tamen constitutionibus singularem collationis formam, ita exigente necessitate quadam, aut certe gravi utilitate Ecclesiarum receperunt. Id primum inductum fuit a Concilio Tridentino, in quo sess. 24. cap. 18. de Ref., statutum est, ut statim ac Parochialis Ecclesia vacet, auctoritate Episcopi debeat interea vicarius in ea constitui, qui curam animarum gerat, donec idoneus rector præficiatur; adsignata illi congrua, quam idem Episcopus arbitretur, fructuum portione; quod locum habet in quibuscumque Ecclesiis, sive liberæ collationis, sive patronatis, sive patrimonialibus, ubi nimirum Episcopus tenetur certis, puta illius civitatis, vel loci Clericis beneficium conferre, sive ad Episcopi collationem spectantibus, sive Romano Pontifici aut reservatis, aut quocumque modo affectis sive pertinentibus ad collationem inferiorum Prælatorum, seu Capitulorum, causa privilegii singularis, sive vacent per obitum ultimi possessoris, sive per renuntiationem etiam in Curia Romana factam. Interest enim Reipublicæ christianæ, interea populo rectorem sine mora præstitui, & quidem auctoritate illius, cui communi jure diœceseos universæ administratio mandatur, argumento capituli 4. de offic. jud. ordin.. Quod si Sedes Episcopalis vacet, sive jure, quia Episcopus obierit, vel depositus fuerit, vel renuntiaverit, sive facto, quia Episcopus longe absit, nec sit, qui gerat Episcopi vices, poterit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ad illius vicarii constitutionem devenire, quod ad vicarii Capitularis officium pertinet; etenim in his speciebus jurisdictio Episcopalis ad Capitulum, sive ad vicarium a Capitulo constitutum devolvitur. Immo si forte agatur de vicaria Parochiali, quæ ad certum Collegium spectet, Collegium ipsum poterit interea, ubi opus sit, Œconomum vicariæ vacanti constituere, si Episcopus longe distet, Œconomi officio tamdiu duraturo, quamdiu Episcopus certior factus sit, & vicariæ vacanti consulat, quemadmodum sacram Congregationem definivisse testatur Garzias de benefic. parte 9. cap. 2. num. 11., non quidem ut vicarius iste Sacramenta administrare possit, illa præsertim, quæ jurisdictionem postulant, sed ut bona Ecclesiæ, beneficiique custodiat. Porro vicarius ab Episcopo constitutus omnia munera obire poterit, quæ obiret Parochus ipse, si viveret, dummodo excipias illa, quæ Parochus obiret, non uti Parochus, sed uti dignitatem habens in Cathedrali, vel Collegiali Ecclesia, quoties Parochiale beneficium dignitati Collegiali esset adnexum; nam munera isthæc obeunda erunt per alias dignitates, vel Canonicos, qui proxime in gradu succedunt.

Postquam ita per Episcopum vacanti Ecclesiæ consultum est, Tridentini Patres duplicem Parochi designandi rationem proposuerunt, ut alterutram Episcopi sequerentur. Primum enim facultas facta fuit Episcopis, immo etiam qui-

buscumque, sive Clericis, sive laicis, nominandi, quoscumque voluerint, Clericos ad regendam Ecclesiam idoneos, quorum nomina deputandis examinatoribus exhiberentur, ut præhabita inquisitione nominatorum omnium, isti ad faciendum doctrinæ suæ periculum Episcopi auctoritate vocaverentur; secundo facta facultas Episcopo fuit publico edicto indicendi concursum, ut quicumque velint subire doctrinæ suæ periculum, accedant omnes apud deputandos examinatores; atque horum alterutrum intra decem dies a notitia vacationis ab Episcopo faciendum Tridentini Patres decreverunt, nisi Episcopus idem ex justa causa tempus prorogandum judicaret. Liquet hinc, aut sublatam fuisse, aut saltem coercitam facultatem commendandi ad semestre tempus Parochiales Ecclesias, quæ olim Episcopis competebat juxta capitulum 15. de elect. in 6.. Præterlapso statuto tempore omnes seu nominati, seu sponte concurrentes examinandi erunt ab Episcopo, vel ejus Vicario generali, atque aliis examinatoribus saltem tribus quorum suffragiis, si paria sint, vel singularia, accedere poterit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur, illos videlicet adprobando, quos idoneos vel omnes, vel major pars judicaverint. Si unus tantum ex concurrentibus idoneus judicetur, huic conferendum est Parochiale beneficium; ubi autem plures idonei judicentur, ex his Episcopus eum seliget, quem magis idoneum ipse judicaverit, cui necessario beneficium conferatur. Quales autem esse debeant examinatores ex verbis Tridentini Concilii perspicue constat, quemadmodum etiam constat, magis idoneum ita instituendum esse, ut non valeat Episcopus minus idoneum, licet vere idoneum, præferre, qua in re non scientia tantum, sed etiam prudentia, ætas, mores, cæteraque ad regendam Ecclesiam opportuna erunt solertissime conferenda. Re ita absoluta, qui magis idoneus habitus est, ab Episcopo, si ad eum, vel ab alio quocumque Prælato, si ad alium Prælatum collatio beneficii pertineat, erit instituendus. Quod si de patronato beneficio agatur, distinguendum voluerunt Tridentini Patres laicum ab ecclesiastico patronatu ita, ut in ecclesiastico patronatu fiat quidem conseuto more concursus; deinde ab examinatoribus declarentur, quotquot inter examinatos idonei habendi sint, atque inter adprobatos, qui magis idoneus a patrono judicabitur, is ab eodem patrono præsentetur Episcopo instituendus, si ad Episcopum pertineat institutio; quoties autem non ad Episcopum, sed ad alium pertineat constitutio, tunc Episcopus ipse digniorem inter examinatos, ac probatos eligat, atque ita electus per patronum præsentetur ei, a quo institutio est facienda; at in patronato laico abstineatur ab indicendo concursu, sed liceat patrono, etiam unum tantum, si voluerit, præsentare necessario instituendum, postquam ab eisdem deputatis examinatoribus dignus repertus fuerit, & idoneus. Denique addiderunt Tridentini Patres, ab examinatorum, atque ab Episcopali judicio executionis impediendæ causa nullam fieri, ne ad Sedem quidem Apostolicam, provocationem posse.

Nova hæc disciplina generali Tridentino decreto constituta novis in dies interpretationibus, immo & adjectionibus indiguit, prout varia inde emergentia vel temporum, vel causarum adjuncta postulaverunt. Vix absoluto Tridentino Concilio Pius V. anno 1566. 15. Calend. Aprilis constitutionem in hanc rem edidit, quæ incipit: *in conferendis*, statuens in primis, collationes Parochialium Ecclesiarum factas præter formam Tridentini Concilii irritas esse, neque ullum jus institutis; immo nec titulum quidem coloratum possidendi præbere, ipsaque beneficia sic collata tanquam vacantia habenda esse, sublata eisdem, qui contra Tridentinam formam contulerunt, rursum pro ea vice conferendi facultate. Deinde decrevit, spatium decem dierum, quod fuerat a Tridentino Concilio præfinitum ad indicendum con-

cursum ita, ut Episcopo liceret illud rogare, non posse ultra alios decem dies extendi; item ubi libera sit Episcoporum, vel aliorun Ordinariorum collatio, intra semestre tempus faciendam esse collationem; ubi vero collatio pertineat ad Pontificem Maximum, designandum esse, & significandum Romano Antistiti intra quatuor menses a die vacationis eum, qui magis idoneus repertus fuerit; item ubi agatur de Ecclesiis jurispatronatus ecclesiastici, vel laicalis, non posse ab Episcopo differri institutionem ultra bimestre tempus a die præsentationis numerandum, data post illud tempus facultate patronis impetrandæ institutionis vel a Metropolitano, vel a viciniore Ordinario, vel a Sede Apostolica. Denique statuit, licere illi, qui non æquo judicio Episcopi, alteri concurrenti minus idoneo postpositus fuerit, appellare ad Metropolitanum; vel si agatur de Metropolitani, aut alterius exempti Episcopi judicio, provocare ad viciniorem Antistitem, qui tanquam Apostolicæ Sedis delegatus ad novum subeundum periculum, & appellantem, & prælectum vocet, ita ut si appellantem magis idoneum noverit, ipsum, alio submoto, in Parochiali beneficio instituat, vel inferiori Prælato tum instituendum remittat, cum institutio ad inferiorem Prælatum, non ad Episcopum spectet. Porro introducta appellatio ex Pii V. sententia impediet quidem, quominus ulla possessio instituto suffragetur, non tamen impediet, quominus qui ab Ordinario fuit electus, instituatur; unde asserunt Pragmatici, appellationem hujusmodi introduci quidem, ut suspendatur Ordinarii judicium quoad effectum, ut ajunt, devolutivum, non autem quoad effectum executivum.

Sed iterum post hæc disputatum ab Interpretibus fuit ad interpretationem tum Tridentini Decreti, tum Pianæ constitutionis. In primis enim passim quærebatur de beneficiis quibusdam, quæ a lege concursus exempta vel expresse, vel ex recta interpretatione dicebantur. Deinde inveniebant plurimi novas causas, quibus melius videretur consulendum formæ concursui præstitutæ. His omnibus obviam itum est sensim, aut receptis, probatisque Ecclesiarum moribus, aut providentia recentiorum Pontificum, quos cum consilio suo adjuverit Prosper Lambertinus, dum a secretis esset Congregationis Concilii, occasionemque præbuerit circa annum 1720. Clementi XI. utiliores regulas proponendi, quales revera propositæ fuerunt anno 1721. die 10. Januarii per encyclicas literas ad Episcopos directas, tum etiam rem vigilantissime æque, ac sapientissime absolvit, postquam ad Pontificatum Maximum evectus est in sua constitutione anni 1742. die 14. Decembris. Itaque juxta verba Tridentini decreti etiam locum habere debuit forma concursus in beneficiis patronatis, si patronatus sit ecclesiasticus. In patronatu laico satis est, si præsentatus a patronis periculum sui faciat apud Synodales examinatores, a quibus cum idoneus declaretur, tum sit sine discrimine instituendus. Quod si patronus plures præsentet, facile intelligitur, inter præsentatos quasi concursum fieri, illumque institui, qui magis idoneus Episcopali judicio habitus fuerit inter eos, qui idonei fuerint ab examinatoribus declarati. De jurepatronatus mixto, ne verbum quidem in Tridentino decreto habetur; eamque ob rem verius est, haberi illud, ac si sit laicale, ne occasione juris, & ecclesiastico, & laico communis fraus, seu detrimentum fiat juri laicorum, cujus Tridentini Patres magnam semper rationem habuerunt. Neque dubitatum est, quominus subjacerent legi concursus Parochiales Ecclesiæ Pontifici Maximo reservatæ, aut affectæ. Etenim in Tridentino decreto fit de his Ecclesiis reservatis etiam mentio specialis, & quamquam mentio fiat in ea parte decreti, qua præsumitur, interea vacanti Ecclesiæ Œconomum esse de-

signandum Episcopali auctoritate, id tamen etiam protrahitur ad cæteras decreti partes, veluti præcedentis consectaria. Atque id quidem receptum est ita, ut concursus ab Episcopo semper indicatur, & fiat, non tamen ut excludatur Pontificis Maximi collatio. Itaque *in beneficiis reservatis obtinuit*, ut Episcopus, statim ac Parochia vacat, ne petita quidem a Summo Pontifice venia, concursum indicat; post initum autem a concurrentibus periculum pro diversis reservationum speciebus diversa ab Episcopo inire ratio debet, qua Romanum Antistitem de eo, quod agendum superest, certiorem faciat. Nimirum si talia sint beneficia, quæ Apostolicæ Sedi reservata proponantur ratione mensium, tunc Episcopus magis idoneum more ordinario seliget, cujus nomen in Romana Dataria significavit, nec acta concursu eo mittet, nisi fuerit a Datario requisitus. At si talia proponantur beneficia, quæ reservata sint, vel affecta Sedi Apostolicæ ex alia causa, tunc Episcopus a seligendo, designandoque magis idoneo abstinebit, sed integra concursus acta ad Datarium mittet, ut in Romana Curia fiat electio. Poterit tamen interea Episcopus nonnihil adjicere de singularibus alicujus ex concurrentibus qualitatibus, non ita, ut ipse illum seligere videatur, sed ut magis instruat Pontificis animum, quemadmodum expresse declaravit Benedictus XIV. in fine suæ superius laudatæ constitutionis. Quæsitum insuper fuit, num concursui obnoxia sint curata beneficia, quæ vel Clericorum, vel Monachorum Collegiis adhærent. Sane quoties cura animarum actu per Canonicos, vel Monachos exercetur, nullo constituto perpetuo vicario, frustra disputationi locus fieret, cum nusquam hæc beneficia aut jure, aut facto vacare intelligantur. Quoties vero cura animarum exercetur per vicarium amovibilem, nec concursui locus fit, cum nec sit necessaria Episcopi institutio, sed tantum adprobatio requiratur. Immo nec si vicarius perpetuus sit instituendus, concursui locus fiet, propterea quod nominatio vicarii ad Collegium, vel Monasterium pertineat, quemadmodum definivit Pius V. in sua constitut. 47., quæ incipit: *Ad exequendum*, quod ipsum etiam recipitur in iis vicariis, quæ pendent ab aliqua singulari dignitate ob adnexam eidem dignitati curam animarum, nisi ex immemorabili consuetudine concursui obnoxiæ deprehendantur. At enim legi concursus obnoxiæ sunt vicariæ illæ, quæ constitutæ sunt in quibusdam vicis, oppidis, aut pagis, dismembratione facta Ecclesiæ cujusdam Parochialis ita, ut Parochus matricis proprie Parochus dicatur, vicarii nomine dato alteri Curato in divisa Ecclesia constituto; si enim adpareat, factam esse veram Ecclesiæ divisionem, vicaria ita erecta non nisi nomine tenus vicaria dicetur, ac proprie erit beneficium Parochiale, ac proinde concursui obnoxium. Sunt præterea, qui exempta a concursus lege asseruerunt curata beneficia dignitati Cathedralis, vel Collegialis Ecclesiæ adnexa. Verum hæc opinio probari quidem poterit, ubi Parochialis beneficii adnexio fuerit per accessionem facta, ne beneficium Parochiale dignitati accedens dignitatis ipsius jura immutare videatur, non vero ubi unio sit æque principalis, eove minus, ubi dignitas Parochiali beneficio accesserit. Nulla sane dubitatio est, quin in beneficiis curatis, quæ permutantur, aut resignantur in favorem in Romana Curia, nullus sit indicendus concursus; sufficiet enim doctrinæ suæ periculum facere eum, cujus gratia resignatio fit, aut permutatio, qui propterea repertus idoneus sine discrimine instituetur, quod quotidiana praxi receptum testatur Pyrrhus Corradus in praxi beneficiaria libr. 3. cap. 3. num. 5.. Potiore ratione locus concursui non fiet, quotiescumque vacante beneficio jam videtur constitutus coadjutor perpetuus Parocho datus cum jure futuræ successionis, nec inutilis red-

datur succedendi gratia a Pontifice Maximo dudum impetrata. Cum denique constituerit Tridentinum Concilium in fine dicti capitis 18., si adeo exigui redditus Pærochialis Ecclesiæ fuerint, ut totius hujus examinis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quærat subjicere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, facile graviores rixæ, ac tumultus possint excitari. Ordinarii arbitrio cum deputatorum consilio remitti, ea forma omissa, aliud examen privatum, cæteris tamen servatis, quæ servari possunt, adhibere; receptum est, ut si post indictum concursum statuto die nemo comparuerit suæ doctrinæ periculum facturus, aut si ex examinatis nullus repertus idoneus fuerit, possit tunc Episcopus sine forma concursus alium examinare, illumque repertum idoneum instituere, quin locus fiat aliis, qui elapso termino in edicto concursus definito, admitti se ad periculum subeundum postulaverint, nisi ipsi se describi ante diem concursus in concurrentium numero curaverint, & ostenderint, se legitimo impedimento fuisse distentos, ne ad concursum accederent. Opportunum est hic adjicere, Tridentinam hanc concursus legem protractam etiam fuisse a Benedicto XIII. ad præbendas theologales, & pœnitentiarias in Italia, & Insulis adjacentibus constitutas, eo tantum discrimine facto, ut in his præbendis sufficiat quatuor examinatores intervenire, etiam si non sint synodales. Videatur ejusdem Pontificis constitutio, quæ incipit: *Pastoralis*, impressa in appendice ad Synodum Romanam.

Quod in forma concursus contentionibus perniciosis occasionem diu præbuit, fuit concurrentium, qui propositi essent Episcopali judicio, appellatio juxta facultatem appellandi expresse factam a Pio V.. Hinc speciosum erat appellandi remedium, ut ea ratione Episcopi electuri magis idoneum inter idoneos, in officio suo continerentur. Illinc autem postpositis etiam inhabilibus, aut indignis, via sternebatur ad premendos electos, & institutos Parochos, & ad evacuandam quandoque prudentissimam Episcoporum electionem. Examen concurrentium, ut plurimum oretenus fiebat sine scripto. Judicium Episcopale innitebatur in acceptis responsionibus oretenus datis, item in testimoniis etiam oretenus acceptis de prudentia, & moribus concurrentium. In his adjunctis, qui appellabat, nihil apud Judicem exhibebat, ex quo vel tantillum de iniquitate Episcopalis judicii adpareret. Hinc opus erat novo examine apud Judicem appellationis. Interea qui appellaverat, moras faciebat inter litigia, atque inter moras, & subterfugia tempora protrahens, in studiis insudabat, ut idoneus redderetur, qui pridem minus idoneus erat; & e converso Parochus ab Episcopo electus, & institutus, post varias fatigationes judiciales, quas graviores reddebat, exercita sine intermissione animarum cura, pressus in novo examine cedere appellanti debebat. Hæc omnia minus æqua per se videbantur, immo & contraria formæ judiciorum, quæ exigit, ut non de re nova in judicio appellationis quæratur, sed versetur quæstio circa ea, quæ in priore judicio ob oculos extiterunt. Itaque huc pertinuit sollicitudo laudati Prosperi Lambertini, cujus consilio gliscentibus abusibus prospexit laudatus Clemens XI., & qui deinde ad Maximum Pontificatum assumptus certam formam concursibus dedit, a qua cum minime declinaretur, tum appellationis causa & æqua esset, & foret juri omnino conformis. Itaque primum Clemens XI. anno 1721. edixit primo, ut omnibus concurrentibus eædem proponantur quæstiones, quibus satisfiat, idem Evangelii textus, quem sermone expendant; secundo, ut id fiat eodem tempore; tertio, ut omnibus idem temporis spatium præstituatur; quarto, ut concurrentes omnes in conclavi claudantur, in quod nemo extraneus ingrediatur, a quo nemo ex concurrentibus nisi re absoluta egrediatur;

quinto, ut singuli responsa sua, sermonemque scribant, suaque subscriptione consignent; sexto, ut responsa quidem latino, sermo autem eo, quo haberi apud populum solet, idiomate scribantur; postremo, ut singulorum scripta etiam a Cancellario concursu, item ab examinatoribus, necnon ab Episcopo, vel ejus Vicario, qui concursui interfuerint, subscribantur. Post hæc cautum fuit, ut non admittatur appellatio aut ab examinatorum, aut ab Episcopali judicio, nisi intra decem dies a die collationis interposita; item ut in judicio appellationis exhibeantur acta concursus, vel authographa ipsa obsignata, vel authentica exemplaria subscripta a Cancellario concursus, alteroque Notario collatione facta cum authographo coram Vicario Episcopi, vel altero ab Episcopo deputato, immo & subscripta ab examinatoribus, qui concursui interfuerunt. Ab his actis pendere jussit novum judicium circa doctrinam electi, & appellantis. Quod si appellans conqueratur causa aliarum qualitatum, de istis etiam fidem facere voluit, vel ex actis primi concursus, in quibus scripto etiam essent exhibenda morum, prudentiæ, caterarumque dotium testimonia, vel ex novis documentis etiam extrajudicialibus, dummodo gravia existerent. Clementis XI. mentem confirmans, immo clarius explicans, & nova quædam adjiciens Benedictus XIV. in sua constitutione *Cum illud* anni 1742. sanxit primo, at Episcopus statim ac notitiam vacantis Ecclesiæ Parochialis habuerit, Vicarium deputet ad normam Tridentini Concilii; secundo, ut publico edicto evulgetur notitia concursus congruo, certoque tempore celebrandi, eodemque edicto moneantur omnes, ut interim coram Cancellario, vel altero ab Episcopo deputando unusquisque, ex concurrentibus suarum qualitatum, meritorum, & munerum testimonia exhibeat, post elapsum terminum non amplius recipienda; tertio, ut Cancellarius hæc ipse exhibita documenta summatim bona fide exhibeat Episcopo, vel Vicario, atque omnibus examinatoribus ad concursum addictis; quarto, ut die præstituta concursus habeatur juxta formam a Clemente XI. præstitutam, & examinatores renuntient, quotquot idonei fuerint, rejectis illis, quos rejiciendos suo suffragio judicaverint; quinto, ut absoluto concursu notula compendiaria requisitorum a Cancellario confecta vel comburatur, vel penes acta secreto custodiatur, nemini sine Episcopi mandato pandenda; ac subinde Ordinarius, cum primum ei libuerit, inter adprobatos digniorem eligat, & electo nullo appellationis, vel inhibitionis obtentu possessio non retardetur; sexto, ut si forte appellatio inde interponatur, judicium appellationis totum fiat in conspectu actorum in concursu exhibitorum, quin amplius sit facultas nova documenta prodendi; septimo, ut si Episcopus forte habeat certas occultas suæ electionis causas, valeat familiaribus literis eas Judici appellationis patefacere, ut earum ratio, si expediat, haberi possit, adjecta lege inviolabilis secreti; quod si Episcopus suspectam fidem habuerit Judicis, ad quem appellatum est, eam significet familiaribus literis Præfecto Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quominus a Judice appellationis debitus justitiæ locus tribuatur; octavo denique, ut si Judex appellationis conformem Episcopali sententiam protulerit, non alia appellatio admittatur; quamquam si sententia difformis fuerit, liceat victo appellare; qua appellatione secuta, executioni omnino mandetur judicium illud, quod duorum judicium sententia fuerit comprobatum.

His omnibus perstrinxit concursus formam, qualis obtinuit a temporibus Tridentini Concilii usque ad hanc ipsam ætatem. Non debeo tamen silentio præterire, quod quidam Scriptores in hac materie aut nimis effræni, aut certe parum maturato judicio tradiderunt. Quidam extiterunt, minime dubitantes car-

pere Tridentinum decretum, eove etiam magis Pii V. constitutionem; utrobique enim notarunt stratam esse viam Clericis, ut sponte ad beneficia Parochialia prosiliant, eadem, dum concurrunt, vehementer postulent, dum abs judicio examinatorum, aut Episcopi appellant, se cæteris magis idoneos, magisque dignos prædicent, quæ omnia ajunt esse plena ambitus, eamque ob rem generali canonum disciplinæ contraria, quando apud veteres, qui ad animarum curam vocabantur, potius aut trahebantur inviti, aut etiam fugientes vi facta detinebantur, quemadmodum testatur Augustinus in can. 38. caus. 23. quæst. 3., cui jungi potest lex 31. cod. de Episc. & Cler.. Audax hæc scribendi licentia, qua de providentia Tridentini Concilii, & Pii V. multis laboribus excogitata, ac producta ob unam Ecclesiarum omnium utilitatem tale judicium feratur; neque enim mihi videntur, qui ita sentiunt, adjuncta callere, quæ concursus disciplinam si non omnino necessariam, saltem utillissimam fore persuaserunt. Debet in primis perpendi, Patres Ecclesiasticos etiam in Conciliis constitutos non semper reducere posse disciplinam, & mores priscæ ætatis, immo & aliquando debere novas edere leges in iis, quæ nec naturali honestati, nec divinæ legi repugnant, propterea quod circumstant successu temporum causæ plures, quibus alias consuli salubriter nequit, quam novitate quadam, quæ etiam si quidquam contineat, ut paulo asperum, aut minus speciosum, dummodo non inhonestum, nec pravum, laudanda semper est, quasi medela quædam porrecta illius, quorum salutis magis, quam palati delicatioris ratio habeatur. Itaque tria hæc dici jure possunt; primum, nihil contineri aut in Tridentino decreto, aut in constitutione Pii V., quod honestati repugnet; alterum etiam si quidquam durisculum adpareat, dandum quidquam esse adjunctis temporum, quibus opportunus remedium adhiberi non potest; postremum, quidquid asperitatis contineri initio videbatur, sollicitudine recentiorum Pontificum lenitum adhuc fuisse, uti evenire solet in novis legibus universis, quas dum legumlatores condunt, prospiciunt statim utilitati publicæ, successoribus suis relinquentes, ut legum earumdem executionem poliant magis, magisque, atque etiam, ubi opus fuerit, magis exornent, atque accommodent. Revera quid est, quod objicitur Tridentino decreto? Ajunt, sponte Clericos beneficium postulare, sese quasi dignos, aut etiam præ cæteris digniores prædicare, dum periculum subeunt, quasi suscepto certamine inter plures, qui de morum, doctrinæ, & prudentiæ prærogativa contendant. At enim, etsi quandoque contingere possit, ut Clerici concurrentes ambitu moveantur, id tamen non evenit, nisi ex concurrentium facto, non ex Tridentina lege, qua non aliter præstituitur concursus, quam præhabito edicto Episcopi omnes advocantis; quare non ex ambitu concurrit, qui vocanti Episcopo paret. Fateor, edictum Episcopi neminem obligare; verum adhuc illud facit, ut qui accedat, non sponte dicatur accedere, sed vocatus, rogatus, & vehementi quadam suasione invitatus. Quidquid Concilium Tridentinum etiam expresse voluit, ut certorum Clericorum expressa nominatio vel ab Episcopo, vel a Patronis, vel etiam ab aliis fieri posset; & tum demum edicto publico Episcopi locus fieret, cum id Episcopus, vel Provincialis Synodus magis expedire judicaret? Hæ sane omnem ambitus suspicionem eliminant. Reponunt, ambitus crimen adparere ex appellatione, quam aut rejecto, aut posthabito competere Pius V. declaravit. Sed observandum est, eum, qui appellat ex eo, quod idoneus, aut indignus judicatus est, omni venia dignum esse, cum injuriam in se illatam prosequatur; postquam enim aut specialiter, aut generali edicto vocatus est, ut se apud Episcopum sisteret suæ doctri-

næ, cæterarumque qualitatum specimen præbiturus, & paruit; rite ad Superiorem conqueritur nominis, famæque suæ, cujus diminutionem passus est, reparandæ causa. Paulo quidem distat a rejecto, qui idoneus declaratus est, & alteri postpositus, sed non est longe remotus, etenim & iste injuriam in se illatam prosequitur. Quod si qua videtur species ambitus, hanc diluit Ecclesiarum utilitas, quam promovet concessa appellandi facultas, nimirum ad continendum Episcopum in officio, ne, secuta renuntiatione idoneorum ab examinatoribus facta, suæ voluntati indulgeat. Qui rejectus est velut inidoneus, provocat ab judicio examinatorum, quibus talis non visa est concedenda auctoritas, qualis nec Episcopis competit, nimirum ut inappellabilem sententiam proferant. Qui idoneus ab examinatoribus declaratus provocat ab judicio Episcopi, a quo postpositus fuit, provocat sane a sententia singulari, quam unus Episcopus protulit; sententiæ autem singularis non tanta habenda est ratio, ut minime possit retractari. Si qua adhuc species ambitus est, saluberrimæ inde prodierunt Pontificum Maximorum constitutiones, præsertim laudata constitutio Benedicti XIV., quibus & insolentia temere appellantium, & facilitas appellationis, & appellandi modus, rationesque universæ coercitæ fuerunt ita, ut, cum hinc moniti visi fuerint Episcopi, & examinatores, ut sincere, integreque judicent, tunc illinc omnis temere appellantium ambitus damnaretur. Quod tamen magis, magisque disciplinam concursus laudabilem efficit, consistit in causis, adjunctisque universis, inter quæ eadem fuit in Concilio Tridentino probata, ac debuit deinde in certam formam redigi Pontificum Maximorum provida auctoritate. Pluries in Tridentino Concilio actum est de obligatione residendi in Ecclesiis, quæ Episcopos tenebant. Episcopi residentiam ut plurimum negligentes incusabant mores illius ætatis, in quorum conspectu inanis propemodum residentia videbatur. Allegabant ipsi, Parochos ut plurimum institutos reperiri eos, qui idonei passim essent, & si idonei forent, detrectare illos Episcopis obsequi, obtemperare; propterea quod Parochi frequentius instituebantur a Pontifice Maximo, & quidem ii, de quorum doctrina, & moribus conscius numquam Romanus Antistites fuerant; itidem ii, qui ob exercita in Curia Romana officia, aut ob singularia privilegia exemtionem ab Ordinariorum jurisdictione obtinuerant. Episcopi plures, præsertim Hispani, proposuerunt, caveri in Concilio, ne beneficia Parochialia ulli obnoxia essent reservationi, sed libere omnino ab Episcopis conferrentur. Romanis Antistitibus minime placuit consiliam, quasi inde diminui videretur Sedis Apostolicæ auctoritas in beneficiis conferendis, jamdiu moribus confirmata; præsertim vero Episcopis Hispanis oppositum fuit, jam plura beneficia majora, seu consistorialia universa ex Regis nominatione pendere, & vix superesse collationi Pontificiæ locum, si a collatione Pontificia, eximerentur etiam beneficia Parochialia. Interea novi modi excogitandi fuerunt, quibus Ecclesiarum utilitati consuleretur. Proponi cœpit, beneficia curata universa ita conferri ab Episcopis, ut cætera beneficia non curata omnino reservarentur Pontificiæ collationi. Si id non placeret, propositum subinde est, beneficia Parochialia non alio modo conferri, quam *in forma dignum*. Si neque id placeret, propositum tandem, Pontificem Maximum conferre debere beneficia Parochialia tantum viris dignis diœcesanis, quorum syllabus ab Ordinariis mitteretur. Post varias concertationes cum nulla ex propositis forma placeret, proposita fuit forma concursus etiam in beneficiis reservatis. Hæc magis arrisit; cum vero quidam allegarent, locum inde fieri æmulationibus, odiis, & importunis ambientium petitionibus, his omnibus satisfac-

rum est proposita forma edicti convocantis eos, qui non concurrere maluissent, & nominationis selectorum virorum ab Episcopo, a patronis, atque ab aliis faciendæ, uti legitur in Tridentino decreto, quod omnino & statim placuit, ac fuit comprobatum. Post hanc providam sollicitudinem, quid amplius objici potest adversus Tridentinum decretum, quando per se nihil inhonestum, aut indecorum exhibet, publicam Ecclesiarum utilitatem fovet, ac promovet, & in iis adjunctis editum fuit, quo opportunius remedium gliscentibus malis adhiberi non poterat; inde autem ita recentiorum Pontificum cura talem modum accepit, quo omnia rite, atque ex integritate perficiantur?

Quidam adhuc extiterunt, qui Tridentinum decretum laudabile quidem esse fassi sunt, adhuc tamen *odiosum* esse dixerunt. Passim hæc phrasis apud Pragmaticos invenitur; non sane, uti ego censeo quod Pragmatici putent, concursus formam ægre esse ferendam, sed quod dicere velint, novam omnino esse, nec facile protrahendam ad casus in Tridentino decreto minime expressos. Ita passim Pragmatici prædicare solent *odiosas* leges novas universas, utut in publicam utilitatem editas, propterea quod rem odiosam putent eam, quæ veterem disciplinam immutat. Id fundamentum habet in laudabili conatu, quo unusquisque tendit ad veterem retinendam legem, aut consuetudinem, quou que aut legi, aut consuetudini non adpareat expresse derogatum. Simile ego exemplum propono in conspectu capituli 22. de elect. in 6.. Statuerat Gregorius X., ne quis ad Parochiale munus adsumeretur, nisi qui aut Sacerdos jam esset, aut intra annum ad sacerdotalem ordinem promoveretur. Quid utilius, quid favorabilius esse poterat, hoc decreto, quo statuebatur, neminem Parochum esse posse, nisi qui munus Parochiale in officiis præsertim sacerdotalibus exercendis consistens implere posset? Quæsitum fuit, num decretum illud etiam comprehenderet eos, qui nanciscerentur in Collegiata Ecclesia dignitatem, cui adnexa esset cura animarum. Congruum sane videbatur, ad hanc speciem Gregorianum decretum extendere. Aliud tamen placuit Bonifacio VIII. in dicto cap. 22.. Hic Pontifex Jureconsultum agens observavit Gregorianum decretum novum esse, idemque pœnale; observavit, nihil expresse continere de dignitatibus Collegiorum. Inde deduxit, dignitates Collegiorum esse a decreto exemptas. Bonifacii doctrinam imitantur, ac sequuntur laudati Pragmatici, cum Tridentinum decretum *odiosum* dicunt, propterea non prorogandum ad casus in eodem decreto minime expressos. Si hæc ita considerentur, concludi facile potest, Tridentinum decretum in iis, quæ expressa sunt, omni favore dignum existere, sive quod ex eo seligantur Ecclesiis regendis administri maxime idonei, ac digni, sive quod non nisi post maturam deliberationem illud editum fuerit ad medendum gravissimis abusibus, qui irrepserant, sive demum quod nulla alia meliore ratione Ecclesiis consuli poterat. Quod si odiosum credidisset Benedictus XIII., non sane illud extendisset, uti extendit, ad Præbendas Theologales, ac Pœnitentiarias, quemadmodum superius observabam. E converso concludi etiam potest in iis, quæ specialiter expressa non sunt, indulgendum maxime, si idem decretum non extendatur, sive quod agatur de lege nova, sive quod ex eo decreto pœna inferretur, ut ajunt, nullitatis collationis beneficii, quod legem pœnalem facit, propterea coercendam; sive demum quod ex eo decreto passim plurimi conquerantur, jura sibi jamdiu competentia imminui, quod vel ipsi Tridentini Patres executi sunt, cum patronalia beneficia immunia esse voluerunt a lege concursus. Hæc in causa sunt, quare, uti superius dictum est, Vicariis etiam perpetuis, in beneficiis Parochialibus adnexis dignitatibus, aliisque simili-

bus, exceptio agnita est, qua plura beneficia Parochialia a lege concursus eximerentur, argumento dicti capituli 22. de elect. in 6.. Adeo verum est, etiam ea, quæ in publicam utut gravissimam utilitatem eduntur, non semper singulis omnino placere, privataque studia modos invenire etiam probabiles, quibus singularis utilitatis ratio habeatur, qualis est modus iste, qui adinvenitur, prætextu veterum legum, ac consuetudinum sanctissime tuendarum, quousque expresse, & specialiter illis non adpareat derogatum.

CAPUT III.

De forma adsequendi beneficia electiva, vel optabilia, vel patronata.

CAnonicatus, aut præbendæ Cathedralium, aut Collegiatarum Ecclesiarum singularem aliquando Clericorum instituendorum formam postulaverunt; nimirum in nonnullis Ecclesiis receptum est, ut beneficia, quæ vacarent in Capitulo, vel Collegio, conferrentur iis, quos Capitulum, vel Collegium elegisset, cap. 31. in fine de elect., Clement. 1. de præbend., in nonnullis etiam receptum est, ut vacantem præbendam, vel Canonicatum liceret uni ex Canonicis optare, a sua præbenda, vel titulo in vacantem præbendam, vel titulum transeundo, cap. 4. de consuet. in 6.. Singularibus his disciplinis invehendis occasionem potius dederunt consuetudines, aut statuta, præsertim Apostolica auctoritate confirmata, quam generale jus scriptum, quo inspecto neque electio, neque optio probatur, cum omnia beneficia tantum consentiente Capitulo debeant ab Ordinario conferri. Potissimum vero singularia illa electionum, aut opinionum jura invecta sunt, quo tempore aut iniri, aut restaurari inter Canonicos vita communis cœpit. Cum enim deventum esset ad ea sæcula, quibus Ecclesiarum Antistites, ac præsertim Pontifices Maximi advertendos abusus, qui clericalem disciplinam omnino lavefactaverant, omnem sollicitudinem adhibuerunt, nihilque aptius esse duxerunt, quam si vitam communem inveherent, exemplo Monachorum, quorum vita omnibus facile erat imitationi proponenda; Clerici iidem ad vitam communem vocati, cum oneribus Monachorum, suæ vitæ monasticæ sibi viderentur subjacere, tum privilegia, & jura Monachorum sibi facile vindicarunt. Quid enim adversus Canonicos objici poterat, cum ad jura Monachorum explicanda anhelarent, quando quotidie ad illos in officio continendos proponebatur tamquam exemplar vita monastica? Porro apud Monachos invaluerat ex eorumdem regulis, ut nemo ad Monasterium admitteretur, nisi qui communi Monachorum suffragio electus esset. Idipsum & Canonici postulaverunt; proponebant enim & id constitutioni vitæ communis esse opportunum, propterea quod is in familiam ea ratione advocaretur, qui esset omnibus gratus; alias autem nihil Episcopalis ordinis sibi vindicabant, quando jam tum disjungi cœperat collatio ordinum a collatione beneficiorum. Item invaluerat apud Monachos, ut, cum unus ex ipsis decederet, cubicula, domus, vel prædiola, cubiculis, aut domibus adhærentia a defuncto possessa, seniori ex Monachis utenda cederent, si eisdem senior Monachus uti voluisset. Idipsum & Canonici sub eodem tecto viventes sibi vindicaverunt. Hæc sunt jura vel electionis, vel optionis apud Canonicos invecta, quo primum tempore vitam com-

munim, & pene monasticam iniverunt, quæ etiam superfuerunt eadem vita communi successione temporum dissoluta.

Ut de electione primum dicam, non æquali ratione in omnibus Ecclesiis recepta est. Alicubi enim invaluit, ut electione a Canonicis facta, Superioris, sive Episcopi confirmatio, atque institutio exspectetur, quæ electionis species minus recedit a forma juris communis. Alicubi invaluit, ut sola electio titulum beneficiario tribuat, qui proinde statim ab electione secuta sine ulla Superioris institutione, aut confirmatione, canonicatus, seu præbendæ possessionem capere potest, atque in hac specie beneficia proprie electiva vocantur. Qualis autem debeat esse electio, ex moribus potius, aut ex statutis unicuique Collegio singularibus deduces, quam ex aliis causis; atque in dubio semper eo referenda res erit, quo, quoad minus fieri possit, lædatur jurisdictio Superioris, ac propterea Superioris ejusdem confirmatio, quæ locum institutionis teneat, nisi exclusa perspicue adpareat, desideretur. Non immoror hic diutius in tradendis electionum regulis, quas alio in loco opportunius expendi. Tantum dixero, in specie eligendorum Canonicorum non esse necessario reservandam formam, quæ singulari jure eligendis Prælatis præstituta fuit a Concilio Lateranensi, cap. 41. 42. 43., & 44. de elect., sed sufficere, si Canonicorum more solito collegialiter, ut ajunt, congregatorum major pars suffragio suo Clericum quemquam idoneum, & dignum elegerit, ut statim electus jus in vacante beneficio nanciscatur, quin eligentibus detur facultas post hoc jus electo quæsitum ad novam electionem deveniendi. Singularia quædam induxit in hac re Bonifacius VIII., non quidem in beneficiis, quæ vere electiva sunt, & sola electione conferuntur, sed in beneficiis, in quibus post electionem a Collegiis factam adhuc requiritur Superioris confirmatio, uti legitur in cap. ult. de elect. in 6., ubi statutum est, ut quoties electio, etiam si concordia, celebrata sit, non primum Superior electionem ratam habeat, ac confirmet, quam si proposuerit generale edictum, quo intra certum peremptorium tempus vocaverit eos, qui velint adversus electionem opponere ad allegandas, probandasque in judicio exemptiones; immo, si constet coelectum quemquam alterum esse, vel singularem esse contradictorem, etiam istos speciali citatione in judicium vocet, causas allegaturos, ac probaturos, ob quas electio non sit confirmanda: quod si non actum fuerit, confirmatio ipsa una cum subsecuta institutione nullius sit momenti.

In optione, quoties ex statutis, vel moribus certarum Ecclesiarum locum habeat, plura observantur. In primis obtinet, ut vacante beneficio collegiali, sive Canonicatus sit, sive præbenda, Canonicus antiquior possit illud optare, dummodo voluntatem suam declaret intra tempus statuto definitum, vel, si nullum expressum sit tempus in statuto intra viginti dies, qua non declarata, locus gradatim fiat optantibus junioribus, ita ut qui senior optaverit, statim ex eo, titulum, aut præbendam obtinuisse videatur, quin opus habeat institutione. Deinde observandum est, non unum esse in omnibus Ecclesiis optionum genus. Sunt enim aliquæ Ecclesiæ, in quibus determinatus est quidem numerus Canonicorum, & Canonicatuum, discretis singulorum officiis, juribus, titulis, & oneribus, non vero determinata sunt ex. gr. prædia præbendalia, sive urbana, sive rustica, jura decimarum, & similia; ita ut non eadem eumdem semper Canonicatum sequantur, sed modo uni, modo alteri Canonicatui juxta singularem Canonicorum electionem adhæreant. Sunt aliæ Ecclesiæ, in quibus sicut beneficia ipsa, ac tituli, ita & redditus omnes beneficiarii invicem discre-

ti sunt, & redditus semel uni beneficio, sive titulo adsignanti inseparabiliter beneficium, seu titulum sequuntur, cuicumque beneficium, seu titulus conferatur. Sunt insuper aliæ Ecclesiæ, in quibus præter titulum, & præbendas, etiam extant jura habitationum, jura sane residua ex vitæ communis consuetudine, quum Canonici in uno domicilio consisterent. Modo enim domicilium ipsum ita distributum est inter Canonicos, ut unusquisque partem ædificii possideat, modo ut quibusdam adhuc portio ædificii concedatur, non universis; sive portio ædificii separabilis sit a titulo, vel a præbenda, sive portio ædificii perpetuo, & inseparabiliter conjuncta sit titulo, vel præbendæ. Hinc fit, ut tria possint in optionem venire, videlicet titulus, præbenda, & habitatio. Qua in re observandum est, ubi hæc omnia inseparabiliter unita sint, non posse unum optari, nisi & alterum optetur, ne unio semel legitime, & perpetuo facta, ex voluntate optantium singulari dissolvatur. At optari poterit unum sine altero, quoties non perpetuo, & inseparabiliter hæc unita fuerint, adeo ut in hac specie admittatur optio præbendæ, retento priore titulo; vel admittatur optio habitationis, retento priore titulo, vel præbenda. Hæc optandi disciplina, quæ in Collegiis Canonicorum vigere cœpit a pluribus sæculis, traducta etiam fuit ad Collegium Cardinalium, ita ut isti valeant titulos Cardinalatui adnexos idemtidem pro modo vacationis optare. De qua re late scripsit Rigantius in commentario ad regulam. 8. Cancellariæ §. 2., ubi multa traduntur, sive de hujus optionis origine, sive de modo, & forma optandi, quæ sane non uniformis semper fuit, sed variis Pontificum constitutionibus, atque indultis obnoxia.

Quibus in Collegiis recepta sunt jura electionum, vel optionum, eadem certis in casibus locum habere desinunt. Quæsitum in primis aliquando fuit, utrum seu electioni, sed optioni obstet Pontificia reservatio? Olim ante inductas generales reservationes vigebat, ut siquis mandatum de providendo a Summo Pontifice impetrasset in Ecclesia, in qua esset jus apud seniores Canonicos optandi, posset quidem obtinere non beneficium primo vacans, sed illud, quod erat ab optantibus postremo dimissum, dicto cap. 4. de consuet. in 6.. Ex quo liquet, ex mandato de providendo, necessario Clericum fuisse instituendum in Ecclesia, sublata quidem aut Ordinarii collatione, si ad Ordinarium collatio pertineret, aut electione Capituli, si hæc Capitulo competeret; incolumi tamen manente optandi facultate. Locum habere poterat optio, propterea quod facta optione adhuc executioni mandari valebat Pontificium mandatum in Canonicatu ab optante dimisso. Non poterat habere locum Ordinarii collatio, ubi ad Ordinarium pertineret, quia Ordinariorum potestas erat mandato circumscripta, & regula est, singularia generalibus derogare. Neque etiam poterat locum habere electio Capituli; quamquam enim hæc singularia jure inniterentur, hoc tamen jus singulare Pontificio mandato prævalere non poterat. Siquidem jus singulare Canonicorum quodammodo ordinarium redditum erat; at Pontificium mandatum præterquamquod singulare esset, extraordinarium, & singularibus omnino causis innixum; & regula est, singularia extra ordinem edita, ordinariis juribus utut specialibus derogare. At post inductas generales reservationes aliis principiis digerenda res est. Revera si sepositis Pragmaticorum traditionibus arbitrari quis velit, facile intelliget, per easdem generales reservationes non esse diminuta jura Capitulorum, sive in electionibus, sive in optionibus, nisi istis adpareat in reservatoriis constitutionibus expresse derogatum. Equidem in reservatoriis constitutionibus non opus erat, ut specialiter juri Ordinariorum derogaretur; eo enim suapte natura reservatio tendit.

At cum jura Capitulorum sive in electionibus, sive in optionibus singularia essent, ad hæc auferenda speciali opus erat derogatione. Si de opinione loquamur, statim ac scimus, eam nec tum cessavisse quidem, cum exhiberetur mandatum de providendo utut extraordinarium, dicto cap. 4. de consuetud. in 6., percipimus, nec cessare potiore jure, cum concurrit reservatio generalis, quæ dici nequit extraordinaria, ne majorem vim ordinariæ, quam extraordinariæ providentiæ tribuamus. Quod si loquamur de electione, cum & ipsa singulari jure innitatur, sublata non censetur, alio jure singulari superveniente, nisi in hoc specialiter declaratum fuerit, cessare debere. Plane in nonnullis Cancellariæ regulis expresse cautum fuit, ut cum reservatio locum habet, tunc aut electio, aut optio cesset. Sed ob hanc ipsam causam concludendum est, adhuc fieri electioni, aut optioni locum in aliis reservationum speciebus, in quibus non similiter expresse fuerit aut electio, aut optio sublata. Hinc etiam si in quibusdam regulis reservatoriis sublata fuerint expresse jura præsentationum, aut nominationum, non tamen inde sublata intelligentur jura electionum, aut optionum; cum aliud sit præsentare, vel nominare, aliud eligere, vel optare. Hinc in extravag. 13. de præbend. int. comm. renovata in regula 1. Cancellariæ, qua in parte Sedi Apostolicæ reservantur beneficia vacantia in Curia ob promotionem ad Episcopatus, aliasve Prælaturas, expresse dicitur, locum habere reservationem, *etiam si ad illa beneficia personæ consueverint, & debuerint per electionem, vel alium quemvis modum assumi.* Electio quoque exclusa fuit in regula 9. Cancellariæ, ubi reservata sunt beneficia certis anni mensibus vacantia; immo & expresse exclusa fuit optio, adeo ut specialius cæteris ea reservatio in hac regula ad omnes etiam excludendas & electiones, & optiones extendatur.

Præterea cessabit optio, aut electio, quoties Canonicus in Romana Curia Canonicatum resignat alterius gratia; aut coadjutorem perpetuum recipit Pontificis Maximi auctoritate cum jure futuræ successionis. Uti enim Pontificiæ istæ provisiones & sunt singulares, & extraordinariæ, ita prævalent juri elegendi, vel optandi Canonicis competenti, quod licet singulare sit, ordinarium tamen habetur. Hæc tamen ita intelligenda sunt, ut cesset optio tituli vacantis una cum optione jurium, quæ inseparabiliter titulo cohærent, non vero cesset optio rerum, aut jurium, quæ cedens, aut defunctus Canonicus possidebat, quia titulo ex vi institutionis cohærerent, sed modo uni, modo alteri Canonico addici consueverunt, quemadmodum solet præsertim contingere in jure habitationis, & similibus. Hæc quoque distinctio recipienda erit, quoties quæratur, utrum ad optandum etiam admittendi sint Canonici, qui beneficia possident juripatronatus alicujus obnoxia. Etenim dubitandum non est, Canonicum a patrono præsentatum alios vacantes Canonicatus optare non posse, ne detur occasio patrono indirecte præsentandi etiam ad alia beneficia non patronata, neve etiam patronus alias privetur jure præsentandi ad beneficium dimissum, quoties alter Canonicus ad istud optandum admitteretur. Nihil tamen prohibebit, quominus Canonicus possidens beneficium patronatum possit, retento titulo suo, devenire ad aliqua jura optanda, quæ vita functo Canonico competebant, ea nimirum, quæ vacanti Canonicatui non erant inseparabiliter adnexa, sed tantum generaliter Canonicis, modo uni, modo alteri concedi sine discrimine consueverunt.

Vix aliquid singulare notandum esset in forma collationis beneficiorum patronalium, nisi quædam Interpretum placitis invaluissent, aut recens a Tridentino Concilio constituta proponeren-

tur. Ex Interpretum placitis invaluit, ut, quod Bonifacius VIII. constituit in beneficiis electivis in cap. ult. de elect. in 6., traduceretur ad beneficia patronata, de quibus tamen altum est apud Bonifacium silentium. Hinc hodie cum a patrono certus Clericus præsentatur, antequam ad institutionem procedatur, proponi debent edicta, quibus aut generaliter, aut etiam specialiter, si appareat, quemquam esse specialem contradictorem, citentur, quotquot certum jus in eo beneficio, vel patronatu sibi possint asserere, vindicare; adeo ut institutio sine ejus edicti editione facta irrita penitus habeatur, quemadmodum e converso proposito edicto, & nemine intra peremptorium terminum comparente, valeat institutio inde secuta, nec retractetur, etiam si post institutionem qui se sistat, allegans, sibi bonas esse contradicendi causas. Hæc Interpretum traditio, licet jure scripto destituatur, æquitate tamen innititur; & cum generali Ecclesiarum usu sit comprobata, scrupulose nimis ageret, qui eamdem negligeret eo prætextu, quod formam lege expressa non acceperit. A Tridentino Concilio constitutum est id cap. 13. sess. 7. de Reform., ut quicumque præsentati, electi, vel nominati, a quibusvis Ecclesiasticis personis non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, nisi fuerint a locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti, exceptis iis, quos Universitates, seu generalia studiorum Collegia præsentant, eligunt, seu nominant. Hæc examinis forma in patronatu laico locum generaliter non habet: tantum datur facultas Ordinario, sive Episcopo, præsentatum repellendi, si idoneus non sit. Exceptio tamen est in ea specie, in qua institutio pertineat ad Prælatum Episcopo inferiorem, tunc enim præsentatus erit ab Episcopo examinandus, alioquin facta institutio irrita, & inanis habebitur, cap. 9. vers. *Ad hæc*, sess. 25. de Ref..

CAPUT IV.

De forma collationum, quæ fiunt apud Sedem Apostolicam.

QUæcumque fiat in Romana Curia beneficiorum collatio, tribus modis perfici solet. Primus admodum infrequens, & non nisi in collationibus factis gratia sublimium Principum, aliorumve, quibus extra ordinem Pontifex Maximus beneficium concedit, locum habens, expeditur per breve Apostolicum speciale. Secundus est, qui perficitur in Romana Cancellaria, atque obtinet in beneficiis consistorialibus, quoties nulla potest in conferendo difficultas emergere, aut dubitatio. Tertius demum est, qui explicatur per Datariam, & locum habet in omnibus beneficiis non consistorialibus, immo etiam in consistorialibus, ubi horum collatio non habeat per se paratam executionem, sed aliquibus difficultatibus, puta dispensationum, reddatur obnoxia. De primo modo, utpote extraordinario, nihil in præsentia dicam: tantum de secundo, & tertio, quorum discrimina, quum oriantur ex qualitate consistorialis, vel non consistorialis beneficii, erunt animadvertenda, postquam paucis exposuerim, quænam proprie consistorialia, quænam vero non consistorialia beneficia appellentur.

Nomen ipsum consistorialium beneficiorum per se indicat, ea proprie dici beneficia consistorialia, quorum provisio fit in consistorio Pontificis Maximi. Apud Romanos veteres appella-

batur consistorium locus ille amplissimus, in quem apud Imperatorem convenibant Primates, Proceres, virique honoratiores, l. 3. cod. de offic. divers. jud., l. 12. cod. de pœnis, juncta inscriptione legis 2. cod. de excusat. mun.. Hodie in Urbe Romana consistorium dicitur locus, in quem solemni ritu conveniunt apud Pontificem Maximum Cardinales in urbe degentes. Duplex autem esse solet, nimirum solemne, ad quod præter Cardinales etiam alii Prælati honoratiores, item Principum oratores, ministri, ac magistratus admittuntur, & ordinarium, quod & secretum dicitur, ad quod tantum accedunt selecti ex Cardinalibus. Pendet hæc congregatio ex arbitrio Pontificis, fitque plerumque bis singulis mensibus, ad quam Cardinales maxime solemni more conveniunt, qua in re Pragmatici testificantur, Romanæ Ecclesiæ majestatem elegantissime adparere. Nihil plane contentiosum hodie in hoc conventu fieri solet, tantum quod spectat singulares gratias, ac politica graviora negotia. Itaque in hoc consistorio conferuntur, præter Cardinalitias dignitates, etiam Patriarchales, Metropoliticæ, & quæcumque Episcopales Ecclesiæ. Accesserunt istis Monasteria virorum titulo perpetuo concedenda, quorum redditus annuos ducentos florenos excedit, præsertim ubi Abbatiæ, aut Prioratui jurisdictio quasi Episcopalis adhæreat. In electione Episcoporum duo fieri solent consistoria, in quorum primo fit præconizatio, qua scilicet proponitur Episcopi electi persona, resolutione dilata in aliud consistorium, in quo Cardinalium convenientium suffragia colliguntur, post quæ ad confirmationis literas devenitur, atque hac ratione vestigium quoddam superest vetustæ disciplinæ, juxta quam Episcopi ut plurimum in Synodis, seu in Clericorum conventu solemni eligebantur. Porro cum memorata majora beneficia vacant, qui jus habent nominandi, vel eligendi, postquam sua suffragia in consistorio palam fecerint, servatis, vel quæ in Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 1. statuta sunt, vel quæ singularibus variarum provinciarum usibus conveniunt, confirmationem electionis, seu nominationis exspectant, quæ confirmatio fieri solet, perpensis in consistorio electi qualitatibus, ita ut aliquando plures dies ad inquirendum Cardinalibus concedantur, habitaque tandem matura deliberatione, omnia per schedulam conficiantur, quæ dicuntur literæ confirmationis. Non est tamen novum, aliqua Monasteria, quæ suapte natura consistorialia sunt, non conferri in consistorio, sed potius in Dataria, quorum disciplinam, & discrimina ex usu potius Curiæ, quam ex scripta, statutaque lege disceremus. Quamobrem apud Romanos Pragmaticos etiam consistorialia Monasteria habentur, quæ conceduntur in Dataria, & extra consistorium, dummodo in libris Cameræ Apostolicæ taxata reperiantur; propterea que in iis concedendis adjici solet clausula, qua exprimitur, valere collationem, *perinde ac si consistorialiter facta fuisset.*

Quæ beneficia consistorialia non sunt, conferri solent per Apostolicam Datariam, non tamen omnia eadem ratione; nam aliqua conceduntur per simplicem supplicationis, ut vocant, signaturam; alia vero præter signaturam etiam postulant Pontificiam Bullam, sive literas, a quibus pendet serico filo adsuta bulla plumbea, quæ hinc nomen concedentis Pontificis, illinc imagines Apostolorum Petri, & Pauli exhibet. Per simplicem signaturam, seu sine bulla, conceduntur beneficia simplicia, vel Pontifici Maximo reservata, vel devoluta, quorum annui redditus non excedunt ducatos duos cum dimidio auri de camera, secus tamen, si extra ordinem concedantur, ex. gr., quæ sint jurispatronatus lai-

corum, & Papa impetrentur cum derogatione, ut ajunt, medietatis vocum, aut si conferantur per subrogationem collitiganti factam; his enim, aut similibus in casibus expediri solent literæ plumbea bulla firmatæ. Præterea si agatur de beneficiis Canonicalibus, aut dignitatibus residentiam exposcentibus, solent etiam ista conferri per simplicem signaturam sine bulla plumbea, quoties eorum redditus non excedant sex ducatos auri de camera; quemadmodum etiam Parochialia beneficia, quæ non excedunt duodecim. Quæ tamen disciplina intra fines Italiæ, aut Insularum adjacentium fere continetur; nam extra Italiam, memoratasque Insulas bullæ plumbeæ fere ubique solent in quorumcumque beneficiorum collationibus Pontificiis expediri.

Ut isthæc disciplina perspicue tradatur, non inutile est, quædam de signatura observare. Hujus nomine Pragmatici intelligunt scripturam quamdam, quæ continet duplicem partem; nimirum in priore preces Clerici beneficium a Pontifice petentis, & in posteriore rescriptum ejusdem Pontificis. Hinc sane liquet, Romanos Antistites regulariter non solere beneficia, nisi petentibus, concedere; immo & beneficia a Sede Apostolica impetrata in dubio semper præsumi petenti Clerico concessa, nec aliter præsumptionem cessare, quam si expresse constet ex literis collationis, motu proprio Pontificem collationem fecisse, cap. 23. de præbend. in 6., qua adhuc in re animadvertere juvat, parum hodie ad id probandum valere clausulam *motu proprio*, utpote quæ ex stylo potius Curiæ, quam ex rei gestæ veritate solet in omnibus concessionum Pontificiarum literis adjici. In supplici libello exhibendo non tantum petentis nomen exprimendum est, sed etiam nomen diœceseos tum petentis ejusdem, tum beneficii, quod petitur, item exprimenda erit beneficii qualitas, an ex. gr. Parochiale sit, an Canonicatum, vel dignitatem adnexam habeat, an juripatronatus seu laicorum, seu Clericorum subjaceat; item exprimenda reddituum quantitas, quæ ex beneficio percipi solet, uti deduci commode potest ex regulis 20. 50. & 57. Cancellariæ. Præterea exprimendum erit, petentem alia jam possidere beneficia, si forte possideat, alias rescriptum nullius erit momenti, dicto cap. 23. de præb. in 6.. Quoties supplici libello gratia Pontificis respondet, solet idem Pontifex hac formula uti, rescribendo *fiat*, *ut petitur*, vel, si alius Pontificis nomine subscribat, *concessum*, *ut petitur*, *in præsentia Domini Nostri Papæ*, ex qua subscriptione signatura nomen accepit, quasi scriptura signata, sive subscripta. Inter utramque subscriptionis formulam hoc discrimen intercedit, ut si forte concurrant eodem die plures ad idem beneficium, & omnes obtinuerint, præferatur ille, qui obtinuit per formulam *fiat*, alteri, qui obtinuit per formulam *concessum*, etiam si formula *concessum* clausulam adnexam habeat *motu proprio*, vel etiam alias clausulas prægnantiores, & quamtumlibet privilegiatas, quemadmodum constitutum adparet in regula 34. Cancellariæ. Cæterum si plures eadem formula conceptum rescriptum obtinuerint eodem die, ex regula 17. Cancellariæ, præferuntur in primis, qui rescriptum cum clausula *motu proprio* impetraverunt, alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati; necnon colorato titulo possessores non possessoribus; ac inter alias personas, in Curia præsentes absentibus ab ea, atque inter præsentes non beneficiati beneficiatis; & similiter inter absentes, cæteris paribus, oriundus non oriundo, diœcesanus non diœcesano, in reliquis vero singuli, qui prius Apostolicas literas executoribus præsentaverint. Hæc ratio est, quare in regula 16. Cancel-

lariæ cautum fuit, ut notæ temporum numerales debeant per extensum in rescriptis Pontificiis adponi ad evitandas contentiones, quæ ex numeris brevioribus alias adpositis emergere possent. Post confectam signaturam per memorata verba, quibus gratia Pontificis exprimitur, succedunt in eadem charta formulæ, quæ in literis expediendis ex voluntate Pontificis sunt exprimendæ, qualis est inter cæteras absolutio a censuris ad effectum beneficii impetrandi, item protestatio Papæ, qua per concessionem illam declarat, se nolle derogare juri jam alteri forte quæsito, quod in regula Cancellariæ 18. generaliter propositum legimus, & similes. His apud Pontificem peractis, licet concessio beneficii facta dicatur, adhuc tamen nemini suffragabitur, nisi literæ conficiantur, ante quas gratia Apostolica dicitur adhuc informis, juxta regulam 27. Cancellariæ, cui addi possunt 31. & 52.. In literis autem conficiendis, quæ paucis a Pontifice concedente per signaturam perstricta fuerunt, latiore stylo explicantur, plumbeoque sigillo juxta ea, quæ superius adnotata sunt, firmantur, unde literæ bullarum nomen multis jam ab hinc sæculis acceperunt.

Non est omittenda hoc in loco quarumdam formularum observatio, quarum aliquæ olim tantum viguerunt, cum in usu essent mandata de providendo, aliquæ etiam hodie locum obtinent, appellanturque universæ his nominibus, vel *in forma pauperum*, sive *cum secundum Apostolum*, seu *in forma communi*; vel *in forma dignitatis*, seu *in forma dignum*; vel *in forma gratiosa*, vel *rationi congruit*, vel *perinde valere*, vel *perinde etiam valere*; vel *in forma novæ provisionis*, vel denique *si neutri*, aut *si nulli*, aut *si alteri*.

Forma, quæ dicitur *pauperum*, sive *communis*, sive *cum secundum Apostolum*, eadem omnino est, atque originem habuit ab Innocentio III. in cap. 16. de præbend., quod cum his verbis incipiat: *cum secundum Apostolum*, ideo formulæ nomen dedit. Adhiberi ista consuevit, quoties Clericus ab Episcopo sine ullo, aut sine sufficienti patrimonii titulo ordinatus, non habet, unde necessaria vitæ subsidia percipiat, cui propterea Romanus Pontifex beneficium aut concedit, aut concedendum mandat, atque hinc dicta etiam est *forma pauperum*, quia pauperibus Clericis ea ratione consulitur; aut etiam *forma communis*, quod Clericis indigentibus ea ratione concessum juri communi maxime consentaneum videtur, dicto cap. 16. cap. 27. de rescript., cap. 13. de æt. & qualit. præficiend..

In forma dignitatis, seu *in forma dignum* datæ literæ dicuntur, quoties Pontifex Maximus scribit ad locorum Ordinarios, vel ad executores a se constitutos, mandans, ut Clerico aut ob nobilitatem generis, aut ob insignem literarum peritiam, vel ob singularem vitæ integritatem, vel ob certa in Ecclesiam merita beneficium conferatur; appellanturque literæ *in forma dignum*, quia priora literarum verba hæc describi solent: *Dignum arbitramur* &c. Olim dum vigerent mandata de providendo, mitti hujusmodi literæ solebant ad Ordinarios, collaturos beneficium, quod ad suam collationem libere pertinebat. Hodie diriguntur ad executorem Apostolicum ad id specialiter designatum, qui esse solet vir in dignitate ecclesiastica constitutus. Ut plurimum vero is, qui auctoritate Pontificia collaturus est beneficium *in forma dignum*, non dicitur merus gratiæ Pontificiæ executor, qui scilicet sine cognitione causæ beneficium conferat, sed executor, uti vocant, mixtus, qui scilicet cognoscat de causa, seu de meritis Clerici, an ista talia sint, qualia in literis Pontificiis enuntiantur; & tum demum ad beneficii collationem deveniat, cum satis menti Pontificis factum animadverterit. Quod si aliquando nulla habenda sit

causæ cognitio, tunc erit rescriptum *in forma gratiosa*, & executor Apostolicus non mixtus, sed merus dicetur, a quo propterea non propria beneficii collatio, sed potius in possessionem missio postulabitur. An vero cognitio causæ mandata fuerit, necne, ex verbis, & clausulis Pontificiarum literarum deduces, ut ex. gr. cognitio causæ mandata intelligatur, quoties certæ fuerint in literis conditiones adjectæ, veluti, *si vera sunt exposita &c.*, *constito &c.*, *si idoneum esse repereris &c.*

Forma *rationi congruit*, ita dicta ex prioribus literarum Pontificiarum verbis, locum habet, quoties quis jam obtinuit beneficium per simplicem signaturam Pontificis, mortuo inde Pontifice, antequam literæ expedirentur; tunc enim successor Pontifex omnia mandat expediri nova concessione, profitens, rationi congruere, ut ea, quæ a prædecessore suo prodierunt, suum sortiantur effectum; quod quidem in Romana Curia sine difficultate expediri solet, dummodo impetratores intra semestre tempus expediendum petant, uti habetur in regula 10. Cancellariæ, eadem ratione, qua juxta regulam 12. si quis rescriptum obtinuisset, cujus vi instituendus esset in beneficio ab executore Pontificio, si ante executionem rescripti Romanus Pontifex infra annum moreretur, ita literæ a successore Pontifice confirmantur, ut quodammodo reviviscere intelligantur. Qua in re observandum est, regulam hanc 12. Cancellariæ distinctam esse a regula 10., in qua disciplina traditur formulæ *rationi congruit* in eo, quod formula *rationi congruit* tum locum habet, cum simplex a prædecessore signatura manaverit; ac regula 12. locum habet tum, cum præter signaturam etiam literæ editæ fuerint a prædecessore. Insuper observandum est, regulam 12. necessariam fuisse, ubi ageretur de mixto executore, qui scilicet delegatus fuerit æque ad cognoscendam causam, ac ad conferendum causa cognita beneficium; non vero necessariam, sed tantum ex abundanti, ut ajunt, utilem, quoties ageretur de mero executore. Etenim morte Pontificis effectu quidem carere arbitror literas mixti executoris, non meri, quemadmodum intelligere possumus ex cap. 9. de offic. & pot. jud. del. in 6., collato cum cap. 36. de præbend. in 6., quorum primum de mero, alterum de mixto executore intelligendum nemo non arbitrabitur, ne Bonifacius VIII. sibimetipsi in eadem specie adversatus fuisse videatur.

Hinc facile intelligitur, formam *rationi congruit* appellari etiam jure posse *formam novæ provisionis*, quatenus nova successoris Pontificis provisio obtinendo beneficio accedit. Sed ad formam novæ provisionis alia quoque pertinent mandatorum genera, quæ appellantur, vel *perinde valere*, vel *perinde etiam valere*. Quandocumque enim in collatione beneficii in certa re peccatum adparet, unde collatio ipsa quoque possit modo impediri, tum novæ literæ impetrantur, quibus omnia impedimenta tollantur, qua nova provisio recte appellatur; nam ista non retrotrahitur ad tempus primæ collationis. Hinc si quis Clericus medio tempore inter primam collationem, & novam provisionem beneficium impetraret, iste excluderet eum, qui novam impetrasset provisionem, nisi qui novam provisionem impetravit, allegaret, se impetrasse tantum ad cautelam, uti vocant, paratusque esset ad demonstrandum, primam collationem omnino valere. Qua in re patet, formulam novæ provisionis non revocare primam collationem, sed jura juribus accummulare. Excipe tamen casum, quo nova provisio sit petita, quoties primam Summus Pontifex revocaverit; nam tunc solum secunda collatio attenditur, quin respiciatur ad primam, & hæc proprie appellatur forma *perinde etiam valere* ex ordinario Curiæ stylo.

Huc pertinet regula 44. Cancellariæ, qua statuitur, ut si preces beneficia petentium tantum *signatæ* fuerint, nondum tamen confectæ literæ, Pontificiæ, quo sane in casu nulla nova provisio cum forma *perinde valere* necessaria est, & error obrepserit in signatura, iste quidem reformari posset, non tamen sub priore data, ut loquuntur, si ex hujusmodi expeditione cuiquam videatur fieri posse præjudicium, nisi reformationes hujusmodi per formulam *fiat* sub prima data signatæ fuerint.

Quum Pontifices Maximi profiteantur, se in concessionibus beneficiorum non tollere jus alteri quæsitum, quemadmodum habetur in regula 18. Cancellariæ; quoties contingat beneficii possessionem litigiosam esse, nemini solent illud jus concedere, nisi adjectis conditionibus *si nullis*, vel *si neutri*, vel *si non alteri* jus adquisitum fuerit. Conditio *si nulli* adjicitur literis, ubi extraneus petit beneficium tribus, aut etiam pluribus de beneficio contendentibus, sicut conditio *si neutri* adjicitur literis, ubi duo tantum sunt collitigantes; at conditio *si alteri* adjicitur literis ab uno ex duobus collitigantibus impetratis, ut si alter nullum jus quæsitum habere dignoscitur, superstes in lite beneficium nanciscatur.

Ex quibuscumque literis Pontificiarum collationum constituti a Pontifice solent executores, modo mixti, qui & judices appellantur, modo meri, qui voluntatem Pontificis jam perfectam exequuntur. Ad executores mixtos pertinet, quod statuitur in regula 48. Cancellariæ, nimirum mandatur ibidem, ut, cum judex post signaturam per literas, seu bullas designatur, tum literæ ita expediantur, ut exprimatur, judicem per seipsum executionem facere oportere. Id passim usuvenit, cum literæ expediuntur in forma *dignum*, quæ etiam *commissoria* dicitur, quæ literæ unicæ sunt, & diriguntur ad Ordinarium. Quod si literæ expediuntur in forma gratiosa, duæ tunc expediuntur literæ, quarum una actum continet collationis beneficii a Pontifice Maximo factæ, & ad beneficiarium dirigitur, altera dirigitur ad executores numero tres, ut unus ex ipsis beneficiarium postulantem vel per se, vel per alium in possessionem immittat. Consulto hic omitto plurima, quæ executoribus tradi possent, utpote quæ latius expendi in tractatione de potioribus Ecclesiæ dignitatibus, cum de iis agerem, qui ex mandato Pontificis Maximi Pontificiam ipsam jurisdictionem extra Romanam Curiam exercent. Tantum hoc in loco adjiciam, receptum esse, ut executores Apostolici valeant mandatum exequi Pontificium etiam si illud Ordinario, in cujus diœcessi agunt, minime exhibeant; neque enim Pragmaticis placuit ad hanc mandatorum speciem extendere, quod de dispensationibus Pontificiis gratiose concessis statutum fuit in Concilio Tridentino sess. 22. de Ref. cap. 5..

UAB Biblioteca de Ciències Socials

PARS TERTIA

DE GENERALIBUS SACRORUM CANONUM PRÆCEPTIS A COLLATORIBUS IN IPSA COLLATIONE OBSERVANDIS.

Huc potissimum referri potest tit. 14. libr. 1.

GEneralia Canonum præcepta a Collatoribus observanda, ad tria capita commode reducuntur; vel enim spectant beneficium ipsum, vel beneficiarii instituendi personam, vel denique personam ipsam conferentis.

Quod in primis ad beneficium ipsum pertinet, non aliter sane istud conferri poterit, nisi sit vacans; quod adeo verum est, ut ne illa quidem collatio substineatur, quæ facta sit beneficio non vacante, utut suspensus fuerit in tempus vacationis ejusdem collationis effectus; siquidem periculosum, ac triste est, beneficiarii mortem exspectare, cap. 2. de concessæ. præbend. Immo quidquid olim vigeret, hodie post saluberrimam Bonifacii VIII. constitutionem etiam interdictum adparet, ne generaliter beneficium primo vacaturum, quodcumque illud sit, alicui conferatur, cap. 2. de concess. præbend. in 6.. Jamdiu veteres canones visi sunt perpetuo removere a beneficio eum, qui beneficium nondum vacans acceperit, can. 7. caus. 2. q. 1., can. 10. & 40. caus. 7. q. 1., cap. 1. & 2. de concess. præbend.. His vestigiis inhærentes Romani Antistites regulam ediderunt 21. inter regulas Cancellariæ, qua statuerunt, nullius roboris, vel momenti existere quamcumque provisionem, aut dispositionem beneficii necdum vacantis, quod impetratum ab aliquo fuisset tanquam vacans, etiam si deinde vacaverit, & impetrans novis precibus idem beneficium obtinuerit. Quod si certis in casibus ecclesiastica utilitas suadeat, nondum vacans beneficium alicui esse promittendum, ad Pontificem Maximum pertinebit de causa cognoscere; atque ubi personarum adjuncta quamcumque suspicionem, ambitus æque, ac voti captandæ mortis amoveant, Summus idem Pontifex vacatura beneficia a die demum vacationis obtinenda concedet, cap. 2. de præbend. in 6.. Hinc quamquam in Concilio Tridentino sess. 24. de Reform. cap. 19., omnes gratiæ exspectativæ in Romana etiam Curia impetratæ sublatæ fuerint, quotidiana tamen consuetudo docet, coadjutores cum jure futuræ successionis solere constitui, cum interesse ecclesiasticæ rei quandoque possit, beneficiario aut ægrotanti, aut senio confecto coadjutorem dari, & tum optimus quis coadjutor inveniatur, cum fiducia contrahaturæ futur in beneficio successionis. Hujusmodi coadjutorum constitutio, uti liquet, exhibet dispensationem a generali lege; ab ea, inquam, lege, quæ in jure naturali, atque in ipsis gentium juribus fundamentum habet, uti legimus in dicto cap. 2. de concess. præb., edita ad avertendum ambitum, & quod magis est, ad votum avertendum captandæ mortis. Quamobrem caute in proposito agendum est, ne alias ad eam dispensationem deveniatur, quam si ea saltem probabiles concurrant conjecturæ, quibus facile quis sibi persuadeat, & ambitum, & votum captandæ alienæ mortis cessare. Hinc factum est, hodie

non concedantur coadjutoriæ hujus generis, nisi consentiente titulari, quasi consensus iste minuat suspicionem voti captandæ mortis eatenus, quatenus præsumitur, titularem non consensurum, nisi ejus gratia, cujus benevolum sibi animum esse credat. Sed vereor, ne hoc prætextu beneficia hæreditariæ quodammodo successioni subjaceant, cum coadjutoriæ cum futura successione exinde iis facilius concedantur, quos titularis ipse designaverit, contra sacros canones, cap. 5. de pactis. Hinc provide Tridentinum Concilium in cap. 7. sess. 25. de Ref. postquam constituerit, ut nemini permitterentur coadjutoriæ cum futura successione, ut omnis imago hæreditariæ successionis a beneficiis removeretur, subjunxit, siquando urgens necessitas postulet coadjutorem dari, non aliter id fieri, quam causa apud Romanum Pontificem cognita diligenter, & quam si constet in coadjutore concurrere qualitates omnes, quæ ipsum dignum beneficio reddant. Coadjutores ita constituti proprie beneficiarii non sunt, immo nec in beneficii possessione esse dicuntur, cum tantum habeant jus ad beneficium, cum primum istud vacaverit. Quamobrem nec regula de annali, nec regula de triennali possessione tueri se possunt; item nequeunt sese ingerere, aut ignorante, aut invito titulari in beneficii fructibus; quemadmodum nec ratione beneficii dici possunt subditi illi Episcopo, in cujus Ecclesia coadjutoris officio funguntur, quam ratione domicilii, quod apud eam Ecclesiam contraxerint, obnoxii sint. Habent tamen coadjutores isti quamdam beneficiariorum speciem, sive in eo, quod una cum coadjutoria beneficii residentialis alterum residentiale beneficium possidere nequeant, cum coadjutor non possit utrique residentiæ satisfacere sive in eo, quod teneantur postulante titulari muneribus beneficii satisfacere, sive in eo, quod a nemine excludi possint ab eisdem beneficii muneribus obeundis nomine titularis, unde si de dignitate, aut Canonicatu agitur, locum in conventu tenent, seu dignitati, seu Canonicatui debitum; sive in eo, quod initio coadjutoriæ susceptæ quamdam Sedis possessionem capiant, utut obeunte titulari iterum in pleaam possessionem indicantur, quin opus illis sit novo titulo: siquidem mortuo titulari, statim & sine alicujus facto hujusmodi coadjutores veri beneficiarii esse incipiunt, quasi beneficium aut non vacaverit, aut vix vacavisse brevi temporis momento censeatur.

Ex parte quoque beneficiarii plura requiruntur. Et quidem in primis ætas legitima, quam juxta qualitates varias beneficiorum variam etiam sacri canones constituerunt. Sane quousque beneficiorum collatio collationi ordinum fuit adnexa, eadem ætas & suscipiendis ordinibus, & impetrandis beneficiis requirebatur. Sed separatis collationibus, statim non dubitaverunt collatores aliquando beneficium conferre etiam puerulis, qui muneri ecclesiastico exequendo adhuc impares essent. Idcirco Concilium Claromontanum anno 1093. in can. 1. dist. 60. statuit, ne quis Archidiaconus fieret, nisi Diaconatus, ne quis Archipresbyter, aut Decanus, nisi Presbiteratus ordinem suscepisset. Adde canones 2. & 3. ejusdem dist. 60.. Hac vigente disciplina nulla specialis ætas adhuc consequendis beneficiis erat præstituta, sed tantum illa necessaria videbatur, quæ ordini beneficio adnexo congrueret. Primum in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cautum adparet, ne quis eligeretur in Episcopum, nisi jam trigesimum ætatis annum exegisset; item ne quis in Archidiaconum, Decanum, aut Parochum assumeretur, nisi qui annum vigesimum quintum attigisset, cap. 7. de elect., quod confirmasse visi sunt Tridentini Patres in cap. 12. sess. 24. de Reform., ubi in primis decretum legimus, ne quis ad dignitates aliquas, & beneficia, quibus cohæret animarum cu-

ra, promoveatur, nisi annum vigesimum quintum attigerit; deinde, ne quis dignitates illas, vel personatus, quibus nulla inest animarum cura, consequatur, qui minor sit annis duobus supra viginti; præterea, ne quis Canonicatum, aut portionem in Ecclesia Cathedrali obtineat, nisi eam sit nactus ætatem, quæ requiritur ad ordinem Canonicatui, vel portioni exercendæ adnexum, ea subjecta declaratione, qua intelligatur, Canonicatus, vel portiones Cathedralis Ecclesiæ non nisi Presbyteris, aut Diaconis, aut Subdiaconis, nunquam autem inferioris gradus Clericis posse concedi. Exinde liquet, in dignitatibus, vel personatibus cujuscumque Ecclesiæ requiri annum vigesimum secundum, non quidem incœptum, sed completum, ob perspicua Tridentini verba ibi: & 22. *annis non minores*, quemadmodum & declaratum fuisse testatur Fagnanus ad cap. *Inter cætera* de offic. jud. ordin.. At vero in Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis videtur sufficere ea ætas, quam qui nactus est, potest intra annum ad sacrum ordinem, quem Canonicatus postulat, promoveri, juxta id, quod traditur in Tridentino Concilio sess. 22. cap. 4. de Reform.. Dubitabis forte de Canonicatibus, aut portionibus Ecclesiarum Collegialium. De istis altum silentium est in dicto cap. 12. Tridentino. Propterea ad ea beneficia non videtur eadem porrigi disciplina; sed sufficiet, Canonicum Ecclesiæ Collegialis in ea constitutum ætate esse, quam cætera beneficia minora requirunt, nimirum annorum saltem quatuordecim, juxta caput 6. Tridentinæ sess. 23. de Reform., nisi tamen agatur de Canonicatibus, quibus ex fundatione, aliove titulo onus Missarum celebrandarum, legendi Evangelium, aut Apostolum incumbat; hac enim in specie talis ætas desideratur, qua intra annum beneficiarius valeat per sacri ordinis susceptionem idoneus fieri sacro muneri exequendo, juxta dictum caput 4. sess. 22.. Advertendum tamen ibidem volunt Tridentini Patres, neminem ex Canonicis etiam in Collegiali Ecclesia constitutum posse vocem in Capitulo habere, seu, quod idem est, suffragium ferre, quousque saltem Subdiaconatus ordinem non susceperit, etiam si id libere forte ab aliis Canonicis concederetur, Clement. 2. de ætat. & qualit. præfic..

Præter ætatem in eo, qui est beneficium adepturus, observandum insuper est, an eo ordine ecclesiastico sit insignitus, qui necessario beneficio juxta ipsius qualitatem adhæret. Bifariam autem potest ordo adhærere vel actu, uti loquuntur Pragmatici, vel habitu: videlicet actu, quando is, cui beneficium confertur, tempore collationis jam in ordine constitutus esse debet; habitu, seu potestate, quando sufficit, beneficiarium intra certum tempus, ut plurimum annum, initiari. In his causis potissimum erunt investigandæ formulæ, quæ in tabulis fundationum exhibentur; nam si ex. gr. diceretur in tabulis fundationum, beneficium conferendum esse illi, qui Missam per hebdomadam celebret, non dubitarem, quin beneficium actu Sacerdoti conferendum esset; viceversa si definivisset Fundator, Missam quidem esse celebrandam a beneficiario, data tamen facultate munus sacrum obeundi per substitutum, quoties impediretur, nec dubitarem, quin beneficium etiam non Sacerdoti conferri posset, dummodo hic intra certum tempus Sacerdotium consequeretur. Agitur in his, aut similibus casibus de impetratione non juris, sed voluntatis fundatoris, quæ interpretatio ex arbitrio prudenti Judicis pendet, pro singulis rerum, & causarum adjunctis probabilem sententiam pronuntiaturi. Certum hoc tempus ad annum usque solet prorogari, cap. 14. de elect. in 6., Clement. 2. de ætat. & qualit. præfic., dicto cap. 4. sess. 22. in Concilio Tridentino; atque id tempus incipit numerari a die pacificæ possessionis in beneficio obtentæ, ita ut si forte quis ultra annum differat ordinari, non spon-

te, aut negligentia, sed quia legitime impediatur, non ideo a beneficio cadat, quemadmodum declaravit Bonifacius VIII. in cap. 35. de elect.. Profecto ubi quis ultra annum promoveri se ad ordinem negligat, si de beneficio Parochiali agatur, ab eo cadit ipso jure, cap. 14. de elect. in 6.. Si vero agatur de aliis beneficiis etiam in Collegiata, aut Cathedrali Ecclesia constitutis, monendus negligens erit, & non nisi contumax beneficio per sententiam Judicis spoliandus, cap. 22. eod. in 6. juncto cap. 7. vers. *inferiora* eod. apud Gregorium IX.. Excipe tamen Prioratum Conventualem; etenim hic ex sententia Clementis V. Parochialibus beneficiis æquiparatus est in hac parte ita, ut statim & ipso jure amittatur, Clement. 1. vers. *cæterum* de statu monach.. Si quæras de fructibus intra annum perceptis, respondet Bonifacius VIII., illos restituendos esse, quoties eo animo percepti fuerint, ut intra annum ab ordine suscipiendo abstineretur, immo etiam collatorem beneficii, si fraudis conscius fuerit, teneri Ecclesiam indemnem servare, cap 35. de elect. in 6.. inde conjicere juvat, quoties nulla intercesserit fraus, ad restituendos fructus, bona fide perceptos, ac consumptos beneficiarium non adstringi. Non est hoc in loco omittendum, quod gratia studiorum cavit idem Bonifacius in cap. 34. eod. tit., nimirum voluit, eum, cui collatum sit beneficium Parochiale, posse per septennium scholasticis studiis vacare, accedente dispensatione Episcopi, dummodo intra annum Subdiaconatus ordinem suscipiat, & interea Parochiali beneficio idoneus Vicarius præstituatur, elapso autem septennio, intra annum Presbyteratus ordine initietur. Non defuerunt, qui putarent, id sublatum fuisse a Concilio Tridentino in sess. 7. cap. 12. de Ref.. Ego vero video, disciplinam illam, & dispensationem potius fuisse confirmatam, dum Tridentini Patres cum intra annum coercuerunt *facultates de non promovendo*, tum exceptionem adjecerunt, *præterquam in casibus a jure expressis*. Adfert quidem Barbosa de officio, & potest. Parochi parte 1. cap. 5. num. 22. Sacræ Congregationis decretum, quo nonnullorum contra sentientium opinionem confirmet. Sed vereor, ne decretum illud, quod non integrum exhibetur, non ea, qua decet, interpretatione donetur. Forte enim pertinere poterit ad speciem constitutionis Pii IV. promulgatæ in Romana Cancellaria anno 1564. die 4. Novembris, qua declaratum est, neminem posse ea facultate uti, nisi Ordinarii dispensatio accesserit.

Requiritur etiam in eo, qui beneficium suscipit, rerum sacrarum doctrina, ea scilicet, quæ ad implendum munus beneficio adnexum sufficiat. Hinc ex. gr. in Parocho ea necessaria erit, qua fideles sibi creditos instruere valeat, & Sacramentis rite, recteque administrandis vacare: in Canonicis Cathedralium Ecclesiarum ea necessaria videtur scientia, atque prudentia, qua consilio suo Episcopum adjuvare valeant, & Sede vacante vice Episcopi Ecclesiam regere, quemadmodum innuit Concilium Tridentinum in sess. 22. cap. 2. de Reform.. Immo aliquibus in beneficiis, præsertim dignitatibus Cathedralium Ecclesiarum, requiritur, beneficiarium esse Magistrum in sacra Theologia, vel Doctorem in jure Canonico, vel saltem Prolytam in alterutra facultate, quemadmodum de Archidiaconatu, & Pœnitentiaria expresse definiverunt iidem Tridentini Patres in cap. 8. & 12. sess. 24. de Reform.. His cohærent, quæ definita deprehenduntur in regula 20. Cancellariæ, nimirum nemini posse conferri Parochiale beneficium, vel quovis modo curæ animarum adnexam habens exercitionem, nisi intelligat, & loqui sciat idioma loci, ubi Ecclesia, seu beneficium consistit. Non persequor cæteras, quæ in beneficiariis requiruntur, qualitates. Tantum dico generaliter, a beneficiis excludi irregulares; quorum numero quinam habeantur, tradetur in Commentariis ad librum 5. decretalium.

Ratione collatoris illud in primis requiritur, ut simoniæ vitium omnino declinet, can. 21. & passim caus. 1. quæst. 1., sive, ut ajunt, a manu, sive a lingua, sive ab obsequio, can. 8. vers. *Ideo qui eadem* caus. 1. quæst. 3., cap. 6. de pactis, cap. 20. & passim de simon. Sed de hac re opportunius agendum erit in Commentariis libri 5.. Deinde cavere debent collatores, ne pro lubitu suo Clericos Clericis præferant, id est, dignioribus minus dignos, dantes locum humanis affectionibus, scituri, se summo Deo rationem reddituros minus fidelis administrationis. Non opus probationibus in hac re. Paucis dico: Prælati Ecclesiæ non suum, sed Ecclesiæ, sed Dei ipsius negotium gerunt in administris seligendis. Dispensatores sunt a Deo ipso constituti in utilitatem Ecclesiarum, non in commodum sui, aut familiarium, vel necessariorum. His principiis perpetuo adserunt Sancti Patres, qui in ordinatione ministrorum, cui olim collatio beneficiorum cohærebat, rem gravissimam se gerere profitebantur; & licet hodie collatio beneficiorum a collatione ordinum sejuncta sit, idem tamen, qui olim erat finis, adparet, idemque scopus, cum per beneficiarios potissimum sacra officia in Ecclesia & geri debeant, & gerantur. Alta mente reponant Prælati auream illam Hadriani VI. sententiam apud Papirium Massenum in vitis Pontificum, ajentis, non beneficia hominibus, sed beneficiis homines dandos esse; tum vero muneri suo satisfacient.

DISSERTATIO SEXTA

DE ONERIBUS, ET JURIBUS CLERICORUM,

QUI BENEFICIA OBTINUERUNT.

CAPUT I.

De oneribus, & juribus, quæ spectant spirituale munus beneficio adnexum.

Huc referendi sunt tituli 3. 6. & 41. libr. 3.

NUllum potest esse beneficium ecclesiasticum, quod sacri cujusdam officii non habeat onus adnexum, cap. ult. de rescript. in 6., quod quale esse debeat, vel tabulæ fundationis, vel lex scripta, vel uniuscujusque beneficii qualitas singularis perspicue demonstrabit. Ex qualitate beneficii, ut exemplum tradam, ad Episcopos pertinebit Clericos ordinare, fideles baptizatos Sacramento Confirmationis communire, divinum prædicare Evangelium, atque omnia, quæ diœcesanam curam spectant, negotia gerere; quemadmodum ad Parochos, Sacramenta subjectæ plebi conferre, aut ad Canonicos consilium postulanti Episcopo præbere, pu-

blice divinas laudes persolvere. Ex tabulis fundationum onera illa beneficiariis imminent, & jura, quæ fundator ipse etiam præter qualitatem erecti beneficii præstituerit. Non est, cur immorer in re vulgatissima, præsertim quod in commentariis istis passim tradita fuerunt pro opportunitate rerum, quæ pertractantur, quæ, & qualis singulis beneficiariis competant. Nonnulla dumtaxat attingam de singularibus duobus oneribus, quibus omnes fere indiscriminatim beneficiarii subjacent, nimirum de obligatione & divinas laudes horis canonicis persolvendi, & residendi in Ecclesia, in qua beneficium erectum est.

Antiquissimum esse usum divinarum laudum a Clericis horis Canonicis persolvendarum, nemo est, qui dubitet, cum, ut ait Ivo Cartonensis in epist. 318., ad id instituta sit militia Clericalis, ut *Psalmodiæ, & hymnodiæ quotidianum Deo offerat sacrificium.* Psalmodiæ nocturnæ, matutinæ, & vespertinæ mentionem fecit Justinianus in l. 42. §. 10. cod. de Episc. & Cleric., & auctor vetustus constitutionum Apostolicarum in libr. 8. cap. 34. meminit precationum faciendarum, *mane, tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere usque ad galli cantum.* Adde his sermonem 55. de tempore inter Opera S. Augustini, & canonem 9. dist. 92.. Verum nec modus idem apud omnes in hoc peragendo munere perpetuo servatus est, nec eædem orationes apud omnes peræque Clericos beneficia possidentes recitatæ: nam olim universi Clerici, ne uno quidem excepto, quotidie statis horis conveniebant in Ecclesiam causa psalmodiæ, ac publicarum orationum, eorumque exemplo universus etiam populus ad simile peragendum religionis officium concitabatur. Sed tepescente in res divinas charitate, ubi minor fuit populi frequentia, plures etiam ex Clericis, præsertim qui a communione vitæ recesserant, a quotidianis sacris laudibus cessaverunt. Interea monachi præter vetustam psalmodiæ rationem, aliam, institutore Petro Damiani, Ecclesiæ sæculo undecimo invexerunt sub nomine Officii B. Mariæ, atque horum exemplo Clerici quidam, præcipue ad communionem vitæ eo tempore reduces, pias easdem orationes una cum ordinaria divinarum laudum recitatione junxerunt, saltem certis diebus; alii ita novo ritui adhæserunt, ut prætextu singularis in B. Mariam devotionis ordinariam psalmodiam omitterent: alii denique, qui in communem vitam redigi non potuerunt, ab utroque sacræ laudis genere abstinuerunt, allegantes, modo se tantum in minoribus ordinibus constitutos, modo se tenui beneficio donatos. In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. hæc dolebant Ecclesiæ Patres, uti liquet ex cap. 9. de celebration. Missar., quo constitutum fuit, ut singuli Clerici, potissimum vero Ecclesiarum Prælati, nocturnum pariter, & diurnum officium studiose celebrarent, pœna indicta suspensionis adversus inobedientes. Observandum sane est in conspectu ejus canonis, agi ibidem de divino officio publice in Ecclesia celebrando; item divini officii partem fuisse Missarum celebrationem. Hanc Lateranensis Concilii sanctionem pressius etiam urgere visi sunt Viennenses Patres sub Clemente V., quemadmodum adparet ex Clement. unic. de celebrat. Missar.. In Concilio quoque Coloniensi anni 1280. can. 1. Clericis omnibus, iis præsertim, qui essent in sacris ordinibus, vel in beneficiis constituti, præceptum est, *ne horas Canonicas, & de Domina nostra ulla unquam die dicere prætermittant*, quod præceptum renovavit Basileense Concilium sess. 22. cap. 5., ubi tamen nihil statutum adparet de officio B. Mariæ: tantum decretum, ut *quicumque beneficiati, seu in sacris constituti diurnum, nocturnumque officium peragant*: atque idipsum confirmavit Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 9. §. *Statuimus*, in quo beneficiariis divinum officium non recitantibus pœna indicta est amissionis fructuum. Tandem Pius V. anno 1571. 18. Calend. Octobris relata Concilii Late-

ranensis constitutione sanxit, ut beneficiarii divinum officium omittentes suos non facerent fructus pro rata omissionis, re ita distributa; ut si uno die omitterent, fructibus carerent, qui diei respondent: qui vero alicujus diei partem omisissent, dimidiam partem diurnorum fructuum amitterent, si de matutino ageretur; si de cæteris horis, sextam alterius dimidiæ partem, habita singularum ratione. Præterea idem Summus Pontifex declaravit. eadem obligatione adstringi eos, qui præstimonia, aut præstimoniales portiones, & quæcumque alia beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinerent; quemadmodum etiam declaravit, teneri eadem ratione, & sub eisdem pœnis ad recitationem parvi, ut ajunt, officii B. Virginis eos, qui pensiones, fructus, vel alias res ecclesiasticas extra beneficii titulum possiderent. Et quando officii sacri universi celebrandi varii erant ritus, qui sane nec universi omnino placere poterant, mandatumque subinde fuit a Tridentinis Patribus in fine Concilii, ut auctoritate Pontificis Maximi hæc res absolveretur; non defuerunt iidem Pontifices sollicitudini, qua adhibita tandem & ratio divini officii, & Missarum ordo in certam formam reducerentur, unde confecti sunt Missales libri, & Breviaria, quæ dicuntur Romana, quamquam illorum ritus nec ad quascumque provincias, nec ad quascumque universitates, sive Collegia traducti fuerint; qua in parte adhuc singulis provinciis, singulisque Collegiis sui supersunt mores, suæ receptæ, probatæque consuetudines.

Sunt hæc beneficiariis omnibus communia. Est tamen animadvertendum vulgare discrimen, quod inter Clericos, & Clericos intercedit. Etenim licet Clerici quidam sint, & quidem beneficiarii, qui muneri suo satisfaciunt, etiam si privatim Divinum Officium recitent; aliqui tamen sunt, qui sub memoratis pœnis publicæ recitationi adstringuntur. Hujusmodi sunt Canonici sive Cathedralium, sive Collegiatarum Ecclesiarum. Jamdiu isti, si publicis Ecclesiæ precibus non interessent, certa fructuum portione privabantur. Undecimo jam Ecclesiæ sæculo Ivo Carnotensis in Epist. 219. ad Paschalem scripsit, se Canonicis Ecclesiæ suæ dimidium tantum adsignavisse præbendæ, ut alterum dimidium resolveretur in distributiones quotidianas, præsentibus, & psallentibus concedendas, & non psallentibus denegandas. Atque ego suspicor, forte hujus naturæ fuisse dimidias illas præbendas, quarum mentionem fecit Bonifacius VIII. in cap. 27. de præbend. in 6.. Huc etiam spectant duo Tridentina decreta, quorum primum extat in cap. 3. de Ref. sess. 22., quo data fuit facultas Episcopis, ubi necdum distributionum quotidianarum disciplina invecta adpareat, dividendi tertiam partem ex fructibus, & proventibus quibuscumque omnium dignitatum, personatuum, & officiorum in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis existentium, eamdemque pro arbitrio in distributiones quotidianas adsignandi, ut, qui munus non implevit, distributionem adsignatam juxta Episcopalem definitionem amittat, data insuper Episcopo facultate, amissam distributionem pio loco applicandi, item severioribus pœnis coercendi eos, quorum major sit inobedientia, & contumacia. Alterum decretum extat in cap. 12. de Ref. sess. 24., ubi definitum est, distributiones dandas tantum illis esse, qui horis canonicis interfuerint, exclusis reliquis, quibus nulla prodesse aut collusio, aut remissio possit. Hinc receptum est, ut licet quotidianæ distributiones, quarum jacturam faciunt non psallentes, psallentibus adcrescant, Canonici tamen inter se ne expressa quidem pactione convenire possint, ut singulis remittantur, cum hoc vergeret in divini cultus diminutionem, & Conciliorum, ac Patrum sollicitudinem eluderet, atque enervaret. Immo si forte quisquam ex Canonicis præbenda contentus, ac de distributionibus parum sollicitus, divinis nunquam, aut vix of-

ficiis interesset arbitrio Prælati etiam privatione præbendæ puniri posset, quemadmodum & in dicto Tridentino cap. 3. definitum est, & decisum testatur Fagnanus ad Capitulum *Licet* de præbend. num. 35.. Idipsum potiore jure diceres, ubi vel nullæ adhuc sunt, vel admodum tenues distributiones adsignatæ. In beneficiis Parochialibus optandum sane esset, ut publice etiam quotidianæ psalmodiæ locus fieri posset. Sed quoniam pauci in Parochialibus Ecclesiis solent esse administri, satis erit, si psalmodia publica tunc celebretur, cum frequentior est populi conventus, qualis esse solet festivis diebus; immo & licebit Parocho, ubi alias divinæ psalmodiæ juxta Breviarii ritum vacare non potest, psalmodiam ipsam in alias probatas orationes, & rudi populo accommodatas commutare; dummodo tamen meminerit idem Parochus psalmodiæ ejusdem saltem privatim recitandæ. Aliis beneficiariis onus imminet privatæ saltem psalmodiæ, quin exemptum dicere se quisquam possit ne prætextu quidem beneficii tenuis; turpe enim est, atque indecorum, sacrarum orationum, & psalmodiæ onus attemperare fructibus, ut hinc illinc libratio quædam, & mensura pendatur. Hinc miror, nonnullos Scriptores adversus generales leges, & canones ecclesiasticos hujus generis opinionibus subscripsisse, immo etiam eo fuisse progressos, ut quantitatem fructuum determinarent, infra quam Divini officii recitandi obligatio esset, ex qua statim emergeret; quod contingere dixerunt quidam, ubi beneficii redditus in aureis duodecim, quidam etiam, ubi in aureis octo consistere. Hæc sunt ex iis, in quibus nonnulli Pragmatici licentiæ suæ temere, & sine ulla penitus causa indulserunt, ut oscitantiæ, aut avaritiæ velificarentur.

Alterum onus, quod beneficiariis imminet, residentiam spectat. Sane non dubitant viri gravissimi, quin residendi obligatio jure communi omnes omnino beneficiarios adstringat, sive de duplicibus, sive de simplicibus beneficiis agatur. Fagnanus ad capitulum *conquerente* de Cler. non resid., Garzias de benefic. part. 3. cap. 2. numer. 1.. Jus hoc commune duplici fundamento innititur. Primum est singulare in his beneficiis, quæ ex voluntate privata fundatorum erecta fuerunt; atque est ipsamet fundatorum voluntas. Statim ac enim fundatores in certa Ecclesia beneficium erigendum postulaverunt, certaque bona ideo contulerunt, ut Clericus bonis utens certa officia in eadem Ecclesia præstaret, quid clarius produci potest ad eruendam fundatorum voluntatem, qua tacite saltem declarasse videantur, se velle, ut Clericus in Ecclesia beneficii resideat? At dices: beneficia ista simplicia nullum habent singulare onus adnexum tantum debet beneficiarius recitationi divinarum laudum incumbere juxta constitutionem Pii V. superius commemoratam. Ego repono, istud ipsum esse, quod probatione indiget. Beneficium datur propter officium, ait Bonifacius VIII. in cap. ult. de rescript. in 6.. Est autem crassa nimium interpretatio illorum, qui putant in eo capitulo officii nomine recitationem Breviarii significari. Eo ipso, quo fundator in certa Ecclesia Beneficium erigendum voluit, non unius beneficiarii personam, seu vel jura, vel onera personalia respexit, sed & ipsius Ecclesiæ habuit rationem; quasi beneficiarius vel juribus uteretur, vel oneribus subjaceret in cultum illius Ecclesiæ, cui beneficium cohæret. Porro hæc voluntas in rem concepta residentiam postulat, cum Clericus beneficiarius nihil peragere possit ad cultum Ecclesiæ beneficiariæ, nisi apud eamdem Ecclesiam resideat. Neque discrimen intercedere potest inter hæc beneficia, & beneficia duplicia, nisi eatenus, quatenus in duplicibus publica institutio id postulet, in simplicibus autem id postulet voluntas privati fundatoris. Publica institutio in beneficiis duplicibus voluit, ut beneficiarius certa munera exequeretur. Hinc emer-

sit residendi obligatio. Cur non eadem obligatio emerget, ubi privatus fundator certa Clerico munera implenda in Ecclesia mandaverit? Si dicas, munera per substitutum impleri posse; reponi facile potest, has substitutiones non esse probatas in beneficiis duplicibus; causasque ipsas, quare in duplicibus improbentur, etiam in simplicibus beneficiis existere; vel quia substitutus alieno nomine agens, & quasi mercede conductus, minorem adhiberet sollicitudinem; vel quia redditus beneficii pares esse nequeunt duobus exhibendis administris; vel quia decorum non est, eum, qui sibi jura vindicat, per se onera non ferat, & in otio vivat. Alterum fundamentum juris communis, generaliter obtinet in beneficiis omnibus, & collocatum est in ipsa ingenita Hierarchiæ ecclesiasticæ, seu clericalis ordinis antiquissima, & pene Apostolica distributione. Jamdiu cautum est, ut nemo ordinetur, nisi certæ Ecclesiæ adscribatur. Hæc adscriptio nihil aliud fuit olim, antequam patrimoniorum disciplina induceretur, quam collatio beneficii, cujuscumque tandem generis beneficium esset. Hæc eadem adscriptio residentiam procul dubio postulabat. Neque successione temporum, post inductam disciplinam patrimoniorum ab his regulis recessum est; immo eædem regulæ sunt magis, magisque firmatæ, quando in Concilio Tridentino non aliter admissæ sunt ordinationes titulo patrimonii, quam si Clericus certæ Ecclesiæ adscriberetur. Quod si Clericus titulo patrimonii ordinatus, utut hic titulus subsidiarius sit, nihilominus Ecclesiæ adscribitur, nec nisi ex Episcopi dispensatione abesse ab Ecclesia potest, potiore sane jure adscribetur Ecclesiæ beneficii, quodcumque illud sit, qui titulum ordinarium beneficii adeptus est, ordinarium, inquam, titulum ordinationis. Hinc est, quod etiam hodie Episcopus beneficii etiam simplicis potest jure suo Clericum etiam non diœcesanum ordinare. Hinc est, quod plura beneficia etiam simplicia non possunt a Clerico sine dispensatione obtineri, quod sane fundamentum habet in lege residentiæ, cui non potest Clericus satisfacere, quoties in diversis Ecclesiis beneficia obtineat. Equidem verum est, hodie aliam opinionem invaluisse, qua, qui simplex beneficium possident, a personali residentia liberantur, dummodo quæ certo in loco sacra officia ex fundationum tabulis celebranda sint, per substitutum obeantur. Vereor tamen ego, ne consuetudo istbæc, licet in causa sit, cur beneficiarii pœnas legitimas non residentium evadant, possit illis satis tutum esse præsidium, quo a gravi peccato eximantur. Hæc consuetudo ex illis est, quæ occasionem præbet violationi pactorum inter fundatores, & Ecclesias initorum; quando fundatores convenerunt in limine fundationis de personali officio a beneficiario in certa Ecclesia peragendo. Hæc consuetudo ex illis est, quæ primigeniam, aut antiquissimam beneficiorum tributionem, perpetuo canonibus confirmatam enervant, proindeque corruptelæ potius, quam consuetudinis nomine donanda est. Quod ut clarius explicetur, indicanda est consuetudinis hujus origo, & progressus. Quibus sæculis relaxata fuit ecclesiastica disciplina, passim Clerici ab officiis, Ecclesiisque, quibus addicti fuerant, vacabant, aut huc illuc errantes, aut procul ab Ecclesiis domicilium suum fingentes, iique religiosiores videbantur, qui certo Clerico substituto Ecclesiæ, officiique cura mandata, quamdam Ecclesiæ, & officii sollicitudinem adhuc eminus habere videbantur. Nec ipsi quidem Parochi, dixerim amplius, nec ipsi quidem Episcopi gregem pascebant, contenti Vicarios præstituere, quos pacta mercede conducebant non sine gravissimo animarum detrimento. Hæc cum passim in usu essent, quid non erat permittendum minoribus Clericis, quibus nulla animarum cura imminebat? Istis sane ab Ecclesiæ & beneficio profugis favebat exemplum

& Parochorum, & Episcoporum; & quis beneficiarios illos ad residendum urgere debuisset, quando ipsi Episcopi, ad quorum sollicitudinem id pertinebat, simili negligentia ab Ecclesiis aberant? Hucusque consuetudo æque favebat omnibus, sive curam animarum habentibus, sive aliis quibuscumque minoribus Clericis. Deventum tandem est ad Concilium Tridentinum, in quo graves propositæ fuerunt contra non residentes querimoniæ. Diræ in hac re fuerunt concertationes, inter quas non parum laboratum est, ut saltem Episcopi, Parochi, & Canonici Cathedralium, & Collegialium Ecclesiarum pœnis propositis gravibus ad residentiam obligarentur. At enim, quid aliud hoc fuit, quam declarare, præcedentem non residendi consuetudinem non Episcopis, non Parochis, non Canonicis suffragari potuisse, utpote quæ abusus potius erat, & corruptela? Uti expresse legitur in cap. 1. sess. 23. de Ref.. De aliis beneficiis minoribus disputatum amplius non est; neque enim tempora ferebant, omnibus omnino abusibus medelam adferre: satis erat, si gravioribus prospiceretur. Interea tamen etiam de minoribus Clericis cautum fuit, ne quisquam ordinaretur, quin ordinatio aut necessaria, aut saltem utilis Ecclesiis esset; ne quisquam ordinaretur, quin certæ adscriberetur Ecclesiæ, & in eadem Ecclesia sacra officia gereret. Hæc satis aperiebant Concilii mentem, quæ eo tendebat, quo omnes Clerici nossent, Ecclesiæ serviendum personali officio fore, Ecclesiæ, inquam, illi, a qua stipendia percipiunt. Quod si certa pœna in hac parte legem non muniverunt, id in causa quidem est, ut Clerici non residentes in judicio non conveniantur, non vero ut a crimine liberentur. Atque hinc intelligitur Tridentinum decretum in cap. 17. sess. 24. de Ref., ubi prohibetur, ne quis plura obtineat beneficia, tantum exceptione adjecta, quo casu unum insufficiens esset, qua etiam in specie permissum est, alterum beneficium obtinere, dummodo utrumque personalem residentiam non requireret. Generalis regula de pluribus beneficiis non obtinendis indicat mentem Tridentinorum Patrum, residentiam in unoquoque beneficio sine discrimine postulantium; quando præcipue plurium beneficiorum possessio ideo prohibetur, quia qui plura beneficia possidet, nequit in pluribus Ecclesiis ministrare, residere. Quod si in exceptione mentio fit beneficiorum residentiam non exposcentium, horum nomine ea beneficia intelliguntur, in quibus si quis non resideat, certæ pœnæ non sunt in sacris Canonibus, atque in ipso etiam Concilio præstitutæ. Exceptio isthæc, ut liquet, dispensationem continet a generali lege; atque ideo dispensatur a generali lege prohibente plurium beneficiorum possessionem, quia dispensatur a lege residentiæ, utpote, quæ eadem est cum lege prohibente plura beneficia possideri. Porro in dispensationibus facilior est animus dispensantis, ubi de illis agitur, quæ minora sunt, & in quibus non tanta est, aut fuit legumlatorum sollicitudo. Sollicitudinem autem maximam adhibuerunt Tridentini Antistites in urgenda residentiæ lege apud Episcopos, Parochos, ac Canonicos, atque ad hos propterea nunquam dispensatio erat protrahenda. Si quæ dispensatio aut necessaria, aut utilis videbatur, in cæteris tantum minoribus beneficiis locum habere poterat. Si quis hæc apprime, uti decet, perpenderit, mirabitur plane, Pragmaticos tradere, non posse Episcopos certis propositis pœnis adigere possessores simplicium beneficiorum ad residentiam, propterea quod, ut illi ajunt, Episcopi nequeant immutare generalem disciplinam. Quid? Num Episcopi destituuntur facultate tuendi fundatorum voluntates? Num destituuntur facultate jus commune confirmandi, abusus corrigendi, atque eam disciplinam Ecclesiasticam instaurandi, quæ cum Clericum unumquemque suo officio addicit, tum fundamentalis esse

deprehenditur? Hæc non apud alios in animum induci possunt, quam apud eos, qui in beneficiis sibi tantum constituerunt optabile commodum, exemptum prorsus ab omni onere; quæ beneficiorum imago uti a luxuria, aut ab avaritia, aut ab ambitu originem turpissimam habet, ita non tam positivis Ecclesiæ legibus, quam primis ecclesiasticæ disciplinæ principiis adversatur.

Jam vero singularia expendamus, quæ præsertim in Tridentino Concilio constituta fuerunt de residentia Episcoporum, Parochorum, ac Canonicorum. Quod in primis ad Episcopos attinet, in Tridentino Concilio diutius disputatum est, utrum Episcopi jure divino ad residentium in Ecclesiis obligarentur. Utilis erat hæc disputatio, ut via inde pararetur, ad damnandam consuetudinem non residendi, quæ passim inoleverat cum gravissimo detrimento Ecclesiarum. Et quidem initio omnibus opportunum visum est, abusui medelam adferre; sed definire, ex jure divino derivari residentiæ legem eo tendere videbatur, ut damnaretur multorum Antistitum memoria, qui pridem non residebant; immo etiam eo ut nonnulla Maximorum Pontificum facta minus probarentur, quando plures Episcopi privilegia non residendi ab Apostolica Sede obtinuerant. Hinc, dummodo utilitati Ecclesiarum prospiceretur, caute æque, ac prudenter decreta in hanc rem digesserunt, ac prodiderunt. Primum in sess. 6. cap. 1. de Ref. professi sunt Tridentini Antistites, velle se restituere collapsam admodum ecclesiasticam disciplinam, seque accingere ad emendandos mores in clero, & populo christiano depravatos, cujus rei initium sumendum erat ab iis, qui majoribus Ecclesiis præsunt. Hinc monitos voluerunt Episcopos universos, ut suum ministerium implerent, scirentque, illud se implere non posse, si greges sibi commissos desererent. Doluerunt inde vehementer, eo tempore fuisse nonnullos propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, qui vagabantur in diversis Curiis, aut in negotiorum temporalium sollicitudine derelicto ovili, & ovium cura neglecta, se detinebant occupatos. Doluerunt, vetustos canones de residentia editos pene in desuetudinem incuria temporum, atque hominum abiisse, eamque ob rem eos instaurandos omnino duxerunt. Vides hinc, quali dexteritate usi fuerunt Patres Tridentini in firmanda residentiæ lege, tanquam ex divinis ipsis institutionibus, sive ex ingenita Episcopatus natura proficiscente, adversus quam consuetudo omnis improbanda penitus videretur. Ut autem certus residendi modus, certæque adversus non residentes pœnæ definirentur, caverunt, ut quicumque Episcopi quacumque dignitate, gradu, aut præeminentia fulgerent, sine causa sex continuis mensibus extra suam diœcesim morando abfuissent, quartæ partes fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrerent: quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverint, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amitterent; crescente vero absentum contumacia a Metropolitano, aut ab antiquiore Episcopo, si de Metropolitano delinquente ageretur, certior fieret Pontifex Maximus de Episcopi negligentia, ut ad illius auctoritate, & quidem gravissimas pœnas, etiam usque ad Episcopi depositionem, deveniatur. Non tamen ex hoc ipso decreto quisquam jure inferret, licere Episcopis quinque continuis mensibus a sua Ecclesia abesse. Cum enim Tridentini Patres plectere voluerunt Episcopos per semestre tempus absentes, gravioribus cœperant abusibus mederi, prospecturi opportuniore tempore minus gravibus. Et revera mentem inde suam declaraverunt in cap. 1. sess. 23. de Ref. Vetus jam fuit disciplina, qua non licebat Episcopis die quocumque do-

minico ab Ecclesia abesse, excepta infirmitatis causa, can. 4. dist. 3. de consecr., & Concilium Sardicense can. 15. prohibuerat, ne Episcopi trium hebdomadarum tempora prorogarent, quibus ab Ecclesia sua abessent. Ad hæc respicientes Tridentini Patres in dicto cap. 1. sess. 23., & certam formam legibus residentiæ iterum præbituri, post instauratam controversiam, utrum Episcopi ad residendum jure divino obligarentur, professi initio sunt, præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in certa munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab his præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; hinc universos admonuerunt, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio & veritate pascerent, & regerent. Quid clarius in istis, ad insinuandam sobrie, prudenterque, residentiæ Episcopalis legem in jure divino fundamentum habere? Prosequuntur, & ajunt, ne ea, quæ statuta fuerant in dicto cap. 1. sess. 6., in sensus a Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceret, omnes omnino Episcopos ad residentiam obligari, neque abesse posse; nisi ex certis causis, certisque modis. Legitimas absentiæ causas esse dixerunt christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, ac evidentem Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem, istasque causas a Romano Pontifice, vel a Metropolitano, vel eo absente a Suffraganeo Episcopo antiquiore in scriptis esse adprobandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum, cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Dum vero ex causa Episcopi absunt, tenentur prospicere diœcesi ita, ut ex eorum absentia nullum detrimentum emergat. Modus ita constitutus est, ut quoniam qui tantisper abest, non videtur abesse, quia statim reversurus est, brevis hujus absentiæ spatium singulis annis sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, duos, aut summum tres menses non excedat, & habeatur ratio, ut adhuc id non nisi ex æqua causa fiat, & sine ullo gregis detrimento, quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relictum est. Item admoniti Episcopi fuerunt, ne recedant a Cathedrali diebus Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, nisi Episcopalia munera in sua diœcesi eos alio vocent. Quod si quis contra hujus decreti dispositionem abfuerit, præter alias pœnas indictas in dicto cap. 1. sess. 6. de Ref., adjectum est, ut Episcopi absentes pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciant, erogandos per superiorem ecclesiasticum vel fabricæ Ecclesiarum, vel pauperibus loci.

Nemo non videt, in his commemoratis Tridentini Concilii capitibus, non de nomine, sed de officio Episcopi & disputatum, & pronuntiatum fuisse. Hinc plana res est, residentiæ legem eos omnes urgere, qui Episcopalem, seu quasi Episcopalem administrationem nacti sunt, & quando animarum cura, quæ præcipue Episcopali dignitati incumbit, a Parochis etiam singulis pro ipsorum modo, quasi ab Episcoporum adjutoribus exercetur, non dubitaverunt Tridentini Antistites, quominus eodem jure, quo Episcopos, etiam Parochos ad residendum in Ecclesiis obstringerent, immo & obstrictos declararent. Primum in sess. 6. de Ref., postquam in cap. 1. sollicitudinem Episcopalis curæ habuerunt, uti modo indicabam, deinde in

cap. 2. mandatum fuit Episcopis, ut opportunis juris remediis cogerent ad residendum, quotquot beneficia ecclesiastica personalem residentiam de jure, sive consuetudine exposcentia possident, quin alicui suffragarentur aut privilegia, aut indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis; tantum in suo robore permansuris indulgentiis, ac dispensationibus temporalibus ex veris, & rationabilibus causis concessis, & quidem coram Ordinario legitime probandis; quibus in casibus data fuit facultas Episcopis providendi, aut per deputationem idoneorum vicariorum, & congruæ portionis fructuum adsignationem cura animarum nullo modo negligatur. Post hæc cum Tridentini Patres iterum de residentiæ lege firmanda, urgendaque deliberaverint in cap. 1. sess. 23. de Ref., postquam plurima de residentia Episcopali sanxerunt a me modo laudata, decreverunt, ut eadem omnino, seu quoad culpam, seu quoad pœnas, locum haberent in beneficiis curam animarum adnexam habentibus, ita tamen, ut quandocumque Parochi absint, causa prius per Episcopum cognita, & probata, Vicarium idoneum ab Ordinario, adprobandum cum debita mercedis adsignatione relinquant. Adjecerunt insuper, discedendi facultatem in scriptis, gratisque concedendam, non nisi ex gravi causa ultra bimestre tempus impetrari posse. Denique concluserunt, Parochos non residentes per edictum, etiam non personaliter, citatos, ac contumaces, auctoritate Ordinariorum per censuras ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam usque ad privationem posse compelli, quin sententiæ executio suspendi possit quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, consuetudine etiam immemorabili, sive appellatione, aut inhibitione etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis: extat hæc Eugeniana constitutio in extrav. 3. de privileg. int. comm..

Ad Canonicos Cathedralium, vel Collegialium Ecclesiarum spectavisse videbantur Tridentini Antistites in sess. 6. cap. 2. de Ref., quo cautum erat, ut etiam illi residentiæ legibus subjacerent, prout Episcopi singuli in singulis diœcesibus pro locorum qualitate, & temporum opportunitate definivissent. Sed deinde in sess. 24. cap. 12. vers. *præterea* clarius, & pressius constitutum fuit, obtinentes in Ecclesiis Cathedralibus dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non posse, ne statuti quidem, aut consuetudinis vi, ultra tres menses quolibet anno abesse, servatis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt; alioquin primo anno privari unumquemque dimidia parte fructuum; quod si iterum negligens sit, privari integris totius anni fructibus; crescente vero contumacia, sacrorum canonum pœna mulctari, seu quod idem est, a beneficio removeri, juxta capitulum ult. de Cleric. non resident..

Sunt nihilominus receptæ quædam causæ, quibus aliqui, licet non residentes, pro residentibus tamen habeantur, nullisque propterea pœnis canonum teneantur. Hujusmodi in primis esset corporalis infirmitas, cui aeris inclementia causam dedisset, aut cui mutatio cœli medelam adferret; qua in specie Pragmatici tradunt, ad tempus quadrimestre etiam gratia Parochorum dispensari ab Episcopis posse, interea constituto Vicario, qui Parochiale munus exerceat. Præterea pro residentibus considerantur Canonici, qui actu Episcopo in rebus Ecclesiasticis administrant extra Cathedralem Ecclesiam; officium enim Episcopo præstitutum videtur præstitutum Ecclesiæ, cap. 7. de Cleric. non resid.. Ne vero exinde sequatur, Ecclesiam Cathedralem aliquando Canonicis omnino destitui, prætextu officii apud Episcopum obeundi, ex interpretatio-

ne capituli 18. eod. tit. receptum est, ne plures, quam duo Canonici in officio Episcopo præstando detineantur. Denique a residentiæ onere excusantur Canonici, vel Parochi, qui studiorum causa absunt, cap. ult. de magistris, cap. 12. de Cler. non resid., quibus jungi potest Eugenii Papæ privilegium Taurinensi Athenæo concessum anno 1438. 11. Cal. Julii, tantum enim abest, ut Tridentini Patres huic utilissimæ disciplinæ derogaverint, quin potius eamdem expresse confirmaverunt in cap. 1. sess. 5. de Ref.. Sunt, qui putant, hodie Parochis facultatem hujus generis fuisse sublatam ex declaratione Pii IV. anni 1564. die 24. Novembris. At vero si accurate Pii IV. sententia perpendatur, nihil aliud declaratum dignoscetur, quam Parochos non posse dispensationes causa studiorum in Romana Curia, vel Pœnitentiaria obtinere, nisi Ordinariorum consensus accesserit; atque id optima ratione constituendum erat; sive quod Tridentinum Concilium expresse caverat in sess. 6.. cap. 2. de Ref., Pontificias indulgentias, & dispensationes coram Ordinario esse probandas; sive quod cavendum erat maxime, ne temere per Parochos gratiæ illæ impetrarentur, dolosis precibus Pontifici Maximo exhibitis, neve propterea Ordinarii conquererentur, sine causæ cognitione dispensationes illas concedi, quæ vergerent in gravissimum Ecclesiarum detrimentum. Cæterorum ubi exceptionibus istis fiat locus, quibus aliqui beneficiarii ab onere residendi excusentur, advertendum erit, in Collegiis Canonicorum, in quibus præter præbendales fructus constitutæ sint distributiones quotidianæ, Canonicos rite excusatos lucrari quidem fructus præbendales, non vero distributiones quotidianas, cum istæ non iis, qui tantum residentes sunt, sed iis, qui & resident, & in choro psallunt, concedantur. Quamobrem plurimum interierit dignoscere, an qui excusatur, tantum habeatur pro residente, an vero etiam habeatur pro psallente. Quid tantum pro residentibus habentur, solos præbendales fructus percipient, uti contingit in iis, qui absunt causa studiorum, aut qui Episcopo deserviunt; at distributiones quotidianas etiam percipient, qui habentur etiam pro psallentibus, quemadmodum evenit in infirmis, aut in iis, qui ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem abesse coguntur, cap. un. de Cleric. non resid. in 6..

CAPUT II.

De juribus, & oneribus, quæ spectant beneficialium prædiorum, aut administrationem.

Huc referendi sunt tituli 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 23. 24. libr. 3., & titulus 4. libr. 5. Decretalium.

PAucis exprimeret munus beneficiariorum in administrandis prædiis, vel juribus beneficialibus juxta generales canonum, vel Pontificiarium constitutionum regulas, quales proponuntur, aut apud Gratianum in caus. 12. quæst. 1. & 2. aut apud Gregorium IX. in titulis Decretalium modo commemoratis, qui diceret, jura omnia decimarum, oblationum, atque iis similia, item prædia semel Ecclesiæ quæsita per beneficiarios esse custodienda, ut perpetuo penes Ecclesiam permaneant, nunquam alienationi subjaceant, concessa tantum beneficiariis facultate fructus, obventiones omnes, eaque universa, quæ truc-

tuum instar obtinent, percipiendi. Equidem fateor, prioribus Ecclesiæ sæculis nullam specialem statutam fuisse legem, qua rerum ecclesiasticarum alienatio prohiberetur. Viri enim sanctissimi, qui tunc regebant Ecclesiam, nullo humano affectu labebantur in ministerio suo, ac si forte alienarent, gravissimis, vel utilitate, vel necessitate Ecclesiarum urgente, causis præmebantur, modo pauperibus, sive laicis, sive Clericis, modo matyribus in carcerem detrusis, atque humano fere subsidio destitutis, exhibendis intenti, postquam vero gravissimæ illæ causæ defuerunt, aut minus frequentes agnitæ sunt; alias etiam nonnulli ex administris temere Ecclesiarum patrimonia perderent; opus fuit non solum ecclesiastica, sed etiam *imperatoria* lege, qua omnis sine gravi causa, & Ecclesiæ utilitate facta alienatio irritaretur, l. 14. & 17. cod. de sacros. Eccles., Nov. 7. & 120., ex quibus commode deducitur, qua ratione veluti per gradus interdictum prorogatum est; primo nimirum in Ecclesia Constantinopolitana consistens, deinde ad Ecclesias Constantinopolitani Patriarchatus, postremo ad Ecclesias universas extensum. Amplius iverunt providi ecclesiastici legumlatores; etenim, quasi non satis per leges consuleretur indemnitati Ecclesiarum, caverunt, ut cum Clerici beneficia impetrarent, tum jurejurando sponderent, se nunquam jura, ac bona adepti beneficii alienaturos.

Itaque rerum ecclesiasticarum alienatio beneficiariis interdicitur. At quid veniat nomine alienationis, ex generalibus juris principiis dignoscendum est. Justinianus in l. ult. cod. de reb. alien. non alien. perspicue declaravit, quidnam interdictum intelligeretur, quoties aut lege, aut voluntate hominis alienatio prohiberetur. Similia specialiter in hanc rem declarantur in cap. 5. de reb. Eccl. non alien., quod licet Silvanectensi Concilio adscribatur, aut tamen depromptum est ab Justinianeis constitutionibus, aut cum Justinianeis constitutionibus consonat, nimirum cum Nov. 7. cap. 1. vers. *Alienationis.* Hinc in primis interdictus agnoscitur omnis actus, quo sacri administri dominium rerum ecclesiasticarum in alios transfetant, cujusmodi est ex. gr. donatio, aut venditio. Idem dicts de permutatione, quia hæc sub alienationis nomine continetur, Nov. 7. cap. 1., necnon de datione in solutum, siquidem hæc venditioni æquiparatur, l. 44. ff. de solution., l. 4. cod. de eviction.; item de locatione pro uno nummo, aut pro simili leviuscula pensione, cum hæc donatio potius, quam locatio sit, l. 46. ff. locati, l. 10. §. ult. ff. de adquir. vel amitt. possess..

Ait Justinianus in dicta l. ult. cod. de reb. alien. non alien., prohibita alienatione, prohibitam censeri servorum manumissionem. Num igitur prohibebuntur sacri administri, ne servos Ecclesiæ manumittant? Incerta a certis separemus. Sunt quidam ex Interpretibus, qui id definitum deprehenderunt expresse in cap. 5. de rebus Eccles. non alien. ibi: *Alienationis autem verbum continet conditionem.* Ego non satis intelligo, qua ratione *conditionis* nomine veniat servorum manumissio. Deinde observo, & ipsos collectionum codices in hac parte variam exhibere lectionem, cum alibi lagatur *conditionem*, alicubi *conductionem*, alicubi etiam vox illa *conditionem* desideretur. Immo & ispi Interpretes anceps calamo, & suspensa, ita dixerim, opinione in hanc rem scripserunt, quemadmodum liquet ex notis dicto capitulo adjectis sub nomine Quintini. Innocentius IV. intelligebat de contractu, cui adjecta conditio esset. Sed hæc opinio Quintino placere non potuit. Alii de conductione intelligebant: at id placere non potuit Innocentio IV. ajenti, aliud esse conducere, aliud alienare. Hostiensis, ut eam interpretationem probabilem redderet, scripsit, de perpetua conductione auctorem capituli esse intelligendum. Quintinus subau-

diendum voluit *testamenti conditionem*, quæ sane species alienationis est. Sed iterum de hac sua interpretatione incertus subjunxit, nomine conditionis intelligi posse immutatam rei conditionem, id est, statum, causam, naturam prædii, veluti si quis prædium tributarium faciat, vel annua pensione gravet. Ex his interpretationibus una est altera pejor, cum nemo ad germanam constitutionem exegerit lectionem; atque hi Interpretes non dissimiles videntur iis judicibus Indorum, qui ideo damnavisse feruntur eos, qui temere ajebant, globum terraqueum a dracone sustineri, propterea quod sustineri non poterat, nisi ab elephante, qua in specie judicis æque, ac rei crassa se prodit ignoratio. Si verum amamus, ad authographum respiciendum est, ex quo capitulum Gregorianum depromptum est; nimirum ad Novellam 7. cap. 1. his verbis conceptam: *Alienationis autem nomen generalius ideo posuimus, ut prohibeamus & donationem, & venditionem, & commutationem, & in perpetuum extensam emphyteusim, quæ non procul ab alienatione consistit.* Nullum heic nomen conditionis occurrit, proindeque recte conjicio, nomen istud in textum ex Amanensium ignoratione, vel incuria irrepsisse. Forte extiterunt Amanuenses de papiro in papirum textum traducentes, qui vocem illam *venditionem* ita delineatam legerent, ac si exhiberet hanc vocem *conditionem*; utramque propterea vocem retulerunt in textum, ne quidquam omitterent diligentiæ, relinquentes emendatoribus MSS. codicum, vel unam, vel alteram vocem delere pro scientia eorumdem; quod non infrequens Amanuensibus fuit. At fato contigit, ut nunquam textus emendaretur. Obiter hic adnotandum est, in dicto cap. 5. de reb. Eccles. non alien., inferri adversus alienantes pœnas illas, *quas Leonina constitutio comminatur.* Idipsum etiam legitur in dicta Novella 7. cap. 1., ex qua liquet, commemoratam fuisse Imperatoriam legem Leonis, & Anthemii, quæ habetur in l. 14. cod. de sacrosanct. Eccles.. Dictum autem id sit, ad notandam quorumdam Interpretum oscitantiam, qui ibidem respexerunt ad constitutionem Leonis Papæ IV., quæ refertur in can. 18. caus. 12. quæst. 2.. Itaque, ut revertamur in viam, ex ea voce *conditionem*, quæ legitur in dicto cap. 5., nihil sane deduci potest, ex quo prohibita ecclesiasticis administris perhibeatur servorum manumissio. Cæterum de mancipiorum rusticorum alienatione conceptum expresse est dictum capitulum 5., immo & ipsa Novella 7. Justinianea cap. 1., siquidem alienatis mancipiis rusticis, rura ipsa, & agri Ecclesiarum diminutionem maximam sentiebant. At de manumissione non adeo clara res erat; quamquam enim in l. ult. cod. de reb. alien. non alien. sub nomine alienationis etiam manumissio venire intelligatur, difficultas tamen esse poterat in servis Ecclesiarum; siquidem manumissio servorum inter pias causas perpetuo relata fuit; & Ecclesia cum perpetuo fuerit piarum causarum patrona, immo & ipsas manumissiones laudaverit, quæ proinde fieri in sacrosanctis Ecclesiis consueverunt, tum videri debuit non adeo tenax esse, in servis suis sub potestate tenendis, ita ut in perpetua, & nunquam dissolvenda servitute consisterent; alias sub hoc legis rigore, servi Ecclesiarum doluissent, sed duriore servitutis vinculo detineri, quam si servi aliorum existerent. Quod si & favore digna erat manumissionum ratio, & Ecclesia ipsa in redimendos captivos, atque in ingenitam libertatem reducendos diu elaboravit, nec dubitavit unquam, quin in eas causas ipsos sacrorum templorum thesauros exhauriret, can. 70. caus. 12. quæst. 2. quid proferri potuisset, quo concluderetur, prohibita generaliter alienatione viris ecclesiasticis, prohibitam il-

lico censeri manumissionem servorum? Verum res hæc modum quemdam accipere debuit, ne passim & temere viri ecclesiastici servos manumitterent, præsertim cum exinde Ecclesiarum patrimonia maxime imminui viderentur, cum non deessent administri, qui sine discrimine ad manumissiones devenirent. Generaliter etiam vetitum fuit, ne manumissio fieret in certarum nationum Conciliis, prout quorumdam abusus coercendus in nonnullis provinciis videbatur, cap. 4. de reb. Eccles. non alien., juncto can. 58. caus. 12. quæst. 2., difficilius etiam concessa facultate distrahendi servos, ita, ut in laicorum servitutem redigerentur, can. 55. caus. 12. quæst. 2., nisi ageretur de servis fugitivis, can. 54. ead. caus., & quæst., facilius e converso concessa facultate manumittendi, cum rerineretur penes Ecclesiam juspatronatus, aut cum manumisso servo modicum tantum peculium concederetur, can. 57. & 58. ibid.. At vero si de servis ageretur, quorum certa essent in Ecclesiam merita, pietas, & religio Antistitum manumittentium laudabatur, quasi id non esset perdere res ecclesiasticas, sed benevolam Ecclesiæ voluntatem, & clementiam prodere, ac pro dignitate explicare, dicto can. 57., can. 68. 69. 70., & 71. ead. caus. & quæst..

Pergit Justinianus, & ait, prohibita alienatione, prohibitam etiam intelligi ususfructus, alteriusve servituris constitutionem, item nexum pignoris, vel hypothecæ. De usufructu dubitari non potest, siquidem is pars dominii habetur, l. 4. ff. de usufr. & quemadm.. In cæteris vero servitutibus, quæ reales sunt, evidens ratio idipsum demonstrat; nam cum istæ prædiis ipsis inhæreant, prædia ipsa diminuere quoque modo videntur; sacris autem administris onus illud etiam singulare impositum adparet, ut meliorem quidem facere possint rerum ecclesiasticarum conditionem, numquam deteriorem, can. 23. & 25. caus 12. quæst. 2.. Quod si civilibus Romanorum legibus cautum scimus, ne fructuarius possit servitutem imponere, facultas illa erit Clericis eo facilius deneganda, quo minore jure in fundis beneficiariis gaudent. De nexu pignoris, & hypothecæ perspicua sunt juris ecclesiastici monumenta, cap. 5. de reb. Eccles. non alien., extravag. unic. eod. tit. int. comm., cap. 1. & 3. de pignor., & ratio apertissima suffragatur, quia pignoris constitutione facta non tam securitas, quam non soluto debito vendendi facultas creditori concederetur, ac propterea majorem facultatem dato pignore, aut constituta hypotheca in creditorem beneficiarius transferret, quam quæ sibi competeret.

Concludit Justinianus in dicta l. ult. alienatione prohibita, & contractum emphyteuticum prohibitum censeri; addere possumus Novellam 7. cap. 1. ubi expresse interdicitur, ne bona Ecclesiarum alicui emphyteuseos perpetuæ titulo concedantur. Non opus pluribus, ubi expressæ sunt constitutiones in cap. 5. & 11. de reb. Eccles. non alien. in cap. ult. eod. tit. in 6., in extrav. unic. eod. tit. int. comm.. Eadem igitur ratione nec licebit bona ecclesiastica *ad firmam*, uti mediæ ætatis Scriptoribus loqui placuit, concedere, cum concessio ad firmam valde similis sit emphyteusi; nimirum qui ad firmam concedit, loca ad longissimum tempus, argumento capituli 7. de jure patron., propterea quod causam præbet, uti res ecclesiasticæ diu ab ecclesiastico patrimonio divellantur, Clement. 1. de reb. Eccles. non alien., ubi Clemens V., licet vetitas firmas declaraverit, profitetur tamen, non voluisse se eam prohibitionem extendere *ad locationes, vel etiam reddituum, aut fructuum venditiones ad tempus modicum faciendas.* Post hanc constitutionem quæri ab Interpretibus cœpit, uti evenire so-

let in conspectu legum vagis, indeterminatisque formulis conceptarum, quodnam esset modicum illud tempus, intra quod fieri locationes potuerint, ultra quod vetarentur. Passim ad generales juris regulas respexerunt, ut quod in præscriptione, sive in usucapione longum tempus diceretur, illud ipsum vocarent longum tempus, quo res ecclesiasticas locare nullo modo liceret. Verum hic graviores emerserunt disputationes: aliis ajentibus, longum tempus esse annorum triginta, quo actionum, & jurium præscriptio compleri solet, Nov. 120. cap. 3., aliis decennium sub nomine longi temporis venire scribentibus, juxta legem 1. & sequentes cod. de præscript. long. temp. aliis denique tradentibus, breve tempus, intra quod locatio sit in proposito permittenda, triennio finiri. Postremam hanc opinionem probavit Paulus II. in extravag. un. de reb. Eccles. non alien., quæ sane controversiæ finem imposuisset, si in hac parte esset ubique recepta. At vero fatentur Pragmatici, non ubique illam observari in eo, quo locationes ultra triennium prohibentur, cum adhuc in præsentia alicubi ad annos novem, alicubi usque ad novem supra viginti fiant. Hinc prudentissime Tridentini Patres in sess. 25. de Reformat. cap. 11., vetuerunt quidem, ne fierent locationes in annos triginta, instar Novellæ 120. cap. 3., de locatione ad decennium ne minimam quidem mentionem fecerunt; ita enim cavendum erat in eo decreto, quod proponeretur universis Ecclesiis ubique generaliter observandum. In hanc rem adnotare juvat, locationem ad tempus legitimum factam etiam successorem in beneficio, aut dignitate obligare, dummodo facta proponatur nomine beneficii, aut dignitatis, argumento cap. 10. de solution., & cap. 5. de rescript. in 6. quamquam non inficias iverim, locationem rescindi posse a successore, implorata officio Judicis in integrum restitutione, si læsio Ecclesiæ proponatur. Juvat præterea adnotare, locatorem non posse a conductore repræsentatam pecuniam sibi solvendam curare, ne forte, si interea locator obierit, detrimentum successori ingeratur, Concilio Tridentino sess. 25. de Reform. cap. 11.. Denique adnotandum est, ubi receptum fuit, ad triennium tantum locationem fieri, admitti exceptionem in eo prædio, quod non nisi diuturniore annorum curriculo fructus parit, uti contingit in sylva cædua, cujus locatio ad tantum tempus permittitur, quanto per tres vices fructus colligi valeant, quasi triplex fructuum collectio triplici anno locationis prædiorum, quæ singulis annis fructus ferant, æquiparetur.

Pauca nunc subjicienda sunt de infeudatione, ac de precariis. Sane non dubito, quin Justinianus in dicta l. ult. etiam sub nomine alienationis infeudationem comprehendi declaravisset, si Justiniani temporibus inductæ jam fuissent feudorum rationes; item non dubito, quin & infeudatio vetita adpareret in dicto cap. 5. de reb. Eccles. non alien., si illud esset Concilii Silvanectensis sub Ludovico Rege celebrati, quemadmodum ex Burchardo inscripsit primum auctor collectionis 1. decretalium, & ex eo Raymundus. Cæterum, uti superius notandum fuit, verba dicti capituli 5., deprompta sunt ex Novel. 7. Justinianea cap. 1.. Itaque cum recentiores sint infeudationum mores, recentiores quoque sunt constitutiones, quibus expresse rerum Ecclesiarum infeudatio interdicitur. Item cum feudorum jura consuetudine potius, quam lege scripta, regerentur, non indiscriminatim idem receptum est in quocumque infeudationum genere, quod a viris ecclesiasticis fieret. Possedit ab antiqua ætate decimas Ecclesia; adquisivit deinde prædia; adquisivit denique ex largitione Principum quædam jura, quæ & jurisdictionem, quandoque etiam & imperium adnexum habuerunt. In

decimis, aut prædiis ecclesiasticis si feudum esset a Prælatis constitutum, proprie feudum erat; cum utile dominium in vasallum transiret, directum penes Ecclesiam remaneret. At in juribus, quæ jurisdictionem publicam, aut quæ imperium adnexum habebant, si Prælati ecclesiastici feudi tantum titulo ex Principum largitate ea obtinuissent Ecclesiæ nomine, quacumque ratione hæc jura in alios a Prælatis feudi nomine transferrentur, non feudum proprie, sed potius subfeudum dici poterat, cum nunquam penes Ecclesiam directum dominium constitisset. Igitur ex moribus obtinuit, ut facilius subinfeudarentur postremi hujus generis jura ecclesiastica, quam infeudarentur aut jura decimarum, aut prædia ad directum Ecclesiæ dominium pertinentia, quandoquidem in iis juribus, quæ Prælati nomine Ecclesiæ tanquam feuda a Principibus tenuerunt, militia quædam constituta erat, neque satis decorum visum est, per se Prælatos Ecclesiæ militare; eamque ob rem opportunum fuit, alios seligere inter laicos, in quos eadem jura titulo subfeudi concederentur, domino directo militaturos. Ad hoc feudorum genus pertinere non videntur leges ecclesiasticæ, quæ vetuerunt, ne a Prælatis Ecclesiarum bona infeudarentur. Jam sui erant in hac re singulis Provinciis mores, ac consuetudines, & cum ad formam, & divisionem Imperii pertinerent, tum continebant juris publici rationes, & causas, quæ non Episcopali sollicitudini, aut arbitrio committuntur. Quamobrem etiam hodie, ubi emergant hujus generis controversiæ, semper respiciendum erit ad receptos usus singularum provinciarum, præsertim quod nemo ignoret, feudales causas consuetudine potius regi, quam scriptis legibus. Ecclesiasticæ leges, quibus cum generaliter Ecclesiæ administris interdictum esset, ne alienarent bona Ecclesiarum, tum etiam prohibendum fuit, ne infeudarent, spectant ea bona, quæ pleno jure Ecclesiis adquisita fuissent, qualia ut plurimum erant prædia rustica, vel urbana. Siquidem cum inductis feudorum usibus passim Prælati eadem bona infeudarent, quasi infeudatio necdum videretur legibus improbata, opportunum fuit, generale alienandi interdictum, specialiter etiam ad infeudationes extendere, ita ut quicumque præficerentur rerum Ecclesiasticarum administrationi, deberent jurejurando spondere, se res ecclesiasticas non infeudaturos, cap. 2. de feud., juncta extrav. un. de reb. Eccl. non alien. int. comm.. Exceptio tamen recepta fuit, qua adhuc infeudari a Prælatis possent ea ecclesiastica prædia, quæ antea infeudari consuevissent; id enim exceptum a generali regula conditores canonum voluerunt, dict. cap. 2. de feudis, dummodo tamen in reinfeudatione eadem investituræ forma servetur, quæ in prima infeudatione edita fuerat, ne Ecclesia detrimentum patiatur, tit. 91. §. un. tit. 35. libr. 2., & tit. 1. libr. 1. feudorum. At enim multo parcius actum est, ubi de decimarum jure ageretur, quando plures causæ singulares in decimis occurrebant, ex quibus rigidiorem disciplinam induci oporteret. In primis tradi consueverat, decimas antiquissima lege deberi, eaque, quæ divino Veteris Testamenti jure fundamentum positum haberet, cap. 14., & passim de decimis. Cur non sanctius firmandum erat, ne in laicos transferrentur? Deinde decimarum jura jamdiu sæculo duodecimo deprehendebantur a laicis occupata, non quidem justo titulo, seu legitima concessione ab Ecclesia facta, sed potius vi quadam adhibita. Etenim cum nono & decimo sæculo Clericorum mores depravati essent, passim Clericis decimæ denegabantur, unde idemtidem Monachis potius luebantur ex facto laicorum, qui potius in Monachorum, quam in Clericorum Ecclesiis Sacra-

menta percipiebant. Valde laboraverunt Clerici, ut amissa decimarum jura recuperarent; & quando suasiones, hortationes, consilia parum valebant, opem imploraverunt a viris potentibus, quorum facto tandem decimas jamdiu amissas in feudum potentibus eisdem viris concedere, quorum opera exercerentur facilius jura Ecclsiarum, ac, quoad fieri posset, instaurarentur. Cur igitur severiore lege non fuit deinceps, præsertim ubi causæ istæ cessarent, decimarum earumdem infeudatio prohibenda? Providentia Lateranensis Concilii (quodnam fuerit hoc Lateranense Concilium non satis perspicuum habeo) vetitum fuit, non solum ne decimæ infeudarentur a Prælatis, verum etiam ne nova infeudatio fieret decimarum illarum, quæ olim in feudum concessæ fuissent, & in potestatem Ecclesiæ reversæ, cap. unic. vers. *sane* de decim. in 6., cap. 7. de his, quæ fiunt a Prælatis, argumento titulo 44. libr. 2. feudorum.

Quod ad precarias attinet, tradere sufficiat, illas longe distare a precarii concessione, de qua apud Romanos veteres conceptum erat Prætorium interdictum, toto titulo ff. de precario, & l. 14. §. 11. ff. de furtis. Siquidem rerum ecclesiasticarum precariæ dicebantur, quoties Prælatorum auctaritate alicui Clerico, vel laico, rerum sive mobilium, sive inmobilium, sive etiam jurium ecclesiasticorum usus ad certum tempus, aliquando etiam ad vitam concedebatur; ita tamen, ut idemtidem memoriæ servandæ causa renovari acta deberent, ut plurimum singulis quinquenniis; & quidem modo gratis, ob singularia alicujus in Ecclesiam merita; modo impositis annuarum pensionum oneribus, can. 11. caus. 16. quæst. 3., can. 4. caus. 10. quæst. 2., can. 44. caus. 12. quæst. 2. cap. 1. 2. & 3. de precar.. Id, inquam, paucis tradidisse sufficiat, cum hodie concessiones hujus generis penitus ab usu recesserint. Iis, qui rebus antiquis delectantur, minime deerit Gonzalezius, qui ad laudatum titulum de precariis multa erudite æque, ac ingeniose congessit.

Quicumque hæc omnia, quæ de alienatione rerum beneficiariarum administris ecclesiasticis interdicta dicta sunt, apprime considerat, statim intelligit, Clericum beneficiarium constitutum esse tanquam frugi rerum, & jurium administratorem, qui provide omnia gerat, nec majorem sibi concessam esse putet facultatem, quam quæ ex generalibus juris regulis quibuscumque rerum alienarum administratoribus, veluti tutoribus, curatoribus, aut fructuariis conceditur. Hinc est, quod beneficiarius nequeat in novam formam regulariter commutare prædia beneficiaria, nequeat aut fructuosas arbores succedere, aut etiam eas, quæ infructuosæ sunt, ubi de sylva incidua agitur, cujus tantum referre poterit ramos, & pedamenta, quemadmodum frugi paterfamilias facere solet. Ut verbo dicam, alienatio, ac dissipatio, sive dispersio rerum æquo jure censentur; nihilque refert, an quis in alterum rem certam transferat, an ita perdat, ut dominio intereat.

Generalia sunt, quæ hucusque tradidimus, eademque sine ulla exceptione locum habent quotiescumque de minoribus Clericis jurisdictione carentibus agatur. Quod vero ad Prælatos ecclesiasticos attinet, quales præ cæteris Episcopi sunt, obtinent quidem eadem disciplina, sed adhuc non adeo istorum potestas angusis finibus circumscribitur, ut nequeant aliquando a regulis generalibus, ubi causa postulet, paulisper recedere. Id suadet ipsum ingenitum eorumdem Prælatorum officium. Etenim olim ad Episcopos, uti sæpius in hac tractatione adnotandum fuit, universa prædiorum ecclesiasticorum cura pertinebat, immo & ad ipsos totum ecclesiasticum peculium referebatur inter

minores Clericos partiendum. Habebant ergo Episcopi in bonis Ecclesiæ summam potestatem, & ab eorum arbitrio pendebat alienatio, quoties ad eam deveniendum esset, antequam per leges eadem alienandi facultas coerceretur. At interiores Clerici hac administrandi peculii facultate destituebantur; quod si successione temporum satius duxerunt Episcopi, administrationem certorum prædiorum, aut jurium, aut certi etiam peculii, sub beneficii nomine inferioribus Clericis concedere, ita tamen concesserunt, ut iis uterentur, non ut alienandi etiam facultatem haberent. Hanc ob rem si certæ emergant causæ, ex quibus ad alienationem sit aliquando deveniendum, Prælati ipsi re cognita de alienatione decernent, quasi sibi reservata, & nunquam Clericis inferioribus concessa. Causæ, quibus licet Prælatis, non obstante prohibente generali lege, res ecclesiasticas alienare, ad tria summa capita commode referuntur, nimirum vel ad necessitatem Ecclesiæ, vel ad utilitatem ejusdem, vel ad religiosam pietatem. Ex causa necessitatis faciendam alienationem minime interdici, non solum antiqui canones, verum etiam recentiores Pontifices manifeste declaraverunt, can. 51. 53. caus. 12. quæst. 2. de cap. 1. de pignor. Clement. 1. de reb. Eccles. non alien.. Quid vero est, quod legimus apud Gratianum in can. 20. caus. 12. quæst. 2. ubi traditur, ne Pontifici quidem Maximo licere, prædium Ecclesiæ alienare, etiam *pro aliqua necessitate*, ac subjicitur, idipsum in quibuscumque Ecclesiis esse servandum? Duas partes habet hoc monumentum. Posterior pars spectat Episcoporum potestatem in alienatione rerum, quæ ad Cathedrales Ecclesias pertinet, prior spectat potestatem Romani Antistitis in alienatione rerum Ecclesiæ Romanæ. Quæ in posteriore parte a Gratiano descripta fuerunt, emendanda profecto sunt ex authographis, quemadmodum recto judicio emendaverunt subjectis notis Romani Correctores. Etenim, quidquid singulare recipiendum, aut definiendum tunc *fuisset in* Ecclesia Romana, cujus jura Symmacho Papæ in Romano Concilio vindicabantur, nimirum etiam si Symmacho opportunum esse deberet, ab omni alienatione prædiorum Romanæ Ecclesiæ abstinere, etiam si alienandi necessitas quædam subesset; in eo tamen canone cautum fuit, ut hæc constitutio tantum in Apostolica Sede observaretur, minime protraheretur ad Ecclesias inferiores, quarum respectu integra mansit singulorum Episcoporum potestas in alienatione facienda; quoties necessitas postularet. Ita exhibetur in canone, qualis in actis Concilii describitur, qualis a Correctoribus Romanis expressus est ad emendationem Gratianei codicis. Quod si in priore parte consistamus, ea sane, quæ de coercita intra angustissimos limites Romani Antistitis potestate traduntur, ad ea temporum adjuncta referre oportet, quæ edendo canoni singularem occasionem præbuerunt; ac proinde eadem non perpetua sunt, sed singulari causæ, ac personæ Symmachi Papæ accommodata. Inflamaverat Romanorum animos controversia schismatis Laurentiani, de Pontificatu & Symmacho, & Laurentio contendentibus. Utut Symmachi causa videretur probanda, Laurentiani tamen plura adversus Symmachum opponebant, illud inter cætera, quod Symmachus Romanæ Ecclesia patrimonium dissipaturus esset, ac perditurus. Ut quæcumque hujus generis suspicio averteretur, eodem Symmacho urgente cautum fuit in eo providentiali canone, ut ne necessitate quidem urgente liceret Symmacho prædium Romanæ Ecclesiæ alienare. Hæc dispositio uti singularem medelam schismati adferebat, ita intra illius temporis, causæque adjuncta continebatur, ex qua propterea nihil deduci potest ad constituendam generalem, ac perpetuam

disciplinam. Utilitatis etiam ecclesiasticæ habendam esse rationem statutum agnoscimus in can. 52. 54. 55. caus. 12. quæst. 2., cap. 1. & 4. de rer. permut. cap. 2. §. *Sane* de decim. in 6., cap. 8. de reb. Eccles. non alien., Clement. 1. & extravag. unic. int. comm. eod. tit.. Denique plura habemus argumenta, quibus colligamus, religiosam pietatem plurimum apud Sanctos Antistites valuisse, ut jure alienatio fieret, puta causa alendorum pauperum gravi necessitate pressorum, redimendorum captivorum, divini cultus augendi, & sepulturarum instituendarum, can. 68. 70. 71. 73. 74. 75. caus. 12. quæst. 2. cap. 9. de donation., cap. 9. de his, quæ fiunt a Prælat., cap. 12. de testament., Gregorius Magnus libr. 6. epist. 35., & libr. 7. indict. 2. epist. 14., l. 21. cod. de sacrosanct. Eccles., Nov. 120. cap. 10.. Qua tamen in re caveri debet, ne improvida pietas sit, seu ne prætextu adjuvandæ unius Ecclesiæ, vel Monasterii, alter sacer, vel religiosus locus spolietur. Hujus rei argumento est, quod mandatum Episcopis fuerit, ut si vellent Monasterium, vel Ecclesiam conventualem erigere, non amplius conferrent ex bonis Ecclesiæ suæ, quam quinquagesimam partem, aut etiam non amplius, quam centesimam, si vellent erigere Ecclesiam minime conventualem, can. 74. caus. 12. quæst. 2., cap. 9. de his, quæ fiunt a Prælat., immo & abstinerent a collatione aut quinquagesimæ, aut centesimæ, si id vergeret in Ecclesiæ detrimentum, cap. 9. de donation.,

Ad necessitatem, vel utilitatem Ecclesiarum referuntur etiam causæ illæ, quæ occasionem idemtidem præbere consueverunt iis contractuum generibus, quibus non omnino a dominio Ecclesiæ res ecclesiasticæ abscedunt, sed quibus gratia alicujus concedebatur dominium utile, retento apud Ecclesiam dominio directo, fide data, ut post certum tempus, certum usum, & sub certo utendi modo Ecclesia integre jura sua recuperet. Id viguit aliquando in locationibus longi temporis, sive, uti vocabant, ad firmam, atque in precariis; viguit etiam, atque viget adhuc in præsentia, in infeudatione, atque emphyteusi. Causæ infeudationis ut plurimum sese offerebant, quoties quidam hostili propemodum impetu, aut in Ecclesias, aut in bona Ecclesiarum debacchabantur. In his adjunctis Ecclesiarum Prælati, immo & cœtus Clericorum universus seligebat potentes viros, quorum præsidio Ecclesiæ tuerentur, & quibus certa Ecclesiarum bona feudi nomine, quasi militare stipendium, dabantur. cap. 2. de feudis. Emphyteuseos (idipsum dicas de locationibus ad firmam, vel de precariis) causæ sese offerebant, quoties prædia quædam apud Ecclesiam erant inculta, nec commode poterant per ecclesiasticos administros curari, atque ad culturam redigi. Tum enim utilitas Ecclesiæ postulabat, ut certis pactionibus, ac præsertim solutione annui canonis, quibusdam ea prædia in emphyteusim concederentur, ut eadem post certum tempus Ecclesia cum emolumento recuperaret, debebat in his omnibus bona fides intercedere, ne commentitiis figuris amicorum, aut consanguineorum gratia contractus hujus generis inirentur, ac dum specie tenus videretur Ecclesiarum utilitas promoveri, tum privatis affectionibus indulgeretur. Hæc ratio est, quare Justinianus primum caverit, ne locationes fierent ultra annos viginti, l. 24. §. 3. cod. de sacrosanct. Eccles., deinde ut saltem non excederent annos triginta, Nov. 120. cap. 3.. Hæc ratio fuit, quare Justinianus idem irritaverit emphyteuses omnes, quas per se, vel per interpositam personam administratores Ecclesiarum cum Ecclesia contraxissent, aut etiam quas contraxissent administratores Ecclesiarum nomine Ecclesiæ cum parentibus, vel filiis suis, vel cum iis, quibuscum

vel genere, vel nuptiarum jure junguntur, Nov. 120. cap. 5.. Quod si vel legitimis modis avocatum fuerit feudum, uti ex. gr. contingit extinctis vocatorum omnium gradibus, & prædium Ecclesiæ olim infeudatum, ad plenum Ecclesiæ *dominium* revertatur; vel emphyteusis etiam finem habuerit, minime licebit Prælato, sine causa iterum rem in feudum, vel in emphyteusim concedere. Id docet in primis recta ratio; etenim cum Ecclesia primum infeudavit, aut in emphyteusim concessit, non eo animo fuit, ut bona perpetuo a se abdicaret, sed ut eadem post certum tempus integra recuperaret. Ab hoc autem Ecclesiæ animo recedit Prælatus, si iterum post devolutionem aut feudum, aut emphyteusim concedat, immo & in hac renovatione feudi, vel emphyteusis, suum potius, quam Ecclesiæ negotium gerit, contra quam legibus publicis caveatur. Quid vero argumenta quæram, quando Paulus II. in extravag. un. de rebus Eccles. non alien. id expresse definivit, dum ait, Prælatores posse contractum emphyteuticum celebrare in bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, *& tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate*? Qui contra sentiunt, proferunt in medium capitulum 2. de feudis, ubi Innocentius III. Mediolanensi Archiepiscopo rescripsit, posse eum *libere* concedere feudum alteri, postquam vasallus obierit, & feudum ad Archiepiscopum reversum fuerit. Ex particula *libere* deducunt, frustra desiderari novam infeudandi causam. At enim hæc interpretatio verbis ipsis, nedum menti Innocentii III. repugnat. At Innocentius, posse Archiepiscopum alteri fundum concedere, *si viderit expidere*. Quo tendit hæc clausula, nisi eo, ut tum demum Episcopus iterum infeudaret, cum Ecclesiæ utilitas id postularet? Itaque verbum *libere* eo spectabat, ut non opus haberet Mediolanensis Archiepiscopus confugere ad Apostolicam Sedem, cui jurejurando pollicitus fuerat, ut in eodem capitulo dicitur, se nihil inconsulto Romano Antistite infeudaturum. Hoc jusjurandum singulare erat, quo promiserat Episcopus, *se non infeudare de novo, Romano Pontifice inconsulto*. Nihil id habebat commune aut cum ordinariis solemnitatibus, aut cum causa infeudandi. Eam ob rem respondit Innocentius, propositam speciem in jurejurando præstito minime contineri. Addere possum, perspicue ex eo capitulo non constare, an feudum *libere* omnino reversum fuisset ad Mediolanensem Ecclesiam, an potius ita reversum esset, ut mortuo primo vasallo, aliis ex primæ investituræ lege vocatis esset concedendum, puta filiis, vel agnatis. Revera idem Mediolanensis Antistes etiam de filiis, vel agnatis Innocentium interrogavit, quo in casu per vasallum feudum alienaretur, uti liquet ex eodem capitulo. Cur non de eisdem agnatis, aut filiis præsumi potest interrogavisse, quo casu vasallus decederet? Uoi ista species Innocentiano rescripto adfingatur, cum invicem magis & interrogationes, & responsa maxime cohærebunt, tum etiam liquebit, ibi non agi de propria, sed de impropria reinfeudatione, nimirum agi de renovatione investituræ faciendæ gratia illius, qui ex prima investitura jus habebat ad feudum petendum, atque impetrandum.

Hæc Prælatorum ecclesiasticorum potestas in alienandis legitima interveniente causa rebus Ecclesiarum, nunquam fuit, neque est adeo libera, ut valeant ipsi causa cognita sine certis solemnitatibus ad alienationem procedere. Debebant olim ipsi consilium, sive consensum cleri sui exquirere, & saniora cleri suffragia sequi, quod recentioribus sæculis, postquam Capitula Cathedralium Ecclesiarum in universa cleri jura successerunt, idem fuit, ac dicere, teneri Episcopos consilium, vel consensum sui Capituli exposcere, can. 51. 52. caus. 12. quæst. 2., cap. 1. 2. 3.

4. 5. 8. 9. de his, quæ fiunt a Prælat., cap. 1. & 2. de rer. permut., cap. 2. 3. 7. in fine de donat., cap. 1. & 2. de reb. Eccles. non alien. in 6., Clement. 1. & 2. eod. tit.. Immo si de spectabilium rerum alienatione ageretur, certis in Provinciis causa erat in Provinciali Concilio discutienda, ac probanda; etenim apud veteres obtinebat, ut Episcopi etiam cum cleri sui consilio, sine comprovincialium consensione, graviora diœceseos suæ negotia non perficerent, can. 1., & 2. caus. 9. quæst. 3., præsertim quod Episcopi Suffraganei rationem gestorum suorum in Provinciali Synodo reddere tenerentur, & quidem frequentissime, dum aut singulis annis, aut singulis saltem trienniis Provincialia Concilia celebrabantur. Adde his, quemadmodum inferiores Clerici jure-jurando spondere recentioribus sæculis consueverunt, se inscio Episcopo ordinatore bona beneficii per ordinationem adepti non alienaturos; ita etiam Episcopos tempore suæ consecrationis spopondisse consecratoribus, quales erant Metropolitani cum Suffraganeis, se bona Ecclesiarum non alienaturos. Huc spectat definitio Concilii Agathensis, quæ habetur in can. 53. caus. 12. quæst. 2., dummodo legatur non juxta Gratianeam editionem, sed juxta integra Agathensis Concilii exemplaria. Ita legitur in Agathensi Concilio: *terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longe positas parvas Episcopus sine Concilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem.* Germana hæc est Concilii Agathensis sententia. Si de prædiis minus utilibus, iisdemque non gravis momenti, alienatione necessaria agendum sit, ea facultas Episcopo conceditur, quin opus habeat rem deferre ad Concilium Fratrum, id est, ad Concilium comprovincialium Episcoporum. Jam generaliter statutum erat in eodem Agathensi Concilio, ne Episcopi bona Ecclesiarum alienarent, can. 1. caus. 10. quæst. 2.. Ubi aliud necessitas, vel utilitas Ecclesiæ postularet, facultatem concesserunt Episcopis iidem Patres Agathenses, ut alienare valerent, re tamen apud comprovinciales Episcopos comprobata, can. 3. vers. *Quibuscumque modis* caus. 10. quæst. 2., quod fragmentum est Agathensi Concilio tribuendum. Deinde in dicto can. 53. caus. 12. quæst. 2. exceptionem adjecerunt Patres Agathenses, qua declararetur, non opus esse Concilio comprovincialium Episcoporum, si suadente necessitate alienandæ essent terrulæ, vel vineolæ exiguæ, Ecclesiæ minus utiles, & longe positæ. Hæc sane perspicue erant demonstranda, ut patefieret crassa vulgarium Interpretum ignoratio, qui ad ejusdem canonis 53. interpretationem accedentes, nihil aliud in Gratianeæ editionis conspectu tradere sciverunt, quam Episcopum in alienatione rerum levioris momenti absolutum esse ab universis solemnitatibus, nec teneri ad poscendum consensum, vel consilium cleri, quia pro illis verbis *sine Concilio fratrum*, legerunt *sine consilio fratrum*, quod tamen nec verbis canonis, nec sententiæ Agathensis Concilii ullo modo consonat. Itaque perpetua, & constans Canonum traditio est, Episcopum in hac parte teneri cleri, Capitulique sui consensum exquirere. Recentiore ætate parum placuit quibusdam Episcopis hæc disciplina, præsertim quod jam multæ prodiissent inter Episcopos, & Capitula contentiones; nec satis opportunum Episcopis videbatur, a consilio, vel consensu Capituli executionem decreti alienationis causa pendere. At obsistebat jus commune, quod Capitulorum jura fovebat. Hinc cœperunt Episcopi iidem confugere ad Apostolicam Sedem, cujus auctoritas cum intercessisset, actum erat de solemnitatibus ordinariis; atque Episcopi liberi omnino a necessitate exposcendi consensus a Capitulo ad alienationem progrediebantur. In his adjunctis passim tradebatur, ad alienationem alterutrum requiri, nimirum vel consensum Capituli, vel auctoritatem Apostolicæ Sedis, primum ex disciplina juris communis,

alterum extra ordinem, cap. 9. in fine de iis, quæ fiunt a Prælatis. Neque aliter ego intelligere possum, quod dicitur in cap. ult. de reb. Eccles. non alien. in 6., non posse Prælatos bona Ecclesiarum alienare *absque Capituli sui consensu, & Apostolicæ Sedis licentia speciali.* Etenim non aliter necessario intervenire debuit licentia specialis Apostolicæ Sedis, quam si Capituli consensus deesset; nec novum est, copulativam particulam & aliquando pro distinctiva *vel* usurpari, l. 53. ff. de verb. sign., quod in proposito admodum verosimile est, propterea quod Clemens V. in Clem. 1. & 2. de reb. Eccles. non alien., editis sane post laudatum capitulum ultimum, nullam de facultate a Romano Pontifice impetranda fecerit mentionem, quam sane fecisset, quoties semper necessariam censuisset, nisi malis dicere, dictum capitulum ultimum singulare esse, ac spectare donationes illas, quæ *improvide* gratia laicorum fiebant, uti tradit Vanespen in operibus posthumis ad canones Concilii Lugdunensis. Postrema ætate aliud jus invaluit, quo passim receptum est, neminem ex Prælatis sive sæcularibus, sive regularibus quacumque ex causa bona Ecclesiæ alienare posse, nisi *impetrata* a Romano Pontifice alienandi facultate. Hic subsistendum paulisper est, ut hujus disciplinæ origo, progressus, & ratio demonstretur.

Passim traditur, huic disciplinæ invehendæ causam dedisse constitutionem Pauli II. in extrav. un. de reb. Eccles. non alien., quæ magis confirmata dicitur ex consueta jurisjurandi formula, quam apud Pontificem Maximum adhibent universi Episcopi, dum a Romano Antistite consecrantur, profitentes se non alienaturos bona Ecclesiæ suæ sine facultate a Sede Apostolica impetrata. Quænam sit Pauli II. sententia, modo indicabo. Interea prænotare juvat, jusjurandum, quod hodie Episcopi præstant Romano Antistiti consecratori, illud ipsum esse, quod olim Episcopi præstabant Metropolitanis, cum a Metropolitanis ordinabantur, quamquam pro modo temporum, locorum, & causarum, modo quædam veteri formulæ adjici, modo detrahi debuerunt, argumento capituli 4. de jurejur.. Olim nemo ignorat, a Metropolitanis consecrari consuevisse Antistites suffraganeos; tempore consecrationis multa pollicitos fuisse Episcopos consecratori Metropolitano, atque inter cætera, se sine Metropolitani consensu res Ecclesiæ suæ præsertim magis conspicuas non alienaturos, quod quidem consonat vetustissimæ disciplinæ a me modo indicatæ. Facile hinc fuit, novam recipere consuetudinem, qua Episcopi *alienaturi* confugiant ad Apostolicam Sedem, eodem modo, quo hodie Episcopi solent certis temporibus limina Apostolica visitare, propterea quod hodie id spondeant consecratori Pontifici Maximo, quando tamen olim, cum Episcopi consecrarentur a Metropolitanis, spondebant Metropolitanis consecratoribus, se visitaturos idemtidem Ecclesiam Metropolitanam, seu, quod idem erat, ad Provinciale Concilium accessuros. Hæc cum ita sint, duo facile colliguntur. Primum est, recentem hanc consuetudinem non alienandi inconsulta Apostolica Sede ex *immutata* disciplina consecrationis Episcopalis, seu ex reservatione Episcopalis ordinationis Pontifici Maximo facta, originem duxisse. Alterum est, eam consuetudinem, quousque aliud in medium non proferatur, locorum non habere, quibus in locis consecratio Episcopi non pendet ab Apostolica Sede. Formula jurisjurandi hæc est juxta Pontificale Romanum: *Possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ inconsulto Romano Pontifice; &, si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo.* Ut mihi videtur, singularis est jurisjurandi formula, & spectat tantum bona Episcopalis mensæ; de bonis, quæ ad mensam Episcopalem non pertinent,

nihil dicitur. Deinde notatu dignum est, in hac formula profiteri Episcopum, se, si contra jusjurandum veniat, incursurum in pœnas contentas *in quadam super hoc edita constitutione*. Quid sibi vult hæc indefinita protestatio? Quid non specialis constitutio nominatur, sed dicitur incerta, minus nota, seu *quædam* constitutio? Pandamus difficultates, easdemque, si fieri potest, enodemus. Passim hujus constitutionis nomine intelligitur constitutio Pauli II. in extrav. un. de reb. Eccles. non alien.. Hæc constitutio est, quam Pragmatici passim prædicant, quæ per ora omnium volitat, quando de alienatione rerum ecclesiasticarum agitur. Hæc illa constitutio est, in cujus conspectu offusæ sunt tenebræ, & variis involucris tecta sunt multa. Hæc illa constitutio est, quæ postremo loco hic est exhibenda.

Tres habet nova hæc Paulina constitutio partes: præfationem, prohibitionem, sanctionemque pœnalem. In præfatione profitetur Paulus, se occurrere velle abusibus, quibus Ecclesiarum, Monasteriorum, piorum locorum Rectores bona ecclesiastica, aut religiosa profanis usibus applicabant, aut usurpabant; quæ sane indicant, eo intentum fuisse Pontificis animum, quo curaretur, ut bona illa numquam profana fierent, proindeque non cogitasse illum de contractibus, aut pactis, in quibus mutua Ecclesiarum invicem paciscentium utilitas versaretur. In prohibitione statuit Paulus, ne eadem res, ac bona distraherentur, transferrentur, hypothecæ subjicerentur, locarentur ultra triennium, concederentur in feudum, vel in emphyteusim, præterquam in casibus ab jure permissis, ac de rebus, & bonis ab antiquo in emphyteusim concedi solitis, & tum cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt, prædecessorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ innovare se dixit, in suo nihilominus robore permansuris. In sanctione pœnali decrevit Paulus, primo, ut alienatio contra eam constitutionem facta nullius momenti sit, & bona distracta ad Ecclesiam, aut ad locum religiosum revertantur; secundo, ut tam alienans, quam is, in quem bona alienata fuerint, sententiam excommunicationis incurrat; tertio, ut alienanti inconsulto Romano Pontifice, aut contra hujus constitutionis tenorem, si Episcopali, aut Abbatiali fulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus, &, si per sex menses pervicax in interdicto perseveraverit, a regimine, & administratione Ecclesiæ, aut Monasterii sit omnino ipso jure suspensus. Quod si de inferioribus Prælatis, aut Beneficiariis quibuscumque, aut Commendatariis agatur, eo ipso a beneficiis, quæ possident, vel administrationibus cadant, quæ beneficia, & administrationes, ac si vacent, libere ab eo, ad quem pertinet, conferantur. Ad expendendam hanc constitutionem, incredibile dictu est, quæ, & quanta commenti Pragmatici fuerint, modo clarius species ibidem propositas explicaturi, modo eam ad species minime designatas extendentes, modo ejusdem generales formulas ad certos tantum casus contrahentes, nescio, an ubique auctoris mentem fuerint consecuti. Quid amplius dicam, quando ipsi sibi in stabiliendis principiis contradixisse deprehenduntur? Unde fluxit, rem hanc hodie ex usu potius, & receptis moribus regi, quam verbis, & germana interpretatione constitutionis, quod fateri ipsimet Pragmatici debuerunt. Infinitus essem, si Scriptores materiam hanc variis nexibus intricantes recenserem, duos tantum laudabo, Barbosam, & Antonellum, quorum prior in allegat. 95. de offic. Episc. num. 55., postquam tradidit, sine ea solemnitate posse invicem permutari bona Ecclesiarum, subjecit num. 57. *in praxi servari contrarium*; & posterior in libr. 1. de regimine Ecclesiæ Episcopalis cap. 8. §. 3., postquam in eadem specie idem se sentire professus fuerit

non dubitavit adjicere; *quidquid sit de jure, contrarium in praxi servari.* Dabo paucis contractas illorum fere omnium interpretationes. In eo in primis constitutionem explicaverunt, quod etiam de mobilibus pretiosis conceptam integram constitutionem voluerint. Neque ego in hoc repugno, quoniam de iis expressa mentio saltem in præfatione habetur. Sed quoties deliberandum est, an exceptio admittenda sit, cæteroquin a Pragmaticis eisdem probata, nimirum non comprehendi casum, quo ad reparandam, instaurandamve Ecclesiam pretiosa mobilia sint distrahenda, quando alios quoscumque casus, utut æque graves, forte etiam graviores, comprehendi generali interdicto scripserunt, merito postularem dissimilitudinis causas, ubi Paulus ne verbum quidem habet de singulari proposita exceptione. Insuper ubi de contractu emphyteutico sermo habetur, tradiderunt, ad hunc tantummodo actum referri illa verba, *præterquam in casibus ab jure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate*; quamobrem dixerunt, tria omnino requiri ad emphyteusim libere a Prælato faciendam: primum, ut sit casus ab jure permissus; alterum, ut res ea sit, quæ in emphyteusim dari consueverit; postremum, ut hæc fiat cum evidenti Ecclesiæ utilitate; immo & his duo alia adjecerunt; primum, ut forma præcedentium concessionum in concessione nova minime varietur in detrimentum Ecclesiæ; deinde, ut res concedi in emphyteusim solita, necdum sit inter bona Ecclesiæ, uti loquuntur, incorporata, sive in censum relata, ac descripta, de quibus duabus adjectionibus altum est in Paulina constitutione silentium. Si verba illa, *præterquam in casibus ab jure permissis* ad solam emphyteusis speciem sunt referenda, Pragmaticos rogo, ut indicent, quomodo non sint ea verba prorsus inutilia; etenim in subsequentibus conditionibus, *ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc &c.*, designatur casus jure permissus, extra quem nulla emphyteusis concessio fieri potest, quando verum est, quemadmodum & ipsi tradunt, tres illas conditiones simul & una requiri. Præterea cum de assensu Romani Pontificis mentio fiat in constitutione, statuerunt, ut præcedere alienationem debeat, non subsequi, quasi formam contractui det, non locum teneat veteris solemnitatis consensus Capituli, qui parum intererat, an alienationem faciendam præcederet, an succederet factæ, cap. 3. de his, quæ fiunt a Præl., quamquam non ignoro, traditum esse a pluribus, alienantem sub conditione impetrandi, obtinendique consensum Apostolicæ Sedis, interea esse a pœnis constitutionis immunem, dummodo ab alienante interea nihil juris, ne per clausulam quidem constituti, recedat. Item ubi devenerunt ad expendendam pœnam legi adjectam, qua fit, ut alienatio contra constitutionem facta irrita habeatur, & bona ad Ecclesiam revertantur, addiderunt, non solum id intelligendum esse de rebus ipsis distractis, sed & de earum fructibus, non a die motæ litis, sed a die alienationis: item addiderunt, pœnam illam esse inductam unius Ecclesiæ gratia, nihilque prodesse posse iis, qui res ex alienatione possideant; eamque ob rem possessorem allegare non posse irritam alienationem, si forte damnum senserit, data demtaxat Ecclesiæ facultate, rem distractam repetendi, si Ecclesia detrimentum sensisse proponat. Non hic substiterunt Pragmatici, sed constitutionem ipsam ad quosdam casus ibidem non expressos extenderunt, in eo primum, ut locum habeat prohibitio, etiam cum de Ecclesia in Ecclesiam, de Monasterio in Monasterium, de religioso loco in locum religiosum alienatio fiat, contra quam Paulus II. in præfatione suadere videatur; secundo extenderunt in eo, ut abolitas omnino voluerint veterum solemnitates, nec amplius alienatio admittatur ex necessitate, vel maxima utilitate Ecclesiæ

facta & communi totius Capituli consensione comprobata, quando conjici adhuc posset, alium visum fuisse Paulo II., seu cum præfatus est, ambitiosæ cupiditati illorum occurrere voluisse, qui cum maximo detrimento divini cultus sibi Ecclesiarum bona usurpant, seu cum exceptionem adjecit, *præterquam in casibus ab jure permissis*, seu cum testatus est, se *decreta alia in eadem re olim edita renovasse, in suo nihilominus robore permansura*, seu denique cum in sanctione pœnali conclusit, puniri illos, qui alienavissent, non præcise quidem Romano Pontifice inconsulto, sed *inconsulto Romano Pontifice, aut contra constitutionis tenorem*; & quando in præcedentibus verbis nihil de consensus Papæ necessitate dicitur; levissimæ sunt conjecturæ, quibus deducatur, abolitas inde esse solemnitates a priscis vigilantissimis Patribus excogitatas, inventas, & longa sæculorum serie confirmatas; neque enim, ut ait Gregorius IX. in cap. 57. de elect., credendum est, Romanum Pontificem, qui jura tuetur, quod alias excogitatum est multis vigiliis, & inventum, uno verbo subvertere voluisse: jungatur lex 35. cod. de inoffic. testam. Tertio extenderunt in eo, ut sublatam dixerint facultatem expresse a Canonibus factam Prælatis concedendi, uti superius observandum fuit, portionem aut centesimam Ecclesiis, aut quinquagesimam Monasteriis, juxta canonem 74. caus 12. quæst. 2., juncto cap. 9. de donat., & cap. 9. de his, quæ fiunt a Præl., quando tamen Paulus constitutioni suæ exceptionem adjecit, *præterquam in casibus ab jure permissis*, eo etiam adjecto, ut *prisca decreta in suo nihilominus robore permanerent*. Quarto etiam extenderunt in eo, ut traderent, Prælatos sine consensu Sedis Apostolicæ non posse arbores cedere, excepta sylva cædua, cujus respectu incisio arborum, dummodo tempestive fiat, & sine fraude, in fructa est. Non minore usi fuerunt libertate Pragmatici in constitutione contrahenda: & primo a constitutione exceptum voluerunt casum, quo agatur de re exigua, eaque inculta, & longe posita (quænam res exigua dicatur, multi ex iis indicant, determinantes valorem aureorum viginti, multii amplius quidquam, aut minus, omnes sane suæ voluntati confisi, unde probabilior videtur opinio illorum, qui quantitatem arbitrio judicis designandam scripserunt, argumento cap. 4. de offic. jud. deleg., & l. 1. in fine ff. de jure deliber.). Si quæramus, quibus argumentis hanc exceptionem probaverint, primum respondent, Paulum II. excepisse casus in jure permissos, ibi: *præterquam in casibus ab jure permissis*, deinde exhibent canonem 53. caus. 12. quæst. 2., quo ea facultas expresse probatur. Diluant hæc emblemata, quibus se ipsos involvunt, Pragmatici iidem, quando, uti superius observabam, verba illa *præterquam in casibus ab jure permissis*, ad unum emphyteusis contractum pertinere definiverunt, nunc vero mutata sententia ad alienationem rerum exiguarum referunt; immo & abutuntur dicto canone 53., in quo nullum extat hujus exceptionis fundamentum; tantum enim ibidem decretum adparet, posse Episcopum terrulas, & vineolas exiguas sine Concilio Fratrum, id est, comprovincialium Episcoporum, necessitate urgente alienare; quemadmodum insuper habita Gratianea lectione, utpote depravata, superius Agathensem Canonem interpretatus sum; quod sane nihil commune habet cum hac ipsa quæstione, in qua agitur de auctoritate Romani Antistitis in præbendo consensu alienationi, quasi Pontificis consensus hodie locum teneat solemnitatis ordinariæ, quæ ex jure communi consistit in consensu Capituli. Aliam exceptionem collocaverunt Pragmatici in ea specie, in qua necessitas alienationis urgeat, nec facile possit ad Sedem Apostolicam recursus haberi. Inest hæc exceptio positivis legibus universis, in qua propterea nihil singulare adnotandum occurrit. Ter-

tia exceptio fit, si de re agatur, quæ necessario, seu ex juris præcepto sit alienanda, uti contingit in ea specie, qua Ecclesia hæres instituta legato, seu fideicommisso gravetur; tunc enim libere rem legatam transferet, & fideicommissam alienabit, argumento legis 13. ff. famil. ercisc., item in ea specie, qua Monasterium adquirendo incapax, bona immobilia adquirat ad effectum vendendi, & pecunia inde redacta utendi, cap. 3. vers. *Ad hæc tria fratribus* de verb. sign. in 6.. Non contradico: tantum adnoto, vix nomine tenus has alienationes dici posse; cum in utraque specie res vere quæsita Ecclesiæ, vel Monasterio non intelligatur. Quarta exceptio verbis ejusdem constitutionis probatur, nimirum de rebus mobilibus non pretiosis, & quæ servando servari non possunt, potissimum autem quæ usu consumuntur, argumento l. 22. cod. de admin. tutor., & leg. ult. cod., quando decreto opus non est. Quintam adjiciunt exceptionem, ubi agatur de infeudatione rei, quæ sit infeudari solita, in qua idem dicunt recipiendum, quod in emphyteusi recipitur, uti superius traditum est argumento cap. 2. de feudis. Verum arbitraria isthæc a similibus argumentatio percipi a me, ut candide fatear, nequit; quando iidem Pragmatici verba *præterquam in casibus ab jure permissis* ad solam emphyteusim coercent, nunc vero etiam ad infeudationes protendunt, voluntque, adhuc hodie manere integram disciplinam cap. 2. de feudis, e contrario abolitum capitulum 9. de donation., capitulum 9. de his, quæ fiunt a Præl., & canonem 74. caus. 12. quæst. 2., quasi, quæ sibi placeat, admittere conentur, rejicere pro lubito, quæ displiceant. Addunt sextam exceptionem in hypotheca generali, ejentes, nomine hypothecæ a Paulo II. interdictæ specialem tantum venire, argumento capituli 5. de reb. Eccl. non alien., in quo de hypotheca dumtaxat speciali fit mentio. At in conspectu Paulinæ constitutionis nemo dicet, eas tantum prohibitas fuisse alienationum species, quæ in veteribus Canonibus, & in dicto cap. 5. prohibentur. Simplex hypothecæ nomen a Paulo usurpatum & generalem, & specialem comprehendit; nam etiam per hypothecam generalem via sternitur ad dominii translationem, tum nimirum, cum debito satis non fiat. Et quidem Pragmatici ipsi id agnoverunt, proindeque modum adjicientes interpretationi suæ, ad fructus tantum bonorum generali hypothecæ subjectorum vim constitutæ generalis hypothecæ retulerunt, nimirum ad eum tantum finem ut creditor fructus nomine Ecclesiæ, vel loci religiosi colligat, donec sibi sit satisfactum. At quis in speciali hypotheca non idipsum admitteret? Postremam exceptionem collocaverunt in rebus non quæsitis, sed quærendis; has enim scripserunt ipsi, ex justa causa posse etiam specialiter hypothecari, uti contingeret in nova erigenda fabrica obligenda ejus gratia, qui pecuniam ædificandam dedit, aut in emendo prædio obligando ejus gratia, qui pecuniam credidit; immo & addiderunt in donatione rei, cujus quidem adquirendæ jus est Ecclesiæ quæsitum, non tamen dominium in Ecclesiam, vel in locum religiosum translatum est, cessare Paulinam constitutionem, quamquam in hac specie dicant cedentem Prælatum adhuc teneri ad indemnem servandam Ecclesiam, tantum esse a constitutionis ejusdem pœnis immunem. In tot, tantisque præjudicatis opinionibus, quibus Paulina extravagans modo explicatur, modo extenditur, modo coerceretur, quid concludemus germanæ disciplinæ studiosi, quando liberi a præjudiciis Scriptorum non possumus ad constitutionis interpretationem accedere? Ego sane in hac re candide fateor, me, quid concludam, penitus ignorare; nisi dicam paucis, parendum esse receptis uniuscujusque provinciæ consuetudinibus; etenim scio, in judiciis jus receptum locum sibi præcipuum vindicare; neque novum est;

quasdam leges, utut simplicissimas, usu fuisse coercitas, aut prorogatas. Quod vero iterum dificultatem movet, illud est, disputare etiam Pragmaticos, an constitutio recepta ubique fuerit; ubi autem recepta proponatur, an recepta fuerit in omnibus. Hoc ipsum est, quod superius adnotabam, dum traderem, prohibitas quidem esse locationes ad longum tempus; sed longi temporis locationes alicubi dici ad triennium, alicubi ad viginti, alicubi ad decem, alicubi ad triginta annos, quamquam in Paulina constitutione expresse decernatur, ne ultra triennium locationes fiant. Hoc ipsum esse suspicor, quod Episcopi, cum consecrantur, promittunt, se bona mensæ suæ non alienaturos, &, si alienaverint, sese jurejurando subjiciunt pœnis, *in quadam super hoc edita constitutione contentis*; quadam, inquam, indefinite; quod recipi ex eo potuit, quia licet hæc verba ad Paulinam constitutionem referantur, de constitutione tamen agitur non ubique, nec in omnibus suis partibus peræque recepta, quamque propterea non fuit opportunum expresse, & specialiter commemorare. Quid ergo? Mea hæc erit sententia, nimirum quæ recepta fuisse adparebunt, persequenda esse; at ubi satis non constat de receptis quibusdam interpretationibus superius commemoratis, conandum esse bono jureconsulto, ut, quoad fieri possit, omnis controversia ad germanam Paulinæ constitutionis interpretationem exigatur, quam puto unumquemque facile consecuturum, si ad ea, quæ hucusque observata fuerunt, accurate respexerit.

CAPUT III.

De juribus, & oneribus Beneficiorum, ratione habita fructuum, & obventionum, quæ ex beneficiis rediguntur.

Huc referendi sunt tituli 25. 26. & 27. libr. 3.

QUam bene Augustinus ajebat in can. 7. dist. 40. scribens ad Valerium Episcopum suum, a quo recens fuerat ad Presbyteratus ordinem advocatus, & pene compulsus, *nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore* (indicantur hoc in loco ea tempora, quibus Ecclesiæ jam cœperant bonis temporalibus abundare) *facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officia, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius; item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore dificilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officia, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet!* Id plane verius adhuc dici hodie posset, quando Ecclesia majoribus bonis affluit, & in hac bonorum copia in varias partes inter varios administros tributa facile gliscere potest avaritia, ambitus, & lucri in dies majoris desiderium apud eos, qui plus æquo sibi blandiantur. Quot numero sunt, qui Clericos beneficiarios beneficiariorum fructuum dominos esse scripserunt? Quot numero, qui hanc opinionem factis, exemplisque confirmant? Ipsa etiam nomina verenda, quæ olim divinis ministeriis tribuebantur, qualia erant nomina muneris, officii, oneris gravissimi, & similia, immutata sunt, &, dulci inducto vocabulo *beneficiorum*, evanuerunt; neque aliter beneficium apud eos, qui rerum corticem conside-

rant, intelligitur, quam si commodum extet, honor, utilitas, emolumentum, non aliunde refereadum, quam ex redactis beneficii fructibus. Si qui adhuc sunt (sunt autem non pauci), qui Sanctorum Patrum doctrinæ perenni adhærent, isti audire solent rigidiores scholastici, austeri quotidianarum rerum censores, utinam non dicerentur etiam novatores! Cæterum constans est in hac re Ecclesiæ disciplina, non tantum dixerim ab Apostolica ætate, verum etiam a temporibus Christi Domini ad nostra usque sæcula traducta, & perpetuo confirmata, juxta quam intelligimus, fructus quidem, & obventiones bonorum ecclesiasticorum erogandos esse in sustentationem Clericorum, qui hac tenus causa hodie beneficiarii appellantur, quod tamen ex usu Clericorum eorumdem superest, id totum in pias causas esse erogandum. Neque vero agitur in hac re de certa lege, quam sibimet, veluti conventione quadam mutationibus, & vicissitudinibus obnoxia, Clerici dixerint, sed potius de jure publico, eo ipso jure, quod fundamentum præbet rebus sacris rite tractandis, quod præsidium est fidei datæ, ac receptæ, pactionibus tuendis inter dantem, & accipientem, quod nectit societatem vinculis arctissimis nullo unquam tempore dissolvendis.

Non id melius explicari potest, quam si consideretur, quibus ex causis per varias temporum revolutiones, & quos ob fines Ecclesiæ bona quæsiverint, ex quibus inde facta est inter Clericos tributio peculiorum. Modi, quibus Ecclesia bona quæsivit, ad hæc summa capita reducuntur. In primis obligatio erat, qua fideles tenebantur alere sacros administros, juxta Domini præceptum in Evangelio, de quo etiam Paulus in suis Epistolis meminit. Inde fluxerunt oblationes, & post has successu temporum præstatio decimarum; ac denique loco oblationum, & decimarum certa prædia, quorum designatio in causa fuit, cur in pluribus provinciis decimæ præstari desierint, quasi prædia exhibendis sacris administris sufficerent. Hæc quando fideles invicem charitatem mutuam inter se exhibebant, immo & fratrum nomine sese appellabant; ac propterea locupletiores indigentibus sponte occurrerent, non aptior videbatur modus indigentibus occurrendi, quam si & Clericorum, & pauperum unum peculium esset, tribuendum in singulos prudentia, atque officio Episcoporum, qui præsumebantur magis edocti de qualitatibus singulorum, quam sane formam Apostoli initio induxerunt, ad præbendum egregium successoribus suis exemplum. Alterum caput erat pia quorumdam fidelium liberalitas, sive inter vivos, sive causa mortis demonstrata. Singulari ratione id contingebat, quoties exemplo Cathedralium, aut Parochialium Ecclesiarum, novæ Ecclesiæ aut in Civitate, aut in pagis, aut etiam in agris construebantur, facta largitione prædiorum, quibus Clerici ibidem extra Cathedrales, & Parochiales Ecclesias alerentur. Quis non videt, in hac specie eam fuisse tradentium mentem, ut, quemadmodum in Ecclesiis Parochialibus, & Cathedralibus bona omnia in pios usus erogabantur, ita & similiter erogarentur in novis Ecclesiis erectis extra Parochiales, & Cathedrales, quando novæ istæ Ecclesiæ a cæteris & normam, & exemplum accipiebant? Neque vero aliter liberalitates testamento, codicillis factæ ita aliquando habitæ fuerunt, ut revocari minime possent, contra quam ferret natura ultimarum voluntatum, quod tamen quandoque receptum fuisse viri eruditi testantur, nisi quod in hac ultimarum voluntatum specie causa undecumque pia, atque omni favore dignissima versaretur. Tertium caput erat potestas legis. Id eveniebat in duobus casibus, nimirum primo, cum quis Clericus esset, & bona patrimonialia haberet, eadem bona vel statim derivabantur in Ecclesiis, si Clericus Ecclesiæ remisisset, vel post mortem Clerici Ec-

clesiæ adquirebantur, si Clericus ab intestato sine legitima successione decessisset, juxta legem unicam cod. Theodos. de bonis Clericorum, seu legem 20. codice Justin. de Episc. & Cler. atque utinam nunquam hanc ob causam auditæ fuissent querelæ adversus Episcopos, quorum aliqui ordinabant locupletes pene invites, ut Ecclesias bonis ordinatorum ditarent! Adversus querelas hujus generis in ordinatione Piniani Presbyteri sese excusavit S. Augustinus in Epistola ad Alypium Tagastensem, & in Epist. ad Albinam. Alter casus erat, cum pius quicumque testator olim vel hæreditatem, vel legatum generaliter pauperibus reliquisset; nondum enim religiosis domibus, id est, hospitalibus, in quibus pauperes in communi alerentur, institutis, ecclesiastici administri, præsertim Episcopi, pia illa relicta sibi vindicabant, quas pauperum curam suscepturi, eademque ecclesiasticis boni ad eumdem finem collatis adjungebant, juxta leges Justiniani, Nov. 131. cap. 11., juncta l. 28. cod. de Episc. & Cler., quis dubitat, in utroque casu, jus sacrorum administrorum vel expressa, vel tacita defunctorum voluntate concessum nihil aliud esse, quam dispensationem vel in causas Ecclesiæ ipsius, vel in causas pauperum, atque indigentium personarum? Quartum caput erat & causa donandi, & certus modus donationi adjectus. Quid enim, si pii fideles ita voluntatem suam expresserint, cum Ecclesiæ, vel ecclesiasticis administris donarent, ut diceret, se ideo donare, vel propterea quod per Ecclesiasticos administros multa pia opera impletum iri cum effectu sperarent, vel adjecto modo, ut ex donatis certa pia opera implerent, vel fide data, & recepta, ut certis piis operibus satisfieret? Heic est, ubi & causæ ratio habenda est, & modus adamussim implendus, & data fides debet paratam executionem habere, præsertim a viris ecclesiasticis, de quibus apud donantes erat magna integritas fama, & existimatio, unde fiducia erat pene secura. At enim multa hac ratione Ecclesiis obvenerunt, & maxima pars eorum, quibus hodie adspicimus locupletas Ecclesias. Primæ conspicuæ donationes in Ecclesiam collatæ & facto, & legibus Constantini Imperatori, post pacem Ecclesiæ datam hanc formam habuere. Ita de eodem Constantino scripsit Eusebius in libr. 4. de vita Constantini cap. 28. *Sed præcipua in Ecclesias Dei plurima contulit beneficia, in alimoniam pauperum, & viduarum, & pupilorum largiens.* Similiter de suis temporibus testimonium fert Justinianus in l. 42. §. 1. cod. de Episc. & Cler. ibi: *Nam cum quidam ad Sanctissimas accurrant Ecclesias, ut eis omnes suas facultates adferant, & delinquant, ut in pauperes, & egentes, & alios pios usus consumantur.* Idipsum persuasum erat sæculo Ecclesiæ nono, quod colligitur ex Concilio Aquisgranensi I. anni 1816. cap. 116. ibi: *Fideles namque suis propriis facultatibus Sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.* Suo quoque sæculo ita etiam scribebat Petrus Damianus relatus a Baronio ad annum 1055. numero 2. his verbis: *An ignoras, quia ad hoc Ecclesiis prædia conferuntur, ut ex iis pauperes sustententur, indigentes alantur, ut ex eis viduis atque pupillis subsidium procuretur?* His consonat recentiore adhuc ætate S. Thomæ observatio, ita scribentis in Epist. 2. ad Corinth. cap. 12. lect. 5. *Quod principes non dederunt divitias Prælatis propter se, sed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, sed pauperibus: Prælatis autem dantur, tanquam pauperum dispensatoribus.* Denique in hanc rem laudo Mediolanense IV. Concilium anni 1576. cap. 7. ibi: *Meminerint ejus, quod a Sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, suos fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati sua omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.* Vel hæc pauca testimonia, quibus posterior ætas consonat pri-

mæ, satis luculenter evincunt constantem, & in idem semper collimantem mentem illorum, qui Ecclesiæ donaverunt, non simpliciter, sed ob causam, sed ob finem, sed ob contractam fiduciam, futurum, ut res donatæ in pias causas erogarentur; quorum propterea voluntatem aut frustrari, aut revertere & perfidia, & iniquitas est. Media Ecclesiæ ætate novæ prodierunt donandi causæ, quarum tamen non est absimilis finis, nec difformis modus. Et quidem vulgare fuit, in testamentis, ac codicillis quædam Ecclesiis pro animæ salute relinquere, quod tunc dicebatur *pro anima judicare*; atque hujus judicii singulare etiam erat, ut impuberum legata, & dispositiones piarum causarum gratia admitterentur, juxta Regis Luitprandi constitutiones. Exempla harum largitatum refert Muratorius in antiquitatibus medii ævi dissert. 67.. Quid aliud, amabo, est, pro animæ salute donare; quid aliud Reges voluerunt, dum hanc etiam facultatem infirmiori ætati concederent, quam piis causis præsto esse, & occurrere? His accedebat voluntas illorum, qui inter varias præliorum vices, quibus media ætas agitabatur, peregre proficiscebantur, atque de incerto belli exitu dubitantes, ut sibi etiam divinum patrocinium conciliarent, Ecclesiis donabant. Equidem fateor, inter hos varios fortunæ casus, quibus modo in hunc, modo in ullum transferebantur jure belli dominia castrorum, civitatum, ac provinciarum, juvantibus præsertim Episcopis, qui veluti arbitri populorum erant media Ecclesiæ ætate, multa a ducibus, ac militibus in Ecclesiam collata fuisse, quasi ad conciliandam benevolentiam, & gratiam Antistitum, unde factum est, ut non prædia modo, sed & castra, urbes, provinciæ ecclesiasticorum Præsulum potestati concessæ fuerint. Sed iterum hic emicat donantium voluntas, & finis, qui cum donare Ecclesiis, eoque ipso piis causis favere deprehenderentur, tum in populis exhibebant, se pietate, religione, charitate antecellere, quo populos magis proclives redderent ad fidem, & obedientiam in se exhibendam. Quod si formulas inspiciamus, quibus media Ecclesiæ ætate utebantur, quicumque Ecclessiis donabant, frequentes occurrent apud veteres formulæ illæ, quibus donatores profitebantur, se ideo donare temporalia locis sacris, quod *centuplum in cœlis acciperent*, immo *& vitam æternam* juxta dominicam promissionem. Hujusmodi formulas plures edidit Baluzius ad calcem tom. 2. Capitularium Francorum. Plane hæc ad Evangelii institutiones relata indicant, donatores intellexisse, se pauperibus occurrere, quando in Evangelio Dominus spopondit, se ea præmia largiturum iis, qui bona sua pauperibus erogavissent. Ampliora reddidit patrimonia Ecclesiarum post sæculum Ecclesiæ octavum, quod passim tradi solebat juxta phrasim sacrarum literarum, peccata esse eleemosynis redimenda. Quod passim ita tradebatur, ut indicaretur, non solum eleemosynam esse certam pœnitentiæ speciem, verum etiam per eleemosynas redimi posse quotquot sub pœnitentiæ, satisfactionis nomine peccatoribus ad Ecclesiam conversis Sacerdotum præcepto expiationis causa indicebantur. Quisquis velit memoria recolere ecclesiasticam disciplinam, qualis ex variis Ecclesiarum pœnitentialibus fuisse deprehenditur, statim intelliget, pro unoquoque gravi crimine, immo & quandoque etiam pro delicto venia, & indulgentia digno, graves pœnitentias per longa annorum curricula peragendas imponi consuevisse. Videbatur hoc jugum quoddam penitus inferendum, quod ut excuteretur, eo fuit remedio consultum, quo certa pecuniarum præstatione anni pœnitentiæ redimerentur; atque inde factum est, ut quoties multa essent expianda crimina, pro ingenti pecuniarum quantitate, & fundi, & prædia, & castra ipsa Ecclesiæ gratia substituerentur. Idque eo magis recipiebatur, quandocumque ageretur

de expiatione furtorum, quibus damnum illatum erat in personas incertas; quod enim restitui non commode poterat damnum passis, restitutum censebatur, facta Ecclesiis donatione. Istud ipsum recipiebatur, ubi de votis elicitis ageretur, quorum implementum durum, & asperum voventibus erat: vota hæc Ecclesiarum Antistites commutabant, quasi a voventibus satis voto fieret, quoties certa bona in pios usus eroganda in Ecclesiam conferrent. Ita passim Episcopi suadebant omnibus, ita in publicis concionibus, ita in privatis monitis suam sententiam aperiebant. Frustra laborem impenderem in hujus disciplinæ demonstratione, cum vulgaria sint, & passim prostent hujus rei monumenta. Hinc factum est, ut bona Ecclesiarum dicta sint pretia peccatorum, ac redemptiones, quod sane percipi nequit, nisi ab eo, qui dicat, bona hæc in pios undique usus esse impendenda. Quintum, & postremum caput, quo Ecclesiæ locupletatæ sunt, erat accessio, & in dies factum bonorum incrementum. Id evenit ex eo primum, quod ecclesiastici administri ex redactis fructibus prædiorum, vel etiam ex uberrima oblationum copia, res immobiles, & fructiferas emerent. Atque hoc in casu cum supponere juvat, pecuniam emptionis causa erogatam, postquam satisfactum esset piis emergentibus causis, superfuisse, tum etiam concludere oportet, empta prædia fuisse designata ad satisfaciendum piis eisdem causis, in quas pecunia conferri debebat. Deinde id evenit ex eo, quod multi divites clero nomen dabant, & adscripti clericali militiæ cedebant Ecclesiæ bona sua modo simpliciter, & in universum, quo liberius Deo servirent, modo retento sibi usufructu, quoad viverent. Atque hac in specie non alia fingi potest donantium, ac cedentium voluntas, quam quæ pietate, ac religione moveretur. Præterea id aliquando evenit ex quibusdam pactionibus, quæ fiebant inter Ecclesias, & dominos certorum prædiorum, & quibus utrisque contrahentis utilitati prospiciebatur; aut veluti cum quis petebat ab Ecclesia, ut sibi certa bona ecclesiastica ad certum tempus possidenda, & fruenda precario concederentur, promittenti, ea finito tempore Ecclesiæ se restituturum una cum certa quantitate bonorum suorum, quæ dimidiam acceptorum partem saltem æquare debebat, juxta canonem 22. Concilii Meldensis anni 845.; aut veluti cum quis ingentis patrimonii dominus se, bonaque sua Ecclesiæ commendabat, cedens bona sua Ecclesiis, ut ab oneribus suis relevaretur, dummodo eadem bona reciperet ab Ecclesia vel feudi, vel emphyteuseos, vel libellariæ nomine, spe data Ecclesiæ, ut tandem aliquando pleno jure ad eamdem Ecclesiam pertineret. Priore casu de contractu agitur, qui proxime accedit ad emptionem, venditionem, aut ad permutationem; unde bona de novo Ecclesiæ quæsita locum tenent bonorum, quorum interruptus fuit usus in pias causas, proptereaque sunt in easdem pias causas ex natura sua, & conventionis qualitate eroganda. Posteriore casu, quando causa adquirendi fuit singulare patrocinium ab Ecclesia præstitutum, & communicatio privilegiorum Ecclesiæ competentium; & sive patrocinium Ecclesiæ, sive privilegia ab Ecclesia communicata fundamentum habent in pietate Principum, & religione populorum, nihil proponi potest, quominus eadem bona diversæ naturæ a cæteris bonis ab Ecclesia quæsitis esse dicantur. In his omnibus adquirendi, augendive peculii modis, nihil aliud, ut liquet, adparet, quam finis juvandi pias causas ex pactis, ac conventionibus, ex fide data, ac recepta, ex conditionibus adjectis, sine quibus nihil datum fuisset; sive de expressa voluntate constet, sive tacite, ac vel ex præsumptionibus, vel ex conjecturis voluntas donantium eliciatur; unde fit, hæc omnia non juris privati esse, sed jure publico regi, ac propterea nullo contrario

facto sacrorum administrorum posse immutari sine nota perfidiæ, fraudis, & doli.

Nunc sane ab iis, qui attente, uti decet, commemoratas peculii ecclesiastici causas perpenderint, intelligetur, quare perpetuo, ac constantissime Sancti Patres modo in Conciliis, modo extra Concilia monuerint Clericos, ne extra pias causas bona Ecclesiarum sibi commissa erogarent; immo & intelliget, acres formulas a Patribus eisdem adhibitas non fuisse expressas ex nimio tuendæ disciplinæ zelo, non ex tenaci quadam austeritate, sed exactas fuisse ad commutativæ justitiæ leges, illius, inquam, justitiæ, quæ pacta custodit. & semel datam fidem tuetur, ac servat. Paucis texam nonnulla, non eo animo, ut in hunc locum traducam, quotquot a Sanctis Patribus tradita in hac parte fuerint (ea enim amplum volumen implerent), sed eo animo, ut liqueat, nullum unquam fuisse Ecclesiæ sæculum, quo non idipsum, & non eisdem formulis hæc traditio proponeretur. Prima ecclesiastici peculii forma in Evangelio adparet, de qua ita scribebat Augustinus in can. 17. caus. 12. quæst. 1. *Habebat dominus loculos, & a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta.* His consonat Beda libr. 4. cap. 12. in Lucam ibi: *Ipse Dominus ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legitur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens.* Christi vestigia presserunt Apostoli, qui oblationes sibi factas in usus indigentium passim convertebant, uti liquet apud S. Lucam in Actis, præcipue vero cap. 14. prope finem, ubi legimus, vix fuisse tunc temporis indigentes, propterea quod Apostoli omnibus præsto essent, collatione facta, ac tributione oblationum, quas cum largissime fideles conferebant, tum Apostoli nihil recepisse videbantur. Quidquid Paulus Apostolus in cap. 8. epist. 2. ad Corinth. divites exhortabatur, ut largi in oblationibus essent? Is erat Paulo animus, ut inde indigentibus per ecclesiasticos administros consuleretur; de Paulo loquor, qui testis est, se labore manuum, unde ipse viveret, sibi plurimum consuluisse, ut facilius pauperibus provideret. Hinc non dubitavit Christianus Lupus tom. 2. scholiorum in canones pag. mihi 1318. ita scribere: *Ecclesiastica bona non solum modo ad Clericos, sed etiam ad captivos, peregrinos, orphanos, viduas, quosvis pauperes, stricto, et æquo proportionis jure pertinere, est lucidum dogma Apostolorum.* Viri Apostolici ab his exemplis minime deflexerunt. Laudo Dionysium Corinthium, qui secundo Ecclesiæ sæculo floruit, cujus hæc verba sunt apud Eusebium libr. 4. histor. eccles. cap. 23. *A principio namque vobis est moris, fratres omnes variis juvare beneficiis, multisque Ecclesiis, quæ sunt per diversa terrarum loca, cuncta, quibus indigent, destinare, singulorum quoque necessitates in omnibus consolari, sed et per metalla fratribus relegatis, quæ usus poscit, præbere.* Indicant hæc disciplinam nec recens tunc exortam, nec uno, aut altero loco circumscriptam, sed antiquam, sed perennem, sed communem. Tertio sæculo idipsum in more fuisse testatur Tertullianus in apologetico cap. 39. his verbis: *Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel, cum velit, si modo velit, vel si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita sunt pietatis. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, et pueris, ac puellis re, ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei secta alumni confessionis suæ sunt.* Quarto Ecclesiæ sæculo hinc viri locupletes Ecclesiam in easdem causas ditaverunt, præsertim data eidem Ecclesiæ pace; illinc moniti Clerici universi, ne alio peculium Ecclesiæ diverterent. De Constantini donationibus ita scribit Eusebius in libr. 4. de vita Constantini cap. 28. *Sed præcipue in*

Ecclesiam Dei plura contulit dona, nunc agros, nunc annonas in alimoniam pauperum, et viduarum, ac pupillorum largiens. Quænam essent exempla in hanc rem Episcoporum, exhibet iterum Eusebius in libr. 10. histor. Eccles. cap. 4. de Paulino Episcopo Tyriorum, & Socrates libr. 7. histor. Eccles. cap. 21. de Acacio Episcopo Amideno. Si qui administri aut disidiæ, aut perfidiæ rei viderentur, præsto erant Concilia monitis suis, gravissimeque præceptis, sollicita, ne ea disciplina everteretur, ne data fides violaretur. Hinc in Concilio Antiocheno, postquam definitum est penes Episcopum esse facultatem dispensandi res Ecclesiæ *erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, et timore Dei*; subjicitur, etiam de iis Episcoporum participare posse, *si tamen indiget*, can. 23. caus. 12. quæst. 1.. At enim ubi tum primum in dies Ecclesiæ ditescere cœperunt, visa fuit irrepere in Clericos plurimos avaritia, qui Ecclesiarum peculia suis, suorumque usibus addicebant. Hinc penes laicos invidiæ suboriæ, adquas avertendas Sancti Patres passim docebant, se veterum vestigiis perpetuo inhærere. Hinc etiam adversus Clericos avaritiæ, ac perfidiæ reos Sancti iidem Patres stylum exacuerunt, adeo ut nec defuerint, qui adversus Episcopos legem sibi dictam transgredientes insurgerent, & literis ardentibus eosdem continerent. Joannes Chrisostomus homil. 21. in epist. ad Corinth. ita loquebatur: *Ne hos præferamus prætextus, nec existimemus esse defensionem, quod Ecclesia multa possideat. Quando ejus facultatem videris magnitudinem, cogitu etiam inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem &c. Sumus parati vobis reddere rationem... Ecclesia propter vestram parcitatem necesse habet habere, quæ nunc habet... Ipsa autem necesse habet impendere viduarum cœtibus, choris virginum, hospitum adventibus, peregre proficiscentium afflictionibus, eorum, qui sunt in vinculis, calamitatibus, eorum, qui sunt manci, ac mutili, necessitatibus, & aliis hujusmodi causis.* Quæ orabat Chrysostomus, etiam facto confirmabat; nam *posthæc* (sunt verba Palladii, ita de eo scribentis in cap.) *dispensatoris ecclesiastici scripta relegens, inutilesque Ecclesiæ sumptus deprehendens, amputari hos protinus jubet, Accessit & ad solemnes Episcopi sumptus inspiciendos, inveniensque immodicam profusionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum solatia præcepit, & cum superessent pecuniæ, nova quoque infirmiorum receptacula construit.* Eadem erat Augustini sententia, dum respondere: Donatistis, improbantibus Catholicorum Clericorum avaritiam, quasi suis usibus Ecclesiarum bona vindicarent, ita scribens in epist. ad Bonifacium Comitem, sive in can. 28. caus. 12. quæst. 1. *Si autem quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* His consonat sollicitudo Papæ Gelasii in can. 27. caus. 12. quæst. 2. jubentis, redditus ecclesiasticos in quatuor partes tribui, quarum prima Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, postrema fabricis applicetur. Quam sollicitudinem renovaverunt pro modo variarum diœceseon Pontifices alii, & Concilia bene multa, can. 25. 26. 28. 29. 30. & 31. caus. 12. quæst. 2., Hieronymus relatus a Gratiano in can. 71. caus. 12. quæst. 2. ita scribebat: *Gloria Episcopi est pauperum inopiæ providere; ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis*, & in epist. 9. provocans ad exemplum Nebridii Episcopi ajebant: *Quæ viduas non hujus* (Nebridii) *auxilio sustentata est? Quis pupillus in eo non reperit Patrem? Totius orientis Episcopi ad hunc miserorum preces, & laborantium desideria conferebant. Quidquid ab Imperatore poscebat, eleemosyna in pauperes, pretium captivorum, misericordia in afflictos erat, unde & ipsi Principes libenter præstabant, quod non uni sciebant, sed pluribus indulgeri.* Hanc ipsam puto fuisse causam, quare aliquando Hieronymus acerrime exagitaverit quosdam Episcopos, illos nimirum, qui plus æquo sibi indulgerent in adminis-

tratione peculii ecclesiastici, adeo ut de Episcopo hujus generis ita scriberet in can. 23. dist. 93. *solus incubat bonis, solus ministerio utitur, solus universa sibi vindicat, solus partes invadit alienas, solus occidit universos.* His jungendæ sunt acres illæ, ac vehementes formulæ, quæ adhibitæ fuerunt a Patribus Concilii & Vasensis, & Agathensis in can. 10. & 11. caus. 13. quæst. 2., ubi qui res Ecclesiæ sibi usurpant, modo *necatores egentium*, modo *necatores pauperum* appellantur. Julianus Pomerius, qui sub finem quinti sæculi floruit, multis demonstravit in libro 2. de vita contemplativa, qualis esset in hac re doctrina Ecclesiæ, atque inter cætera in cap. 9. post proposita exempla Paulini, & Hilarii Arelatensis, ita conclusit: *Unde datur intelligi, quod tales, ac tanti viri, qui volentes esse Christi discipuli, renuntiaverunt omnibus, quæ habebant, & idcirco scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis postulare, non habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere.* Hoc monumentum norma fuit Aquisgranensi Concilio anni 816., ut idipsum definiretur in cap. 35.. Quid memorem Scriptores sexti Ecclesiæ sæculi? Perspicua, & palam in conspectu omnium prostant Justiniani monumenta in l. 42. § 1. cod. de Episc. & Cler., in Nov. 65. & 131. cap. 11.. Testis ibidem est Imperator, non ob aliam causam bona fuisse Ecclesiis donata ex largitate fidelium, quam *ut in pauperes, & egentes, & alios pios usus consumantur*, atque indecorum propterea esse, *Episcopos in suum illa conferre lucrum, aut in propriam sobolem, & cognatos impendere.* Concilium Aurelianense I. anni 511. can. 5. expresse monuit Episcopos, fructus bonorum Ecclesiæ erogari oportere *in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum, & pauperum, vel redemptionibus captivorum.* Cæsarius Arelatensis Episcopus pro concione hortabatur populum, ut donaret Ecclesiæ, ea persuasione, quod inde peccata redimerentur, patrocinio piarum causarum Clericis commendatarum. Ejus verba sunt in homil. 9. ibi: *Sed tu forte respondes, & dicis: ex eo, quod mihi Deus amplius dederit, quam opus sit, volo filiis, & filiabus meis argentum emere, ornamenta pretiosissima comparare: cui ego respondeo: ornamenta quidem emis, sed peccata non redimis; & quia non solum decimæ non sunt nostræ, sed Ecclesiæ deputatæ, verum quidquid amplius, quam nobis opus est, a Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus, vel vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis, ubi nos sumus, fame, & nuditate mortui fuerint, noverimus, nos rationem de animabus illorum in die judicii reddituros.* Denique non multo, postea Gregorius Magnus non solum generaliter tradidit, tribuendos esse in pios usus ecclesiasticos redditus, uti liquet ex can. 29. caus. 12. quæst. 2., sed etiam testatus est, in more fuisse Apostolicæ Sedis, ut cum Episcopi ordinarentur tum eisdem præciperetur, ne aliam administrationis formam inirent, can. 30. caus. 12. quæst. 2..

Incidimus hic in ea tempora, sive in mediam Ecclesiæ ætatem, qua multorum Clericorum vita deflectere cœperat ab antiquis regulis. Conquestus id fuerat in Occidente Hieronymus supra commemoratus; in Oriente autem similiter dolebat Isidorus Pelusiota, qui in libro 1. epist. 1. conferens suæ ætatis Clericos cum antiquioribus, ita scribebat. *Tunc virtute præditi Sacerdotio admovebantur, nunc avari, & pecuniæ cupidi. Tunc imperia, dignitatesque ob rei magnitudinem defugiebant, ut Nazianzenu, Chrysostomus, & alii, nunc vero sponte assumunt ob deliciarum copiam, atque invadunt. Recidisse jam sacerdotii dignitatem, ac regnandi cupiditatem adparet, ab humilitate ad superbiam, ab jejunio ad delicias prolapsam, a dispensatione denique ad dominium venisse. Non enim ut dispensatores administrare rem volunt, sed ut domini sibi pro-*

pris vindicant. En primam originem novarum opinionum apud Clericos obortarum, qui cogitare cœperunt de dominio vindicando oblationum sacrarum; atque hinc misere collabi visa est disciplina Clericalis, adeo ut venditiones, emptiones sacrorum munerum eam ob causam facile fierent, cujus rei causa plurimum adlaborare debuerunt sancti, & vigilantissimi plures Antistites, ut hanc luem ab Ecclesia detergerent, uti liquet ex Conciliis præsertim illius ætatis usque ad sæculum duodecimum. Interea nullum aptius remedium excogitari potuit a viris prudentibus, quam cum curatum est, ut, quibus in locis fieri posset, Clerici ad vitam communem ineundam adducerentur. Id sæculo octavo, & nono curatum est, & passim Clerici communem vitam profitebantur, inde propterea appellati *Canonici Regulares.* His potissimum a laicis datæ decimæ, cæteris aliquando denegatæ, quia cæteri vix muneri imposito satisfaciebant. Ad rem Christianus Lupus tom. 5. scholior. in canones pag. mihi 191. ita de Clericis Regularibus adnotavit. *Sanctissima erat istorum Clericorum vita, ideoque per ipsos, quam per pagenses Præsbyteros visæ sunt decimæ fidelius in pauperes, & Ecclesiæ fabricam dispensandæ. Eorum sanctitati creditum fuit totum decimarum onus, & honesta Presbyteri alimentatio, & ecclesiasticæ fabricæ reparatio, & cura pauperum, & peregrinorum.* Interea gravissime monebantur Clerici universi, ne alio diverterent Ecclesiæ facultates, uti legimus in Concilio Rhemensi, cujus fragmentum extat in cap. 14. de pecul. Cleric., ubi dicitur: *hoc sacrilegium esse, & per crimen Judæ fuit, qui sacras oblationes transportabat, & furabatur;* uti etiam legimus in Concilio Romano Eugenii II., seu in can. 27. caus. 12. quæst. 1.. Communis fuit in hanc rem studium & Græcæ, & Latinæ Ecclesiæ, ad disciplinæ labentis reformationem. Apud Græcos cum Photius ad conciliandam sibi plurium gratiam bonis Ecclesiæ abuteretur, Synodus Generalis octava definivit, non esse laicis dandos redditus ecclesiasticos, quos præcipue *ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem* datos esse professa est, atque in hac parte renovare se *Apostolicos, & paternos canones*, quorum violatores deponendos jubet, *ut prævaricatores divinarum legum, & præceptorum*, can. 13. caus. 12. quæst. 2.. Apud Latinos quæ erant tunc temporis dogmata, ea relata sunt in libros Capitularium. At enim in libr. 7. can. 375. ita legimus: *Instruendi sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint, decimas, & oblationes, quas a fidelibus accipiunt, & hospitum, & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti debere; de quibus omnibus sciant, se rationem reddituros conspectu divinæ majestatis, & nisi eas fideliter pauperibus, & his, quibus permissum est, administraverint, condemnationem patiendos.* Et quidem uti his, ita & veteribus monumentis consonabat doctrina Concilii Aquisgranensis anni 816. cap. 116. his verbis concepta: *Res Ecclesiæ, sicut a Sanctis Patribus traditur, vota sunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore, & Christi amore succensi ob animarum suarum remedium, & cœlestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti, ac solerti cura providendum est his, qui ejus facultates administrant, ne eas in suos solummodo usus convertant, sed magis juxta possibilitatem rerum Christo famulantium, immo eorum, in quibus Christus pascitur, & vestitur, curam gerere penitus non negligant. Sed & sententia B. Hieronymi non solum Prælatis, sed etiam cæteris, qui rebus utantur Ecclesiasticis, vigilanter perpendenda est, qui ita in commentario Matthæi Evangelistæ ait: Omnes igitur, qui stipe templi & his, quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum, & Sacerdotum redimentium mendaciam, & Salvatoris sanguinem. Ergo res*

Ecclesiæ pauperibus, & militibus Christi stipendiariæ debent intelligi; unde totis nisibus Prælatis statagendum est, ut Sanctorum Patrum dictis, & exemplis obsequentes, de rebus sibi commissis & subditos gubernent, & pauperes foveant, cunctisque utilitatibus, ac necessitatibus Ecclesiæ fideliter administrando consulant &c. Hæc ipsa vox fuit Concilii VI. Parisiensis can. 15. ibi: *Quod nulli Sacerdotum liceat, res Deo dicatas, sibique commissa, utpote proprias tractare, & ad multifarios secundum libitum suum usus est detorquere ... & licet crescente fidelium devotione copiosissimis, ac munificentissimis eorum liberalitatibus sancta donata sit Ecclesia, eumdem tamen usum Apostolorum successores in tractandis, ac dispensandis ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint.* Hæc ipsa vox fuit Concilii III. Turonensis cap. 10. ibi: *Episcopi maximam curam, & sollicitudinem circa pauperes habeant, & res ecclesiasticas caute dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri sectatores, illisque utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.* Hæc ipsa vox fuit aliorum ejusdem temporis Conciliorum, scilicet Cabilonensis II. can. 6., Aquisgranensis II. cap. 2., Moguntini anni 847. can. 4., Vormaciensis anni 868. can. 7., Triburiensis anni 895. can. 13, Nannetensis in can. 10., quibus addi possunt novellæ Leonis Imperatoris numero 2. & 12., item epistola Hincmari Rhemensis ad suos Parochos, quibus exhibeatur eadem, & constans disciplina perpetuo firmata etiam illis sæculis, nonum dico, & decimum, quibus mores in clero fuisse corruptissimos nemo ignorat.

Quis modo dubitet, quin pressius etiam locuti fuerint sæculo undecimo, duodecimo, & decimotercio viri ecclesiastici, ubi primum isti corruptam clericalem disciplinam restaurare monitis, ac exemplis voluerunt? Emicuit inter istos primus S. Petrus Damianus, qui passim in suis operibus nihil magis urgere debuisse deprehenditur. Refert Baronius ad annum 1055. num. 2., ita Damianum scripsisse ad quemdam Episcopum, quem dissipare bona Ecclesiæ noverat: *An ignoras, quia ad hoc Ecclesiis prædia conferuntur, ut ex eis pauperes sustententur, indigentes alantur, ut ex eis viduis, atque pupillis subsidium procuretur?* Quod vir religiosissimus ajebat, id & suo exemplo firmabat; hinc legimus de eo apud Bolland. ad diem 23. Februar. cap. 8. *Nullus in vestiendis nudis, in reficiendis egenis, in visitandis ægrotis promptior illo potuit esse unquam, turba pauperum Episcopali limina quotidie frequentante ... Ajebat enim, se dominicarum rerum constitutum fore administrum, non dominum, dispensatorem, non possessorem.* Pone secutus est S. Bernardus, qui aperte adoritur passim abusum plurium Clericorum a veterum Patrum sententia recedentium in hac parte. Longum esset seriem texere hujus generis monumentorum. Refero inter cætera, quæ ipse scribebat in epist. 2. ad Fulconem ibi: *Conceditur ergo tibi, ut, si bene deservis, de altario vivas, non autem, ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaque, pellicea a collo, & manibus, ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est, &c.* Refero, quæ scribebat in epist 42. ad Henricum Archiepiscopum Senonensem, ibi: *Clamant nudi, clamant famelici, nostrum est, quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis .... Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis.* Refero denique, quæ scribebat in sermone 25. in Cantica, post medium, ibi: *Timeant Clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilege sibi retineant, & in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non receantur, duplici profecto iniquitate peccan-*

tes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutantur. Omittere hic non debeo collectorem canonum Gratianum, qui ad calcem canonis 27. caus. 12. quæst. 1. ita docebat: *Sicut perfectione charitatis manente, secundum discretionem Ecclesiarum distributio fit ecclesiasticarum facultatum, dum aliis possessiones hujus Ecclesiæ ad dispensandum committuntur, ex quibus, licet res Ecclesiæ omnibus debeant esse communes, primum tamen sibi & suæ Ecclesiæ deserventibus necessaria subministret, reliqua, quæ supersunt, fidelium usibus ministraturus; ita & præbendæ Ecclesiarum, eadem charitate manente, pie, & religiose possunt distribui, ne tunc rebus Ecclesiæ, ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservituris, ut ex his, quæ sibi adsignata sunt, primum sibi necessaria percipiat: siqua vero suis necessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesiæ expendat.* Excipit hos Petrus Blesensis ita scribens in epist. 15. ad Rainaldum Episcopum Carnotensem electum: *Si te illius discipulum profiteris, qui venit ministrare, non ministrari, sic ministrabis pauperibus, ut non vituperetur ministerium tuum, ut patrimonium Christi, & pauperum ejus, quod tibi commissum est, in egentium necessitates, non in usus extraordinarios expendatur.* Commemorari etiam debet Arnulphus Episcopus Lexoviensis, qui dum anno 1163. sermonem haberet in Concilio Turonensi, ita congregatos Antistites alloquebatur: *Possumus divitias licite possidere, si tamen earum nos reputaverimus non dominos, sed ministros; si intellexerimus, patrimonium pauperum esse patrimonium Christi, si proventibus Ecclesiæ, si pauperum necessitatibus erogentur. Alioquin fures, & latrones nos ratio manifesta convincet, si res alienas invitis dominis nostro præsumpserimus arbitrio contrectare.* Similiter Gaufridus Abbas Clarevallensis, dum plura ex S. Bernardi sententiis una contexeret, hæc inter cætera scribebat §. 17. declamationum in illa Evangelii verba: *Ecce nos reliquimus omnia. Sed esto studiose quis, & fructuose laboret: dignus plane est operarius mercede sua, ut qui altario servit, de altario vivat; vivat, inquam, de altario, ut juxta eumdem Apostolum alimenta, &, quibus tegatur, habens, his contentus sit. Tertium enim hoc periculum est; de altario, inquit, vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur . . . non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat, non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia sunt pauperum facultates Ecclesiarum, & sacrilega eis erudelitate surripitur, quidquid sibi ministri, & dispensatores, non utique domini, & possessores ultra victum accipiunt, & vestitum.* Adjicio his verba Concilii Excestrensis in Anglia celebrati anno 1287. can. 18. ibi: *Et licet ecclesiastici, quidquid vitæ suæ necessitati eis superfuerit de patrimonio Jesu Christi, in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, teneantur ex debito erogare, &c.*

Viri Scholastici, qui deinceps nova scribendi, disputandique methodo usi, palam proposuerunt, quid veteribus canonibus contineretur, ut labens cleri disciplina tutius repararetur, eadem passim principia confirmaverunt. S. Raymundus in Summa libr. 2. tit. 5. de raptoribus & prædonibus §. 6. ita scripsit: *Qui de Prælatis Ecclesiarum, & aliis Clericis, qui bona ecclesiastica pauperibus debita consumunt in usus illicitos, videlicet in meretricibus, in histrionibus, consanguineis, potentibus, & divitibus, & similibus, & de his etiam faciunt aliqui testamentum, nunquid tales sunt judicandi raptores? Videtur, quod si; quia contrectant rem alienam invito domino; ait enim Hieronymus: quidquid habent Clerici, pauperum est; item Augustinus &c. . . . Tales, inquam, Prælatos, & Clericos, qui talibus conferunt bona ecclesiastica pauperibus debita, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem.* S. Thomas Aquinas, cum in cap. 12. epist. 2. ad Corinth. lect. 5. sibi objecisset hanc propositionem: *Videtur, quod male fecerint Principes, & alii, dando divitias Prælatis,* ita respondit: *Di-*

cendum est, quod non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes, & ideo non dederunt eis, sed pauperibus; Prælatis autem dantur, tanquam pauperum dispensationibus. Item in secunda secundæ quæst. 185. art. 7. in corp. & ad secundum de Clericis ita scribit: *Propriorum bonorum dominium habent .... ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores.* Petrus de Alaico in libr. 1. de auctorit. Eccles. part. 2. apud Gersonium tom. 1. refellit opinionem illorum, qui tunc Romano Antistiti rerum ecclesiasticarum dominium vindicabant, quamquam meram dispensationem adsererent Episcopis, cæterisque inferioribus administris. Ac postquam in eam rem adtulit testimonium Pauli: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores &c.*, ita prosecutus est: *Cum sit minister, & dispensator bonorum communitatis, in quo requiritur bona fides, non habet collatam sibi potestatem super bonis ipsis, nisi ad necessitatem, vel communem Ecclesiæ utilitatem .... Unde ulterius concluditur, quod si Papa pro libito distrahat bona Ecclesiæ, & non dispenset bona fide, de jure non tenet, & non solum tenetur ad pœnitentiam de peccato, quasi propter abusum rei, sed infideliter agit, & ad restitutionem tenetur, si aliunde haberet, cum sit defraudator rei alienæ. Secus, si esset dominus, quia in re sua quilibet est ultimus moderator, & arbiter.* S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in 3. parte Summæ Theologicæ tit. 15. cap. 1. §. 19. ita scribebat: *De bonis, seu fructibus beneficiorum, quæ dant Clerici consanguineis vel personis turpibus, utrum in dando peccent, & teneantur ad restitutionem. Super hoc dicit Raymundus, quod Clerici, qui consanguineis potentibus .... bona ecclesiastica pauperibus debita tribuunt, raptores sunt, quia quidquid Clerici habent, pauperum est, dicit Hieronymus 16. quæst. 1. can. finali, nam pauperibus debentur; unde ad restitutionem tenentur pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ.* Sanctos hosce viros secuti sunt Dionysius Chartusianus in tractatu de vita Canonicorum, præsertim art. 24., Esthius, ubi expendit in hanc rem caput 5. epistolæ 1. Pauli ad Timotheum, & alii numero plurimi.

Interea quæ Concilia, aut Comitia sacra recentioribus sæculis celebrata sunt, idipsum passim sanxerunt. Ita statutum in Concilio Ravennatensi II. anni 1311. can. 30., in Concilio Londinensi anni 1342, in Concilio Burdigalensi anni 1583., in Concilio Aquensi anni 1585., & in Concilio Toletano anni 1565. Cardinalis Polus pergens in Angliam, ut ibi legatione Sedis Apostolicæ fungeretur anno 1566. inter decreta reformationis constituta, hæc habet num. 5. *Ne sumptuum moderatio avaritiæ tribuatur, quidquid ex fructibus Ecclesiarum, deductis eis, quæ earum oneribus sustinendis, & ipsis, atque ipsorum familiaribus necessaria sunt, supererit, id omne, juxta illa, quæ B. Gregorius Papa Augustino Episcopo de fructibus Ecclesiæ dispensandis rescripsit, ad pauperes Christi suscipiendos, & alendos, atque in alia pia opera distribuant, sint Patres Pauperum, sint orphanorum, viduarum, & oppressorum, refugium, & tutela.* Commemorare debeo S. Carolum Mediolanensem Antistitem, quem refert Glosam libr. 7. cap. 1. exceptum fuisse splendide a quodam Episcopo, atque hospiti his verbis respondisse objurgando: *Pauperibus necesse est Episcopi residua omnia dilargiri, ubi suis ipsi necessitatibus consuluere,* & libr. 8 cap. 25. tradit, familiaria illi hæc dicta fuisse: *Dispensatorem tantummodo esse Episcopum, non dominum rerum Ecclesiæ, ideoque nec arbitratu suo posse eum sumptum facere, maxime in sæculi pompas, & delicias; denique expendi ab eo nihil posse, nisi in utilitates Ecclesiæ, & Dei cultum.* Porro Sanctus hic Antistes in Concilio Mediolanensi. I. anni 1564. inter cætera *sub titulo: Quæ pertinent ad bonorum, & jurium ecclesiasticorum conservationem*, ita decrevit: *Ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt; hanc naturam, & conditionem consecuta sunt, ut in alium, quam sacrum, & pium usum eorum fructum converti nefas esset .. Quamobrem per viscera misericordiæ Jesu Christi obtestamur, atque monemus, ut meminerint, ea bona non esse sui*

credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honeste, ut fidelem Dei ministrum, & pietatis Christianæ magistrum decet, traducendam; ex eo vero, quod supererit, si necessaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant, se, quos non paverint, occidisse. Neque omisit adjicere, eos, qui contra fecerint, *sacrilegii esse reos ex sacris Canonibus, & SS. Patrum sententia, & eorum omnium necessaria restitutione teneri, neque ulla omnino etiam immemorabili consuetudine excusari.* Quæ omnia confirmavit in Concilio Mediolanensi IV. inter monitiones, quæ in parte 3. datæ sunt Episcopis, & Clericis universis beneficia possidentibus, ibi: *Memores estote ejus, quod a sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.* Concludam referendo sententiam Concilii Tridentini. Postquam in eo sess. 22. de Reform. cap. 1. statutum fuit generaliter, Clericos debere mores suos ad veterum canonum disciplinam componere, & in cap. 11. ejusdem sess. traditum est, Ecclesiarum quascumque obventiones *in ministrorum, & pauperum necessitates debere converti*: pressius deinde in cap. 1. sess. 25. de Reform. Episcopis mandatum est, ut in usu rerum modestiam, ac frugalitatem servarent; omnino autem interdictum, *ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa; immo, quam maxime potest, eos S. Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficia ecclesiastica tam sæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed & ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit, quorum consilio apud sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesia administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ merito omnium in se oculos convertant.*

Paucis multa mihi videor complexus; videbor forte aliquibus nimium, & præter meum scribendi morem in hac parte moratus. Id tamen maxime opportunum esse censui, ut, cum demonstrarem, hanc clericalis administrationis disciplinam perpetuo fuisse in Ecclesia probatam, propositam, confirmatam, renovatisque perpetuis legibus adversus corruptos plurium mores vindicatam, tum demonstratum intelligeretur, eamdem semper fuisse Ecclesiæ mentem, nec aliam fuisse recentioribus, aliam vetustis, aliam mediis sæculis opinionem, sive sententiam. Per omnia sane tempora, per omnium æque Ecclesiarum statuta sum pervagatus; ubique & quandocumque idipsum traditum, custoditum, inculcatum invenio. Contrarias consuetudines tanquam corruptelas damnatas intueor; facta Clericorum aliter utentium bonis Ecclesiarum, video detestata. Postremi canones & mediis, & primis respondent: non de subtilitate agitur arcanæ cujusdam philosophiæ, quæ austeritati quorumdam temporum imputetur, & quæ parum sit clementiæ, indulgentiæque, ac humanitati accommodata; non de summo jure, quod aliter flecti valeat æquitate, sed agitur de fide fundatoribus, & donatoribus data implenda, verius dixerim non frangenda, nec violanda; agitur de damnanda perfidia, de iniquitate evitanda, de ipsa naturali honestate, in qua una est laudatorum canonum, & monumentorum fundamentum. Agitur de re, in qua nemo sibi blandiri potest, aut in conspectu quorumdam Scriptorum avaritiæ velificantium, qui & nuperi sunt, & levissimis rationculis innituntur, & se præferunt auctoritati omnium æque temporum, atque Ecclesiarum. Si præ-

textu auctoritatis unius, vel alterius Scriptoris qui potest ab ea doctrina recedere; quænam erit laxa opinio, quæ certos & patronos, sectatores habere tuto non possit? Si prætextu consuetudinis aliquorum quis possit semel editos, & millies restauratos canones negligere; quænam erit corruptela morum, quæ pro legitima consuetudine ad interitum legum saluberrimarum haberi non queat? Si prætextu versatilis cujusdam, & in transversum ducendæ æquitatis ab eo jure se quisquam recedere posse suadeat sibi; quænam erit iniquitas, quæ indulgentia, humanitate non protegatur? Si quæ traditio est, quæ perennis sit, quæ constans, quæ perpetua, ab Apostolica ætate, dixerim ab ipsis Christi præceptis, & exemplis ad nostra usque tempora æque traducta; hæc ipsa profecto est, quam si violare licet, quid erit in Ecclesia Dei, quod nequeat violari? At enim lugendum est, multos ad has, quæ cæteroquin Ecclesiæ voces sunt, in utramque aurem obdormire; & si quandoque expergefiant, inania veluti tonitrua audiunt iterum dormituri; putant zelum esse ferventiorem acerbitatem styli, qui potius sacro Oratori, quam Jureconsulto conveniat; nimium vetustæ restaurandæ disciplinæ studium; illius, inquam, disciplinæ, quam non amplius nostrorum temporum facilitas, ac lenitas patiatur. Si candide mihi liceat aperire, quod sentio, paucis dicam, nullum unquam fuisse vitium, quod difficilius eradicari potuerit, aut etiam possit, quam ubi vitium est situm in amore peculii; vitium sane, quod facile omnis ætas contrahit, nulla deponit; vitium quod in adolescentia luxum fovet, virorum ambitum nutrit, in senectute avaritiam, tenacitatemque alit; & quamquam sit malorum omnium origo, uti ait Justinianus in Novell. 8. in fine principii, quandocumque tamen protegitur sub specie honoris, decoris, quod dignitas adepta postulat, ac sub specie cujusdam sollicitudinis, ac providentiæ debitæ in res familiares, ad perennitatem nominis, ad agnationis splendorem; unde fieri solet, ut in vulgare adagium abierit, quo prædicetur, ut plurimum morientes homines non bona dimittere, sed a bonis dimitti, non exuere opes, sed opibus exui; tum dimittere, tum exuere, cum tenere non possint. Moralis philosophiæ studiosis hoc argumentum penitus tractandum relinquo: tantum observo, fuisse in clero abusus alios idemtidem, sed facili ratione deletos; unum augendi peculii studium evadere consuevisse conatus sanctorum Patrum, modo obsistendo, modo excusationes prætexendo, modo pallia speciosa inducendo; uti evenit in vitio simoniæ, in plurium beneficiorum obtinendorum voluntate, in translationibus de una in aliam ditiorem Ecclesiam, & similibus.

Sunt hæc generalia, quæ tamen viam parant ad dirimendas controversias nonnullas, quibus agitatis modo effugia, modo prætextus quæsiti sunt ad eludendas saluberrimas leges, si aliter, quam decet, eædem controversiæ definiantur. Quæsitum fuit in primis a scholasticis, num beneficiarii impendere debeant in pias causas Ecclesiarum obventiones, ita urgente vera, atque, ut vocant, commutativa justitia, an potius ita suadente charitate: nec defuerunt, qui delinquentes a violatæ justitiæ peccato absolverent. Bone Deus! Num adversus Sanctorum Patrum dicta, ac traditiones perennes modo a me expositas, vix major fieri potest, quam ab iis, qui ita opinantur? Num qui ita scribunt; vel leviter attigerunt modos, & causas, quibus bona Ecclesiis fuere quæsita? Demonstratum est evidentibus monumentis, Ecclesiarum bona Clericorum potius administrationi fuisse concessa, a piis fidelibus ideo data, ut in causas pias erogarentur, ut pauperum, & miserabilium personarum necessitatibus præsto essent. Hac de causa veteres Antistites apud populum urgebant, ut locupletes bona sua Ecclesiis darent: dum

donatores conferebant, hanc suam esse mentem profitebantur, quam executioni mandari stipulabantur a Clericis, Clerici promittebant. Hoc amplius constat, multa non Ecclesiis, non Clericis donata fuisse, sed pauperibus generaliter veluti testamentis, aut codicillis; ubi ita legatum esset, tum Clericos bonorum possessionem cepisse, fide data, ut voluntatem defunctorum ipsi implerent, cujus fidei vades se leges ipsæ publicæ constituerunt. Id totum liquet in conspectu legum Justiniani superius laudatarum, inter cæteras Novellæ 131. cap. 11.. Hæc fuerunt perennia dicta Patrum commemorata, quibus dictum est, ideo fideles donariis auxisse Ecclesias, ut pauperes recrearentur, redimerentur captivi, ornarentur templa; quibus dictum est, Clericos omnes dispensatores esse, & curatores pauperum, non proprietatem sibi vindicantes, administros esse, non dominos; quibus dictum est, furtum admitti, sacrilegium, & vim bonorum raptorum a Clericis in alios usus bona sibi commissa impendentibus; quod rem contrectent, invito domino, teneri illos ad restitutionem, similes esse Judæ furi, & perfidos deprehendi datæ fidei violatores. Nihil in his ajo, quod non exhibeatur *in testimoniis Patrum*, quæ hucusque delineabam. Quod si hæc non contineant veræ commutativæ justitiæ præcepta; quid erit, quod huic virtuti adversabitur, & quando contra hanc virtutem delinquetur? Præcepta charitatis laicis æque, ac Clericis communia sunt, obligant æque & bonorum dominos, ac dispensatores, nihil propterea singulare Clericis immineret, si tantum charitatis *regulis impellerentur* eo, ut piis causis, præsertim indigentium occurrerent.

Altera quæstio est, utrum beneficiarius, cujus providentia tota posita est in fovendis, promovendisque piis causis, quadam uti possit libertate, qua, prout placuerit, uni potius, quam alteri dummodo piæ subveniat, præsertim si omnibus præsto esse nequeat. Hic iterum investiganda occurrit voluntas fundatarum, quicumque Ecclesias bonis auxerunt, cujus voluntatis quæstio cum lateat, utpote voluntatis defunctorum, tum in æstimatione prudentis Judicis est, uti scribebat Imperator in l. 7. cod. de fideicommiss., definituri, quid ut plurimum intendi a piis fidelibus consueverit. Investigandi itidem erunt canones Ecclesiastici, qui mentem aperiunt Ecclesiæ in fidem suam recipientis pias fundatorum, ac donantium voluntates. Distinguendæ profecto erunt duæ species: aut enim pia causa admodum gravis sese offert una cum minus gravi: ut piæ, quæ sese offerunt, causæ æque graves existunt. Qua tamen in re non puto, premendum adeo esse beneficiarium, ut in libratione, seu collatione causarum sese continuo torqueat, suamque conscientiam angat, dummodo bona fides adsit, & sincera animi integritas. Itaque ubi una ex piis causis altera gravior sit; quæ gravior est, hanc præferre oportebit. Si voluntatem fundatorum exploramus, agnoscimus illam exigi ad regulas pietatis. Porro pietatis leges sunt, ut in conspectu gravioris causæ levior insuper habeatur; & quamquam qui leviorem præponeret in re sua, nihil justitiæ detraheret, non tamen pietatis, quæ mitior est, quæ non stricto jure movetur, sed commiseratione cietur, ac concitatur, regulas adamussim sequeretur; argumento l. 1. & sequentium ff. de solution.. Quod autem fundator, vel donator ex pietate voluit, aut voluisse præsumitur, id executor voluntatis, Clericum dico dispensatorem, ex justitiæ legibus debet executioni mandare. Sacri canones id etiam manifeste comprobant quando scimus in can. 70. & 71. caus. 12. quæst. 2. reprehensos fuisse Episcopos illos, qui dum pecuniam Ecclesiæ erogaturi essent, impendebant in vasa sacra, & ornamenta templorum potius, quam in alimenta pauperum, & egenorum. Utraque plane causa pia erat; nec alia de causa re-

prehensi fuerunt, nisi quod minus gravem, minusque urgentem graviori, atque urgentiori prætulerint. At si causa æque gravis sit, curare quidem debebit administer, ut quibus omnibus præsto esse possit, occurrat; interea tamen, si omnibus prodesse nequeat, heic libertate sua utetur. *Non enim*, usurpo in hanc rem verba Ulpiani in l. 67. §. 1. ff. de legat. 2., *facultas necessariæ electionis propriæ liberalitatis beneficium est. Quid est enim, quod de suo videatur reliquisse, qui quod reliquit, omnino reddere debuit?* In simili propemodum causa iterum ajebat Ulpianus in l. 3. §. 4. ff. ad Silanianum: *illud durum est, dicere, si cum duobus auxilium ferre non possit, elegit alteri esse auxilio, electione crimen eum contraxisset.*

Hinc profecto strata via est ad definiendam totam, qualis & quantacumque sit, Clericorum beneficia possidentium potestatem. Consistit ista in dispensatione fructuum in pias causas erogandorum. An etenim inter istas enumeratur ejusdem Clerici beneficiarii causa, qui propterea debet ex beneficii fructibus exhiberi. Debent beneficiarii in Ecclesia, cui addicti sunt, assidue ministrare, abstinere etiam debent a sæcularibus negotiis: quæ sane aut sperari, aut obtineri non possent, si Clericus extra Ecclesiæ obventiones victum sibi quærere teneretur. Interest Ecclesiæ ipsius, interest boni publici, sacræque administrationis, ut inde Clericus alatur, ex quo operi hierarchico incumbit. Atque hæc præcepta sunt juris gentium, jure etiam divino expresse firmata; uti enim scribebat Apostolus in prima ad Corinth. cap. 9. *Et dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Heic tamen est, ubi plura observatione indigent; neque enim ubi Clerici certam fructuum portionem percipere queunt, recte judicabunt, ibi uti valere se amplissima potestate. Facultas Clericis concessa necessitate tenus concluditur, neque eo amplius extenditur, ut vel sibi, vel suis indulgeant. Hinc S. Augustinus in libro de Pastoribus, & Ovibus cap. 2. nominare non dubitavit *sustentatione necessitatis*, quæ a Clericis tribuitur ex redditibus Ecclesiarum, & cæteri veteres Patres similibus formulis usi perpetuo fuerunt, uti liquet præsertim in conspectu canonum 22. 23. caus. 12. quæst. 1., & can. 50. caus. 12. quæst. 2., ac S. Bernardus cum sua ætate nosset ea facultate Clericos abuti, tum ita scripsit inter cætera in declamatione in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia* §. 16.: *Væ væ tibi, Clerice, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in ejusmodi deliciis, non modo quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maxime, quia constat, populi esse peccata, quæ comedis; sumptus ecclesiasticos gratis habere reputas? Cantando, ut ajunt, bona tibi provenire videntur, sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare.* Meo judicio, nihil aptius in hanc rem apud Gregorium IX. paucis tradi potuit, quam cum in ejus collectione titulus inscriptus est de *peculio Clericorum.* Peculium, inquam, appellatum fuit, quod Clericis administrationis, ac dispensationis causa conceditur, propterea quod recte peculium dicitur, quod administrantis non est, nisi usu, & administratione tenus, eamque ob rem proprie olim dicebatur de ea pecunia, quæ servis a domino, quæ filiisfamilias a patre concedebatur l. 1. §. 2. 4. & 5., l. 3. §. 5., l. 5. ff. de pecul., pecunia sane quam administrator non poterat donare, vel perdere, l. 23. §. ult. ff. de pactis, l. 7. ff. de donat., cui quidquid adcresceret, id totum aut domino, aut patri cederet, l. 40. & 41. ff. de peculio.

In hanc ipsam rem plures a veteribus editæ fuerunt saluberrime sanctiones, quibus cautum fuit, ut ex redditibus Ecclesiarum quatuor fierent portiones, quarum una Episcopo, altera Sacerdotibus, atque administris, tertia reparationibus templorum, quarta pauperibus infirmis, & peregrinantibus cederet, can. 25. 26. 27. 28. 29. 30. & 31. caus. 12. quæst. 2. Mirum tamen est, le-

ges istas ideo proditus, ut Clerici, & Episcopi memores essent fidei, religionisque suæ, in alium sensum a quibusdam fuisse detortas. Etenim putaverunt aliqui, arithmeticam quamdam tributionem fieri oportore, collato numero ad numerum, & quantitate ad quantitatem obventionum, ut exinde quarta tota Episcopo cederet, quarta administris Episcopo inferioribus, duæ aliæ quartæ in cæteras pias causas erogarentur; unde concluserunt, Episcopum in quarta sibi debita plenum dominium nancici, etiam si esset amplissima, & longe exuberans, quod & de cæteris administris facile tradiderunt. Ego pro certo habeo, in laudatis canonibus, atque aliis non dissimilibus veterum monumentis numero plurimis non arithmeticam tributionem esse designatam, sed geometricam, ita ut monerentur viri ecclesiastici, quatuor esse causas, in quas redditus erogarentur, servato tamen uniuscujusque causæ modo. Quid enim, si facta arithmetica divisione vix ex una reddituum quarta Clerici ali possent? Actum erit de alimentis ipsorum, quin aliquid ex cæteris quartis detrahi valeat? Videant, ne, qui ita canones explicant; cum Clericis beneficiariis favere se profitentur, tum istorum causam patrocinio suo destituant, aut etiam perdant. Hæc, quam sibi fingunt, arithmetica divisio repugnaret voluntati donantium, qui generaliter voluerunt, fructus omnes in pias causas luendos esse, uti superius demonstratum est. Hæc ipsa divisio iniqua etiam *multis diœcesibus* videretur, quasi tantum uni Episcopo tributum sit, quantum Clericis universis, quantum pauperibus, infirmis, & peregrinis, quantum sacris edibus debeatur. Quid vero, si ageretur de diœcesi, in qua sub uno Episcopo magnus esset constitutus numerus Clericorum? Num in hac specie Episcopus unus tantum de redditibus Ecclesiæ exhauriet, quantum universi administri? Quid, si ageretur de diœcesi, in qua templa omnia nec reparatione indigerent, aut vix etiam cultu quodam majore? Num prætextu quartæ in hanc rem tribuendæ, fraus fiet Clericis forte subsidio destitutis, & pauperibus inopia pressis, ut in ævum servetur, ac custodiatur pecunia in seram templorum reparationem? Quod si de moribus nostrorum temporum loquimur, postquam præsertim bona Ecclesiarum divisa sunt inter Clericos discissa communione; ratio harum quartarum ab usu desiit; neque enim beneficiarius quisque quartus istas seponit, &, quod verissimum est, nec a Clericis minoribus quarta Episcopo datur, nec similis quarta ab Episcopo minoribus Clericis suppeditatur. Atque incivile esset tertias arithmeticas portiones inducere, quibus factis & Episcopi, & Clerici universi unam sibi retinerent, aleram pauperibus darent, postremam in reparationem Ecclesiarum impenderent; etenim exinde eveniret, ut, qui amplissima beneficia possiderent; adhuc in rei familiaris amplitudine versarentur; e converso, qui tenua nacti essent, vix haberent, unde necessaria exhurirent. Hanc ob rem verius est, nihil obesse memoratam fructuum partitionem, quominus ea sit fructuum eorumdem indoles, ut præter ea, quæ sunt beneficiario necessaria, cætera omnino in causas pias impendantur.

Cum hæc vera sint, statim definitur altera quæstio, quæ proponi potest de fructibus, uti vocant, parsimonialibus. Finge ad honestam Clerici sustentationem, quam vir prudens æstimare jure & sine fraude posset, requiruntur annua centum: Clericus usus singularia parsimonia, ac sobrietate tantum impendit quinquaginta: quæritur, utrum Clericus idem quinquaginta, quæ supersunt, valeat pro lubito erogare. Quid dubitandum? Ait Boetius Epo ad cap. 12. de testam. num. 47. ita scribens: *Quæcumque supersunt Clerico quantumlibet parcenti, nihilominus penes Ecclesiam remanere debeant, quia verum semper est, ea intuita Ecclesiæ esse quæsita.* Peculium illud, quod

paratum est ad usum Clerici necessarium, Ecclesiæ est: tum primum fit Clerici proprium, cum illud consumit; ex usu ipso Ecclesiæ esse desint; quænam superest Clerico causa, ut ipse adquirat quod revera minime impendit? Recurrit hic memorata peculii similitudo illius, inquam, peculii, quod apud Romanos veteres a domino, vel a patre, servo, vel filio concedebatur. De hoc ajebant jureconsulti, nihil esse, quod administratori adquiriretur, quacumque ipse usus esset parsimonia. Ita Florentinus in l. 39. ff. de pecul. *Peculium & ex eo consistit, quod parsimonia sua quis paravit.* Mirum in modum ad hanc ipsam definitionem facere potest argumentum a simili, quod deducitur ex lege 137. §. *Cum ita* 2. ff. de verb. obligat.. Quis stipulatus a Titio fuerat Ephesi dari: quæsitum de tempore, quo dari deberet. Responsum, id bonum virum æstimare oportere, ut qui Ephesi daturum se spoponderit, neque diplomate diebus, ac noctibus, & omni tempestate contempta iter continuari cogatur, neque tam delicate progredi debeat, ut reprehensione dignus adpareat, sed habita ratione temporis, ætatis, valetudinis, sexus, cum id agat, ut mature perveniat, id est, eodem tempore, quo plerique ejusdem conditionis homines solent pervenire. Pergit Jureconsultus: debitor Titius diplomate usus, vel felici navigatione, maturius quam quisque pervenit Ephesum: respondet, confestim obligatum esse, *quia in eo, quod tempore, atque facto finitum est, nullus est conjecturæ locus.* Utinam Æthnici hujus jureconsulti solidam philosophiam sequerentur, qui de proposita quæstione disputant. Sic enim ex eisdem principiis ita disserent: Clerici beneficiarii jus habent alimenta petendi ex redditibus beneficii. Alimentorum quantitas posita est tota in prudentis judicis æstimatione, ut qui ea percepturus est, neque austerus, neque plus æquo indulgens sibi sit, ut reprehensione dignus adpareat, sed habita ratione temporis, loci, ætatis, conditionis, atque id genus adjunctorum, cum id agat, ut sibi prospiciat, id est, eodem modo, quo plerique ejusdem conditionis homines sibi prospicere solent. At si singulari parsimonia usus, facto suo non ita peculium ecclesiasticum imminuerit, quemadmodum alius quisque imminuisset, concluderet; nihil amplius ipsi deberi, eleganti adjecta ratione, *quia in eo, quod facto finitum est, nullus est conjecturæ locus.*

Amplius progredior perpetuo inhærens doctrinæ Sanctorum Patrum, & ajo, Clericos illos, qui privatum patrimonium possident a peculio ecclesiastico distinctum, istudque necessitatibus suis sufficiens, non posse ex ecclesiastico peculio alimenta percipere. Si veteres Ecclesiæ Patres consulantur, nemo invenietur, qui huic sententiæ refragetur, multi e converso, qui id aperte tradiderint. Si recentiores scholasticos adeamus, facile reperiemus animorum discissionem, quorum alii in affirmantium, alii in negantium castra descenderunt. Id in hac ipsi sibi proposita disputatione considerans Dionysius Chartusianus in tract. de vita Canonicorum art. 24. ita concludere non dubitavit: *Salubrius, ac securius creditur, ac paretur dictis Sanctorum, per quos locutus est Spiritus Dei, quam scholasticorum quorumdam, qui suo magis, quam expedit, credunt, & nituntur ingenio, auctoritatem Sanctorum ad suam retorquentes opinionem.* Paucis dico: Quicumque ex veteribus Patribus usque ad sæculum Ecclesiæ decimumtertium de ea re scripserunt, ii omnes laudatis finibus Clericorum jura concluserunt. Post sæculum decimum tertium scholastici quidam ab eadem doctrina non recesserunt. Si qui recedere voluerunt, novas causas, quare recederent, non allegaverunt. Ii ipsi non omnium in se consensionem trahere potuerunt: ii tales non sunt, qui novis institutionibus suis vim legis inde re valuerint, eove minus instituta Patrum, &

formam ecclesiastici peculii immutare. Quid ergo aliud superest, quam ut cum iis consentiamus, qui tota consonant vetustati, cujus maximus est, & esse debet in Ecclesia cultus, & auctoritas, ubi præsertim nihil nova lege legitur immutatum? Quicumque contra sentiat, is, si Diis placet, monumentum adferat veterum Conciliorum, Pontificum, aut Patrum, quod suæ opinionis possit esse præsidium: etsi vel unum tantum adtulerit, profiteor, me palmam cessurum; adeo mihi persuasum est, ne leve quidem argumentum exinde capi valere. Contra ego profero in primis antiquissimum Antiochenum canonem sæculo quarto editum, qui habetur apud Gratianum in can. 23. caus. 12. quæst. 1., & sub nomine Canonis Apostolici refertur in can. 22., & 24. ead. quæst., editum, inquam, eo tempore, quo universa Ecclesiarum bona in manum, potestatemque Episcoporum conferebantur, inde in cæteros Clericos tribuenda. Ibidem autem ita legitur constitutum: *Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei. Participet autem ipse, quibus indigent, si tamen indiget, tam in suis, quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis.* Verba illa, *si tamen indiget*, perquam cautissime adposita, perspicue indicant, ne Episcopum quidem ipsum potuisse participare de redditibus Ecclesiæ, nisi revera indigeret, seu, quod idem est, nisi privatum patrimonium non possideret. Græcus Interpres Zonaras ita notat ad eum canonem: *Esse namque penes Epicopum res ecclesiasticas administrandi auctoritatem, sed ita esse, ut nequaquam ipsius arbitratu abutendi, verum in usus pauperum conferendi facultas sit, ac sibi etiam retinendi ea, quibus opus habet, necessaria videlicet, sed a quoque, si egeat, hoc est, si inopia laboret.* Adferri in hanc rem posset monumentum Hieronymo tributum apud Gratianum in can. 6. caus. 1. quæst. 2. ibi: *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant, & bibunt.* Sed quando hæc in iis, quæ hodie supersunt, Hieronymi monumentis minime reperiuntur, satis mihi erit adnotare, hanc sententiam temporibus Gratiani ita receptam fuisse, si etiam a B. Hieronymo esset confirmata. Et revera cum quidam Lupus de Oliveto Præpositus Generalis Monachorum S. Hieronymi opusculum ediderit, quod professus est ex Hieronymi sententiis una congestis se elucubravisse, eoque nomine Martino V. confirmandum obtulerit, inter cætera hæc descripsit sub titulo de paupertate. *Clerici quoque, qui de bonis parentum sustentari possunt, si quid pauperum accipiant, sacrilegium profecto committunt.* Idem judicium ferendum est de canone ult. caus. 16. quæst. 1., tanquam ex eodem fonte de prompto. Tutius est Augustini sententiam commemorare, qualis habetur in can. 28. caus. 12. quæst. 1., & fusius in can. 3. caus. 23. quæst. 7.. Sanctus Antistes ibidem perspicue indicabat, qualis esset penes Clericos usus bonorum Ecclesiæ, his verbis: *Quæ tamen, si pauperum compauperes sumus, nostra sunt, & illorum. Si autem privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Vir eruditus Julianus Pomerius antiquitate etiam venerabilis, cujus opuscula de vita contemplativa inter opera S. Prosperi relata fuerunt, istud ipsum, non tam tradit, quam fusa dissertatione persequitur; unde colligitur, hanc fuisse sæculi Ecclesiæ quinti, quo vivebat, ecclesiasticorum virorum persuasionem. Monumenta viri eximii habentur apud Gratianum sub nomine S. Prosperi in can. 7. 8. 9. caus. 1. quæst. 2., in can. 13. & 25. caus. 12. quæst. 1.. Memoratu digna sunt inter cætera, quæ

leguntur in libr. 2. de vita contemplativa cap. 9. & 10. ibi: *Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus erogare, quam perdere. Nec ille, qui sua possidentes, dari aliquid sibi volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem dicit Spiritus Sanctus: peccata populi mei comedunt: sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt; ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificiis, aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis, aut infirmus, accipere, ne forte Ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis, quibus debet, subvenire non valeat.* Non persequor alia bene multa in hanc rem congesta, quæ unusquisque loco commemorato facile inveniet. Hæc adeo valida, & firma habita fuerunt Gratiano collectori, ut in caus. 12. quæst. 1. ad calcem canonis 23. concluderet, non aliter permitti Clericis sua bona patrimonialia retinere, *quam si retinendi sua a sumptibus Ecclesiæ abstineant.* Justinianus quoque in Nov. 3. cap. 3. testis est, ecclesiasticos redditus illis tantum debuisse ministrari, *qui pro veritate egent, & non habent aliunde alimentorum occasionem.* Item laudata Juliani Pomerii verba traducta sunt in Capitularia Francorum, quemadmodum liquet ex additione 3. in editione Baluziana cap. 113. & 114., unde etiam constat, media Ecclesiæ ætate ita passim universis persuasum fuisse. Sed & mediæ ætatis disciplinam alia monumenta confirmant. Laudo Benedictum III. Papam, qui in epist. 3. ad Episcopos Galliarum, dum confirmaret privilegia Monasterii Corbejensis, eosdem Episcopos graviter admonebat, ne illius Monasterii bona ullo modo, & ne in minima quidem parte sibi vindicarent, his verbis: *Si enim Clericorum, qui de propriis abundant redditibus, communicatio prohibetur cum eis, quæ conferuntur Ecclesiæ, ne dum illi acceperint, qui de propriis abundant, eorum, qui nihil habent, inopia non levetur; qua conscientia Episcopus suæ sumptibus Ecclesiæ sufficiens, qui servorum Dei fuerint usibus collata, præsumat contingere? . . . Omnia quoque, quæ sunt Ecclesiis oblata, vel delegata, in pauperum, pupillorum, viduarum, certum est, necessitates destinata. Quare quisquis ex his aliquid in suas utilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet.* Quorsum profecto Gallicanos Episcopos continere voluisset Benedictus, ne bona Monasteriorum attingerent ex eo, quod qui bona patrimonialia haberent Clerici, attingere minime possent bona Ecclesiarum; nisi apud omnes tunc in confesso esset, Clericos proprium, privatumque peculium possidentes ab ecclesiastico peculio abstinere oportere? Laudo insuper Paschalem II. Pontificem Maximum in tractatu confirmato ad normam Canonicorum Sanctæ Mariæ in portu. Ibi totus est Paschalis, ut viros ecclesiasticos Levitis veteribus comparet, qui nimirum cum nihil proprium haberent, tum decimas perciperent. Inter cætera hæc habet: *Utrisque possessio tollitur, terrena facultas interdicitur. . . . . Ex his igitur patenter ostenditur, Christi militantibus Clericis fore illicitum, & terrenas facultates tenere, & res Ecclesiæ sumere, in sæculo patrimonium habere, & Ecclesiarum portionem suscipere.* Refertur id apud Gerohum Præpositum Reichspergensem in Psalm. 64. vers. 12.. Hac occasione nec omitto recensere, quod ibidem tradit laudatus Gerohus ita scribens de vita communi Clericorum: *In qua solis illis, quos necessitas, ac voluntas pauperes facit, stipendium competens, prout cuique opus est, ordinatur. . . . Quid vero turbidius eo, quo præcipitur, ut in una, eademque congregatione his, qui multa sua possidendo divitiis affluunt, & his, qui nihil, vel parum habendo pauperes sunt, æqualia dentur stipendia? . . . Pensata singulorum indigentia, prout cuique opus est, in hujusmodi habenda est cautissima differentia. Et*

post multa: *Si enim docente Prophetâ, vae his, qui conjungunt domum, vel agrum sæcularem domui, vel agro sæculari, cupiditate avaritiæ, quanto magis, qui contra interdicta legis divinæ domui, vel agro proprietatis suæ, unde sibi sufficienter abundant, jungere audent domum, vel agrum, unde pauperes nihil habentes, & Deo expedite servientes debent vivere?* His omnibus addi potest Concilium Aquisgranense anno 816., in quo in can. 107. & 120. renovata fuerunt, quæ superius ex veterum Patrum sententiis colligebam. In conspectu Patrum ecclesiasticorum, quorum sententia & perpetua fuit, & constans, quinam erunt scholastici illi recentiores, qui se tantis viris opponant redarguendo doctrinam, & qua fronte, quæ non alia esset, quam novatorum, tradent, Clericos privata peculia possidentes, posse de ecclesiastico peculio vivere? Sanius sapiunt Scholastici illi, qui Patribus adhærere perrexerunt, ex quibus duos laudo, nimirum Dionysium Chartusianum, & Æstium. Dionysius in tractatu de vita Canonicorum num 24. ita scribit: *Quamvis ergo de proposita quæstione quidam dicant Scholastici posse id licite fieri, consultius tamen credendum, & standum est verbis Hieronymi, & Bernardi, immo & Summi Pontificis, beatique Prosperi. Ait enim Damasus Papa: Qui bonis parentum sustentari possunt, si accipiant, quod pauperum est, sacrilegium incurrunt ..... Horum itaque Patrum sententiis statur securius, quam aliorum aliter opinantium.* Æstius expendens verba Pauli I. ad Timoth. cap. 5., ubi monebat Apostolus, ut cura haberetur viduarum, quæ vere viduæ sunt, ita scribebat: *Locus iste notari potest adversus eos, qui cum de suo satis habent, unde vivant, ecclesiasticis beneficiis impinguantur; aut qui uno beneficio, quod ad honestam sustentationem valeat, non contenti plura accumulant. Nam si fidelis habens viduas, subministrare iis jubetur, ut iis, quæ vere viduæ sunt, alendis Ecclesia sufficiat, quanto magis qui vel patrimonium, vel unum habent ecclesiasticum beneficium, ex quo sufficienter ali possint, abstinere debent a gravanda Ecclesia, quo plures ministros alere queat, per quos divina celebrentur officia, & christiani populi salus procuretur?*

Forte videbor aliquibus rem hanc fusiore oratione persecutus. At enim non aliter decet rem agere, in qua multitudo contra opinantium magna est; nec potui satis in aperto omnia collocare, quin & titulos universos, quibus bona Ecclesia quæsiverit, late expenderem, & monumenta Sanctorum Patrum plurima recenserem ad indicandum, & quid recta ratio suadet, & quid perennis traditio docuerit. Nondum tamen credo, quousque non faciam satis illis argumentis, quæ contra adferri solent. Pauca ista sunt, & speciem potius argumenti habent, quam firmitatem. Ajunt in primis, qui contra sentiunt, ecclesiasticos administros certam sibi operis sibi mercedem lucrari; nec verentur dicere, oblationes ecclesiasticas Sacerdotibus datas pretium esse impensi laboris. Amplius adjiciunt, hanc esse Apostoli Pauli doctrinam, qui in cap. 9. epist. 1. ad Corinth. tradit: *Neminem suis stipendiis militare: eum, qui plantat vineam, de fructu ejus edere; eum, qui pascit gregem, de lacte gregis manducare; non alligandum esse os bovi trituranti; eos, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edere, & qui altari deserviunt, cum altari participare, denique Dominum ordinavisse, ut, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio viverent.* Congerunt verba Pauli in epist. 1. ad Timoth. cap. 5., ubi similia leguntur, adjecta generali formula: *Dignus est operarius mercede sua.* Miror profecto, singula hæc iterum, atque iterum reponi, postquam a Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ab aliis, qui Patrum vestigia secuti fuere, abunde discussa, atque elisa fuerunt. In primis maxime indignum est dicere, evangelicum opus, quale est clericale ministerium, pretio appendi, ac mercede in pactionem deducta exerceri; hoc enim admisso, quid erit a labe simoniæ immune? Deinde prava est illa sacrarum literarum interpretatio, quæ non talis sit, qualem perpetua indidit traditio Patrum. Præterea, frustra Cle-

rici fructuum laborum suorum a Deo exspectarent, si peculium temporale tanquam laboris sui pretium, & mercedem haberent. Denique cum ad Apostolorum immo, & veterum Levitarum exempla provocant, non satis perpendisse videntur, quales Apostoli, quales veteres Levitæ fuerint; nimirum Apostoli omnia sua dimiserant; ac Levitæ veteres nihil possidere poterant. Quod cum consideretur, tum intelligetur etiam, Clericos posse sibi exemplo Apostolorum, & Levitarum vindicare oblationum portionem ad sustentationem sui, quando exemplo Apostolorum, & Levitarum nihil proprium habeant. Nihil in hanc rem trado, quod non jam traditum fuerit a Sanctis Patribus, a Pontificibus Maximis, atque a viris illustribus pietate, ac doctrina egregie commendandis. S. Augustinus in libr. de Pastoribus, & Ovibus cap. 2. ita scribit: *Non redditur sustentatio necessitatis a populo, quasi merces illis, qui sibi in charitate serviunt, sed tanquam stipendium, quo, ut possint laborare, pascentur.* Idipsum scribebat Julianus Pomerius in libr. 2. de vita contemplativa cap. 10. ibi: *Qui Ecclesiæ serviunt, & labori suo veluti debita reddi oportere credentes, ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod Ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena, ac non potius præmia æterna accipiant. Sæcularis quippe militis, quia cælestia non habet, terrena strenue militantibus præstat; unde satis indignum est, si fidelis, & operosa devotio Clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quod si quilibet minister Ecclesiæ non habet, unde vivat, non ei præmium reddit hic, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futurum præmium laboris sui recipiat.* Similia etiam tradidit Paschalis II. apud Gerohum supra commemoratus, immo & Gerohus idem in laudata enarratione in Psalmum 64.. Digna sunt, quæ hoc in loco recenseantur, quæ notabat Æstius in epist. 1. ad Timoth. cap. 5. ad interpretationem verborum Pauli, quibus abutuntur, qui contra opinantur. Ait ipse: *Neque significat Apostolus hac parte, subsidium temporale habere rationem mercedis, quam prædicator Evangelicus pro labore, & opere suo recipiat; id enim esset vendere Evangelium, quod gratis debet annuntiari. Sed sensus Apostoli est, sicut operarius dignus est mercede, unde vivat, ita & Evangelii ministrum dignum esse honorario subsidio, unde sustentetur. Tantum enim in hac comparatione spectatur sustentatio operanti debita, unde & Christus Matthei 10. eamdem sententiam adserens, pro mercede cibum nominavit: Dignus est, inquit, operarius cibo suo.*

Insuper illud objici solet, aliquando in sacris canonibus pœnam infligi in Clericos desides, qua fructus beneficiorum *suos* non faciunt, ceu cum de Clericis non residentibus agitur, uti in cap. unic. de Cler. non resid. in 6., & in Concilio Tridentino sess. 24. de Reform. cap. 12.. Ergo e converso concludunt, *suos* faciunt fructus, & ipsorum *dominium adquirunt*, quoties Clerici beneficiarii satis muneri faciant. Hanc argumenti speciem jam elevavit Panormitanus ad capitulum 10. de testament., & cum eo alii viri præstantes. Observaverunt ipsi, verum fructuum dominium penes Ecclesiam, & pias causas existere; administrationem, & dispensationem eorumdem esse penes Clericum, item administrandi, & dispensandi modum ita temperandum, ut Clericus exinde, quibus indigeat, utatur, reliquis in pias causas impendendis. Hinc ubi Clerici rite munere suo fungantur, tunc & administrationem, & dispensationem habent, & sibi necessaria vindicant, & jure suo reliqua in pias causas pro arbitrio impendunt; ubi vero desides sint, ac non resideant, tunc administratione omni, ac dispensatione carent, immo nec sibi vindicant ea, quibus indigent, & quæ alias jure sibi vindicare valerent. Quæ sane est germana laudatorum canonum interpretatio, & qualis cæteris Ecclesiæ definitionibus omnino cohæret.

Præterea opponi solet consuetudo, quam ajunt piorum æque, ac doctorum

Clericorum exemplo confirmatam, & juxta quam ajunt, beneficiarios magna libertate potiri in usu fructuum beneficii. Ego sane non puto, allegari hanc consuetudinem seu universalem, ac singulis peræque sine discrimine receptam. Id enim esset gravissimæ injuriæ plenum adversus plures, qui facto suo demonstrant, se piis tantummodo causis patrocinari. Quod si hæc consuetudo generalis non est, qua fronte allegari potest, tanquam ea, quæ generalem canonum disciplinam aboleverit? At reponunt: consuetudo plurimum est piorum, ac doctorum: ego heic nolo de pietate, ac doctrina singulorum judicare; neque enim id meum est. Tantum sciscitari possem, an ii docti sint, qui leges Ecclesiæ perennes penitus negligunt, contemnunt, evertunt, ut avaritiæ serviant, ut in re aliena grassentur; itidem an hujus generis homines pii sint, qui pias causas etiam in iis, quibus omnino, & ex lege parendum est, fraudant? Equidem scio, consuetudine leges abrogari; at non omnis consuetudo legitima est, & secernendæ sunt a consuetudinibus corruptelæ. Si leges quædam innituntur naturæ principiis, & honestati, ac fidei datæ; si leges tales sunt, quas ad abolendos contrarios mores Ecclesia quacumque occasione data renovaverit, irrita est quæcumque consuetudinis allegatio, propterea quod hi potius caracteres sunt corruptelarum. At superius demonstrarum est, leges beneficiariis indictas his principiis inniti. Nec aliter Clerici possunt consuetudinem contrariam prætexere, quam prætexeret, qui gravatus esset ex testamento ad annua perpetuo præstanda quadam, & allegaret, se jam a pluribus annis testamento non paruisse. Quod si Ecclesia tales Clericorum corruptos mores minime punit, non inde videtur Ecclesia eos probare; tantum eum enim ad pœnas deveniri solet, cum delictum in judicio probatur; at quando administratio conscientiæ Clericorum relicta est, incivile foret, rationes contradicto judicio reddi. Addo in hanc rem, quod notabat S. Thomas in secunda secundæ quæst. 78. art. 1. ad 3. *Leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, si omnia peccata prohiberentur districte pœnis adhibitis.*

Denique opponitur, hanc beneficiariorum potestatem adeo angustis limitibus circumscriptam præbituram occasionem Clericis universis, ne beneficia petant, immo nec oblata quidem recipiant. Quis enim, ajunt, patiatur, se ecclesiasticis ministeriis addici, quibus cum addictus fuerit, nihil commodi nanciscatur, vix necessaria vitæ subsidia inde hauriat, & ne ipsa quidem alimenta, quoties privato sit patrimonio sufficienti instructus, totum se laboribus dedat, atque in ipso administrando Ecclesiæ peculio angendus sit sollicitudine quotidiana, qua piarum causarum curam gerat, & collatione istarum facta, nec libertatem habeat uni potius, quam alteri occurrendi, sed seligere gravissimam teneatur. Notant, rem hanc non inter Angelos agi, sed inter homines, qui præmiis ad bona peragenda moventur, sine præmiis torpent, & labores, vigilias, curasque refugiunt. Igitur concludunt, neminem amplius extiturum, qui non minora tantum, verum etiam ipsa majora beneficia, ipsos Episcopatus velit accipere. At enim hoccine absurdum est? hoccine periculum, quod verentur, qui adversus systema modo a me positum sunt declamaturi? Utinam, hic esset exitus positæ receptæ doctrinæ! Utinam, inquam, eo res reduceretur, ut nemo ad beneficia anhelaret, sed opus esset quærere, percunctari, monere, hortari, impellere etiam, qui officiis ecclesiasticis addicendus esset! Inde plane aurea revivisceret disciplina sacrorum, quam optabant Leo, & Anthemius in l. 31. cod. de Episc. & Cleric. volentes, adeo *ab ambitu repositum Episcopum eligi, ut quæratur cogendus, roga-*

tus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi; profecto enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Una hæc via est, qua seligantur optimi Ecclesiarum administri, quos non ambitus, non avaritia, non lucri cupiditas, non amor privati peculii, non cognatorum affectio faceret; sed amor Dei, sed sobrietas, sed vigilantia, sed religio, ac pietas, sed virtutes universæ. Nunc, amabo, conferatur utrumque systema, nimirum & illud, quod modo a me ex doctrina Patrum positum est, & illud, quod ponere nonnulli student, multum beneficiariis indulgentes in administratione peculii clericalis. Ex priore nihil aliud periculi imminet, quam quod apud bonos in desiderio est. Ex posteriore, proh bone Deus! quot in Ecclesiam detrimenta derivant! Ubi beneficium vacat, agmen occurrit Clericorum utillitati suæ studentium. Apud hos etiam si detur voluntas Deo, & Ecclesiæ serviendi, concitatur tamen animus præcipue ex amore peculii: ubi uberiores sunt redditus, & pauciores sollicitudines, ubi conatus ingeminantur, ut quod petitur, impetretur. Importunæ preces cientur, amicorum, aut potentiorum officia interponuntur; utinam non simoniæ turpissimæ aliquando locus esset. Collator beneficii pressus numero, ac multitudine postulantium vix discernere potest, qui dignior sit, qui præ cæteris antehabendus: omnia dijudicantur privatis adfectionibus, & Ecclesiarum utilitas postrema est collationis faciendæ ratio. Qui deinde beneficium obtinuit, non gratis dat, quod non gratis accepit, argumento Nov. 8. de fine principii. Et cum putat gerere in Ecclesia rem suam, tum rem Ecclesiæ aut non gerit, aut perfunctorie gerit. Hinc ambitus, hinc avaritia, hinc amor privati peculii, hinc æmulationes, & rixæ, hinc & templorum fabricæ incultæ, hinc lites, & jurgia inter Clericos & Clericos, quorum unusquisque sollicitus redditur de amplificandis sui beneficii juribus, hinc pauperum cura negligitur, hinc in ipsa sacrorum administratione in proventus, in oblationes oculi intenduntur, hinc luxus, & epularum splendor, hinc studium plura beneficia obtinendi, hinc cura translationum de una in aliam ditiorem Ecclesiam, hinc vitia universa. Ego sane pro certo habeo, ex hoc posteriore uno systemate repetendam esse morum corruptelam, quandocumque agnita in clero fuerit, non alia ratione avocandam, quam si prius, quod Ecclesiæ semper fuit, systema in clerum reducatur. Non hic tamen ego consisto. Quando enim dicitur, inde eventurum, ut nemo velit, se Ecclesiæ ministeriis adscribi, facile ego inficias iverim. Num adeo friguit in Ecclesia charitas, & divinus amor, ut interiisse penitus videatur. Num talis fingenda est temporum nostrorum imago, ut quotquot Evangelium Christi profitentur, uno ducantur amore privati commodi, ut Ecclesiæ administrent? Non possunt hæc, nisi per summam injuriam, proferri. Cernuntur etiam hodie inter Clericos qua majores, qua minores, viri sane integerrimi Apostolicæ vitæ imitatores, quibus magnus pietatis est zelus, nihil est, quod sibi tribuant, præter sollicitudinem, & curam Ecclesiarum. Cerne, quot adolescentes a sæcularibus curis alieni ad Monasteria singularem paupertatem professentia convolent, ut omnibus humanis affectionibus spoliati soli Deo, & propter causam Dei animarum saluti studentes inserviant. Multi ex istis, alii etiam istorum exemplo Ecclesiis militarent sine spe præmii temporalis, alimenta tantum ab Ecclesia percipientes, si nossent, etiam talem esse Clericorum omnium professionem. Cum hæc usu reciperentur in universum, tum profecto eveniret, ut cessarent æmulationes illæ, inter quas clerus universus luget, se a primævo decore cecidisse, & quodammodo non quidem gradu, & dignitate, sed officiis, & existimatione Regularibus,

& Monachis cedere aliquandiu debuisse; tum etiam viri eruditi, & disciplinæ ecclesiasticæ, præsertim veteris, studiosi intelligerent, quam ob causam hodie immutatæ sint vices: nimirum olim e Monasteriis viri advocabantur ad Ecclesias, quasi ad vitam perfectiorem ineundam; hodie vero, jam a pluribus sæculis, obtinuit, ut Clerici Ecclesiis adscripti facile permittantur, ut ab Ecclesiis ad Monasteria migrent, quo in istis vitam traducant, uti magis a sæculi curis alienam, ita etiam Deo magis acceptam. Paucis concludo, quoties hæc disciplina Patrum, explosis quorumdam opinionibus vere noxis, restauretur, tum bona summa in clerum derivatura; atque vel hoc ex uno capite conatus omnes a cordato viro impendendos esse, ut quoad fieri possit, illa instauretur, ac confirmetur.

Pertinent ista ad administrationem bonorum ecclesiasticorum apud Clericos inter vivos agentes. Si vero quæratur de actibus ultimæ voluntatis, secernenda est vetus a nova, item nova a novissima jurisprudentia. Olim, quando universa peculii dispensatio, ac tributio penes Episcopum erat, jubebantur quicumque ad Episcopatum promoverentur, ut distinctas rei familiaris rationes haberent, neque istas cum Ecclesiæ peculio confunderent; factoque propterea inventario tempore adepti Episcopatus, cum libera forent bona patrimonialia penes Episcopum, tum bona ecclesiastica in tuto gratia Ecclesiæ collocarentur. Idipsum de Clericis inferioribus statutum esset, si penes istos bona Ecclesiæ fuissent; ac proinde cum primum Clericis portio bonorum Ecclesiæ data est, facile eadem disciplina ad eosdem traducta fuit. Videantur in hanc rem canones 20. 21. & 23. caus. 12. quæst. 1.. Itaque Clerici universi libere testamentum condere poterant de bonis propriis patrimonialibus, non autem de peculio ecclesiastico, quod erat Ecclesiis reservandum, can. 19. caus. 12. quæst. 1.. Sanctus Augustinus cum in Ecclesia Hipponensi vitam communem inter Clericos induxisset, quos insuper, ut bona propria abdicarent, optabat, ægre tulit aliquando, si forte Clericus testamentum scribere etiam de bonis patrimonialibus, immo etiam licet Ecclesiam instituisset hæredem. Hinc de Januario Presbytero ita conquerebatur in serm. 49. cap. 2. de diversis: *Testamentum fecit Presbyter socius noster; nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, hæredem instituit. Ob dolor illius societatis! Sed Ecclesiam scripsit hæredem. Nolo munera ista . . . magnus inde mihi dolor: propter hunc dolorem statui, hæreditatem ipsam in Ecclesia non suscipere &c.* Erant tamen hæc singularia in Ecclesia Augustini vehementer solliciti, ut Clerici omnem a se rerum proprietatem abjicerent. Caterum generalis disciplina postulabat, ut Clerici de peculio Ecclesiæ testamentum non conderent, propterea quod peculium erat Ecclesiæ reservandum, concessa tantum facultate testandi de bonis propriis, sive patrimonialibus, Concilio Antiocheno can. 24., epistola 1. Gregorii Magni ad Marinianum libr. 5, & epistola 55. ad Anthemium libr. 7., can. 39. inter vulgo Apostolicos, can. 19. 20. 21. caus. 12. quæst. 1., can. 1. 2. 3. caus. 12. quæst. 3., can. 1. caus. 12. quæst. 4., can. 1. 2. 4. 5. caus. 12. quæst. 5., cap. ult. de pecul. Cleric., cap. 1. de testament., Nov. 123., cap. 19., juncta Nov. 131. cap. 13., unde sumpta est authentica *licentiam* cod. de Epi. e. & Cler.. Eam ob rem, uti notat Baluzius in appendice ad Reginonem, mos fuit in Ecclesia, quo Diaconus inter Missarum solemnia sedentibus in ordine Clericis, & Episcopo, post lectum Evangelium formulam hanc canonice elucubratam recitaret: *Res, & facultates, quas post diem ordinationis vestræ adquiritis, ad Ecclesiam, ad quam titulati estis, pertinere sciatis*; quasi alta mente reponendum Clericis esset, non licere ipsis de ecclesiastico peculio postrema voluntate disponere. Atque hæc disciplina incolumis

diu mansit usque ad sæculum duodecimum, uti liquet ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. celebrato, ubi can. 15. ita statutum legimus. *Indemnitati itaque Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint* (Clerici) *penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* Quam sanctionem clarius exposuit idem Alexander III. in cap. 12. de testament. ibi: *Quia statuimus in Lateranensi Concilio, ut bona per Ecclesiam adquisita, ad eam in Clericorum obitu devolvantur, dubitatis, an hoc sit de immobilibus tantum, vel de mobilibus sentiendum. Respondemus, quod generaliter bona quælibet per Ecclesiam adquisita, ei debent juxta Lateranense Concilium post adquirentis obitum remanere.* Dubium erat adhuc, penes quem esse debuissent bona a defuncto relicta, quando generaliter traditum erat, debere illa penes Ecclesiam remanere. Id perspicue ibidem explicavit Alexander III. tradens, distinguendam esse speciem a specie. Nimirum si defunctus adscriptus esset Collegio Clericorum, tum Collegium ipsum dispensationem relictorum haberet. Quod si nullum esset Collegium, sed singularis successor Clerico defuncto designandus, tum bona eidem successori reservarentur. Interea duriores, quam par esset, videbantur nonnullis Clericis hujusmodi sanctiones, quasi denegari non deberet morientibus Clericis, quod viventibus concedebatur. Quid enim, si Clericus testamento causarum piarum rationem habere voluisset? Quid, si ex æquitate noverit Clericus, quidquam esse iis tribuendum, qui viventi servierant? Consuetudo eodem labente duodecimo sæculo recipi cœpit, ut id Clerico permitteretur; atque hanc consuetudinem improbare non potuit Alexander III. in dicto cap. 12., dummodo certis limitibus concluderetur, his verbis: *Licet autem mobilia per Ecclesiam adquisita, de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de bis pauperibus, & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur.* Igitur quæcumque testandi facultas ex moribus potius, quam ex jure scripto, Clericis competere cœpit post sæculum Ecclesiæ duodecimum, non satis ampla esse potuit; decuit enim, non amplius morientibus, quam viventibus concedatur, concedi oportere; quando id ex æquitate quadam concessum est contra juris rigorem, & non nisi exemplo quodam dispensationis inter vivos, ita ut perpetuo nihil agatur, nisi quod religio, & pietas suadeat.

Quum Clerici ab intestato decederent, olim multum intererat, an agnatos habuissent, cognatosve, an nullos legitimos hæredes reliquissent, item an simul cum ecclesiasticis bonis alia bona haberent extra causam Clericalis peculii propria, an vero tantum bona Ecclesiæ possiderent. Sane quo casu nullos hæredes legitimos reliquissent, agnatos dico, cognatosve, totum defunctorum patrimonium Ecclesiis addicebatur ex lege Imperiali, l. 20. cod. de Episc. & Cler.. Si enim martyrum bona, qui nullis superstitibus cognatis decedebant, ex piorum Principum constitutionibus ad Ecclesiam devolvebantur, propterea quod, uti scribit Eusebius in libr. 2. de vita Constantini cap. 36. *defunctis utique molestum non erit, si cujus gratia nullum non discrimen subierunt, eam ipsis hæredem habere contingat*; non dissimili jure decebat, Ecclesiam illis succedere Clericis, qui pro illa enixe, dum viverent, universum laborem, & operam impenderunt. His consonant, quæ tradiderunt Toletani Patres in vers. *Quod si* can. 2. caus. 12. quæst. 3., item Patres Triburienses in can. 7. caus. 12. quæst. 5.. Si vero Clericis essent hæredes legitimi, his bona defunctorum cedebant, quæ essent extra causam ecclesiastici peculii quæsita, peculio ecclesiastico ad Ecclesiam devoluto, juxta ea, quæ modo adnotabam ex cap. 12. de testament.. Ita perennis ferebat disciplina Ecclesiarum canonibus confirmata, can. 1.

caus. 12. quæst. 4., epist. 14. Gregori Magni libr. 9., Concilio Parisiensi VI. cap. 16., & alibi passim. Quod si quandoque nonnullorum temeritas eo progressa fuit, ut Ecclesiæ spoliarentur, præsto fuit Antistitum solicitudo, qua pœnis ecclesiasticis graviter punirentur bonorum invasores; præsto etiam fuerunt religiosissimi Principes, qui tanquam patroni Ecclesiarum custodiam bonorum Ecclesiæ debitorum in se piissimo officio susceperunt. Hinc hodie, ubi & qua in parte Principes id muneris gerunt, valido hoc patrocinio sui Ecclesia utitur; ubi autem & qua in parte non in se talem curam Principes susceperunt, Œconomi ecclesiastici designantur, reddituri successoribus rationem administrationis, quam beneficio vacante gesserunt.

Recentioribus sæculis nova in Ecclesia invicta fuit disciplina, juxta quam aliter de bonis beneficiorum, sive testato, sive intestato decedentium dispositum est, quod appellaverunt jus spoliorum. Hujus origo repetenda esse videtur ex moribus Monasteriorum, in quibus si quando Monachus decessisset, Abbas, seu quicumque alius regularis Prælatus sibi vindicabat quæcumque apud defunctum reperiebantur, quod sæculo decimo tertio factum fuisse testantur ejus temporis Concilia, Salmuriense anni 1253., can. 21. Redunense anni 1273. cap. 4., & Langeacense anni 1278. can. 3.. Prælatorum regularium exemplo Episcopi cœperunt eodem fere tempore Clericorum inferiorum decedentium bona sibi vindicare, rati, qualis erat Abbatum in Monachos, talem esse Episcopi in Clericos, præsertim ubi in communi vivant, potestatem. Qualiscumque esset hæc ratio, certum est, Episcopos in id maxima cum alacritate intendisse. Sic Pictaviensis Antistes in Synodo anni 1280. cap. 8. ita cavit: *Omnes illos, qui de bonis Sacerdotum, & Clericorum beneficiorum intestatorum aliquid habuerint, Sede vacante, nobis, vel mandato nostro restituant intra mensem.* Cum id bono exemplo non esset, præsertim quod Episcopi plures bona ita quæsita pro lubitu impenderent, etiam extra Ecclesiarum utilitatem, improbatum fuit a Bonifacio VIII. in cap. 9. de offic. ordinar. in 6., quod interdictum forte paratam ubique executionem habuisset, nisi ad regulam adjecta hæc exceptio fuisset: *Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam præscripta legitime, seu alia causa rationabili hoc eisdem competere dignoscatur*; quis enim Episcopus in conspectu hujus exceptionis non allegabat aut speciale privilegium, aut consuetudinem, aut aliam rationabilem causam ad prætexendam facti sui excusationem? Id notavit Clemens V. in Clement. unic. de excess. Prælat., referens ulterius, Episcopos quosdam eo fuisse progressos, ut Clericos ex quibuscumque etiam leviusculis causis a beneficio suspenderent, quo bona beneficii, quasi essent vacantia, *illicite occuparent.* Hinc ita constituit: *Præterea interdum Abbates, Priores, ac alios beneficiarios beneficiis suis privant, ut sic fructus beneficiorum illorum percipere valeant primo anno prætextu privilegii, quod asserunt se habere* (exemplum hujus privilegii adparet in cap. 32. de verb. signif.) *quod usque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium possint percipere primi anni. . . . bona beneficiorum vacantium illicite occupant, quæ essent futuris successoribus reservanda. . . . Universis itaque Prælatis Ecclesiarum mandamus, quatenus ipsi a prædictis gravaminibus omnino cessantes, sua jura, & privilegia eis* (beneficiariis) *servent.* Adducta deinde res fuit ad Constantiense Concilium, in quo ita statutum fuit sess. 39. anno 1417. *Prælatis etiam inferioribus hujusmodi spoliorum exactiones præter, & contra juris communis formam fieri interdicimus, constitutione Bonifacii VIII. Papæ, quæ incipit: Præsenti, super hoc edita specialiter in suo robore duratura.* At satis erat renovare Bonifacii VIII. decretum, ut Episcopi iterum prætexerent modo privilegia, modo consuetudines, modo causas singulares. Notandum est in hac re, tantum Episcopos consuevis-

sè ea bona occupare, cum Clerici ab intestato morerentur, ex quo conjicio, jam tum invaluisse, ut Clerici de bonis Ecclesiæ, sive de peculio suo disponerent. Id colligitur ex Synodo Dertusana in Hispania anno 1429., in qua quum constitutum esset, ut Episcopi abstinerent a peculiis capiendis Monachorum decedentium, istud amplius decretum est can. 18. *Idem esse censemus de bonis Clericorum sæcularium decedentium, si juxta formam Provincialium, vel Synodalium constitutionum sua ordinaverunt testamenta, vel ultimas voluntates.* Hæc tum primum usu abrogata fuerunt, cum jura spoliorum Romani Pontifices sibi vindicare cœperunt. Novæ hujus disciplinæ originem sumunt, qui auspicantur a sæculo decimo tertio, seu a temporibus Innocentii IV., propterea quod hujus generis factum reperiant apud Matthæum Parisium ad annum 1246. Quidam in Anglia Archidiaconus, referente Parisio, *obierat intestatus, & plura millia marcharum sæculo, & sæcularibus infeliciter dimiserat.* Ubi id compertum habuit Innocentius IV., decrevit, *ut si Clericus ex tunc decederet intestatus, ejusdem bona in usus domini Papæ converterentur*; propterea que voluit, bona memorati Archidiaconi Cameræ Apostolicæ addici, mandans Dominicanis, & Franciscanis in Anglia degentibus, ut nomine Apostolicæ Cameræ possessionem illorum bonorum caperent. Id minime placuit Anglorum Regi, qui minime passus est, Monachos illos mandatum Pontificium exequi, eamque ob causam nihil ulterius actum est. Ego sane censeo, nihil heic esse commune cum causa spoliorum clericalium: tantum videtur actum esse de jure fisci in successione bonorum vacantium, præsertim si fingatur, quod verosimile est, Archidiaconum illum sine legitimis hæredibus decessisse. Erant tunc nonnulla Regna, quorum ju a Sedes Apostolica sibi tributa sentiebat; atque inter ista fiduciarium tunc censebatur Regnum Angliæ, quod jam notavit Natalis Alexander in Historia Ecclesiastica 13. sæculi cap. 1. num. 13., & dissert. 5. art. 3. num. 12.. Hæc forte fuit causa, quare Innocentius IV. voluit defuncti bona sibi vindicare, eamque ob causam etiam potuit Rex Angliæ de eadem re contendere. Plane etiam post Innocentium IV. nihil de spoliorum jure Cameræ Apostolicæ competente traditum est, sed jus commune passim custodiebatur, uti liquet in conspectu Clementinæ unicæ de excess. Prælat., item extravagantis 2. de elect. apud Joannem XXII., & extrav. un. ne Sede vac. int. comm.. Horum spoliorum disciplina gliscere primum cœpit tempore dissidii, quod anno 1281. intercessit Clement. VII., & Urbano VI. de Pontificatu Maximo contendentibus. Dirum sane schisma fuit, dum Clemens in Galliis erat, Romæ sedebat Urbanus. Hic Romanæ Cathedræ redditibus fruebatur. Ille remotus ab Episcopatu, quem suum jactabat, redditibus propriis omnino carebat. Prætensa tamen dignitas videbatur a Clemente honestam, & gradui respondentem vitæ rationem postulare, præsertim ubi Cardinalium coronam sibi adsidentem non modicam creavisset, præter ingentem Comitatum. Ut sibi in his adjunctis, Curiæque suæ prospiceret, vacantium beneficiorum qua minorum, qua majorum bona & sibi, & suis addixit, & quæ a decedentibus Clericis relicta erant, vindicavit. Quod ut tutius exequeretur, Principis auctoritatem sibi conciliavit apud Andium Ducem, qui & regni Gubernator erat, & tutor pupilli Regis Caroli VI.. Rem describit Sandionysianus Monachus ad annum 1381. in vita Caroli VI. ibi: *Quod exarsit Urbanum inter, & Clementem schisma, gravissima Ecclesiæ, & Galliæ Regno dispendia importavit. Erant Clementi Cardinales 36. . . . exactiones fiebant tum vacantium Ecclesiarum, tum decimarum. Hæredes Clericorum vehementer infestabantur, eorumque bona ad Pontificem spectare debere jactabatur; connivente ad hæc omnia Anduim duce Regni rectore, quem & prædæ consortem suspicabantur.* Deinde ita pro-

sequitur in libr. 1. cap. 11. *Si quis Episcoporum fato suo fungebatur, volitabant ubique collectores, & subcollectores Apostolicæ Cameræ, ut adsportarent, quidquid ab illis adquisitum esset mobilium, quamvis ea satis probabiliter hæredibus permittenda fuissent, vel certe executoribus testamentariis, ac ne sinebant quidem eas in reparationes maxime necessarias expendi. Temporàlia quoque cœnobiorum post mortem Abbatum invadebant. Qui succedebant, Monachos ex tantilis reliquiis sustentare non poterant, cogebanturque vili pretio vel distrahere, vel oppignorare sacram Ecclesiarum supellectilem, ut mendicitatis angustias declinarent.* Non diu hæc in Gallia viguerunt, propterea quod grandior factus Carolus VI. edicto suo indemnitati Ecclesiarum prospexit, turbasque omnes coercuit; suadente Academia Parisiensi, quæ præcedentia facta inter medium schisma obrepentia rata minime habuerat. E Curia Clementis VII. in Curiam Romanam traducta fuere spoliorum jura, quibus viam similes causæ aperuerunt. Etsi enim circa annum 1389. obierint & Urbanus, & Clemens de Romana Cathedra contendentes, alii tamen duo in locum defunctorum suffecti fuerunt, iterum de Cathedra contendentes, Bonifacius IX., & Benedictus IX., qui & XIII. appellatur. Cœperunt tunc temporis spolia exigi in pluribus Italiæ provinciis, quod & factum est temporibus Innocentii VIII. anno 1404., & Gregorii XII. anno 1406., non tamen sine contradictione multorum; unde fiebat, ut aliquæ provinciæ novæ disciplinæ adquiescerent, aliæ obsisterent, aliæ etiam, prout ferret adjunctorum ratio, eam disciplinam modo respicerent, modo abjicerent. Anno 1409., electus Pontifex Alexander V. protextatus est, se spoliorum jure minime usurum. Ita legitur in sess. 22. Concilii Pisani eo anno celebrati: *Dominus noster notificavit per organum Domini Archiepiscopi Pisani, quod non intendit amodo, ut antea, reservare bona, seu spolia Prælatorum, & aliorum morientium*, seu, uti in alia editione legitur: *Compatiens statui Ecclesiarum, & paupertati, plene, & libere revocabat reservationes factas de spoliis defunctorum Prælatorum* At immaturo fato e vivis erepto Alexandro, successor Joannes XXIII., ut suorum temporum adjunctis serviret ob gravia concitata bella causa fidei, ac religionis, iterum spoliorum jura explicavit. Defuncto Joanne anno 1417. deducta res est ad Constantiense Concilium, ubi sess. 29. ita statutum legitur. *Cum per Papam facta reservatio, & executio spoliorum decedentium Prælatorum, aliorumque Clericorum gravia Ecclesiis, Monasteriis, & aliis Beneficiis, ecclesiasticisque Personis afferant detrimenta, præsenti declaramus edicto, rationi fore consentaneum, & Reipublicæ accommodum, tales per Papam reservationes, ac per collectores exactiones de cætero nullo modo fieri, seu attentari.* Forte res ex voto cessisset, sic decretum hoc fuisset Pontificis auctoritate confirmatum. At Martinus V. eadem spolia exigi adhuc jussit, incusans adjuncta infelicium temporum, quibus ingenti pecunia opus esset ad Ecclesiæ pacem, ac tranquillitatem curandam. Vita functo Martino V. Cardinales ad novi Pontificis electionem convenientes, ventilatis spoliorum causis, uti refert Rainaldus ad annum 1431. numero 9. statuerunt, atque jurejurando firmarunt, eum, qui electus esset in Pontificem, a spoliis exigendis temperaturum. Forma jurisjurandi hæc fuit: *Quod bona dominorum Cardinalium, Prælatorumque, necnon & aliorum Cortesanorum in Curia decedentium nullo modo occupabit, vel occupari patietur, sed permittet juxta juris dispensationem, & consuetudinem, quæ in multis Regnis, Regionibus servatur, fieri executores juxta voluntatem decedentium, relinquendo consanguineis bonorum ad eos quomodolibet pertinentium &c.* Tamdiu viguit hoc decretum, quamdiu Pontificia Sedes vacavit, quodque quisquis Cardinalis sentiebat, nescio quo fato electus Pontifex revocavit. Itaque iterum sub Eugenio IV., Nicolao V., Calixto II., Pio II., Paulo II., Sixto IV., Innocentio VIII., & Alexandro VI. pluribus in provinciis spo-

UAB Biblioteca de Ciències Socials

sia exacta sunt, neque enim, uti conjicio, causæ publicæ deerant, eædemque probabiles, quibus Apostolicæ Sedi subsidia quædam essent ab inferioribus Ecclesiis conferenda. Pius III. conatus est, ut eam disciplinam generaliter in Occidente proponeret; non tamen id potuit in Gallia præsertim recipi, repugnante Ludovico VII. anno 1503., quo Pius obiit. Hinc sub Julio II., Leone X., Adriano VI., & Clemente VII. anceps fuit, & difformis consuetudo Ecclesiarum, immo & fere ubique obnoxia contentionibus. Supremam manum tuendis Apostolicæ Cameræ juribus censuit admovendam Paulus III. anno 1541. edita generali constitutione, qua spolia generaliter indicerentur. Habetur ista in cap. 1. de spoliis Clericorum in septimo Decretalium; exitu tamen parum felici Julius III. censuit opportunum, eam constitutionem moderari; etenim anno 1549. statuit, ut quicumque ecclesiasticus in Curia Romana decederet, aut eam sequens, in quamcumque causam tetari posset; quod si intestatus decederet, ei legitimi hæredes ubicumque degentes succederent. Deinde anno 1553. statuit, ut quando multa jurgia in provinciis oriebantur occasione spoliorum, cognitiones causarum reservarentur soli Thesaurario generali, *ut exactio spoliorum tam Status S. Romanæ Ecclesiæ, quam aliarum partium Italiæ, celerius, & facilius fiat, ne ministrorum multitudine confundatur.* Nihil singulare occurrit sub Marcelo II. ac deinde ubi Paulus IV. anno 1556. mandavit aliquibus, ut spolia nomine Cameræ exigerent, exceptionem addidit, nisi aliud obtinere *ex privilegio Apostolico, seu ex consuetudine legitime præscripta in loco vigenti.* Similia etiam mandata prodierunt a Pio IV. anno 1560.. Ut paucis dicam, ea tempestate hinc singularibus bullis, hinc contrariis privilegiis, vel moribus contendebatur. Sed & idem Pius IV. eodem anno constitutionem edidit, qua decrevit, ut bona Clericorum omnium illicite quæsita post eorum obitum ad Apostolicam Cameram devolverentur; qua tamen constitutione non comprehenduntur aut Cardinales, aut decedentes in Curia, aut Clerici illi, qui singulari jure a Pontificis spoliis exempti probarentur. Laudanda est maxime in hac parte prudentia Patrum Tridentinorum, qui in verbum quidem horum spoliorum facientes, contenti fuerunt definire in sess. 24. de Ref. cap. 16. & 18., fructus vacantium beneficiorum per Œconomos ab Episcopo, & fructus mensarum Episcopalium per Œconomos a Capitulo deputandos curari oportere, & futuris successoribus reservari. Pius V. potius cura constitutione anni 1567. 3. Cal. Septembris statuit, primum, ut nomine spoliorum capi nequeant supellectilia sacra ad Episcopalem Cappellam pertinentia; deinde, ut spoliis minime continerentur arcæ ligneæ, dolia, aliæve res domesticæ viliores; quæ in defuncti ædibus reperirentur; denique ut minime subjacerent spoliorum legibus beneficia illa, *quorum fructus, & proventus triginta ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excederent*; quod ideo se statuisse refert, *ne deinceps contingat, insolentia spoliorum Cameræ Apostolicæ collectorum aliquas Ecclesias, aut hominem quempiam damno, aut injuria affici.* Interea contentiones in hac materie variis in provinciis plurimæ extiterunt. In Galliis ortum quidem, uti modo notabam, spolia habuerunt, sed vix paucis annis vigere potuerunt. Germania ab eisdem semper fuit immunis, quod testatur Navarrus in Commentario de spoliis Clericorum §. 14. num. 2.. Exempta quoque fuit Polonia, & Lusitania, immo etiam in Italia, & Insulis adjacentibus Sicilia, Venetiæ, & Ducatus Mediolanensis. Videantur Marcus Antonin. variar. resolut. libr. 1. resol. 46. num. 4., Garzias de benefic. parte 2. cap. 1., Navarrus loco citato §. 5. numero 5. & §. 16. princ., qui & in §. 9. num. 6. adjicit, *consuetudinem habere in multis Episcopatibus Hispaniæ, ut Episcopus op-*

tet unam speciem rerum mobilium, vel se moventium, quas beneficiarius mortuus reliquit, quoque fit in multis Belgii locis. Videantur insuper Filliucius de spoliis Clericorum cap. 7. num. 24., Azorius de spoliis cap. 4. §. 2. vers. 4., & Acta Ecclesiæ Mediolanensis Concilio Provinciali 5. parte. 3. sub titulo *De Ecclesiis, earum suppellectile, & fructibus*, & parte 4. sub titulo *De beneficiis vacantibus.* In Regno Neapolitano vix ex mandato singulari Pii V. spolia quandoque exigi cœperunt, quando contentiones statim emerserunt, quas extra ordinem compescere studuit Sixtus V. in sua constitutione *Cum sicus accepimus* anni 1589. 1. Januarii. In Sardiniæ Regno jam a temporibus Pii V. abs jure spoliorum explicando cessatum est gratia Ecclesiarum. In Sabaudia, & Pedemontio jamdudum Pius IV. in Brevi directo ad Ducem Emmanuelem Philibertum gratia ejusdem Principis jura spoliorum cesserat, ita tamen ut bona inde redacta in pios usus converterentur. Deinde ab anno 1590. iterum Pontificiæ Cameræ sollicitatores conati sunt, ut spoliis colligendis vacarent. Initæ interea temporales transactiones, & in pontificio Regio Concordato anni 1742. ita res relicta est, uti moribus erat recepta. Tandem vero anno 1750., ita res absoluta fuit, ut nihil amplius sub spoliorum nomine a Clericis beneficiariis, eorumve successoribus exigatur. Reliquum est, ut intelligant beneficiarii redactam apud nos esse rem ad jus commune, nimirum testamenta quidem in pias causas permitti juxta capitulum 12. de testam., non vero testatores libertate potiri, quasi de re sua disponant; ubi autem nihil testamento disposuerint, legitimos Clerici hæredes debere Ecclesiæ restituere ea, quæ sciverint a defuncto intuitu Ecclesiæ esse quæsita.

Expendenda adhuc supersunt onera quædam extraordinaria, quibus beneficiarii aliquando subsunt fructuum causa. Hujusmodi in primis sunt præstationes quædam Episcopo faciendæ in argumentum, atque vestigium veteris amplissimmæ potestatis, quæ uti initio præfabar, ecclesiasticis Antistitibus competebat in omnibus bonis ecclesiasticis administrandis. Et quidem olim statim ac Episcopi portionem bonorum immobilium, & jurium inferioribus administris administrandam cesserunt, adhuc idemtidem iidem Episcopi pro modo novarum adquisitionum certa jura explicabant, uti erat quarta legatorum, quæ aliter dicebatur quarta mortuariorum, de qua jam alibi locutus sum, cum de beneficiis parochialibus agerem; item percipiebant certam decimarum portionem modo tertiam, modo quartam, denique percipiebant census annuos, prout pactione initio facta contineretur, can. 10. caus. 10. quæst. 1., causa 23. 25. & sequentibus caus. 12. quæst. 2., cap. 16. de offic. judic. ord, cap. 14. & 15. de testam., cap. 6. de censibus. Sed hæc jamdudum fere omnia exoleverunt, postquam præsertim adaucti fuerunt redditus mensarum Episcopalium, nisi adhuc consuetudo alicubi servetur, cui sane semper est indulgendum. Videatur Panormitanus ad cap. *Conquerente* de offic. jud. ordin., & ad cap. *Certificavit* de sepultur.. Si hodiernam disciplinam spectemus, jura illa extra ordinem ad Episcopum pertinentia ad triplex caput reducuntur, nempe procurationem, cathedraticum, seu synodaticum, & subsidium, uti vocant, charitativum. Procurationis nomine intelliguntur impensæ, quæ Episcopo sunt necessariæ, dum aut Ecclesiam visitat, cap. 16. de offic. jud. ordin. can. 45. vers. *Visitatores* caus. 12. quæst. 2., aut Ecclesiam consecrat, vel Altare, cap. 10. de simon. cap. 23. de censib., cap. 1. §. *Deinde*, & cap. 2. eod. tit. in 6.. Ab eo tamen onere immunes sunt Ecclesiæ pauperes, Xenodochia, & loca sacra exempta abs jurisdictione Episcopali, Clement. 1. eod. tit., Concil. Trident. sess. 24. de Ref. cap. 3.. Nihil in præsentia adjicio in hanc rem, quando

hæc tradidi in tractatione de potioribus Ecclesiæ dignitatibus in dissert. de Episcopis Cathedraticum, quod alio nomine *Synodaticum* dicitur, & apud veteres *Eulogia* can. 8. dist. 18., est census duorum solidorum, qui a Clericis Episcopo lui solet in honorem Cathedræ tempore celebrandæ Synodi Diœcesanæ, cap. 16. de offic. jud. ordin., can. 1. caus. 10. quæst. 3.. Verum cum solidorum veterum valor perspicuus non sit apud omnes, usus invaluit, ut Cathedratici quantitas moribus potius uniuscujusque diœceseos definiatur. Subsidium charitativum petere olim consueverant Episcopi, quo casu inopia premerentur, aut gravi aliqua causa, cui ex bonis mensæ suæ non satis occurrere possent, dicto cap. 16. in fine, cap. 6. §. *Prohibemus* de censibus. Hodie non nisi semel ab Episcopo exigitur, quæcumque tandem emergant causæ, & quidem juxta eam quantitatem, quæ moribus uniuscujusque Ecclesiæ definita dignoscitur; quod ex taxa Innocentiana Pragmatici testantur inductum fuisse.

Romano quoque Pontifici aliquando extra ordinem certæ præstandæ fuerunt pensitationes. Potissimum his occasionem dederunt subsidia conferenda in expeditionem exercituum gratia tuendæ christianæ Reipublicæ adversus dira odia infidelium. Consistebant autem modo in decimis, modo in vigesimis fructuum. Revocatæ istæ fuerunt primum in Constantiensi Concilio anni 1417. sess. 41., deinde vero in Regula 63. Cancellariæ, quæ hodie ita concipi solet: *Item revocavit quascumque decimarum, necnon subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas (non tamen decimarum, subsidiorum, & onerum impositorum ex quavis causa, & occasione expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ fidei hostes) & quascumque facultates super decimarum, vigesimæ, & onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, collectoribus, & Apostolicæ Sedis nuntiis ab eisdem prædecessoribus concessas.* Quibus olim formulis hæc regula concipieretur, & quænam sit hodie recepta hujus regulæ interpretatio, perspicue tradit Rigantius. Non tamen inde cessaverunt præstationes gratia Romanæ Ecclesiæ. Nam in vicem decimarum, aut vigesimarum successerunt annatæ, ita dictæ, quod quicumque beneficiarius, qui beneficium a Sede Apostolica sit impetraturus, teneatur luere in Romana Curia fructus unius anni. Varia fuit in hac re disciplina, de qua passim multa notant juris ecclesiastici cultores. Hodie dimidium tantum annui redditus præstari solet gratia Apostolicæ Cameræ, quoties redditus beneficii excedat annuum redditum 24. Ducatorum. Quod si agatur de beneficio perpetuo unito Collegio, vel Monasterio, fit præstatio quindenni, ita dicta, quod singulis quindecim annis solvatur annata, quasi fingatur, singulis quindennis beneficium vacare, quod cæterequi nunquam vacat, ne alias ex unione detrimentum Apostolicæ Cameræ ingeratur. In beneficiis consistorialibus præter annatas pendi etiam consueverunt non solum, ut vocant, *minuta servitia* inter Officiales Romanæ Curiæ dividenda, verum etiam *communia servitia*, ita dicta, quod pendatur integra annata, cujus dimidia portio Papæ cedat, altera dimidia Cardinalibus in consistorium convenientibus. Hæc tamen omnia non ubique obtinent: qua in re parendum est receptis in unaquaque Provincia consuetudinibus.

Præterea in causam publicæ rei decuit, aliquando beneficiorum fructuum portionem impendi; si enim isti generaliter in pias causas convertendi sunt, dandus erit necessario locus in patriam indigentem, & extraordinariis oneribus pressam charitati, pietatique exercendæ, uti enim ait Cicero in libr. 1. officior. cap. 18. sect. 17. *Omnes omnium charitates patria una complexa est.* Id prudentissime agnoverunt Alexander III., & Innocentius III. in cap. 4. & 7. de immunit. Eccles., ubi licet conquerantur.

quod laici quidam Ecclesiarum bona vastarent, volunt tamen, ut, quoties urgens necessitas suadeat, facile de redditibus Ecclesiæ publicæ saluti, & incolumitati consulatur. Consonat Clementina un. de immunit. Eccles., & extrav. un. eod. tit. int. comm.. Huc etiam refertur, quod scribebat Honorius III. anno 1224. ad Clerum Constantinopolitanæ Ecclesiæ apud Rinaldum num. 25. ibi: *Attendentes, satius esse, ut bona vestra, & Ecclesiarum vestrarum pro manutenendo Imperii Statu communicetis ad tempus, quam ea omnia perpetua amittatis, de Fratrum nostrorum consilio propter urgentem necessitatem duximus statuendum, ut omnium vestrorum proventuum hujus anni, omniumque aliorum mobilium, quæ nunc habetis in ipso Imperio, exceptis dumtaxat Ecclesiarum thesauris, & vestibus. & equis, & utensilibus, in quibus non est aurum, vel argentum, aut lapides pretiosi, medietatem integre conferatis.* Et quidem hæc præstatio in provinciis fiebat, auctoritate Episcoporum accedente cleri consilio, uti liquet ex cap. 4. de immunit. Eccles.. Primum sub Innocentio III. cum renovata fuisset eadem disciplina in cap. 7. de immunit. Eccles., adjecta fuerunt hæc verba: *Propter imprudentiam tamen quorumdam, Romanus Pontifex prius consulatur*, quæ sane verba non simpliciter reservationem inducunt, tantum ex iis monentur Ordinarii, ne inconsulto Romano Antistite suam in hac parte potestatem exerceant. Bonifacius VIII. in cap. 3. de immunit. Eccles. in 6. non aliter voluit subsidia hæc concedi, quam si auctoritas intercedat Apostolicæ Sedis. Atque id primam præbuit occasionem dissidiorum inter eumdem Bonifacium, & Philippum Galliarum Regem, cui sane Clerus Gallicanus ob causas publicas annua quædam suppeditabat. Excusabat se Bonifacius in Epistola ad eumdem Regem, tradens, nolle se omnino subtrahere id subsidii genus, tantum vetuisse, ne sine licentia Sedis Apostolicæ id quisquam molireturr. Cæterum studio pacis idem Bonifacius alia edita constitutione die 20. Julii anno 1297. ita mentem suam declaravit: *Adjicimus insuper hujusmodi declarationi nostræ, quod si præfatis Regi, & successoribus suis pro universali, vel particulari ejusdem Regni defensione periculosa necessitas immineret, ad hujusmodi necessitatis casum se nequaquam extendat constitutio memorata, quin potius idem Rex, ac successores ipsius possint a Prælatis, & Personis ecclesiasticis dicti Regni petere, ac recipere pro hujusmodi defensione subsidium, vel contributionem, illudque, ac illam Prælati, & Personæ prædicti præfato Regi, suisque successoribus inconsulto etiam Romano Pontifice teneantur, & valeant sub quotæ nomine, aut alias etiam impetrari, non obstantibus constitutione prædicta, seu quovis exemptionis, vel alio privilegio.* Clemens V. Bonifacii VIII. successor agnitis periculis, & incommodis, quæ ex constitutione Bonifacii, & ad eam factis declarationibus emerserant, & Bonifacianam constitutionem, & declarationes omnes abrogavit, rem totam exigens ad unam definitionem Concilii Lateranensis in dicto cap. 7. de immunit. Eccles., uti liquet ex Clement. un. eod. tit., quod & confirmavit Benedictus XI. in extrav. un. eod. tit.. In hanc ipsam rem certi deinde modi propositi fuerunt in Concilio Constantiensi anni 1417. sess. 43. his verbis: *Per summos autem Pontifices nullatenus imponi generaliter super totum clerum, nisi ex magna, & ardua causa, & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio, & consensu, & subscriptione S. R. Ecclesiæ Cardinalium, & Prælatorum, quorum consilium commode haberi poterit. Nec specialiter in aliquo Regno, vel Provincia, inconsultis Prælatis ipsius Regni, vel Provinciæ, & ipsis non consentientibus, vel majori parte; & eo casu per personas ecclesiasticas, & auctoritate Apostolica dumtaxat levari.*

Denique ad onera, quibus extra ordinem subsunt beneficiarii, pertinent pensiones gratia alterius ex fructibus beneficii, quotannis præstandæ. Si pensionum primam originem respiciamus, ea antiquissima dignoscetur, ita tamen ut

non egrederetur naturam alimentorum, quæ certis personis ex miseratione, charitate, ac pietate decernebantur. Quid enim, si Episcopus, aut quivis Clericus a sua Ecclesia per vim ejectus, in aliam se reciperet? Dicebatur is tunc Ecclesiæ, in quam recipiebatur, commendari, & ab eadem Ecclesia alebatur. Simile exemplum adparet in actione 12. Concilii Chalcedonensis, ubi cum de Episcopatu Ephesino ageretur, quem duo occupaverant, Basianus nimirum, ac Stephanus, propositum fuit, ut neuter Episcopatum haberet, uterque ab Ecclesia *pasceretur*. Hæc, uti ajebam, rudes sunt novarum pensionum imagines; etenim luebantur non a beneficiario singulari, sed ab ipsa Ecclesia; non in certa quantitate consistebant, sed in alimentis; aliquando etiam, aut elapso certo tempore, aut mutatis causarum adjunctis, ipso jure cessabant. Pensiones, quales in præsentia existunt, introduci coperunt, partitione facta inter Clericos bonorum Ecclesiæ, & unicuique certo adsignato titulo, certo officio sacro gerendo, certis etiam bonis titulo beneficii datis; & quoties bona isthæc uberiora essent, non fuit dubitatum, quin ex illis certa portio detraheretur, alteri indigenti Clerico concedenda, qui tamen nec sacri officii gerendi communionem haberet, nec ullo modo in administratione bonorum beneficii curam gereret. Hinc pensionarii a beneficiariis distinguuntur, propterea quod beneficiarii titulum universalem habere dicantur, pensionarii titulum singularem intra certam pecuniæ quantitatem coercitum, eodem fere modo, quo in successionibus defunctorum legatarii ab hæredibus secernuntur. Olim imponere pensiones poterat, quicumque esset ordinarius beneficiorum collator, sed hodie fere obtinuit, ut a Romano Pontifice impetrentur. Nullibi profecto de hac reservatione constat: tantum notant Pragmatici, Episcopos ab hac potestate non utendo cecidisse. Verum hæc ratio an suffragetur apud Jureconsultos, plurimum dubito: etenim pensionum imponendarum facultatem extra ordinem exerceri, nemo dubitat, tum nimirum, cum gravi causa id exposcant. Eam ob rem jure peterem, quomodo ea potestas non utendo admittatur, qua nemo uti valet, nisi emergens extra ordinem causa id suadeat? Qui non usus est, facile dicet, nullam se utendi occasionem habuisse, tum demum usurus, cum occasio prodeat. Appellant alii ad titulum decretalium Gregorii IX. *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*. At enim an titulus ita inscriptus valeat per se reservationem inducere, prorsus ignoro, nec ego adfirmare auderem, præsertim quod titulus iste non eo pertineat, ut conferens beneficium alteri non concedat pensionem, sed potius eo, ut conferens beneficium nihil sibi retineat, quasi in pretium collationis, quemadmodum liquet, collatione facta cum capitulo unico eodem titulo. Provocant alii ad capitulum 21. de præbendis. Notandum tamen, pensionem, de qua ibi agitur, & quæ non omnino probatur, non jam fuisse impositam ab ordinario beneficii collatore, sed ab Judicibus delegatis, ut causam litigiosi beneficii dirimerent; verius dixerim, ab electis arbitris. Item notandum, non eam fuisse controversiam, in qua quæreretur, an ad unum Pontificem Maximum pertineret pensiones imponere, sed potius an controversiæ finis ea ratione imponi licite potuisset, qua uni ex litigantibus beneficium, alteri pensio concederetur. Id redolebat quamdam simoniæ speciem, quam Innocentius III. certa ratione cohibuit, neque omnino damnavit ideo, quia viri providi, & honesti eo arbitrio intercesserant. Post hæc nemo dubitare potest, quin receptum jus certis finibus contrahatur, & adhuc hodie certis in casibus Episcopi tuto pensiones imponant. Id evenit primis, quoties bono pacis inter contendentes sanciendæ pensio constituatur. Si enim id electis arbitris, quam-

quam certo servando modo, aliquando concessum fuit, dicto cap. 21. de præbend., quid causæ erit, cur Ordinario provide disponenti denegetur? Idipsum præterea evenit, cum beneficia inter Clericos auctoritate Episcopi permutantur, & æquitas suadet, inter permutantes certas constitui pensiones. Denique, ut generaliter dicam, id evenit, cum utilitas, vel necessitas urgens Ecclesiæ pensionem imponi suadet, argumento can. 61. caus. 16. quæst. 1., can. 11. 12. caus. 16. quæst. 3., can. 7. caus. 16. quæst. 6., & cap. 6. de relig. domib. Absit autem a me, ut aliis in casibus putem, pensionum constitutionem ideo Pontifici Maximo reservari, propterea quod in his pensionum reservationibus, quædam simoniæ nota inesse soleat, quod quidam ex nostris scribere non erubuerunt. Novi enim, si qui sunt in ecclesiastica Hierarchia administri simoniacæ cujuscumque labis osores, eos esse pro dignitate sua, & probitate Pontifices Maximos, quorum auctoritas in damnandis potius, quam in confirmandis simoniacis pactionibus exercetur.

Ut plurimum gratia Clericorum pensiones imponi consueverunt; aliquando, licet minus frequenter, etiam gratia laicorum bene de Ecclesia meritorum, immo etiam feminarum religiosarum. Quid enim obstat, quominus cuicumque personarum generi hac ratione prospiciatur, quando beneficiarium peculium ideo a Clericis administratur, ut ex eo indigentes quicumque percipiant? Plane alia est pensionum, alia sacrorum officiorum ratio, neque pensionis perceptio inducit sacrorum officiorum gestionem. Quando vero ex consuetudine recipi cœpit, ut pensio perpetua foret, atque in hac parte videretur quamdam beneficii speciem exhibere, raro adsignari laicis cœpit, rarius etiam feminis, propterea quod in istis non satis probabile haberetur exemplum. Temporibus Pii V. adhuc frequentes erant constitutæ pensiones gratia laicorum, nec satis inde Clerici poterant Ecclesiarum utilitatibus consulere ob imminutos beneficiorum reditus. Quamobrem prudentissimus Pontifex severiorem disciplinam induxit, qua fieret, ut laici ad eas idonei redderentur. Præterea operæ pretium censuit, pensionariis Clericis certum onus imponere; nimirum istis indixit, ut officium B. Mariæ recitarent, quemadmodum superius adnotabam in cap. 1.. Hinc adparet, hodie pensiones proprius adhuc ad beneficia accessisse, sive ratione habita illorum, quibus concedi solent, sive ratione habita oneris diurnarum recitandarum orationum. Qua in re juvabit distinguere duplex pensionum genus, quarum aliæ ita Clericis conceduntur, ut sint in beneficii vicem, veluti cum dantur, ut quis Ecclesiæ commodius administret, vel ut quis in sacris certo sub titulo ordinetur; aliæ nullam exhibent beneficii imaginem, veluti cum dantur in meritorum repensationem. Harum discrimen agnoscitur ex formula collationis. Quoties ita conceduntur, ut sint in beneficii vicem, poterunt haberi pro sufficienti ordinationis titulo, Concilio Tridentino sess. 21. de Reform. cap. 2., & pensiones ita quæsitæ extinguentur iis omnibus modis, quibus ecclesiastica beneficia amittuntur, puta per ingressum in religionem, aut contractu inito matrimonii; secus dicendum, quoties pensio nullam exhibeat beneficii imaginem. Cæterum generaliter pensio a beneficio sejuncta est, cap. 4. de præbend. in 6. nec unquam venit sub generali beneficiorum nomine, nisi in iis casibus, in quibus aut generali, aut speciali jure exprimatur. Quamobrem poterit ad certum tempus concedi, item sine consensu Superioris abdicari, multiplex etiam sine dispensatione obtineri, dummodo tamen semper servetur honestas, & dolus absit, ac fraus. Non tamen inficias iverim, multa esse & beneficiis, & pensionibus communia: hujusmodi

est, quod generaliter traditur, non posse præter simoniæ vitium pensiones temporali commodo accepto concedi, nec etiam posse sub certis conditionibus, & modis imponi, quod potissimum induci debuit ad quascumque fraudes importune petentium evitandas. Adde his, non valere concessionem pensionis factam tempore renuntiationis beneficii, aut tempore litis, si in renuntiatione fraus, aut in lite collusio intervenit, cap. 31. de rescr., cap. 3. de collus. deteg., cap. 30. in fine de præbend., cap. 6. de Cler. non resid. quemadmodum nec valeret cessio facta, repræsentata pecunia, præsertim si pactum hujusmodi ab initio impositæ pensionis initum fuisset, atque id ad præcludendam omnem simoniacæ impetrationis suspicionem, uti statuit Benedictus XIV. in constitutione, quæ incipit: *In sublimi* anno 1741. 4. Calend. Septembris. Qui putaverunt, cavendum quidem esse, ne pensiones aut emantur, aut vendantur, interea tamen permitti posse, ut vendantur, emanturve commoda pensionum, quid aliud profecto voluerunt, quam verbis ludere, & quæsito colore quodam saluberrimas Ecclesiæ sanctiones evadere? Etenim supervacanea fuisset Antistitum sacrorum sollicitudo ad avertendum etiam in hac parte simoniæ vitium, si mutatis vocabulis idem facile tentari posset exitu inspecto. Ex his liquet, paulatim factum esse, ut quamquam adhuc summo jure pensiones & beneficiis distinguantur, multa tamen rederentur & beneficiis, & pensionibus communia.

Generaliter observatur, etiam apud Apostolicam Sedem non nisi ex causa pensiones imponi solere: videlicet aut quoties reservantur gratia beneficiarii in resignatione beneficii, aut quoties egregia alicujus in Ecclesiam merita illarum postulent constitutionem: hinc favore infantum vix audimus pensiones constitui, utpote quorum nulla erga Ecclesiam merita præsumuntur, nisi forte aliquando contingat, Ecclesiam in infante parentum merita remunerari. Præterea observandum est, ne pensiones in grave beneficiorum detrimentum vergant; quamobrem obtinuit in primis, ne pensiones constituantur jam collato beneficio, sed tantum tempore collationis, & quidem tum, cum beneficiarius, cujus potissimum interest, consentiat: deinde obtinuit, ut beneficia Parochialia, quorum redditus summam ducatorum centum non excedant, nullis pensionibus gravarentur, quemadmodum nec Episcopalia, quorum redditus summam ducatorum mille non excedunt; in aliis beneficiis usu receptum est, ut pensio non excedat quantitatem parti fructuum tertiæ respondentem, licet extra ordinem quandoque usque ad dimidiam fructuum partem extendatur; incongruum enim videtur, ut aut æqualis, aut pene æqualis habeatur ratio pensionarii, qui nullo onere premitur, & beneficiarii, qui munus sacrum exercet. Porro hæc quantitas debet esse determinata, nec unquam potest consistere in ipsa fructuum specie; proindeque nulla sterilitatis prædiorum, aut uberioris fertilitatis, seu vel majoris, vel minoris annonæ ratio habebitur; nisi constet, graviorem esse annuum pensionis censum, quam ferre beneficiarius possit, quo casu licebit beneficiario ad Apostolicam Sedem confugere, ut pensio intra minorem quantitatem coerceatur. Annuæ pensionis quantitas per dimidias portiones præstari solet, singulis elapsis semestribus, obligatione reali existente in ipso beneficio, eamque ob rem in successorem beneficii etiam transeunte, ita tamen, ut successor non teneatur ad præsentationes, quæ a defuncto faciendæ erant, nisi hæres defuncti fuerit, aut nisi constet, quantitatem fructuum pensionario debitam versam fuisse in beneficii utilitatem, argumento cap. 1. de solution.. Quod si beneficiarius ante elapsum semestre moriatur, pro rata

UAB Biblioteca de Ciències Socials

temporis quantitate a defuncti hæredibus pensio præstabitur; reliquum a successore, vel ab eo, qui bona beneficii vacantia administrant, postulabitur; quemadmodum e converso, si moreretur pensionarius, hæres pensionarii non integram exiget quantitatem semestri tempori respondentem, sed eam, quæ respondeat tempori, quo pensionarius vixit. Singularia in hanc rem minime prostant juris capita, proindeque a similibus solent peti argumenta. Hinc est, quod vulgo traditur, facile his accommodari posse juris civilis regulas, quæ traduntur aut de dotibus, aut de usufructu, cum soluto matrimonio, aut finito usufructu, vel fundi dotales, vel fundi fructuarii sunt ab eo, ad quem pertinent, una cum fructibus vindicandi, juxta legem 7. ff. soluto matrim., & leg. 58. ff. de usufructu, cum similibus, dummodo tamen proportio quædam inter hujusmodi jura servetur, & accommoda omnibus sit legum interpretatio.

Ex his omnibus jam satis intelligitur, pensionem, utpote quæ tota ad pensionarii commodum, utilitatemque refertur, onus esse reale, ac propterea non beneficiarii, sed pensionarii tantum morte extingui. Neque huc adferri potest, quod definitum est in cap. 21. de præbend., etenim pensio, de qua ibidem sermo est, nihil habet commune cum indole ordinariarum pensionum. Ea fuit concessa uni ex litigantibus in quamdam veluti jurium repensationem; adeo ut qui pensionem accepit, cederet juribus, quibus se uti posse censebat, & e converso, qui beneficium accepit, cederet juribus, quibus se munitum putabat ad universos beneficii fructus retinendos. Quando vero cessiones istæ sunt personales, & personalem exinde, utpote ex conventione natam, obligationem inducunt, nulla amplius habetur istarum ratio, ubi beneficiarius mortuus fuerit. Cæterum quandoque ocurrit, ut pensionarius valeat de sui persona in alterum jus pensionis transferre. Non loquor hic de pensionibus, quas usus Romæ recepit in beneficiis Hispaniæ; in quibus cum ex Concordatis nemo nisi Hispanus pensionem habere potest, nihilominus mutato nomine cujusdam Hispani pensio gratia alterius constituitur; etenim in hoc pensionum genere obtinuit, ut plus valeat rei veritas, quam fictio, propterea non Hispanus, sed alter tanquam verus pensionarius habeatur. Potius loquor de pensionariis illis, qui quandoque indultum a Pontifice Maximo obtinuerunt, ut possint in alios pensiones transferre. Horum facultas metienda est ex verbis indulti, quo modo major, modo minor adparet. Hujus autem generis indulta conceduntur aut Cardinalibus, aut Conclavistis, aut aliis personis de Romana Curia benemeritis. Qua tamen in re media quædam via teneri solet, ut hinc minus detrimenti, quoad fieri potest, & verba indulti patiuntur, beneficiario ingeratur; illinc facile sinatur pensionarius jure suo uti. Ne detrimentum ingeratur beneficiario, caveri solet, ut ex ea indulti specie non ita res sese habeat, ut duo sint veluti pensionarii, quorum unus alteri succedat post extinctam pensionem. Id profecto contingeret, quoties ultima voluntate pensio in alterum tranferretur, aut transferretur quidem actu inter vivos, suspensa tamen translatione reali ejusdem pensionis in tempus mortis transferentis; quamquam tamen receptum est, ut etiam supremo vitæ die, dummodo ab eo, qui adhuc vivit, pensio transferatur; adeo ut dici possit, extitisse tempus, quo pensionarius omnino sese exuerit pensione. Præterea caveri solet, ut pensio semel de uno in alium translata non possit iterum a secundo pensionario transferri, etiam si secundus pensionarius simili indulto gauderet; nisi tamen in indulto id specialiter exprimeretur.

DISSERTATIO SEPTIMA.

DE CAUSIS, ET MODIS, QUIBUS ECCLESIASTICA BENEFICIA AMITTANTUR.

Huc pertinent tituli 7. 9. & 13. libr. 1.

QUamquam beneficium Ecclesiasticum ita Clericis sit concedendum, ut numquam concessio retractetur, plures tamen sunt causæ jure probatæ, quibus extra ordinem amittatur. Id tribus modis contingere potest, primum juris potestate, deinde sententia Judicis, postremo Clerici beneficiarii facto.

CAPUT I.

De causis, ex quibus Beneficium amittitur juris potestate.

INstar personalium servitutum, qualis est ususfructus, usus, aut habitatio, amittitur primo beneficium ipso jure, moriente beneficiario, cum nunquam recepta sit in ecclesiasticis juribus, vel oneribus hæreditaria successio, cap. 5. de pactis. Item cum beneficiarius majore excommunicatione ab Ecclesia ejicitur, cap. 53. in fine de appellation. Etenim excommunicatio hæc morti æquiparatur, quemadmodum apud Romanos deportatio, sive ejectio abs juribus universis Romanæ civitatis. Id vero tum demum locum habet, cum Clericus per annum in excommunicatione pervicax perstiterit, sive, ut Pragmatici loquuntur, insordescentiam contraxerit, argumento cap. 8. de ætat. & qualit. præfic., cap. 6. de Cler. excomm. ministr., juncto cap. 3. vers. *Qui autem* de hæret., nisi tamen ante insordescentiam in officio ministraverit; cum enim excommunicatus ministrans irregularitatem illico incurrat, statim a beneficio cecidisse videtur, a cujus propterea possessione sit deturbandus, cap. 6. de Cleric. excomm.. Hinc autem facile colliges, ipso jure cadere Clericum a beneficio, quoties irregularitatem contraxerit; qua tamen in re secernenda erit duplex irregularitatis, in quam Clericus inciderit, causa, nimirum irregularitas ex delicto contracta ab irregularitate fato quodam contingente, ita ut ex priore irregularitatis specie beneficium amittatur, non ex posteriore, cap. 2. 5. & 6. de Cler. ægrot., vel debilit., & cap. un. eod. tit. in 6.. Ex sola suspensione non statim, aut ipso jure Clericus beneficio cadit, sed tantum datur Prælato facultas eum Clericum spoliandi, si per annum contumax in suspensione perstiterit, dicto cap. 8. de ætat. & qualit. præficiend.. Ex his facile liquet, beneficium *ipso* jure amitti ab eo, qui in hæresim, seu in apostasiam inciderit, can. ult. dist. 50., cap. ult. de apostatis, cap. 6. & passim de hæret., cap. 2. vers. *Hæretici*, & vers. *Ad hæc* eodem tit. in 6.. Quod si quis sit de hæresi suspectus, atque intra annum se purgare non curet, quamquam ad purgationem superioris auctoritate vocetur, instar hæretici habendus erit, cap. 5

de hæretic. in 6.. Sunt, qui putant, quod de hæreticis dicitur, ad hæreticorum filios, ad secundum usque gradum, si de paterna, & in primo gradu, si de materna linea agatur, esse extendendum, quasi id deducatur ex cap. 15. hæret. in 6., & extravag. unic. Joannis XXII. vers. *Filii* de pœnis. Verum ego non arbitror, eam esse Ecclesiæ mentem, ut pios, & bene de se meritos Clericos, utut hæreticorum filios, ab officiis semel susceptis ejiciat; neque in memoratis constitutionibus aliud invenio cautum, quam hæreticorum filios non esse ad beneficia, officiave sacra vocandos; aliud autem est, non vocari, vel non admitti, aliud semel vocatos, vel admissos arceri. Amittitur præterea beneficium ipso jure ab iis, qui simoniace illud impetraverint, can. 5. & 9. caus. 1. quæst. 3., Concilio Chalcedonensi can. 2., Concilio Trullano can. 22.; item ab iis, qui aliud obtinuerint beneficium, quod sive ex veterum, sive ex Tridentini Concilii disciplina incompatibile appelletur, quemadmodum superius fuit animadvertendum. His addendum est, beneficia ipso jure vacare, quoties Clericus beneficiarius intra annum se promoveri non curet ad illum ordinem, quo vel juxta beneficii naturam, vel ex tabulis fundationum singularibus debet initiari, cap. 14. de election. in 6., aut quoties beneficiarius patiatur, alium Clericum per triennium in beneficio consistere, juxta ea, quæ diximus ad regulam 36. Cancellariæ de triennali possessione. Electione quoque, aut translatione ad Episcopatum, aliamque aut fere parem, aut majorem dignitatem, beneficia prius obtenta amittuntur, cap. 7. vers. *Cum vero* de election., qua in re singulari jure observatur, hodie non exspectari tempus consecrationis, aut captæ Episcopalis beneficii possessionis, nisi singulare indultum a Romano Pontifice obtineatur; propterea quod in Consistoriali cedula, qua quis ad hujus generis dignitates promovetur, clausula apponi solet, qua declaratur, promoti beneficia vacare. Item pro vacante ipso jure habetur beneficium Episcopale, si electus electioni de se factæ intra mensem non consentiat, nullo justo impedimento detentus, cap. 6. de election. in 6., aut si intra sex menses post præstitum electioni consensum non petat confirmationem, dicto cap. 6. in fine, aut sine ante tempus abs jure concessum bona Ecclesiæ administraverit, cap. 5. eod. tit. in 6.. Quicumque etiam beneficia Ecclesiastica propria auctoritate invadunt, omni jure, quod illis in eadem forte competeret, legis potestate privantur, cap. 18. de præbend. in 6., quod ipsum recipiendum est adversus eum, qui jura beneficii, auctoritate Judicis occasione litis sequestrata, occupet, vel quoquo modo remanere penes sequestrem impediat, Clement. unic. de sequestr. possess., & fruct., item adversus eum, qui cum plura beneficia ex dispensatione Pontificis Maximi obtinuerit, monitus ab Ordinario intra tempus præstitutum dispensationis monumentum minime exhibuerit, cap. 5. de offic. Ordin. in 6.. Istis adcensebis reos criminis læsæ majestatis, cap. 10. de hæret., falsi crimen in literis Apostolicis admittentes, cap. 7. de crim. falsi, reos criminis, ut vocant, *assassinii*, cap. 1. de homicid. in 6., reos atrocis contra Ecclesiæ Romanæ Cardinales, aut Episcopos injuriæ, cap. 5. de pœn. in 6., Clement. 1. eod. tit. & reos illatæ vis causa resignationis, Clement. 2. eod. tit.. Non est omittendum, ipso jure beneficia amitti, cum beneficiarius in eam sese confert conditionem, & statum, quem ipsa beneficii ratio pati nequit, quod potissimum contingit, quoties beneficiarius vel matrimonium contrahat, cap. 3. & 5. de Cleric. conjug., vel Monasterio se tradat, habitumque induat monachalem, quod intellige ita demum, si firmum in Monasterio permanendi propo-

situm exhibeat, juxta capitulum 4. de regular. in 6.. Nam si forte aut religiosam professionem non emittat, aut emissam revocet, allegando, eam irritam fuisse, non dubito, quin beneficium recuperare valeat, saltem ope restitutionis in integrum, argumento canonis 1. caus. 17. quæst. 2., cui jungi potest caput 16. sess 25. de regul. in Concilio Tridentino. Dicendum etiam erit, esse amissum beneficium, quoties Clericus habitum clericalem ita mutaverit, ut nulla supersit dubitatio, quin a clericali militia recesserit, quemadmodum ex recentioribus numero plurimis Pontificum Maximorum constitutionibus receptum est. Denique ut omnia paucis complectar, amittitur juris potestate beneficium, quandocumque, & qualicumque ex causa vel generales, vel singulares diœceseon leges aperte declaraverint, Clericum beneficio cadere. Qua in re illud erit perpetuo animadvertendum, ut nunquam credendus sit Clericus a beneficio jure cecidisse, quousque de perspicua constitutione Clericum damnante non constet.

CAPUT II.

De causis, ex quibus beneficium sententia Judicis amittatur.

OMnia fere beneficia, quæ ipso jure amissa proponantur, videntur quoquo modo per Judicis sententiam amitti: etenim utcumque casus eveniat, quo Clericus beneficio cadat ex legis potestate, necessaria semper erit Judicis declaratio, qua constet, eumdem a beneficio cecidisse. Non inde tamen deducitur, beneficium hac ratione amissum proprie censeri quasi amissum sententia Judicis, ob plures juris effectus, qui etiam ante sententiam locum habere possunt; inter quos ille præ cæteris recensetur, quod etiam ante Judicis declarationem, beneficium eo modo vacans valide, uti loquuntur scholæ, conferretur, quoties nihil aliud obstaret, licet institutus in eo beneficio non citato spoliato non posset in corporalem vacantis beneficii possessionem induci, cap. 18. de præbend.. Itaque beneficium proprie dicitur sententia Judicis amitti, cum Clericus dignis de causis Superioris auctoritate beneficio spoliandus est, vel ordinario jure, quoties id faciendum ab Ordinario expresse sacri canones moneant; vel extra ordinem, quoties singularis emergat causa, qua pœna gravis sit Clerico infligenda sacris canonibus expresse non definita. Sane hac in re ecclesiastici Judices duplicis generis sententiam pronuntiare possunt. Vel enim Clericum a beneficio repellunt per modum, ut ajunt, pœnæ, vel per modum, ut ajunt, censuræ. Pœna est privationis beneficii, cum Clericus ita repellitur, ut perpetuo excludatur; si vero ad tempus tantum Clericus arceatur, sive determinatum, puta ad annum, sive indeterminatum ex. gr. quousque resipiscat, non pœna dicitur, sed censura; propterea quod hac in specie terretur quidem Clericus, sed non punitur. Hinc liquet, proprie non vacare beneficium illata censura, sed demum inflicta pœna. An vero pœna, an censura illata sit, id ex conceptis pronuntiatæ sententiæ formulis dignoscitur.

Causæ, ob quas disciplina ecclesiastica postulat, ut Clericus beneficio Judicis auctoritate privetur, ad has ut plurimum referuntur. Prima est, si Clericus sacri officii a se obeundi, & sui gradus immemor, sæcularibus negotiis incumbat. Secunda est, si turpi, & in-

honestæ vitæ se dedat, cap. 14. de vita, & honest. Cler., cap. 4. 6. de cohabit. Cler. & mulier., Concilio Tridentino sess. 21. cap. 6., & cap. 14. sess. 25. de Ref.. Tertia, si Clericus violaverit indictas residentiæ leges, juxta ea, quæ superius tradita sunt, tam ex generali veterum Conciliorum disciplina, quam ex recentioribus Concilii Tridentini decretis, & Romanorum Pontificum constitutionibus, cap. ult. de Cler. non resid., Concil. Trid. sess. 6. cap. 2. sess. 23. cap. 1., & sess. 24. cap. 12. de Ref.. Denique paucis concludere possum, prudenti Episcoporum arbitrio reservatum esse, ut, siquando Clerici aut officio non fungantur suo, aut gravissimi cujusdam criminis rei redarguantur, pro modo admissi exasperare pœnas possint usque ad beneficii privationem, etiam si hujus generis pœna expressa canonum definitione inferenda non dicatur, dummodo tamen præcedat Episcoporum eorumdem monitio, cum non sit pœna adeo gravis, nisi in contumaces, ferenda. Hinc colliges, quid sentiendum sit in ea quæstione, num, si Theologalem præbendam possidens causa tradendæ sacræ doctrinæ, suo munere non fungatur, atque pertinax adeo sit, ut jubenti Episcopo parere detrectet, possit tamen præbenda privari, licet in Tridentino Concilio sess. 5. cap. 1. de reform. nihil tale expresse definitum adpareat. Neque enim dubito, eam concessam intelligi Episcopo facultatem juxta generalem canonum disciplinam, quæ non fuit expresse denegata.

CAPUT III.

De causis, quibus beneficiarii facto suo beneficia ecclesiastica amittunt.

QUoties de munere publico agitur, regulæ etiam Romani juris perspicue docent, neminem posse se officio abdicare, l. 1. ff. de excusat. & vacat. mun.. Quamobrem cum etiam Clericorum munera beneficiis adnexa juris publici esse videantur, generalis erit recipienda doctrina, quæ postulat, ne semel suscepta dimittantur. Hæc ratio est, quare prioribus Ecclesiæ sæculis usque ad duodecimum, vel decimum tertium, vix exempla inveniamus Clericorum a suis beneficiis recedentium, ex eo præsertim, quod cum beneficia tunc temporis a sacra ordinatione penderent, & sacra ordinatio perpetuo vi indelebilis characteris consistat, ipsa quoque beneficia perpetuo Clericis adhærebant. Non persequor fusius hanc rem, utpote quam expendi initio tractationis, dum beneficiorum naturam, & qualitates universas explicarem. Verum recentiore ætate, postquam præsertim collatio beneficii fuit ab ordinum collatione sejuncta, inductum est, ut abdicationes, seu renuntiationes facilius reciperentur. Huic etiam novæ disciplinæ invehendæ occasionem dedit diversa, quæ sequiore tate æfingi cœpit, beneficiorum imago, contra quam esset in rei veritate, atque ad sacros canones apte, adpositeque. Ipsum beneficii nomen, quo exemplo feudorum eodem nomine olim designatorum, indicari videbatur, Clericos ad beneficium vocatos præmio quodam affici, insinuabat apud plures, liberum esse sive illud retinere, sive rejicere, propterea quod in invitum nullæ conferuntur liberalitates. Multitudo quoque illorum, qui beneficia passim postulabant, videtur inanem reddere priscam illam sollicitudinem Episcoporum, qua invitos Clericos in ministerio detinebant. His acces-

serunt, jura Clericorum beneficiariorum, quæ ex usu loquendi, & ex Pragmaticorum traditionibus magni fiebant; cum passim scribere non dubitaverint, beneficiarios aut esse fructuum dominos, aut saltem jus habere splendide utendi commodis beneficii; item e converso onera beneficiis adnexa, quæ passim imminuebantur, aut cum Clerici plures dicti sunt a residentiæ lege soluti, aut cum traditum est, posse Clericos per substitutum Ecclesiæ ministrare, & his similia. Et quamquam idemtidem ecclesiasticis legibus, ac præsertim ex Tridentinis decretis curatum sit, ne hæc difformis, & prava beneficiorum imago cuderetur; interea tamen satis fuit, ut aliquando talis apud plures efformaretur, quo facile & cessiones, & resignationes admitterentur. Eo amplius itum est, ut renuntiationum etiam admitterentur diversa genera, qualia sunt, aut renuntiationis simplicis, sive puræ, aut renuntiationis conditionalis, quæ triplici adjecta conditione fieri posse: nimirum vel ut beneficiarius ad aliud beneficium transferatur, vel ut beneficium cum beneficio commutetur, vel ut dimissum beneficium certo designato Clerico conferatur, quam postremam speciem appellant nostri resignationem in favorem. Hinc statim nemo non videt, renuntiationem simplicem, sive puram, illico vires suas exerere, ubi legitime facta sit; renuntiationem autem conditionalem, quæcumque tandem ex memoratis conditionibus adjiciatur, in suspenso manere, donec conditio impleatur.

Si renuntiationes pure, ac simpliciter factas cum renuntiationibus conditionalibus conferamus, illico observandum occurret, istas magis, quam illas Sanctorum Patrum regulis adversari. Revera renuntiationes simpliciter, ac pure factæ repugnant tantum naturæ beneficiorum, quæ publica munera sunt, proindeque perpetua: at quæ sub conditione fiunt, præterquamquod æque repugnant beneficiorum naturæ, causas idemtidem habere possunt in privatis affectionibus, in ambitu, in avaritia, atque his similibus animi notis. Item renuntiatio simplex, & pure facta adhuc esse potest penes eum, qui beneficiorum imaginem sibi fingat sacrorum canonum principiis consonantem. Finge enim vero, aliquem sibi persuadere, beneficia esse onera gravissima Clericorum, beneficiarios laboriosam vitam suscipere, vix uti bonis beneficii posse ad sui necessitates. Hic sane adhuc moveri ad renuntiandum potest, propterea quod velit vitam in quiete, ac tranquillitate traducere, eadem ratione, qua veteres eam honesti viri regimina Ecclesiarum fugiendo vitabant. E contrario, qui sub conditione beneficium resignat, jam animo præconcepit, beneficia commodum beneficiario parere, & commodum eo majus, quo majora beneficia sunt; præconcepit animo, ut verbo dicam, dari potius beneficia hominibus, quam beneficiis homines. At enim finge, quemquam renuntiare beneficio, translationis, vel permutationis causa. Is putat se majorem fructum ex novo adquirendo beneficio percepturum; quod vel ipsa quotidiana experientia docet, qua intuemur passim, unumquemque conari, ut vel de tenuioribus ad piguiora beneficia transferatur, vel illud beneficium permutationis causa adquirat, in quo majus sibi commodum fore sentiat. Finge, quemquam renuntiare sub ea conditione, qua beneficium certæ a se selectæ personæ adquiratur. Is putat, se ea ratione suis necessariis, amicisve consulere. Hæc causa est, quare apud veteres adeo improbarentur Clericorum translationes, can. 24. 25. & passim caus. 7. quæst. 1., can. 107. de cons. dist. 4.. Hæc causa est, quare beneficiariarum permutationum, aut resignationum in favorem nulla exhibeantur apud antiquos exempla, non in Actis Conciliorum, non apud historicos rerum ecclesiasticarum scriptores, non denique

apud collectores canonum, ne apud ipsum quidem novissimum decretorum collectorem Gratianum. Equidem inde paulatim usu receptæ sunt omnes. Interea tamen juvat imprimis observavisse, quibus principiis nova hæc disciplina consistat, ex quibus concludi recte debet, cum illæ a recta canonum disciplina deflectant, tum demum probari facile posse, cum vel eas necessitas Ecclesiarum probandas suadeat, vel saltem Ecclesiarum utilitas ad eas deveniendum esse postulet, cap. 8. de præbend., cap. 5. de rer. permut., juncto cap. 1. eod. tit. in 6., & Clement. un. eod. tit.. Itaque in hac re cavendum semper erit, ne privati potius commodi, sive proprii, sive alieni, quam publicæ utilitatis ratio apud renuntiationem locum habeat, ne forte turpe simoniæ vitium aliquando contrahatur, dicto cap. 5. de rer. permut.. Declinandum præterea erit a vitio, uti vocant, confidentiæ, apertissimis Pontificum Maximorum, & numero plurimis constitutionibus improbato: quod tunc admittitur, cum Clericus beneficium impetrat, intercedente conventione quadam, sive expressa, sive tacita, ut receptum beneficium in alium transferat, vel impetrati beneficii fructus ab extraneo percipi sinat, quod, tanquam simoniæ labem detestabilem continens, damnaverunt Pius IV. in constitutione *Romanus* 85., Sixtus V. in constitutione *Pastoralis* 61., & Pius V. in constitutione *Durum nimis* 104, inflicta etiam adversus confidentiarios omnes anathematis pœna. Paucis dicam: damnandus semper erit Clericus, quoties beneficium impetrat, non animo perpetuo in eo manendi, sed illud post certum tempus dimittendi, vel gratia amici, vel consanguinei, vel ut habeat, quod cum alio beneficio permutet. Videatur etiam constitutio Pauli IV., quæ incipit: *Inter cæteras* 33., ubi etiam excommunicatione innodantur illi, qui aliorum induentes personas sese examini subjiciunt causa adipiscendi beneficia, quæ concurrentibus, aut alias post examen repertis idoneis conceduntur, ut brevi manu in amicos, vel in alios bene erga se meritos eadem beneficia transferant. His conditionibus, quibus pactum intercedit translationis, vel permutationis, vel concessionis beneficii alterius gratia, non dissimilis est altera conditio, qua quis ita cedit beneficio, ut pensionem in eodem beneficio sibi reservet; etenim etiam in ista conditione maxime locum habere aliquando potest & privata adfectio, & fraus. Quid enim ex. gr., si quem ministerii ecclesiastici tædeat, & cum alias par esset obeundo ecclesiastico muneri, mallet post adeptum beneficium otiosam vitam traducere, nihilominus utens beneficii redditibus certa pensione sibi reservata in renuntiatione? Quid, si quis beneficium impetraverit non animo retinendi, sed post breve tempus cedendi reservata sibi pensione? Hæc omnia, atque his similia, non nisi ex pravis animi adfectionibus oriuntur, propterea damnanda ab omnibus existimantur.

Quæcumque fiat beneficii cessio, sive renuntiatio, debet fieri legitimi superioris auctoritate, atque illis præterea consentientibus, quorum interest. Requiritur imprimis legitimi superioris auctoritas, non tam ex eo, quod unumquodque eo modo dissolvendum sit, quo fuit colligatum, cap. 1. de reg. jur., ac propterea non debeat cedi beneficium, nisi interveniente auctoritate illius, sine cujus facto concedi non poterat, quam ex eo, quod beneficium cedi nequeat, nisi legitima suadente causa, atque eadem causa debeat a superiore probari. Legitimi superioris nomine eum intelligo, ad cujus ordinariam jurisdictionem pertinet collatio beneficii illius, de cujus agitur abdicatione, qui ut plurimum est Episcopus, cap. 4. de renuntiat.. Quod si agatur de renuntiatione beneficii causa permutationis, & beneficia in diversis diœcesibus sita sint, tunc utriusque Episcopi accedere debebit auctori-

tas. Singulare quidquam jamdiu receptum est in translationibus Episcoporum, quæ sunt soli Romano Pontifici reservatæ, cap. 2. de translat. Episc.. Item hodie reservantur Pontifici Maximo admissiones renuntiationum, quæ fiunt favore alterius, quod primum obtinuisse videtur post editam Pii V. constitutionem, quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ* 58. in Bullario Romano. Visa fuit hæc causa digna maturiore judicio, quam propterea Pontifices Maximi in suam curam, ac providam sollicitudinem reciperent: adeo verum est, in his speciebus verendum maxime esse, ne fraus fiat utilitatibus Ecclesiarum, & solis privatorum adfectionibus indulgeatur. Nihil amplius in loco dico de renuntiatione facienda sub reservatione pensionis, postquam plura in hanc rem in præcedente dissertatione cap. 3. adnotanda fuerunt. Dixi præterea, requiri consensum illorum, quorum interest. Hujusmodi sunt patroni, sive laici, sive ecclesiastici, quoties agatur de beneficio eorum patronatui obnoxio: item ii, qui jus habent eligendi, quoties agatur de beneficio electivo. Quid vero, si Episcopus, aut alius Prælatus, ad quem ea pertinet jurisdictio, renuntiationem existimet esse Ecclesiæ necessariam, vel valde utilem, sed patroni, vel illi, ad quos spectat jus eligendi, dissentiant? Receptum est, ut patroni, vel ii, qui jus habent eligendi, possint cogi ad præstandum assensum, &, si consentire nolint, possit Prælatus, iis omnino contemptis, ad renuntiationem adprobandam progredi, & executioni demandandam, Rebuffus in praxi beneficiaria parte 3. tit. de permutationibus numero 22., Garzias de beneficiis parte 2. cap. 3. num. 17. & sequentibus, ubi refert conformem Sacræ Congregationis definitionem numero 7.

Præter legitimam auctoritatem justa etiam causa requiritur, ut renuntiatio valeat. Absit autem, ut eas justas causas dicamus, quas ex corrupta renuntiantium mente suis temporibus invasisse scribebat Rebuffus in praxi beneficiaria libr. 3. titulo de resignatione expressa num. 3. ibi: *Hodie causa causarum est affectio carnis, quia omnes volunt suos consanguineos præficere Ecclesiis, quibus forte male præfuerunt, ut pessime quoque illi postea præsint, cap. grave de præbend., cap. un. ut ecclesiastica beneficia; & ista est, quæ jamdudum labefactavit totam Ecclesiam: altera est etiam caurarum regina pecunia, ut in toto titulo de simonia, can. fertur caus. 1. quæst. 1.*. Justas causas existimabimus eas, quas sciemus jure probatas, quales ad unam vel Ecclesiarum necessitatem, vel gravem utilitatem referuntur, quemadmodum scripsit S. Thomas in secunda secundæ quæst. 100. art. 1. ad. 3.. Quibus in facti speciebus necessitas, vel utilitas Ecclesiæ renuntiationem admitti postulet, perspicue expressit Innocentius III. in cap. 10. de renuntiatione, cujus sententiam memoriæ juvandæ causa duobus hisce versiculis contraxerunt Decretalium Breviatores:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cadere possit.

Reprehendebat Innocentius III. Episcopum quemdam, qui Episcopali sollicitudine se abdicare volebat, statuens initio generalem regulam, docensque, nemini licere a ministerio semel suscepto recedere. Deinde causas recensuit, propter quas probabilis est renuntiatio. Primam causam memoravit criminis conscientiam, & quidem non cujuscumque criminis, sed illius, quo admisso etiam post peractam pœnitentiam quis impeditur, ne officium exequatur. Quod enim crimen si notum esset, ac in judicio probatum, causam judici præberet, ut beneficiarium ab officio adjiceret, causam etiam præbet, ubi occultum est, ut beneficiarius ipse sponte beneficium dimittat, quasi officium judicis in se aut gerat, aut præveniat. Alteram causam retulit corporis debilitatem, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute pro-

cedat, idque tum demum, cum ita quis debilitate fractus est, ut nequeat munus implere. Tertiam causam collocavit in defectu necessariæ doctrinæ, qua in specie non tam ferendum esse scripsit, si quis renuntiare voluerit, quam omnino laudandum. Quartam causam esse tradidit malitiam plebis, qua interdum cogatur Prælatus Ecclesiæ ab officio cessare, tum nimirum, cum Prælatus subditis suis proficere nullo modo posset. Quintam causam dixit esse scandalum evitandum, quoties tale sit, quod bonis moribus, & utilitati fidelium curandæ adversetur. Postremam causam voluit esse irregularitatem ex defectu; nam si ex crimine orta fuisset, hæc ad primam causam refertur, seu ad conscientiam gravis criminis. Cæterum & in hac re distinguendam voluit Innocentius irregularitatem illam, quæ in sacris literis fundamentum habet, veluti cum quis bigamus sit, vel viduæ maritus, ab irregularitate illa, quam succedente ætate Patres Ecclesiæ indixerunt. Priorem irregularitatis speciem voluit Innocentius probabilem esse renuntiandi causam. At si de secunda specie ageretur, ubi irregularitas esset occulta, maluit, dispensandum esse ab irregularitate, ut Prælatus in officio perseveret, quam dimitti officium sacrum; atque exemplum tradidit in eo, cujus natalia illegitima fuerint, quique paternum vitium non imitetur. Cæteras causas, quæ in indulgentia erga privatas adfectiones sitæ essent, idem Innocentius improbavit. Ex quibus magis, magisque firmatur, quod initio præstitutum est, causas omnes renuntiandi referendas esse in publicam Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem. Exinde autem liquet, in renuntiationibus conditionalibus majorem requiri causarum Ecclesiæ utilium investigationem, sive quod in istis, ut dictum est, major est suspicio, ne privatis adfectionibus indulgeatur, sive quod duplex judicium esse debet, videlicet primum, quo probetur renuntiatio, secundum, quo probetur conditio adjecta renuntiationi.

Renuntiare omnes beneficiarii possunt, qui lege non prohibentur, sive renuntient per se, sive per procuratorem ad id specialiter constitutum, & quidem publico instrumento, quemadmodum quotidiana praxis demonstrat; quod recto consilio inductum fuit ad evitandas fraudes, quæ admitti a nonnullis possent, & ne renuntians secuta renuntiatione facile conqueratur, allegando, se per vim, aut metum abdicavisse. At deputato semel procuratore ad renuntiandum, etiam si mandatum fuerit revocatum, fiet tamen jure renuntiatio, & facta valebit, quoties revocationis notitia ad procuratorem, & ad collatorem beneficii non devenisset, Clement., un. de renuntiat.. Abs jure prohibentur renuntiare pupilli sine auctoritate tutoris, si forte ex dispensatione quadam, aut ex natura singulari beneficii a fundatore expresse indita, beneficia obtinuissent; secus ac contingat in minorennibus, quorum renuntiatio admittitur, si a nemine circumventi sint; etenim in negotiis spiritualibus minor vigintiquinque annis pro majore habetur; cap. ult. de judic. in 6.. Præterea non admittitur renuntiatio beneficii facta ab eo, qui ejusdem beneficii titulo est ordinatus, nisi alia ratione eidem consulatur, Concilio Tridentino sess. 21. de Ref. cap. 2.. Item effectu carebunt resignationes, aut gratia alicujus factæ, aut adjecta conditione reservationis pensionis gratia resignantis, si dolus, & fraus in ipsis interveniat. Fraus autem admitti præsumitur, quoties quis beneficio se abdicaret conditione adjecta, ut in integros beneficii fructus sibi retineat. Quid enim aliud hic in animo versaret, quam suis commodis vacare, & totum ministerii ecclesiastici onus in alium transferre? Id a Pontificibus Maximis damnatum refert Rigantius ad Regulam 45. Cancellariæ num. 23. & sequentibus. Item fraus præsumitur, quoties quis beneficium alterius gratia resignaverit cum reservatio-

ne pensionis, adjecto pacto, ut intra certum tempus pensio data, & repræsentata pecunia redimatur. Id enim, tanquam turpem beneficiorum mercaturam, ita damnavit Benedictus XIV. in sua constitutione *In sublimi* anni 1741. 4. Cal. Septembris, ut edixerit, & resignantem, & resignatarium omni jure, quod in beneficio habuissent, penitus cadere. Præterea ob gravissimam fraudis suspicionem rejiciuntur in Curia resignationes Parochialium Ecclesiarum, & aliorum beneficiorum personalem residentiam requirentium, præsertim cum reservatione pensionis; item rejiciuntur permutationes istorum beneficiorum cum aliis beneficiis similem residentiam non requirentibus, quoties per certum diuturnum tempus resignans beneficium non possedisset, & legibus residentiæ non satisfecisset, quasi in his facti adjunctis, cedens videatur adeptus fuisse beneficium non animo illud retinendi, ac residendi, sed animo illud transferendi, & pensionis commodum lucrandi. Hanc consuetudinem in Romana Dataria invaluisse a temporibus Gregorii XIV. scribit Garzias de beneficiis parte 11. cap. 3. numero 47., una adnotans, olim tempus illud designatum fuisse, aut septem, aut sex saltem annorum; licet deinde receptum fuerit, ut sufficeret tempus quinque, aut saltem trium annorum. Et quidem cum in hac re de suspicione fraudis agatur, videtur *hæc res in arbitrio* Pontificis Maximi collocata, qui sane in admittenda cessione hujus generis universa adjuncta pensabit, & juxta eadem adjuncta aut facilius resignationem admittet, aut omnino repellet. Similiter fraus inesse præsumetur, quoties qui beneficium possidet, quo ad certum suscipiendum sacrum ordinem adstringatur intra annum, antequam ordinationem suscipiat, favore alterius cedat. Rursum præsumitur fraus illi inesse, qui dum prævidet, se brevi promovendum esse ad aliquam majorem ecclesiasticam dignitatem, favore alicujus beneficium permutat, aut cedit, uti receptum est ex Regula 26. Cancellariæ *de beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, vel Monasteria.* Eadem ratione reus gravioris cujusdam criminis, qui prævidet, se brevi ex sententia Judicis beneficio spoliandum esse, non poterit beneficia favore alicujus resignare, vel permutare. Faber in codice libr. 1. tit. 2. def. 89. Cancellariæ, quæ inscribitur: *De infirmis resignantibus*, alias *de viginti*; qua obviam eundum fuit renuntiationibus favore cujusquam ab *infirmo* factis, *eo animo*, ut proxima beneficii vacatio, & libera succedens Ordinarii, aut alterius Prælati, etiam si de Pontifice Maximo ageretur, collatio impediatur. Quamobrem statutum est, ut si quis infirmitate constitutus resignaverit, sive ex causa permutationis vel alias dimiserit, ut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea intra viginti dies a die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi irrita sit, ac ipsum beneficium nihilominus vacare per obitum censeatur. Adversus hanc regulam, statim ac edita fuit, cœperunt nonnulli Clerici fraudes novas excogitare. Nimirum resignationes faciebant, quum bene valerent, interea tamen resignationem ipsam occultabant, suspensa exhibitione actus in tempus infirmitatis beneficiarii. Ut novis his fraudibus occurreretur, a temporibus Innocentii VIII. edita fuit altera Cancellariæ Regula sub inscriptione *de publicandis resignationibus*, quæ viguit usque ad tempora Gregorii XIII. Statuerat in dicta Regula Cancellariæ Innocentius VIII., ne ulla amplius resignatio admitteretur, nisi eadem publicaretur infra sex menses, si in Romana Curia facta proponeretur, atque infra mensem, si extra Romanam Curiam

fieret, numeratis mensibus a die supplicationis, & non a die præstiti consensus. At hæc providentia desiit inter Cancellariæ Regulas edi, postquam in hanc ipsam rem prodiit generalis constitutio Gregorii XIII. anno 1585., quæ incipit: *Humano vix judicio* 85. in Bullario Romano. In hac constitutione cautum fuit, ut nulla resignatio valeret, etiam ex causa permutationis, nisi quæ publicaretur intra certum tempus: videlicet, si ageretur de resignatione in Romana Curia facta, infra sex menses, si beneficium intra montes fuerit; & si ultra montes intra novem menses, a data concessionis gratiæ, non a die præstiti consensus numerandos; quod si ageretur de resignatione facta apud Ordinarium, vel apud alium extra Curiam Romanam, intra mensem publicatio fieret. Itaque ut hodie resignatio valeat, debet intra legitimum tempus publicari, id est, publice nota fieri in Ecclesia beneficii, in conventu populi actum renuntiationis legendo, illumque ad fores Ecclesiæ promulgando, ut, quid gestum sit, omnibus pateat. Non tamen inverosimile est, etiam per æquipollens, ut ajunt, publicationem fieri posse, quod contingit, quum nec vi, nec clam, nec precario resignatarius missus fuerit in possessionem beneficii, & ab ejusdem possessione resignans omnino recesserit; id enim est, quod vulgo dici solet, missionem in possessionem publicationi æquivalere, dummodo resignans non amplius in possessione sit; Faber in codice de sacros. Eccles. defin. 14., juncta definitione 59. & 60..

Non sunt omittendæ duæ aliæ regulæ Cancellariæ, nimirum 40. & 45., in quarum priore occurritur bono publico, ne aut permutationes, aut resignationes contra leges fiant; in posteriore occurritur indemnitati singulari, qua resignantium, qua resignatariorum. Itaque in regula 40., cavetur, aut cum receptio resignationis alicui committatur, tum Executor Apostolicus moneatur, ut observet, an in resignationem simoniaca labes, aut alia illicita pactio, & morum corruptela irrepserit; item ut cum alicui committatur receptio resignationis causa permutationis, moneatur Executor, ut noverit, effectum non habere permutationem, nisi revera uterque ex permutantibus jus habuerit in beneficio, quod permutatur. Quid enim, si unum beneficium litigiosum fuerit? Quid, si fictitium, vel nullius omnino redditus, quod Pragmatici appellant beneficium *de pertica*? Quid, si beneficium esse dicatur, quod erat aut laica Cappellania, aut pium quoddam legatum? In his omnibus casibus permutatio nullius erit momenti. In regula 45. statuitur, ut, cum de resignatione, vel cessione beneficii agitur, sive in manibus Papæ, sive in Cancellaria Romana, non aliter Apostolicæ literæ expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Romana Curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expresse consenserit, & juraverit; quod si beneficiarius pluries successive gratia diversarum personarum de eodem beneficio resignando consenserit, primus tantum consensus attendatur. Denique observandum est, resignationem in favorem fere semper in Romana Curia expediri per literas in forma *dignum* juxta constitutionem 32. Pii V., mandarique ordinariis executoribus, eorumdem onerata conscientia, ut investigent resignatarii qualitates universas, ac tum demum ad exequendas Apostolicas literas deveniant, cum satis sit utilitati Ecclesiæ factum, immo, si de beneficio Parochiali agatur, curent, ut resignatarius ab Examinatoribus Synodalibus examinetur. Insuper hodie receptum est a temporibus Clementis XI., ut, si agatur de resignationibus Parochialium, Dignitatum, Canonicatuum, & aliorum Beneficiorum residentialium, adhibenda sit attestatio Ordinarii super idoneitate resignatarii, exceptis resignationibus Canonicatuum

Collegiatarum Galliæ, in quibus in Romana Curia nullæ exiguntur Ordinariorum attestationes: quod si agatur de resignatione beneficiorum simplicium, receptum quoque est in Romana Curia, ut illa admitti valeat sine attestatione Ordinarii; insuper si agatur de beneficio Parochiali resignando, non aliter, excepta Gallia, resignatio admittatur, quam si resignatarius sit jam constitutus in ætate annorum triginta, quamquam generaliter verum sit, ad beneficium Parochiale adeo provectam ætatem non requiri. Id refertur apud Rigantium ad Regulam 45. Cancellariæ numero 36. & sequentibus. Ex quibus omnibus liquet, quibus cautionibus pro temporum opportunitate usi fuerunt Pontifices Maximi, ut inter resignationes occasio omnis auferretur, fraudem faciendi, quæ fieri sæpe consuevit ex multorum improbitate, utilitatibus Ecclesiarum.

APPENDIX

De Beneficiis impropriis.

QUemadmodum feuda impropria dicuntur, quæ a generalibus feudorum regulis recedunt juxta singularem investituræ formulam, ita jure optimo beneficia dicentur impropria, quæ generaliter, & undecumque non habent beneficiorum omnium naturam, qualitates, proprietatesque universas, sed ejus indolis sunt, qualem singulari jure ex sui institutione, vel ex fundationum tabulis acceperunt. Hinc tot demonstrari possunt beneficiorum improprioriorum exempla, quot modi sunt, quibus simplex beneficiorum natura immutetur, ea adjecta observatione, qua demonstretur, quædam beneficia modo magis, modo minus impropria dici, prout vel magis, vel minus beneficiorum ordinariis regulis subsunt. His positis, beneficia impropria dixeris præstimonia, seu præstimoniales portiones, quæ scilicet alicui conceduntur, incidente quadam ex causa, nec perpetuo duratura, ex. gr. causa studiorum, vel paupertatis, vel militiæ ineundæ, cap. ult. de concess. præb. in 6.. Impropria quoque dixeris beneficia manualia, electiva, patronalia, item coadjutorias etiam cum jure futuræ successionis, vicarias, & alia bene multa. Sed quæ magis, & omnino impropria dici possunt, sunt clericalia patrimonia, & cappellaniæ, præsertim laicales, quibus vix beneficii ecclesiastici nomen tribui potest, quibusque propterea nullo modo accommodari possunt leges illæ universæ, quæ de beneficiis ecclesiasticis mentionem faciunt, sive onus, sive jus, aut privilegium contineant. De hoc igitur postremo beneficiorum impropriorum genere superest, ut in præsentia disseramus, ad absolvendam tractationem; siquidem de aliis impropriis beneficiis jam multa in præcedentibus tradita sunt, & pro omnibus sufficeret generatim dicere; ipsis regulas omnes beneficiis præstitutas accommodari, nisi in quibusdam a generalibus regulis eadem beneficia exempta fuisse apertissime demonstrentur.

Ut primum de clericalibus patrimoniis dicam, observant viri eruditi, per duodecim fere priora sæcula nullum fuisse illorum usum. Vel enim ad ea tempora respicimus, quibus Clerici vitam communem ducentes ex redditibus Ecclesiarum in communi alebantur; tum vero quicumque ab Episcopo ordinaretur, in bonorum communionem adsciscebatur in Collegio, neque ordinabantur plures, quam redditnum quantitas, & ratio ferre valeret; quamobrem ut plurimum præstitutus erat administrorum numerus,

quemadmodum de Constantinopolitana Ecclesia testatur Justinianus in Nov. 3. principio, & cap. 1., cui jungi potest Novella 6. cap. 8., & si quando præter numerum ordinatio facta fuisset, sacris canonibus omnino improbabatur, ita ordinatis ab ordine, officioque suspensis, can. 1. & 2. dist. 70. nisi forte adauctis redditibus ecclesiasticis Episcopus alios adjungi Clericos non tam utiliter, quam commode posse duxisset. Vel ad ea tempora respicimus, quibus jam discissa vitæ clericalis communione singulis certa bona, certaque officia sub beneficii nomine adsignata fuerunt; tum vero nemo ordinabatur, nisi occasione vacantis beneficii, ejusdem titulo, quemadmodum etiam hodie usuvenit in ordinatione Episcoporum, qua nemo insignitur, nisi certa Sede Episcopali vacante. Temporibus Alexandri III., & Innocentii III. cum quidam Episcopi numerum Clericorum pro lubitu augerent, cavendum fuit, ut ordinatores in pœnam admissi tenerentur ordinatis indigentibus necessaria vitæ subsidia subministrare, quod adparet primum ex cap. 4. de præbend.. Ibidem voluit Alexander III., ut si Episcopus aliquem in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit sine titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, tamdiu ei necessaria ministret, donec in aliqua Ecclesia convenientia stipendia militiæ clericalis adsignet, adjecta exceptione, nisi ordinatus de suis, vel paternis bonis subsidium vitæ habere possit. De Subdiaconis nihil expresse definivit Alexander III., utpote cujus ætate Subdiaconatus ordo necdum inter sacros adnumerabatur, can. 4. dist. 60.. Temporibus Innocentii III. etiam Subdiaconi referri cœperunt inter Clericos majores, & vere in sacris ordinibus constitutos, uti liquet ex cap. 9. de æt. & qualit. præfic., tum vero Innocentius III. eamdem disciplinam observandam in ordinatione Subdiaconorum mandavit, quæ in ordinatione Diaconorum, & Presbyterorum observabatur. Hinc est, quod in cap. 13. de æt. & qualit. præfic. conquestus de cujusdam Episcopi facto, qui Clericos sacris ordinibus sine titulo initiaverat, mandavit eidem, ut ordinatis provideret. Idipsum & clarius rescripsit in cap. 16. de præbend., ubi tradidit, canonum sententia debere quidem irritas esse ordinationes sine titulo factas, attamen ex indulgentia quadam, se mitius agere velle, mandans, ut Episcopus, qui Subdiaconum sine titulo ordinaverat, ordinato beneficium concederet, & quousque non concesserit, ordinato vitæ necessaria suppeditaret. Exceptionem etiam probavit in cap. 23. de præbend., declarans, posse sacros administros sine titulo ordinari, quin ordinatores teneantur ad necessaria vitæ subsidia præstanda, quoties ordinati de patrimonialibus bonis valeant sustentari. Ex his rescriptis factum est, ut passim judicaretur abolita veterum canonum pœna præstituta odio ordinationum sine titulo factarum, qua nimirum ordinati erant ab ordine suspensi, can. 1. & 2. dist. 70., cujus loco successerat obligatio penes ordinatorem alendi ordinatum. Ad evadendam hanc obligationem curaverunt Episcopi, ut, quoties ordinaturi essent majores Clericos sine titulo, id est, nullo concesso beneficio, tum non aliter ordinandos admitterent, quam si ordinandi se necessariis vitæ subsidiis non destitui demonstrarent, quod probabatur laudatis Alexandri III., & Innocentii III. rescriptis, atque hanc demonstrationem appellaverunt Patrimonii ecclesiastici constitutionem, cap. 23. de præbend.. At enim interea quidam Episcopi abutebantur hac nova disciplina; nimirum cum ordinaturi essent Clericos inopes, ut se ab onere eos alendi relevarent, exigebant ab ordinandis jusjurandum, quo sponderent, se nihil ab ordinatoribus postulaturos. Gregorius IX. gliscenti abusui occurrit, statuens in hac specie, ordinatorem per triennium esse a collatione ordinum suspensum, & ordinatum esse suspensum ab ordine sic suscep-

to, donec a Sede Apostolica dispensationem obtineret, cap. 45. de simonia, qua in specie confirmata videtur veterum canonum disciplina, qua suspensio ab officio indicebatur, quin attenderetur moderatio invecta ex indulgentia Alexandri III., & Innocentii III.. His adhibitis cautionibus, non displicuit ea ordinandi ratio aut Episcopis, aut Clericis beneficiariis inferioribus, propterea quod numerus administrorum ecclesiasticorum augebatur, dum præter beneficiarios erant alii titulo patrimonii ordinati, ac propterea sine diminutione obventionum ecclesiasticarum cedentium beneficiariis, munera sacra commodius exercebantur. Sed iterum in Concilio Tridentino res hæc in gravissimam controversiam adducta fuit, uti refert Cardinalis Pallavicinus in sua historia libr. 17. cap. 9., & prope eo devenerant ecclesiastici Patres, ut neminem amplius ordinandum titulo patrimonii admitterent, nisi statim objectum foisset, fraudem exinde fieri Ecclesiis numero plurimis, in quibus perpauca admodum beneficia, alicubi etiam non nisi unicum, erecta dignoscerentur, nec satis poterat per paucos beneficiarios publicæ sacrorum utilitati prospici. Quamobrem prudentissime cavendum fuit, ut non aliter fierent ordinationes titulo patrimonii, quam si per illas necessitatibus, aut utilitatibus Ecclesiarum consuleretur, cap. 16. sess. 23., juncto cap. 2. sess. 21. de Ref..

Perspicue exinde colligitur, non æque admitti ad ordinationem titulum patrimonii, ac admittatur titulus beneficii: videlicet ordinatio facta patrimonii titulo, non ordinarii juris est, sed veluti in subsidium permissa, quoties id opus esse, vel saltem utile Ecclesiæ prudenti Episcopi arbitrio videatur; quare traditum est apud Fagnanum ad cap. 4. de præb. num. 24., non nisi ex dispensatione ordinationes ejusmodi fieri. Equidem Concilium Tridentinum minime definivit quantitatem patrimonii, & fructuum e patrimonio redigendorum, propterea quod de ea re ageretur, quæ non potuisset in singulis diœcesibus æqualiter omnino servari, propterea que Episcoporum arbitrio erat relinquenda: tantum decrevit, ut sufficere illud posset ad honestam Clericorum sustentationem juxta mentem veterum decretorum Alexandri III., & Innocentii III. superius commemoratorum; adeo ut, si forte quis tenue, & insufficiens beneficium possideat, ordinari possit, quoties beneficio tantum privati patrimonii adjiciatur, quantum par esse sustentando Clerico valeat. Debet autem patrimonium esse perpetuum, certum, pacifice possessum, in bonis immobilibus consistens, & fructiferum. Quod perpetuum esse debeat, deducitur, illud alienari non posse sine licentia Episcopi, nunquam facultatem hanc concessuri, nisi quum aut causa existat necessaria, aut Clerici utilitas suadeat, cui alias consulatur; uti contingit in permutationibus, aut in illis causis, in quibus certo modo Clerici utilitati æque prospicitur, quemadmodum evenit in Clerico, qui ordinatus est titulo patrimonii, & interea gaudet coadjutoria cum jure futuræ successionis; evenienti enim successionis tempore, permitti eidem poterit, ut patrimonium alienet. Similiter evenit in Clerico, qui cum patrimonii titulo ordinatus esset, inde ecclesiasticum beneficium sufficiens adipiscatur. Hinc non repugnat, certis conditionibus patrimonium ab initio constitui, ut ex. gr. loco tituli esse designat, cum Clerico alia ratione consultum fuerit. Quod certum esse debeat, deducitur, designandam imprimis esse ab Episcopo certam redditus quantitatem, ad quam patrimonia exigantur, & juxta eam patrimonium constitui oportere. Quod pacifice possideri illud oporteat, colligitur imprimis, faciendas esse publicas in Ecclesia constituendi patrimonii proclamationes, ne forte in re aut aliena, aut aliis obligata inutiliter constituatur; deinde quamquam ab extraneo

donante constitui possit, evitandum tamen semper esse, ne subdola donatio sit contracta ex. gr. inter donantem, & donatarium fiducia, ut dominus re specie tenus donata fruatur, aut ne in fraudem aliorum ea donatio tendat, quod ex. gr. contingeret, si pater in injuriam, & diminutionem legitimæ portionis singulis liberis debitæ, uni filio patrimonium constitueret. Quod denique in bonis immobilibus, ac fructiferis consistere debeat patrimonium, colligitur, res mobiles, immo & immobiles infructiferas admitti non posse, ne menti Concilii, & antiquiorum constitutionum fraus fiat. Non esset tamen rejicienda constitutio facta in censibus justis, aliisve similibus juribus, quæ immobilium jure censentur, & certas habent obventiones; dummodo caveat Episcopus, ut, si forte census debitor sortem restituat, ea in rem æque immobilem, ac fructiferam impendatur; immo & tradit Barbosa de offic. & potest. Episc. allegat. 19. num. 73., in arbitrio Episcopi esse, ut Clericum ordinet, quoties extraneus quidam par solvendo, alimenta se præstiturum spondeat ordinando; hæc enim fidejussio immobilium jure in hac parte censetur.

Gravem controversiam movere solent postrema verba Tridentini Concilii in dicto cap. 2., quibus nova hæc patrimoniorum disciplina certis modis confirmata est, hac adjecta pœnali sanctione, *antiquorum canonum pœnas super his innovando.* Num nomine antiquorum canonum intelligemus canones 1. & 2. distinct. 70., quibus ipso jure suspensi declarantur, qui sine legitimo titulo ordinantur, aut potius capitulum 16. de præbend. cum similibus, ubi pœna imminet Episcopo ordinatori, ut ipsum ordinatum alere, vel donare beneficio teneatur, eo etiam adjecto, ut graviore pœna & ordinans, & ordinatus plectantur, quoties ordinationis tempore conventum fuerit, ne ordinatus alimenta peteret ab ordinante, juxta capitulum penultimum de simonia? Indiguerunt sane interpretatione verba laudata Tridentini decreti, in quorum conspectu receptum fuit, innovatas tantummodo fuisse pœnas adversus Episcopos ordinatores præstitutas in dicto cap. 16. de præbend., uti ad illius interpretationem testatur Fagnanus num. 63., non vero eas, quæ olim præstituebantur, & fuerunt jamdiu in dicto cap. 16. ex indulgentia remissæ. Et quamquam Sixtus V. in sua constitutione, quæ incipit: *Sanctum & salutare* anni 1588. Nonis Januarii, voluerit, ordinatos sine patrimonio sufficienti eo ipso pœnam suspensionis incurrere, ea tamen constitutio in illa parte abrogata fuisse videtur a Clemente VIII. in constitutione, quæ incipit: *Romanum Pontificem* 40., in qua voluit, ut omnia ad normam Tridentini Concilii redigerentur. Neque dicas, subobscuram videri in ea generali formula Tridentini Concilii sententiam. Facile enim est, in eadem Tridentinorum Antistitum prudentiam insignem agnoscere, quoniam emergere casus poterat in dicto cap. 16. de præb. & similibus non comprehensus, in quo propterea adhuc definiendum erat juxta antiquiores canones, id est, primum, & secundum dist. 70.. Finge ex. gr., monachum necdum professum titulo Monasterii ordinationem subdolis artibus ab Episcopo impetravisse; nonne dicendus ipse fuisset jure ipso suspensus, quod ad hanc speciem disciplina dicti capituli 16., & similium minime pertinent? Revera ita declaravit Pius V. in sua constitutione *Romanus Pontifex sacrorum* anni 1568. pridie idus Octobris. Finge, Clericum in designatione patrimonii circumvenisse fraudibus Episcopum ordinantem: nonne adversus eum locum haberet vetus pœna suspensionis, quando in dicto cap. 16. Innocentius III. tantum coercere voluit Episcopos illos, qui sponte ordinationem sine titulo celebravissent? Finge, Episcopum sine titulo ordinantem pactum fuisse, ne

quidquam a se peteretur: nonne & suspensioni locus faciendus erat, juxta capitulum 45. de simonia? Erant hæc, & similia singularia; quamobrem utile fuit in Tridentino Concilio generalem clausulam adjicere de innovandis antiquorum canonum pœnis, quæ pro varietate factorum variæ erant, & omnino distinctæ. Unum adhuc adjiciendum superest ad hanc rem; nimirum titulum hodie jure communi requiri in ordinatione sacrorum, id est, collatione Subdiaconatus, majorumve graduum, non vero inferiorum, quoniam receptum hodie est, inferiores administros resilire ab officio posse. Sacrorum ordinum tantum mentio fit, in dicto Tridentino capite 2., uti & in capitulo 13. de ætat. & qualit. præfic., & quamquam in cap. 4. de præbend. tantum de Diaconis, & Presbyteris mentio fiat, dicendum est, uti superius prænotabam, temporibus Alexandri III. necdum Subdiaconatum inter majores ordines habitum ex generali disciplina fuisse, & cum temporibus Innocentii III. Subdiaconi inter majores Clericos recenseri cœperint, cap. 9. de ætat. & qualit. præficiend., tum disciplinam jam olim invectam respectu Diaconorum, & Presbyterorum, protractam etiam ad Subdiaconos fuisse, cap. 16. de præbend.; nisi dicere malis, minus dictum fuisse ab Alexandro III. in dicto cap. 4., & quod omissum fuit de Subdiaconis apud Alexandrum III., supplendum esse ex rescripto Innocentii III. in dicto cap. 16. eod. tit..

Cappellaniæ ita dictæ, quod ut plurimum significant obligationem vel celebrandi Missæ sacrificium, vel certa ministeria præstandi statis diebus in certa Cappella, sive Altari, argumento canonis 30. de concess. dist. 1., non semper eamdem habent naturam, quum earum indoles potissimum a fundationum tabulis pendeat, proindeque modo magis, modo minus a generalibus beneficiorum regulis recedunt, prout postulant variæ conditiones initio adpositæ, pro ea, quæ fundatoribus amplissima tributa legibus fuit, potestate can. 30. caus. 18. quæst. 2. cap. 4. de cond. adpos., juncto argumento legis 48. ff. de pactis, l. 1. §. 6. ff. depositi, l. 20. §. 1. ff. de pact. dotal., l. 2. ff. siqu. a par. man. fuer., l. 1. ff. de solution., l. 1. cod. de sacrosanct. Eccles.. Harum institutio recentiorem originem habet, inductam exemplo beneficiorum. Etenim cum olim auctoritate Antistitum tributa fuissent ecclesiastica officia, & unicuique Clerico certa bona adsignata sub nomine beneficii; Antistitum exemplo vel Collegia Clericorum, vel singulares personæ etiam laicæ certa bona certis conditionibus discreta voluerunt, quibus Clerico cuidam certis indictis oneribus consuleretur. Itaque beneficiis formam dedit ratio ipsa publica sacræ hierarchiæ, unde beneficia munerum publicorum nomine recte possunt appellari: at Cappellaniis formam dedit singularis pietas, & religio erigentium fundatorum, quæ sola pro lege fuit. Sed heic est, ubi sæpe numero fit confusio rerum, & notionum, quandoquidem Cappellaniæ etiam beneficiorum nomine passim, utut improprie, appellantur, propterea quod quædam sint & beneficiis, & Cappellaniis communia; item quandoque Cappellaniæ confundantur cum anniversariis, vel piis legatis, utut Cappellaniarum natura adhuc sit a natura anniversariorum, vel legatorum piorum valde distincta. Ut ex methodo dicam, in primis observandum erit, qua ratione Cappellania aut conveniat cum beneficiis, aut a beneficiis distinguatur; deinde observandum, qua ratione Cappellania aut conveniat cum anniversariis, vel legatis piis, vel ab eisdem secernatur; quibus positis, facile Cappellaniarum natura, atque indoles dignoscetur.

Itaque in primis convenit Cappellania cum beneficio in eo, quod in utroque certum sit sacrum officium obeun-

dum, aut saltem, religiosa, vel pia quædam munera exercenda, adeo ut Cappellanus ea non implens removeri abs jure Cappellaniæ possit, argumento cap. 2., & 4. de Cler. non resid., monitione sane præmissa, authentica *hoc amplius* cod. de fideicommiss., nisi fundator jure ipso Cappellanum a Cappellania cadere voluisset. Deinde illud est & beneficiis, & Cappellaniis commune, ut certa quoque in Cappellaniis constituta sint bona quasi dos a Cappellano in perpetuum possidenda. E converso a beneficio Cappellania differt primum in eo, quod beneficium ecclesiasticum Clerico semper concedatur, at Cappellania non semper Clericum exigat possessorem, sed & quandoque laico conferatur; adeo ut si Cappellaniæ nullæ exercendæ hierarchicæ functiones adhæreant, sed tantum pia quædam opera, aut religiosa, veluti dotium annuatim præstandarum, pecuniæ in pauperes tribuendæ, hæc a laico Cappellano fiant; quod si functiones hierarchicæ peragendæ sint, laicus Cappellanus satisfaciat, si Clerico eas obeundas mandet, nisi specialiter in fundatione cautum fuerit, ut Cappellanus Clericus esse debeat. Differt etiam a beneficio Cappellania in eo, quod ad erigendum beneficium intervenire debeat ecclesiastici Prælati auctoritas, & quotiescumque beneficium vacet, debeat ecclesiastici Prælati conferri, non privata auctoritate alicujus capi: at in Cappellania non requiritur aut in erigendo, aut in conferendo auctoritas ecclesiastici Prælati; cum omnia vel ab eo, qui erexit, vel ab eo, qui erigenti successit, & patronatum habere dicitur, vel ab alio quocumque, quæ fundator designaverit, perficiantur; quamquam nec repugnet, fundatorem in limine fundationis voluisse, ut Episcopi auctoritas seu in electione, seu in collatione, prout Cappellania vacet, intercedat. Potissimum autem discrimen, quod inter Cappellaniam, & beneficium intercedit, & ex quo semper Cappellania a beneficio distinguitur, illud est, quod beneficium vere inter jura Ecclesiæ recenseatur, & titulus semper penes Ecclesiam sit, manente administratione generali penes Ecclesiæ Prælatum; licet idemtidem reserventur quædam jura honorifica gratia fundatoris, eorumque, qui a fundatore causam habent; at Cappellania proprie non est inter jura ecclesiastica, cum titulus remaneat penes fundatorem, sive iste laicus sit, sive ecclesiasticus, vel penes eos, qui a fundatore causam habent, licet fieri possit, ut multa ad Cappellaniam ipsam spectantia conferantur in fidem, religionem, ac sollicitudinem Prælati ecclesiastici; ex quo fit, ut multa, quæ in beneficiis obtinent ex constitutionibus Prælatorum, ad Cappellanias non producantur, uti contingit in reservationibus Pontificiis, quæ ad Cappellanias non extenduntur, etiam si de Cappellaniis agatur, quæ fuerint Prælatis Ecclesiæ commendatæ aut causa collationis, aut causa alterius actus, ex quo Cappellania ecclesiastica dici possit.

Deinde in quibusdam convenit Cappellania cum anniversario, in quibusdam etiam ab anniversario distinguitur. De anniversariis primum mentio facta occurrit apud Honorium III. in cap. 11. de celebrat. Miss., inde illorum mentionem fecit Bonifacius VIII. in cap. un. de Cler. non resid. in 6., sunt autem illa annuæ defunctorum commemorationes. Anniversariorum exemplo alia fuerunt instituta pia relicta, in quibus juxta mentem fundatorum sæpius exercentur opera quædam religiosa; atque hæc iterum nonnihil commune habent cum Cappellaniis, quamquam in aliquibus a Cappellaniis etiam distinguantur. Illud commune omnibus est, ut & Cappellania, & anniversarium, & pia relicta universa perpetua censeantur, quoscumque hæredes etiam seros obligatura, nisi aliter fundatorem voluisse, expresse constet. Ita in simili propemodum argu-

mento respondit Modestinus in l. 6. ff. de annuis legatis, ubi perpetuo luendam voluit annuam pecuniam ad ludos civitatis relictam, propterea quod testator causam perpetuam contemplatus fuisse videbatur. Plane in anniversariis, in Cappellaniis, in piis relictis omnibus causa etiam perpetua est, nimirum divinus cultus, redemptio peccatorum, suffragium animæ defuncti, aut opera pia pauperibus sibi perpetuo succedentibus utilia. Hinc facile occurritur difficultatibus, quæ in contrarium objici possent in conspectu legis 32. §. ult. ff. de legat. 2., legis 38. §. 4., legis 93. ff. de legat. 3., & Novellæ 59. cap. 1. & seq., quæ enim ibidem occurrunt argumenta, non habent causam perpetuam, qualis inest in anniversariis, cæterisque piis relictis in perenne animæ subsidium ordinatis; sed referuntur aut ad nerum testatoris præceptum, quod perpetuum non censetur, aut ad fideicommissum gratia familiæ constitutum, cujus quoque causa perpetua non præsumitur, cum æqualis non videatur testatoris benevolentia in seros descendentes, qualis est in proximos ad certos usque gradus. E converso distat Cappellania ab anniversariis, cæterisque piis defunctorum relictis, quod in Cappellania certi fundi demonstrantur, atque a patrimonio, seu hæreditate fundatoris segregantur, quasi dos ejusdem Cappellaniæ adsignata Cappellano; sed in anniversariis, cæterisque piis relictis præcipua habetur personalis obligatio hæredibus imposita, etiam sine ulla designatione certorum fundorum; quod si quandoque contingit, certos fundos pro executione pii relicti demonstrari a testatore, hæc tamen demonstratio non eo refertur, ut indicetur, fundos eosdem esse veluti certam rem ab hæreditate separatam, quasi dotem pii operis instituti, sed eo, ut noverint hæredes, quibus ex fundis luere quantitatem debeant ad executionem piæ voluntatis, vel noverint hæredes, manere apud se præcipuam personalem obligationem, fundosque designatos esse causa pii relicti hypotheca obligatos. Ex quo proficiscitur, Cappellaniam prorsus extingui, ubi fundi perierint, quamquam non pereant cætera pia relicta etiam pereuntibus fundis causa executionis, aut hypothecæ demonstratis, manente semper in hæredibus quibuscumque personali obligatione. Proficiscitur insuper, fundos Cappellaniæ adsignatos alienari non posse sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum ad rempublicam pertinentium, & sine causæ cognitione, e contrario alienari posse ab hæredibus fundos demonstratos pro anniversariis, cæterisque piis relictis, sine ulla solemnitate, & sine causæ cognitione, nisi aliud fundatorem voluisse probetur, manente tantum penes hæredem alienantem personali obligatione, argumento legis 81. §. ult. ff. de contrah. emt., l. 96. 120. ff. de legat. 1., l. 38. ff. de usu, & usufr. leg., l. 2. §. 1. ff. de alim. & cibar. legat., aut in novum possessorem translata hypothecaria obligatione, si pro anniversario, piisve relictis fundi fuerint a fundatore obligati, argumento l. 12. ff. de aliment. vel cibar. leg., vel si tacite ex lege, hypothecæ obnoxii fuerint, uti contigit, quoties legato constitutum anniversarium proponatur, l. 1. cod. communia de legatis. Denique proficiscitur, institutis anniversariis, vel aliis piis relictis, bona demonstrata dividi inter hæredes pro hæreditaria parte, divisa quoque eodem modo obligatione contra quam obtineat in Cappellania, quæ semper individua est, cujus præterea bona una cum obligationibus cohærentibus semper manent apud Cappellanum, sive hæres sit fundatoris, sive quicumque alius hac adjecta observatione, ut si forte a fundatore hæres fuerit Cappellanus institutus in perpetuum, & emergat casus plurium cohæredum, tunc apud seniorem, tamquam, apud patronum bona Cappellaniæ consistant, nisi aliud appareat a

fundatore constitutum, argumento l. 77. §. 21. ff. de legat. 2., juncta l. ult. ff. de fide instrumentorum, & l. 192. ff. de regul. juris. Plane ex his omnibus, in quorum conspectu liquet, quomodo a beneficiis, vel a legatis quibuscumque piis Cappellania distinguatur, jam intelligitur, quænam sit singularis Cappellaniarum indoles, ac natura.

Vulgaris est Cappellaniarum partitio, juxta quam aliæ ecclesiasticæ, aliæ laicales appellantur. Proprie ecclesiasticæ dicuntur, quoties erigantur ecclesiasticorum Antistitum consensu, argumento capituli 4. de relig. domib., licet in tabulis fundationis adjectum fuerit, nullam Episcopi institutionem requiri, quotiescumque Cappellania vacaverit, sola nominatione patroni vim institutionis habente. Idem erit, si Ecclesiæ, si Rectori Ecclesiæ, si Collegio Clericorum seu sæcularium, seu regularium, concessa Cappellania fuerit a fundatore, can. 6. casu 10. quæst. 1., cap. unic. §. ult. de jure patron. in 6, argumento l. 20. §. 1. ff. de annuis legatis. Quod si concessa fuerit hospitali, distinguere oportebit inter ecclesiasticum, & laicum hospitale: si laicum, laica intelligetur, si ecclesiasticum, ecclesiastica; quemadmodum & laica Cappellania erit, si laicorum sodalitio concedatur, dicto capitulo 4. de religios. domib..

In Cappellaniis ecclesiasticis ea fere omnia vigent, quæ in beneficiis obtinent, nimirum sive quod spectat bonorum alienationem, sive quod spectat præsentationes, institutiones, earumdem tempora, ac devolutiones; sive quod spectat juris patronatus extinctiones, sive quod spectat titulum ordinationis, quo quis arctatus dicatur, sive quod spectat ætatem, obligationesque personales Cappellani, qualis est inter cæteras horarum canonicarum recitatio, & residentia, quicumque sint, utut tenues Cappellaniæ fructus, immo etiam si Cappellanus removeri ad nutum ex fundationum tabulis possit. Uno verbo: eatenus tantum hujus generis Cappellaniæ a beneficiis ecclesiasticis distare videntur, quatenus aut fundator expresse distare constituerit, argumento capitulo 10. de rescriptis, aut quoties in antiquis non adpareat expresse, quid fundator voluerit, quatenus distare demonstret usus rerum gestarum.

Laicæ Cappellaniæ dicuntur, in quibus ex voluntate fundatoris ita omnia disposita sunt, ut nulla in erectione, eove minus in institutione Cappellanorum Episcopalis requiratur auctoritas, etiam si caverit fundator, ut ecclesiasticæ personæ Cappellania tradatur; qua in specie satis erit, si designetur unus ex Clericis, qui ab Episcopo fuerit adprobatus, ut in diœcesi ea munera obeat, quæ obeunda sunt ex Cappellaniæ fundatione. Quamobrem hujus generis Cappellaniæ modo appellantur salaria, aut stipendia Clericorum, modo mere defunctorum memoriæ, aut commemorationes, & fideicommissis potius, quam beneficiis æquiparantur, ita ut, nisi aliud fundator expresserit, earum capaces etiam laici sint, etiam feminæ, etiam infantes, dummodo semper curetur, ut oneribus sacrorum per Clericos idoneos satisfiat. Et quamquam Episcopi jurisdictio sit curare, ut pia defuncti voluntas executioni mandetur, Nov. 131, cap. 2., cap. 3. de testam., Concilio Tridentino sess. 22. de Ref. cap. 8., nisi & id fundator expresse vetuerit, in cæteris tamen negotiis, & controversiis, quæ spectant ex. gr. jura vocatorum ad Cappellaniam, bonorum alienationes, & similia, publicorum potius Magistratuum erit jurisdictio, atque in iis dirimendis causis legum magis civilium, quam ecclesiasticarum placitis inhærendum. Quid vero, si quærendum sit, an laicam, an ecclesiasticam Cappellaniam fundator erexerit, erigendamve mandaverit? Præcipue erunt adamussim investigandæ fundationis tabulæ, verbisque

earum, ac formulis insistendum, ut quid testator voluerit, ex formulis, iisque deficientibus, ex conjecturis saltem, eliciatur. Deinde si de vetere fundatione agatur, cujus certa non sint, aut non amplius supersint scripto commendata monumenta, consuetudo rerum eousque gestarum, optima erit voluntatis interpres, argumento l. 14. §. 2. ff. de alim. vel cibar. legat.. Quod si post universas facti investigationes, adhuc omnia in incerto collocata sint, ecclesiastica potius, quam laica Cappellania erit præsumenda: etenim nomen Cappellaniæ per se, & proprie ecclesiasticam Cappellaniam significat; atque a propria significatione verborum non aliter recedere oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse fundatorem, argumento l. 79. ff. de legat. 3.. Neque in contrarium dicas, Cappellaniam ecclesiasticam tum demum dici, cum Ordinarii auctoritas erectioni ejus accesserit; accessionem autem non facile præsumi, sed probandam esse, cum in facto consistat, argumento canonis 18. de consecrat. dis. 1.. Quid enim, si mortuo fundatore, qui testamento Cappellaniam ab hæredibus instituendam decrevit, dubitatio emergat, an hæredes teneantur ad Episcopum confugere auctoritatis interponendæ causa? Quid, si dubitatio emergat de Cappellania jamdiu erecta, & in qua proponatur Ordinarii institutio intervenisse? Nonne in prima specie exposcendus adhuc erit Ordinarii consensus, & in altera consensum saltem tacitum Episcopi accessisse, præsumendum videretur?

Singularia quædam sunt observanda in Cappellaniis laicalibus, quod attinet ad obtinendam illorum possessionem. Quamquam enim illæ longe recedant a natura beneficiorum, proptereaque eisdem, quibus beneficia, regulis non subsistant, quoniam tamen quamdam habent beneficii imaginem, illud semper elaborandum est, ut cum beneficiis, servata singulari earumdem natura, conferantur. Quamobrem cum in beneficiis patronatis adquirendis quatuor actus distinguantur, videlicet nominatio a patrono facta, præsentatio, qua nominatus se sistit coram eo, qui instituendi jus habet, ecclesiastica institutio, & missio in possessionem: ita in Cappellaniis laicis cum locum habere nequeat aut præsentatio, aut institutio, sed tantum nominatio, ac missio in possessionem, adhuc inveniri potest, quod præsentationis, institutionisve speciem præseferat, quod fit, quoties nominatus Cappellaniam postulat, jure suo sibi ex nominatione quæsito experiens adversus quemcumque in contrarium contendentem. Item observandum est, in Cappellaniis laicis nullibi reperiri definitum tempus ad nominandum, nullumque propterea jus ordinariæ devolutionis agnosci oportere, sed patronum illis juris remediis, quoties negligat, adigendum, etiam Episcopi auctoritate, quibus adigi potest, quicumque ad opera pia executioni mandanda tenetur; neque enim tempora, atque ordinaria devolutionum jura in beneficiis ecclesiasticis constituta, illico ad hujus generis Cappellanias protrahuntur, sive quod ibi versetur jus recentioribus sæculis præstitutum, proptereaque novum; nec facile ad species non expressas extendendum, cap. 3., juncto cap. 1., & 2. de jurepatr., sive quod in beneficiis ecclesiasticis juspatronatus competat ex canonum potius privilegio, quod certis finibus coerceri potuit; ast obligatio hæreditaria respectu Cappellaniæ laicæ tota constituitur jure generali, quo certa jam remedia statuta fuerunt ad tuendas defunctorum voluntates. Itaque arbitrio judicis tota res definietur, modo majus, modo minus tempus ad nominandum definituri, habita ratione adjunctorum, præsertim iis postulantibus, atque instantibus, quorum interest, argumento l. 1. §. 2. ff. de jure liber.. Cæteris in causis, quales pas-

sim emergere solent respectu seu activi, seu passivi patronatus, atque in definiendo, quis cui præferatur, ubi aliquid in fundationis tabulis expresse definitum non adpareat in specie, ea omnia adamussim erunt observanda, quæ in patronalibus beneficiis obtinent, cum in hac parte laicæ Cappellaniæ a beneficiis minime distare videantur.

Perraro in ecclesiasticis, frequentius in laicis Cappellaniis contingit, ut Cappellanus ab eo, qui jus conferendi habet, amoveri possit, tum demum scilicet, cum id in tabulis fundationis exprimitur. Qua in specie plura observanda occurrunt. Primum est, has Cappellanias utut ecclesiasticas, reservationibus Pontificis obnoxias minime esse, cum non semper proprie vacare dicantur. Deinde certum est, in eisdem locum non habere regulas aut de annali, aut de triennali possessione, qua quis sibi valeat illas adversus quemcumque in perpetuum adserere, vindicare, quasi possessio precarii instar sit, & omnem præscriptionis causam excludat. Non tamen exinde colligitur, has Cappellanias quodammodo perpetuas dici non posse: etenim adhuc perpetuo possidentur natura sua, quamquam valeant revocari, eodem modo, quo leges, ea rescripta perpetua dicimus, licet revocationibus subjiciantur, cap. ult. de rescript. in 6., quemadmodum etiam perpetua dicimus beneficia, quæ manualia non sunt, licet & ista ita quandoque concedi possint, ut post certum tempus, certisque non impletis conditionibus revocentur, can. 42. caus. 7. quæst. 1., cap. 34. de elect. in 6.. Nimirum id his, ac similibus speciebus perpetuum dici potest, quod ita conceditur, ut sperari valeat, futurum aliquando, ne revocetur, argumento l. 56. ff. de conditione indebiti. Ex hac observatione deducitur, Cappellanias istas morte concedentis non ipso jure amitti: sed tum demum si revocentur a successore, argumento capituli 3. de precar., quin obstet capitulum 5. de rescript. in 6.; alia enim ibidem species occurrit, videlicet de eo, qui certa beneficia usque ad beneplacitum Pontificis Maximi obtinuerat, non quousque concessio revocaretur; cui simile est, quod legimus in l. 4. ff. locati, quæ etiam in contrarium opponi solet. Deducitur præterea, earum Cappellaniarum possessores æque, ac beneficiarios, ad horas canonicas, & residentiam, nisi a fundatore absoluti fuerint, obligari, & beneficia a Sede Apostolica impetraturos, si ecclesiastica Cappellania sit, quam possident, ejusdem mentionem facere in libello supplici debere, eodem modo, quo facere debent mentionem beneficii a se possessi, si aliud beneficium postulent. Amplius dico; nimirum regulariter datam revocandi facultatem non adeo libere explicari posse ab eo, cui competit, ut sine ulla causa ad revocandum deveniatur; præsertim si Cappellania ecclesiastica sit, in qua conferenda, aut auferenda, arbitrium potius prudentis viri, quam effræne placitum electum præsumitur, & ea Cappellaniæ qualitas potius impressa videtur ad continendum in officio Cappellanum, qui veritus, ne removeatur, gravius in munus susceptum incumbat; non sane quod eædem causæ ad removendum Cappellanum in proposito requirantur, quales requiruntur ad removendum beneficiarium; sed quod certas saltem causas, utut leviores, subesse necesse sit. Porro istæ causæ vel suboriuntur ex parte ejus, qui Cappellaniam concessit, vel ex parte ejus, qui Cappellaniam obtinuit. Exemplum primi generis est, si ei, ad quem Cappellani nominatio spectat, liberi adnascantur, aut idonei fiant, qui olim minus idonei erant, quibus Cappellania conferatur. Exemplum secundi generis est, si Capellanus minus accurate aut officium gerat, aut bona Cappellaniæ administret. Quid vero, si fundator ita om-

nia in voluntatem nominaturi contulerit, ut prorsus ab ejusdem nutu Cappellaniæ possessionem pendere voluerit? Non est in proposito dubitandum, quin fundatoris sequi oporteat voluntatem, & numquam possessor sine causa remotus conqueri apud Judicem possit, nisi dolus removentis adsit, & per injuriam remotio fiat, argumento canonis 63. caus. 11. quæst. 3., capituli 31. de elect. in 6., & l. 12. §. 3. ff. de liberali causa. Finge nunc, conferentem Cappellaniam hujus generis, collationis tempore spopondisse, se non revocaturum. Equidem quæcumque obligatio ex ea pactione nata dicatur, in successorem minime transibit, nisi successor sit hæres promissoris, l. 14. cod. de rei vindicat., successor enim, qui hæres non est, jure proprio, tanquam vocatus a fundatore, facto decessoris minime adstringitur. Quamobrem si in ejus generis Cappellania constituendum ecclesiasticum patrimonium sit, quasi titulus perpetuus ordinationis, satis non erit factum menti Ecclesiæ perpetuum patrimonium postulanti, si conferens Cappellaniam, spondeat, se non revocaturum, nisi ulterius ipse caveat, se, quocumque casu Cappellaniæ concessio revocetur, tantumdem substiturum, quantum patrimonialis constitutio requirit. Num vero poterit ipse conferens adversus sponsionem suam revocare concessionem? Ego distinguendum puto, an æqua superveniat revocandi causa, an minus. Si enim nulla subest revocandi causa, quid oberit, ne pacto, quod jam ipso jure collationi Cappellaniæ inesse diximus, firmetur collatio, & quod collatum fuit, non revocetur? At si æqua superveniret revocandi causa, multum interesset, an ista ex parte conferentis accesserit, quia ex. gr., idoneum consanguineum invenerit, quem velit Cappellano præferre; tum vero pactum vires exeret, quum unusquisque favori pro se introducto valeat renuntiare; atque id est, quod modo tradebam, & istud pactum successorem patronum, dummodo hæredem, obligare; an causa accesserit ex parte Cappellani, quia forte Cappellanus non recte in Cappellania versetur; tum vero pactum illud inane prorsus esset, nec aut paciscentem ipsum, aut paciscentis hæredem obligaret; utpote quod fundatoris voluntatem everteret, qui conditione revocationis adjecta sollicitus maxime fuit, ut ea lege Cappellanum in officio contineret; successor autem fundatoris tenetur leges omnes a fundatore positas custodire in ea parte, quæ non meram gratiam exhibent successoris. Simili de causa ego puto, Cappellaniam ecclesiasticam, quæ revocari ab Episcopo ex fundationis tabulis possit, etiam si aliquando a Pontifice Maximo extra ordinem conferatur, adhuc ab Episcopo revocari posse, si Cappellanus certam revocationi faciendæ causam præbuerit; immo & in hac specie illud accedit, quod Pontifex Maximus in ea collatione non præsumatur rei collatæ naturam immutavisse, argumento capituli 6. de confirmat. utili, vel inutili, & Clementinæ unicæ vers. *Præmissa* de suppl. neglig. Prælat., quamquam tamen in proposito optimum erit Ordinarii consilium, si non nisi ex graviore quadam emergente causa ad revocandam a possessore Cappellaniam deveniat.

CONCLUSIO.

His omnibus arbitratus sum, universam amplissimam beneficiorum ecclesiasticorum materiem, quoad fieri per me valuit, perspicue, ordinateque potuisse perstringi. Non dubito, quin longe plura apud Interpretes nostros, longe etiam plura apud Pragmaticos tradita reperiantur. Sunt illa factorum ad-

unctis ut plurimum involuta: sunt insuper potius accommodata variis consuetudinibus Curiarum, quam scriptæ, eidemque perpetuæ canonum disciplinæ, Curavi ego, ut quoad fieri possit, paucis exiberentur ea, quæ magis Patrum regulis convenirent; qua in re si ego a vulgaribus recentiorum placitis visus fuero recessisse, candide fateor, me traditionum mearum pœnitere non posse, dum ecclesiasticorum virorum, qui & nobis, & universæ Ecclesiæ auctores quoquo modo sunt, & vindices germanæ ecclesiasticæ disciplinæ, dogmata secutus sum, potius quam illorum, qui sequioris ætatis usibus, nescio, an dixerim corruptelas, morem gesserunt, atque indulserunt. In meo etiam proposito me confirmant ipsæ, quas recentiores Scriptores miscent disputationes, inter quas observo, istorum disciplinam parum esse constantem, nec ubique facile reperire addictissimos sectatores. Interea, quæ a me tradita sunt, qualiacumque habeantur, quibusdam proderunt, ut commode possint, & sine difficultate, quascumque nostrorum traditiones legendo, audiendove percipere, & quod optimum est, de ipsis etiam judicare. Spero etiam futurum, ut quicumque æquo animo ad has meas lucubrationes accesserit, non tantum in iis, quæ ad politioris scientiæ cultum, verum etiam iis, quæ ad forenses usus pertinent, ea inveniat, quibus non omnino frustra laborem, operamque meam insumpsisse videar; tunc autem non me pœnitebit, immo etiam atque etiam gratulabor, quod hanc inscripserim, brevem quidem, sed undique absolutam tractationem.

INDEX,

QUO EXHIBENTUR ORDO,

ET SINGULARIA ARGUMENTA

TRACTATIONIS

De Beneficiis Ecclesiasticis, seu Commentariorum

IN TERTIUM LIBRUM DECRETALIUM.

Præfatio, & partitio tractationis. Pag. 1.

DISSERTATIO PRIMA.

De Beneficiorum origine, natura, & qualitatibus. pag. 3.

Cap. I. *Quid sint beneficia, & quæ illorum instituendorum ratio.* ibid.
Cap II. *De Beneficiorum proprietatibus generatim, ac specialiter de perpetua beneficiariorum militia.* pag. 10.
Cap. III. *De ingenita beneficiorum perpetuitate.* pag. 14.
Cap. IV. *De beneficiis non scindendis.* pag. 17.
Cap. V. *De beneficiis pluribus uni Clerico non concedendis.* pag. 22.

DISSERTATIO SECUNDA.

De variis beneficiorum speciebus. pag. 32.
Observatio I. *De quibusdam Cathedralium, aut Collegiatarum Ecclesiarum beneficiis.* pag. 33.
Observatio II. *De beneficiis regularibus.* pag. 46.
Observatio III. *De beneficiis commendatis.* pag. 58.

DISSERTATIO TERTIA.

De beneficiis erigendis, restaurandis, uniendis, vel dividendis. pag. 72.
Cap. I. *De beneficiorum erectione.* ibid.
Cap. II. *De beneficiorum restauratione.* pag. 80.
Cap. III. *De beneficiorum unione, vel divisione.* pag. 86.

DISSERTATIO QUARTA.

De Juribus Patronorum. pag. 101.
Cap. I. *Quid sit Juspatronatus.* ibid.

CAP. II. *De variis patronatus speciebus.* pag. 104.
CAP. III. *De iis, qui Juspatronatus adquirere possunt, vel semel adquisitum retinere.* pag. 112.
CAP. IV. *De causis, quibus Juspatronatus constituitur, & primum adquiritur.* pag. 116.
CAP. V. *De modis, quibus Juspatronatus semel adquisitum in alios transfertur.* pag. 126.
CAP. VI. *De modis, quibus Juspatronatus probandum est.* pag. 135.
CAP. VII. *De juribus patrono ex Canonum disciplina concessis.* pag. 139.
CAP. VIII. *De modis, quibus Juspatronatus amittitur.* pag. 158.

DISSERTATIO QUINTA.

De beneficiorum collationibus. pag. 165.

PARS PRIMA.

De beneficiorum collatoribus. pag. 176.
CAP. I. *De jure Ordinariorum in beneficiis conferendis.* ibid.
CAP. II. *De jure Capituli Cathedralis Ecclesiæ in collationibus beneficiorum.* pag. 170.
CAP. III. *De jure illorum, qui singulari titulo beneficiorum collationem adquisiverunt.* pag. 180.
CAP. IV. *De iis, qui beneficia conferunt jure devolutionis.* pag. 183.
CAP. V. *De jure Pontificis Maximi in beneficiis conferendis.* pag. 188.

PARS SECUNDA.

De variis collationum formis. pag. 225.
CAP. I. *De forma collationum ordinaria.* ibid.
CAP. II. *De forma collationis Parochialium Ecclesiarum.* pag. 231.
CAP. III. *De forma adsequendi beneficia electiva, vel optabilia, vel patronata.* pag. 240.
CAP. IV. *De forma collationum, quæ fiunt apud Apostolicam Sedem.* pag. 244.

PARS TERTIA.

De generalibus Sacrorum Canonum præceptis a collatoribus in ipsa collatione observandis. pag. 250.

DISSERTATIO SEXTA.

De oneribus, & juribus Clericorum, qui beneficia obtinuerunt. pag. 254.
CAP. I. *De oneribus, & juribus, quæ spectant spirituale munus beneficio adnexum.* ibid.
CAP. II. *De juribus, & oneribus, quæ spectant beneficialium prædiorum, aut jurium administrationem.* pag. 263.

CAP. III. *De juribus, & oneribus beneficiariorum, ratione habita fructuum, & obventionum, quæ ex beneficiis rediguntur.* pag. 273.

DISSERTATIO SEPTIMA.

De causis, & modis, quibus ecclesiastica beneficia amittantur. pag. 310.
CAP. I. *De causis, ex quibus beneficium amittitur juris potestate.* ibid.
CAP. II. *De causis, ex quibus beneficium ex sententia Judicis amittatur.* pag. 312.
CAP. III. *De causis, quibus beneficiarii facto suo beneficia ecclesiastica amittunt.* pag. 313.

APPENDIX.

De beneficiis impropriis. pag. 320.
CONCLUSIO. pag. 330.

UAB Biblioteca de Ciències Socials





Universitat Autònoma de Barcelona
Servei de Biblioteques
1500547062

PUB. UAB
Universitat Autònoma de Barcelona
Servei de Biblioteques
Reg 1500547062
Sig 09:348 Ber